JC.SUP.20.Pl.2.

37
46 E
19

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS LAURENTII LUCCHESINII

Lucenſis e Soc. Jesu

Sacræ Congregationis Rituum Conſultoris

OPERUM

TOMUS SECUNDUS,

In quo Editio Altera Voluminum inſcriptorum:

HISTORIA POLEMICA PONTIFICIA CONCILII CHALCEDONENSIS,

Ex qua paſſim, & ubique ſtatuitur

Notoriam fuiſſe in Antiqua Eccleſia Præſtantiam Pontificis Maximi ſupra Generalia Concilia, & ejuſdem in declaranda Fide Infallibilitatem:

ET AFFERTUR NOVA EVERSIO

PETRI SUAVIS POLANI.

Tractatus duo de eadem Notorietate.

HISTORIA POLEMICA JANSENISMI,

Et oſtenſio, quod in anteceſſum hæc Hæreſis damnata fuerit a Sacra Synodo Tridentina:

SOLUTIO CAVILLATIONUM,

QUIBUS JANSENIANI UTUNTUR.

Et Acta omnia Authentica contra hanc Sectam,

Pertinet ad Bibliothecam [illegible].

ROMÆ, MDCCXV.

Ex Typographia Georgii Plachi, apud S. Marcum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS
Præpoſitus Generalis Societatis Jesu

Cum Operum P. Joannis Laurentii Luccheſinii Societatis noſtræ Sacerdotis Tomum Secundum, quorum aliqua olim edita, alia nonnulli ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut iterum, vel primò, Typis mandentur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratiâ has Literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 23. Junii 1714.

Michael Angelus Tamburinus.

Reimprimantur,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Archiepiſcopus Capuæ Viceſgerens.

Tria præcipuè ſuſpexi in Polemica Hiſtoria Pontificia Concilii Chalcedonenſis ſcripta ab Admod. Rever. P. Joanne Laurentio Luccheſinio Societatis Jeſu Theologo, quam juſſu Reverendiſs. P. Thomæ Mariæ Ferrari Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri attentè perlegi, videlicet, Acumen, Soliditatem, & Copiam Argumentorum, quibus Sacra Pontificatus Maximi Monarchia ſolidiſſimè confirmatur: Schiſmatici, Hæretici, ac Petrus Suavis Polanus, evertuntur. Adeo ſolerter omnia, quæ ad hunc finem pertinent, in unum congeruntur, & intima Concilii mens exploratur, ut verè Nova, & Arcana hæc dici poſſit Hiſtoria, & magna ſit laus Auctori tribuenda, eò quòd ex patenti omnium piſcatui Conciliorum Oceano tot ipſe primus Margaritas in lucem produxerit. Non ſolùm Catholicam Fidem, Sacros Canones, optimoſque mores nullo prorſus verbo lædit, ſed etiam Aureum hoc Opus plurimùm Eccleſiæ Divinæ cenſeo profuturum, ideoque Typis digniſſimum eſſe. Datum in Seminario noſtro Sancti Pauli apud Sanctum Pancratium de Urbe die 7. Maii 1693.

F. Liberius a Jeſu Carmelita Diſcalceatus in eodem Seminario Controverſiarum Prælector.

DE Mandato Reverendiſs. Patris, & Magiſtri Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri evolvi Librum, cui Titulus eſt *Sacra Monarchia S. Leonis Magni Pontificis Maximi paſſim, & ubique fulgens in Polemica Hiſtoria Pontificia Concilii Chalcedonenſis &c.* compoſitum ab Adm. R. P. Joanne Laurentio Lucchefinio e Societate Jeſu, qui Eccleſiaſticam Monarchiam in Romano Pontifice aſſertam exponit, contumaceſque Petri Suavis ſpiritus Veritatis expreſſæ malleo contundit. Non ſolùm nihil in illo offendi, quod morum diſciplinam, aut Fidei candorem læderet, imò potius Eloquentiæ amplitudinem, robur Doctrinæ, copiam Eruditionis, quæ omnia in tranſcurſu Sacri Concilii Chalcedonenſis ex Novis, & Validis Animadverſionibus ſedulò recollecta eo eleganti, ac facili ſtylo delineat, ut non minus Doctrinâ juvet, quàm Styli amænitate delectet. Cum igitur iſte Liber fidelium imbuendæ Pietati, Doctis, ac rudibus edocendis, Hæreticorum Erroribus jugulandis, Sediſque Apoſtolicæ Juribus ſuſtinendis perutilis videatur, idcirco publica luce, atque laude dignum exiſtimo. In Ædibus Sancti Silveſtri Montis Quirinalis de Urbe die 8. Maii 1693.

D. Cajetanus Paſſarellus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificator Clericus Regularis.

Reimprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Scripſit idem doctiſſimus P. Paſſarellus Epiſtolam in laudem ejuſdem Operis editam Anno 1693. ex Typographia Rev. Cam. Apoſtolicæ, ex qua, protenſa in paginas trigintaſex, delibo ſolummodo ea, quæ habentur prope finem.

SUper hæc noſter Auctor ſolicitè totam percurrens Tridentini Concilii Hiſtoriam à Petro Suave Polano marcido ingenio, & tartareo atramento compoſitam, alios expoſitos ibi notat, alios latentes detegit angues, qui adverſus Supremam Romani Pontificis Poteſtatem, ejuſdem Infallibilitatem, Eccleſiaſticam Monarchiam, Eccleſiæ mores, & inſtituta, Patrum quoque ſententias impiè, & iniquè detortas, & in favorem Proteſtantium furiale venenum effundunt, eoſque in propatulo poſitos & explicatos ex ejuſdem Sacræ Chalcedonenſis Synodi locis arreptis, quaſi funiculis, obvios hos Polani ſerpentes ſtrangulat, & quos Suavis quaſi degener amaros, & virulentos propinare fidelibus ſuccos ſtudeat, luculenter oſtendit. Proprium Suavis Polani eſt, in tota hiſtorica ſerie vera falſis miſcere, & veroſimilia cum ancipitis fidei, arte fallaci diverſa ſpecie ſubiicere, aut propriam ſententiam ore alieno producere, ſicque multiplici laqueo incautos homi-

nes

nes capere, vel voluntariè deceptos ſatyrica quoque voluptate pellicere. Sed verſipellem mirè concutit Auctor, & mendacia refellit, & cuniculos aperit, & latitantem nequitiam expromit, ut nihil illi proſit, ovina pelle contectum velle Lupi rabiem & famem ad ſatietatem explere.

Quæ quidem adverſus Polanum, & pro Suprema Summi Pontificis Poteſtate longè plura congeſta ab Auctore argumenta, & in toto Volumine ſparſa epilogi causâ repetere non oportet. Solùm enim hucuſque intendi, hujus optimi Libri aliquod ſpecimen dare, primiſque, ut dicitur, labris perfunctoriè guſtandum præbere, ſimilis illi, qui telam pretioſam venumdaturus quædam primò ſegmenta, ſive particulas offert, ut captum illarum pulchritudine emptorem in totius inde telæ poſſeſſionem immittat. Cæterùm hæc Tria ſingularia, & in primis conſpicua in hoc Opere invenio. Primum, quia materiam, de qua tractat, toties excuſſam, & ventilatam, immenſiſque prope codicibus plenam, ac ſatietate prope faſtidioſam, narratione Chalcedonenſis Synodi Hiſtoriæ ita demulcet, & condit Auctor, ut non minus prudenter doceat, quàm rerum varietate delectet. Alterum, quia Concilium Chalcedonenſe, quod ſuper omnia Concilia Apoſtolicæ Sedis ornamentum, & culmen expreſſit, nemo præteritorum Auctorum, ſicut ipſe, diſcuſſit, & volutavit, nec tritas Catholicis merces, ſed Novos quaſi Uniones eruit, quibus Pontificiam Thiaram condecoraret. Tandem, quia dum argumentum revolvit Auctor his temporibus gracile, & offendiculis circumfuſum, adverſas opiniones ratiocinando inſectatus, perſonis integris, jugulat, illi ſimilis peritiſſimo ſagittario, qui anguem percuſſit illæſo corpore, cui erat anguis circumvolutus.

Præterea hanc Novæ Explicationis contextæ lucem Chalcedonenſi Synodo ſuperadditam Sedi Apoſtolicæ utiliſſimam puto; nulla quippe frequentius, quàm iſta Synodo non modò Catholici quidam in tribus illis, quos diſcuſſimus, Articulis, rueri ſe poſſe credunt, ſed & in ſuis erroribus Hæretici ſeſe refricando, & allatrando jactant, ſenſum ejus legitimum corrumpentes, & violentas interpretationes congeminantes, quia unde magis ſibi metuunt, eò magis ex adverſo conatus, & vim intendunt. Digni propterea iidem Hæretici ſunt, ut armorum, quibus falsò & procaciter abutuntur, in ſeipſos converſam cuſpidem ſentiant. Narrat Lucianus, quod Neanthus Pytthaci Tyranni Mitilenenſium filius Orphei citharam, quæ Apollinis templo pendebat, ereptam dum inter ſylvas ineptè pulſat, feras diſcordi ſonitu concitatas, & efferatas magis adegit, ut ipſum dilaniarent. Sic idem muſicum inſtrumentum, quod bene tractatum feras, & ſaxa mulcebat, & Fluminum impetum morabatur, mox pravè in uſum converſum lapides provocabat, & in furorem belluas agebat, retortiſque Flumina undis citharædum inertem obrutum ibant. Sed hæc fabuloſa, & omnino ſpernenda narratio eſt. Nos verò experimento comperimus, Chalcedonis Citharam, veram doctrinam concinnè ſonantem, & fidibus Fidem rectè pſallentem, & infidelium animos mollientem, atque informantem, præterea Deo conſecratam, ejuſque templo voti, & ornamenti cauſa pendentem, dum Hæretici arripiunt, & malè tractare, ac tangere audent, aſpero ſonitu, atque horriſono ſtrepitu prudentum laceſſere morſus, & Catholicos ſtylos ad ultionem acuere. Hic doctrinæ, & eloquentiæ nervo illos cædit, & verberat Auctor, ut non impunè ceciderit, adulterino ſenſu quæſiſſe Sacri Concilii candorem, & concentum labefactare.

LE-

LECTORI.

PRæter communia illa, quæ præfatus fui Tomo Primo a pag. 221. uſque ad 226. dum alloquebar Lectorem Hiſtoriæ Pontificiæ Conciliorum, quæ præceſſerunt Chalcedonenſe, aliqua nunc ſubiicienda ſunt, ejus, quam expendendam ſuſcipio, Synodi propria. Non repeto igitur multiplices Cauſas, propter quas Nova, imò etiam Arcana, exiſtimari poteſt hæc Conciliorum Hiſtoria: nec rurſus expono ſtudium adhibitum in exploranda tota vi latente in iis, quæ præſuppoſita fuiſſe patet a modo agendi, loquendique uſurpato a Patribus, ex qua Præſumptione profluunt Recentia, quæ in lucem eduxi, Argumenta. Tria ſolùm ſuperſunt, de quibus præloquendum mihi opinor, Primum nimirum, cur ante aliorum Hiſtoriam Conciliorum ſuſceperim olim contexendam illam Chalcedonenſis. Alterum, quænam fuerit Sapientiſſimorum Virorum Sententia de tot ex illa erutis Argumentis. Tertium, quid novi ex illa inferre potuerim contra Petrum Suavem Polanum egregiè peſſumdatum a Sfortia Cardinali Pallavicino.

Ad Chalcedonenſis primò exarandam Hiſtoriam Concilii plures me Cauſæ impulerunt. Quia ſcilicet illius Acta, & Argumentis locupletiſſima, habemus: & ſingulari quadam religione Magnitudini, & Facundiæ illius Synodi Moderatoris S. Leonis addicti ſumus. Et hoc ex iis ~~unum eſt~~ Quatuor Primis Conciliis, quæ Quatuor Evangeliis comparantur: & ipſis Romæ Rebellibus metum incutit: & ante Barbarorum in Orientale Imperium irruptionem celebratum eſt, poſt quam Suavis ſomniat plus nimio in Synodis tributum fuiſſe Occidentalibus, a quibus Græci ſuppetias optaverint. Inſiſtendum ergo putavi hujuſce Sæculi mori, quo plures ſeorſum de variis Hæreſibus Hiſtoriæ, vel de ſingulis Diſſertationes Conciliis prodierunt, atque ſpecimen cęterorum dandum in Chalcedonenſi.

De Copia verò Argumentorum mihi ab illo ſuppeditata tria cenſere dignati ſunt Maximi Viri, quorum ſublimitas ab iis nominandis me abſterret; iidem tamen comperient integerrima hìc fide referri eorum Sententiam de Gloria Divina a meo qualicunque conatu promovenda. Omnium Præſtantiſſimus, cum audiviſſet ſpem a me animo foveri expiſcandi ex hujuſce Synodi Oceano pluſquam Tercentenas Argumentationum margaritas, ex quo recentiſſimus, idemque celeberrimus Auctor Undecim ſolummodo eduxerat, affirmavit deinde, ſuſpicatum ſe fuiſſe, utcumque acutæ futuræ eſſent animadverſiones meæ, vix tamen fieri poſſe, ut ſoliditas iiſdem ineſſet. Verùm, poſt ſedulò expenſas omnes, omnino deprehendiſſe nullam inveniri, quæ ſolidiſſimo robore, ac pretio deſtitueretur. Aſſeveravit Alter, quod ſi Maximorum Moderatio Pontificum differat interim damnare tanquam hæreticos illos, qui detrectant in animum admittere Veritates, quas Notorias fuiſſe in Antiqua Eccleſia ineluctabilibus ratiocinationibus evicimus; ab iiſdem tamen Argumentis, ſi quando Generale aliquod Concilium celebretur, facillimè adigendos Patres ad confirmandas ultro manifeſtas Eccleſiæ vetuſtæ Sententias. Tertius dixit edocendos nunc omnes ab Obſequio mirifico exhibito Chalcedone Epiſtolæ S. Leonis damnantis Hæreſes, ut idem nunc ſinguli præſtent Pontificiæ Conſtitutioni multiplicem ſapientiſſimamque Cenſuram ferenti de projectè ſacrilegis Recentis Auctoris Propoſitionibus.

Quorſum denum, inquies, Corollaria in Petrum Suavem Polanum præclarè jam everſum, ac penitus contritum ab incomparabili Sfortia Cardinali Pallavicino?

Ante-

LECTORI.

Antequam congruentem magnæ huic interrogationi reſponſionem attexam, mearum partium eſt de Opere Viri immortalitate Famæ digniſſimi contra virulentum illum, Eccleſiæque Divinæ pernicioſiſſimum Scriptorem proferre quid cenſeam. Hanc verò Sententiam ſi heroicis nunc laudibus conveſtirem, clypeus hic videri poſſet prætenſus temeritati, cujus notam ſubire videor auſus addere plurima iis, quæ ab eximio Romanæ Cauſæ Propugnatore allata ſunt. Satius ergo duco hìc illa inſerere, quæ annis ab hinc quadraginta edidi in Carmine inſcripto Encyclopœdia; cum enim omnium complexionem Doctrinarum neceſſariam iis eſſe decernerem, qui velint in ſingulis eminere, illius exemplar ſtatui in Sfortia Cardinali Pallavicino. Sic igitur habent ij Verſus, colore aliquo hauſto ex Horatio in Sermonibus, & Arte Poetica; nam, cum Didàſcalicum cuderem Carmen, tres in partes tribui eorum imitationem, qui hoc in genere præcelluerunt, Lucretii ſcilicet, Horatii, ac Virgilii.

Ut Divina Scientia, & os conjuret amicè
Facundum, laus Purpurei præclara Senatus
Sfortia propoſuit nobis Exemplar, in ævum
Æternum cujus diffundet gloria nomen.
Hoſtis erat, quo non alius truculentior; illum
Lactarunt Charites, aſt improba corda Megeræ
Præbuerat fingenda Sacris inſenſa Latinis.
In verum, & veri Cuſtodes ſparſerat, atri
Pulveris in Lybicis Auſter quantum excitat agris.
Quæſitus, qui ad humum audacem deduceret hoſtem,
Armis congreſſus paribus, qui Sacra Tridenti
Jura tueretur. Linguæ cum divite cultu
At niſi conſpires doctrina, elidere fruſtra
Tentabit blandita nimis canis ora trifaucis.
An duo convenient? & cui Sapientia ſacros
Explicuit fontes, quæ ſint ſcribenda, recludat?
At, cui nectare Suada ſuo calamum imbuit, illà
Victuris chartis conſignet? Inania vota!
Effàri tantùm egregiis ſublimia verbis
Ille poteſt, eadem qui animo complectitur; at, qui
Doctrinâ excutitur, ſudet, fruſtraque laboret
Auſus facundis Divina recludere verbis.
Nonne vides, patrio ut poſtquam ſermone refulſit
Grande Opus, haud quiſquam verbis veſtire Latinis
Partum animæ magnæ potuit, niſi qui ingenio par
Doctrinamque repræſentat, linguamque diſerti
Auctoris? Muſis is mitibus, atque ſeveris
Ex æquo charus, præclaro hoc fœdere quantum
Romuleæ prodeſt fidei! Quæ gratia caſti
Sermonis! quæ vis, & Regia forma! Regendis
Ut populis ſtatuit leges! Tribus omnia chartis
Clarius ut profert Divina arcana Sacrorum,
Quàm libris alii prægrandibus! Hoſtis acumen
Contra ipſum pugnare docet: quæque aurea nectit,
Effugiſſe negat vecordem vincula Proteum.
Jamque ille aſſuetus volitare per ora virorum
Deciſis humilis pennis jacet. Aurea centum
Fama tubis effert Victoris nomen ad Aſtra.
Naturam quæris, ſive artem? Mirus utraque
Dicitur: atque alios cum Sfortia vicerit, una
Vincere in Hiſtoria ſeſe, perhibetur: & alta
Cum mens ediderit fœcundo plurima partu,
Creditur hæc primùm non ulli debita morti.
Sæcula ſupra iſtam palleſcent cana, diſertum
Quam beat eloquium, & magnarum pondera rerum.

Liquet

Liquet igitur & numeris omnibus abſolutiſſimam à me cenſeri exaratam a Pallavicino Hiſtoriam Tridentini Concilii, & Petrum Suavem Polanum ab egregio Antagoniſta penitus labefactatum. Sed num inanis proinde labor futurus erit, ſi extincto inſultemus, ac effoſſos cineres diſpergendos vento tribuamus? Utinam non ſupereſſent Hæretici Patronum illum ſuum miſerè adhuc depereuntes, qui vel Hiſtoriam Sfortiæ minimè legunt, vel, utcumque innumeris aſſertæ argumentis, veritati pernegant fidem. Eam ſcilicet adhibebunt tibi? reponent omnes, ac plurimi non ſine ſtomacho. Sed viderint illi, quò rem deducam. Perneceſſarium erat inſiſtere veſtigiis Colubri, qui tortuoſas mille ſemitas ingreſſus ubique Mendaciorum venenum afflavit. Hoc divinum ferè in modum peregit Sfortia; & quia paucis Mendacia verbis proferri poſſunt, plurima frequenter neceſſaria ſunt Aſſertori, ac Vindici Veritatis, coactus fuit producere in longum Admirabilis Hiſtoriæ Libros; quamvis

Non ſunt longa, quibus nihil eſt, quod demere poſſis.

Poſt relatum de Hoſte triumphum, ac verè opima ſpolia in Vaticanum illata, ſupereſſe video artificium Hæreticis commodandi brevitate, ac nonnullarum in Suavem pugnantium recenſione rerum, quas niſi ultro concedant, omnino amentes habendi ſint. Has ut ſeligerem, in Adverſarii Ideam, ipſique propoſitum Finem introſpexi. Internecino ille odio flagrans in Sacram Pontificis Maximi Monarchiam, præcipuam ejus contra Lutherum, alioſque Sectarios Arcem, OEcumenicum videlicet Tridenti celebratum Concilium evertere adortus fuit. Hoc aſſequi ſe poſſe credidit, ſi triplex adhiberet armorum genus, quorum Primum fuit, ſi audacter præſumeret, ac veluti Notorium perpetuò inculcaret, Vetuſtam Eccleſiam Ariſtocratico ferè more adminiſtratam fuiſſe, nihilque in Univerſam, præſertim verò in Generalibus Synodis congregatam, Juris fuiſſe Romano Epiſcopo, cujus proinde Legatòs Concilii Præſides cum Tridentini Patres nequaquam excuſſerint, nullo ſint in pretio habenda illorum Decreta. Secundum, ſi perpetuò inveheretur in Romanos Mores, & Curiæ Conſuetudines, quibus cum par, ut ipſe affirmat, medela neque a Synodo, neque a Pontificibus fuerit allata, æqua ſuperſit Hæreticis Rebellionis cauſa. Tertium, ſi plurimas ex Fidei Definitionibus, & Morum Decretis in ſingulis quibuſque Seſſionibus ſancitas impugnaret, ac ludibrio, velut erroris, aut ineptiarum compertas, traduceret.

Secundum ex triplici hoc armorum genere, & quodammodo nuper inventas bombardas, præclarè jam dirutas, ne intuitu quidem dignabimur, quia, cum de recentibus rebus quæſtio ſit, Veritas ultro prodit in lucem, & in oculos, utcumque renuentes, incurrit. Ac licet nævus aliquis, aut labes quoque in nonnullorum moribus ſupereſſet, num proinde Chriſtiani detrectent Imperium Servatoris noſtri diſertè præcipientis: Omnia, quæcumque dixerint vobis, facite; *quamvis ea, quæ dicunt, Magiſtri Religionis opere ipſo non ſemper implerent? Calumniæ igitur, aut ſtultæ querelæ reſponſione non egent, & ultro corruunt, ſi oſtendatur, Sanctum; Divinitus inſtitutum, ac ut tale cognitum, & exceptum ab Univerſa Vetuſta Eccleſia in Synodis congregata, eſſe Univerſale Regimen, ac Pontificium Magiſterium quòad Articulos Fidei.*

Tertia quoque Veterum, ut ita dicam, Arietum forma, penitus a Sfortia, aliiſque plurimis comminuta, terrorem nullum iniicit nobis; Sacroſancta enim Fidei, Morumque Decreta Tridenti conſtituta præclari Controverſiarum Scriptores mirificè propugnarunt, inque aliis ante Tridentinum Conciliis fuiſſe olim ſancita oſtenderunt.

Primum igitur ſupereſt Armorum genus, quod latentibus Cuniculis comparaverim, quodque omnium maximè noxium machinamentum disjectum quidem, everſumque penitus eſt ab ingenioſiſſimo eruditiſſimoque Romanæ Cauſæ Defenſore; cui tamen profundius effodiendo, ſubruendoque non fruſtra collaborabimus. Incredibili

muni-

munitus audacia in arenam proſilivit Hoſtis teterrimus, & perinde ac ſi Sæculis, lociſque Eccleſiæ omnibus interfuiſſet, ſuis omne paginis Ævum jactabundus inſeruit, definiens ex tripode, nullo Veterum Scriptorum loco deſignato, quodnam olim eſſet Sacræ Reipublicæ Regimen, quis coegerit Synodos, quis illis præfuerit, quos intra fines Romanus ſe Epiſcopus contineret: ut nulla ſpectaret ad illum (ſic enim vecors affirmat) Generalium Eccleſiæ Cœtuum Præſidura, nulla Orientis Adminiſtratio, nullum Jus excipiendi ad ſe provocantium Appellationes: utque paulatim frontem erexerit, ſibique præpoſteram arrogaverit Auctoritatem: quæ, aliaque ſexcenta mendacia tam confidenter pronuntiat, abuſus præſumpta ignoratione anteactarum ætatum, qua ſui Lectores caligent, ut, niſi illi egregiè caveant ſibi, vehementiſſimum ſubeant deceptionis periculum. Illud præ cæteris perpetuò obgannit, Chriſtiana olim, ac Libera fuiſſe Concilia, quia ea Cæſares indixerint, perque ſe, aut ſuos Miniſtros temperaverint, nullum in ea Jus fuerit Romano Antiſtiti: ſuffragium tulerint, præter Epiſcopos, Viri omnes docti, licet hæreſibus addicti: & in danda Sententia non Eccleſiaſticas quoque Traditiones, non Sanctorum doctrinam Patrum, non aliarum placita Synodorum, non reſcripta Pontificum, ſed Sacras tantummodò Literas juxta propriam ab unoquoque ipſis tributam interpretationem exploraverint. Idipſum præſtandum Tridenti fuiſſe affirmat a Præſulibus, omni, ſi quod ipſis cum Romano intercesſiſſet, fœdere, aut obedientiæ Jurejurando ſolutis: redigendos in ordinem Apoſtolicos Legatos: admittendos cum Jure deliberativi ſuffragii aſſeclas Lutheri, Zuinglii, Calvini: nihil demum præter Divinorum Oraculorum Literam conſulendum. Quę quia prę ſtita minimè fuerint, Chriſtianum proinde ac Liberum nequaquam fuiſſe Concilium. De imminuta porrò Libertate querelę perpetuę ſunt, licet ne unum quidem Articulum proferre unquam Suavis poſſit in medium, cujus definiendi legem ab Urbe Roma Tridentini Patres acceperint. Enimvero ſi hunc cum Chalcedonenſi Synodo comparemus, omni Tridentum, nulla Chalcedonem Libertate potitam affirmabimus. Ex univerſa demum Vetuſtate Concilium nullum inveniemus juxta Suavis vota temperatum, pręter Epheſinum Secundum, in quo Dioſcori furor prohibuit Romanos Legatos ſui muneris miniſterio, & lectione Epiſtolę Pontificię, legem damnandi Eutychetem Synodo pręſcribentis: Hęretici tulere ſuffragium: ſpretiſque aliis omnibus fontibus veritatis, comprobatum eſt id, quod in Conſtantinopolitana Synodo dixerat Eutyches, ſolas *videlicet* ſe ſcrutari Scripturas. *Tartarea Latrocinalis hujuſce Concilii Acta, quod Suavi eſt omnium norma Synodorum, inſerta habemus Actis OEcumenici Concilij Chalcedonenſis, cujus Hiſtoriam enucleantibus nobis ultro ſe ingerit anſa in os exprobrandi Suavi plura mendacia, quàm quę Pauſanias fuiſſe commemorat in foro Mendaciorum apud Cecropios. Probroſum hujuſce hominis nomen poſt ſingulas Hiſtoriæ noſtrę particulas poſſet perpetuò compellari; ſemper enim aliquid eſſet, quod contra inſanas ejus Aſſumptiones ratiocinando conficerem. Sed, licet hoc identidem ſolùm pręſtans, in Meridiano Sole ſtatuam, idem, quod in pręſentia eſt, fuiſſe olim Eccleſię Regimen, videlicet Monarchicum; nihilque deinde ſibi fuiſſe a Romanis Pontificibus arrogatum, quod ultro iiſdem non deferret obſequentiſſimè ante annos Mille ducentos ampliſſimum Orientalium pluſquam Sexcentorum Patrum Concilium. Imò parcius multò ſua in Tridentinum Auctoritate uſos, quàm S. Leo Magnus utendum illá ſibi fuiſſe cenſuerit in Chalcedonenſe.*

PRONUNTIATA
PETRI SUAVIS POLANI
QUÆ AB HAC HISTORIA
Manifeſti Mendacii coarguuntur.

1 *Ariſtocraticum olim erat Eccleſiæ Regimen.*
Conſtat de Mendacio ex tota hujus Concilii Hiſtoria.

2 *Paulatim evaſit Monarchicum.*
Liquet oppoſitum ex toto Libro, ac præſertim ubi frequenter Leonis Auctoritas eadem oſtenditur cum illa S. Petri, cui tributa dicitur a Salvatore ſuæ Vineæ Cuſtodia. num.312.& ſeqq.

3 *Nulla olim fuit Jurisdictio Epiſcopalis, ſed ſolùm munus corrigendi.*
Summa Dioſcori Poteſtas, cujus abuſus illi exprobratur cap. 35. & 36. falſitatem evincit.

4 *Deinde Inſpectionis eminentia delata fuit Epiſcopis.*
Ex iiſdem capitibus Suavis mendax patet.

5 *Poſtmodum prærogativa præſidendi conceſſa fuit Antiſtitibus Urbium, in quibus Præfecti reſidebant, idest Romano, Alexandrino, & Antiocheno.*
Quoad Romanum frequentiſſimè oſtenditur falſitas ex eo, quod Divus Petrus dicatur accepiſſe Auctoritatem a Chriſto Domino, & eadem a Concilio agnoſcatur Poteſtas in Leone, quæ fuit in Petro.

6 *Romanus præerat tantùm Romæ, ac Civitatibus Suburbicariis.*
At S. Leo Juriſdictionem exercet etiam in Eccleſiam Orientalem: ac nullus conqueritur, imò ne ipſi quidem Hæretici, quaſi eamdem uſurpaſſet. Et ad illum num. 7. appellat a Synodo Conſtantinopolitana Eutyches Hæreſiarcha.

7 *Hoc genus Regiminis a ſola Conſuetudine fuit introductum.*
Concilium Chalcedonenſe in literis ad Leonem n.312.& alibi ait, Cuſtodiam ſuæ Eccleſiæ ab ipſo Chriſto Domino tributā fuiſſe S.Leoni.

8 *Deinde Canone ſancitum fuit a Concilio Nicæno.*
Impoſtura deprehenditur ex eo, quod Juriſdictio Pontificia exercita fuerit a S. Leone Magno in totam Eccleſiam Orientalem, ac de hoc nemo conqueratur, dum num.252. & ſeq. ſermo eſt de Canonibus Nicænis, qui ſervari jubentur.

9 *In Orientali Eccleſia perpetuò manſit Hierarchia ſtatuta a Canone Nicæno.*
In hoc Concilio num.251. & ſeq. tribuitur Præſuli Conſtantinopolitano Auctoritas, de qua ſermo nullus eſt in Nicæno; ideoque Hierarchia ſaltem ex parte immutata eſt in Eccleſia Orientali.

10 *In Occidentali paſſa eſt mutationem ob quoſdam Abbates, ac deinde Ordines Cluniacenſem, ac Ciſtercienſem, quos Romanus Pontifex exemit a Juriſdictione Epiſcoporum.*
Hæc ſomnia evaneſcunt ex eo, quod toto Libro demonſtretur ampliſſima S.Leonis Auctoritas in totam Eccleſiam, nec minor illâ, quam Romani Pontifices exercuerunt poſt exortos Cluniacenſes, ac Ciſtercienſes.

11 *Parva fuerunt initia Romani Pontificatus.*
Hæc Synodus num. 312. affirmat, S. Leonem, adeoque S. Petrum, præpoſitum a Salvatore fuiſſe toti ſuæ Vineæ, ac ideo fuiſſe Maxima Initia Romani Pontificatus.

12. *Ejus Potentia paulatim crevit in infinitum.* Men-

Mendax oſtenditur Suavis ex eo, quod tam magnum fuerit exercitium Potentiæ in S.Leone, ut deinde augeri nequiverit.

13. *Auɛta eſt poſt Sæculum Undecimum.*
Manifeſtatur falſitas ex eo, quod toto Libro pateat Summa, & Univerſalis Auɛtoritas D. Leonis in Eccleſiam quoque OrientalemSæculo Quinto.

14. *Multò major erat, quando habita eſt Synodus Tridentina, quàm fuerit ante Annum Milleſimum a Chriſti adventu.*
Impoſtura evincitur ex eo, quod major eſſe nequiverit, quàm quæ culta fuit in Leone a Concilio Chalcedonenſi.

15. *Olim re ipſa Romanus Epiſcopus ſolùm præerat Romæ, antequam illi attribuerentur Eccleſiæ Suburbicariæ.*
Falſitas emicat ex eo, quod Chalcedonenſes Patres dicant, tributam fuiſſe S. Petro a Chriſto Domino totiusAdminiſtrationem Eccleſiæ.

16. *Nulla in Romanam Cathedram prærogativa derivata fuit ex eo, quod illam Petrus inſederit.*
Non ſemel Synodus dicit, magnum fuiſſe, ac non ferendum Dioſcori crimen illius inſaniam ereɛtam contra Leonem, cui Ovilis ſui Cuſtodia tradita fuerat a Salvatore: ac frequenter una, & eadem agnoſcitur Petri,ac Leonis Auɛtoritas.

17. *Jus Romano nullum fuit inEpiſcopos, quorum Diœceſes erant extra Suburbicarias.*
Falſitas dilucidatur ex eadem ampliſſima Poteſtate in totam Eccleſiam, quæ Petro, ac Leoni dicitur attributa.

18. *Ideoque nullum penitus in Epiſcopos Orientales.*
Reus Mendacii deprehenditur ex iiſdem, quæ ſupra notavimus, & ex Juriſdiɛtione, quam in illos paſſim exercet Leo.

19. *Multòq;minus in OrientalesSynodos.*
Luce meridiana clarior eſt falſitas ex obſequio, quo Leonem venerata eſt Synodus Chalcedonenſis.

20. *Ex hoc neceſſariò ſequeretur, non licuiſſe ad Romanum appellare a ſententia Præſulum Orientalium.*
Oſtenditur Mendacium ex Appellatione Eutychetis a S.Flaviano, ac Synodo Conſtantinopolitana,quā S.Leo admittit num.7. & 8.

21. *Ac multò minus a Judicio lato ab Orientalibus Synodis.*
Falſitas redarguitur ex eo, quod Patres damnent Dioſcorum ob Appellationem S. Flaviani ad S.Leonem ab illo rejeɛtam.

22. *Præſertim ſi hæ fuiſſent Generales.*
Generalis erat Synodus Epheſina Secunda, a qua Flavianus provocaverat ad Leonem.

23. *Olim Epiſcopatus omnes pro uno habebantur,cujus partem ſinguli tenebant, non tamquam ſibi propriam, ac peculiarem, ſed ita ut in univerſum ab omnibus regeretur; ſingulis tamen in ea regenda potiſſimùm occupatis, quæ ipſorum curæ ſpeciatim eſſet demandata.*
Fabula patet ex Controverſiis Juriſdiɛtionalibus agitatis inter plures Epiſcopos nu.196.& ſeq. nu. 236. & ſeq.

24. *Romanus dici nequit Epiſcopus Eccleſiæ Univerſalis.*
Frequentiſſimè hic titulus Leoni tribuitur in hac Synodo.

25. *Antiſtitum Dignitatem penè univerſam ipſis ademptam Romanus Pontifex ad ſe traxit.*
Univerſa hæc Hiſtoria in aperto ſtatuit Impoſturam, cum Leo jus exerceat in univerſum Chriſtianum Orbem.

26. *Pontificibus formidabile, ac odioſum eſt Concilium Ultramontanum, & liberum.*
Falſitatem teſtatur hoc ipſum Concilium, quod ultra mare celebrari a Græcis Leo præcepit.

27. *Sola Concilia diſſolvunt Fidei Controverſias.*
S.Flavianus num. 15. ſufficere dicit

Declarationem Catholicæ veritatis factam a S. Leone: eamdem quærunt Conſtantinopolitani Cives contra Generale Concilium Epheſinum Secundum: Ac Synodus Chalcedonenſis frequenter affirmat, nihil aliud a ſe præſtandum fuiſſe, niſi ut eamdem publicaret.

28. *Convocatio Conciliorum ſolùm ſpectat ad Imperatores.*

Ex Mendaciis conflatum Suavem oſtendit Marcianus Cæſar, qui hanc Synodum celebratam dicit Auctore Leone.

29. *Re ipſa ſoli Cæſares convocarunt omnes Antiquas Generales Synodos.*

Indictam fuiſſe Chalcedonenſem a Leone conſtat ex Actis.

30. *Ex hoc ſequeretur, iniquè damnatum fuiſſe Dioſcorum ob Synodum Secundam Epheſinam celebratam ſine Facultate Apoſtolicæ Sedis, ſed cum Poteſtate illi tradita a Theodoſio Juniore Imperatore.*

At illum ob hanc ipſam Cauſam damnat hæc Synodus num. 97.

31. *Ad eoſdem Cæſares pertinebat Regimen Generalium Synodorum.*

Conſtat de Falſitate ex Præfectura exercita a Legatis Pontificiis, & ex eo, quod Cæſarei Judices ne idoneos quidem ſe dicant ad ſententiam ferendam.

32. *Re ipſa illis præſederunt per ſe, vel per ſuos Miniſtros.*

Ex iiſdem capitibus liquet de falſitate.

33. *Chalcedonenſi præſuit Marcianus, ac Judices ab illo deſignati.*

Legenti hæc Acta incredibilis videbitur Audacia hujus Impoſtoris.

34. *Romanus Pontifex in ſe tranſtulit in Occidente Auctoritatem convocandi Conciliũ, quæ olim erat Imperatorũ.*

Ex eo, quod contigit in hac Synodo Orientali, Suavis oſtenditur ridiculæ fabulæ auctor.

35. *Et eorumdem Conciliorum Præfecturam.*

At illam exercuit in Chalcedonenſe, quod non fuit Occidentale.

36. *Hæc olim non fuit indulta Pontificiis Nuntiis in Synodis Orientalibus.*

Omnia hæc Acta falſitatem teſtantur.

37. *In Synodis ferenda eſt ſententia non ſolùm ab Epiſcopis, ſed & ab aliis doctis viris.*

Nullus præter Epiſcopos ſententiam tulit in Synodo Chalcedonenſi.

38. *Etiam a Laicis.*

Idoneum ſe non eſſe ad illam ferendam affirmat Florentius Patricius, & Exconſul num. 109.

39. *Hanc eſſe ſententiam Suavis infertur ex eo, quod affirmet, ita contigiſſe in Concilio Hieroſolymitano, cui Apoſtoli quidam interfuerunt.*

Ex eo, quod Florentius de ſe dixit, Suavis fabula redarguitur.

40. *Univerſalia olim dicta fuerunt Concilia in Oriente a conſenſu Quatuor Patriarcharum.*

At huic, quod ſemper Univerſale habitum fuit ab Eccleſia, non conſenſit Dioſcorus Alexandrinus Patriarcha ab illo damnatus.

41. *Principalis ſolùm Controverſia, quæ Synodo Cauſam dederat, relinquebatur Definitioni Patrum a Cæſaribus, vel eorum Miniſtris.*

Aperitur falſitas ex eo, quod non ſola Catholica Veritas contra Eutychetem, ſed omnes, etiam minimæ, Controverſiæ Juriſdictionales Patribus decernendæ relinquantur a Cæſareis Judicibus.

42. *Cernere hoc eſt in Concilio Chalcedonenſi.*

Abutitur Suavis præſumpta Lectorum ſuorum ignorantia, cum penitus oppoſitum pateat legenti hæc Acta.

43. *Liberum non fuit Tridentinum Concilium.*

Illud cum Chalcedonenſi comparantes Impoſturam manifeſtiſſimè deprehendent.

44. *Libertas defuit, licet pro ſola Controverſia de Juſtificatione habitæ fuerint Centum Congregationes.*

At in Chalcedonenſi ſe teneri ad ſubſcribendum Pontificię Epiſtolę declaranti Fidem illico Patres præſumpſerunt.

45. Li-

45. *Libertas viguit in Conciliis Orientalibus, quibus præerant Cæſares, aut eorum Miniſtri.*

Chalcedonenſi præſediſſe Pontificios Nuntios ipſa propemodum manu contingitur; ſique liberum fuit, eadem libertas Tridentino a fortiori vindicatur.

46. *Deſperanda fuit Proteſtantibus tolerabilis aliqua conditio, ſi debebant inconcuſſa permanere illa, quæ continebantur in Conſtitutione Leonis Decimi contra Lutherum.*

Sed multò plura fuerant Proteſtantibus promiſſa, quàm Eutychianis, juſſis a Leone Magno ſolummodo ſperare veniam, ſi reſipuiſſent: neque tamen has querelas excitaruut in Concilio Chalcedonenſi.

47. *Eſt arcanum Curiæ Romanæ Poteſtas tributa Legatis abrumpendi, vel transferendi Concilia.*

Hæc Poteſtas præſumpta fuit in Legatis a Marciano, & Univerſali Concilio Chalcedonenſi. nu. 220.

48. *Umbratile fuit obſequium Græcorum erga Romanam Sedem in Concilio Florentino.*

Tam inſigne fuit in hac Synodo Chalcedonenſi, ut malignus Impoſtoris animus apertiſſimè pateat in carpendo alio, quod effulſit in Synodo Florentina.

Præter hæc Pronuntiata, quæ propria ſunt Petri Suavis, ſuperſunt alia duo, quæ illi cum Catholicis quibuſdam Theologis Communia ſunt, quique a ſe illa defendi poſſe credunt abſque ulla læſione Sanctiſſimæ Fidei. Ea verò ſunt.

49. *Romanus Pontifex non eſt anteferendus Generalibus Synodis.*

50. *Idem non eſt prorſus Infallibilis, dum ex Cathedra declarat Fidei Dogmata.*

Licet hæc omnino falſa putemus, nullam tamen de iis graviorem Cenſuram a nobis ferri profitemur, dum ſolummodo Lectoribus exhibemus, quid de iis præſumpſiſſe Vetuſtam Eccleſiam exiſtimemus.

PRONUNTIATA ALIIS,

ac præcipuè

PROTESTANTIBUS,

A SUAVI TRIBUTA,

De quorum falſitate liquidò conſtabit hanc Hiſtoriam expendentibus.

1 *Nullus Patrum dixit Romanum Epiſcopum eſſe Caput Epiſcoporum.*

Mendacii reos Proteſtantes dicunt omnes Patres Chalcedonenſes, qui hunc Titulum Leoni tributum probant num. 93. & eumdem illi tribuunt num. 310.

2 *Non derivatur per Pontificem in alios Epiſcopos Sacra Poteſtas a Chriſto manans.*

Contrarium dicunt Chalcedonenſes Epiſcopi Conciliariter congregati. n. 308. & ſeq. ac 316. ac 347.

3 *Iniqua eſt opinio, & quæ ſapit Tyrannidem, præferre Pontificis Poteſtatem Auctoritati totius Eccleſiæ.*

Inſanam Hæreticorum temeritatem damnat hæc Synodus, in qua congregata Eccleſia Leonis Magiſterium veneratur.

4 *Ob Præfecturam Synodorum negatam Pontificiis Nuntiis probari poterant Synodi, inter quas, ac Tridentinam interceſſerant Anni octingenti.*

At illam exercuerunt ſupra hoc Concilium celebratum annis mille, ac ferè centum ante Tridentinum.

5 *Cæſari, ac Regibus non ſolùm dandus eſt locus in deliberationibus Synodalibus, ſed etiam Poteſtas decernendi.*

Marcianus Imperator relinquit omnia decernenda Concilio Patrum, quos

quos veritatem edoctos a Leone fuiſſe affirmat.

6 *Controverſiæ ſolvendæ ſunt in Conciliis juxta purum putum Dei verbum.*

Damnatur Eutyches, qui hoc fieri poſtulaverat in Synodo Conſtantinopolitana. num. 107.

7 *Ex hac Regula ſequeretur, improbari non poſſe Conciliabulum Epheſinum, in quo abſolutus fuit Eutyches, profeſſus in Synodo Conſtantinopolitana, ſolas ſe ſcrutari Scripturas.*

Sed illud execrata eſt Synodus Chalcedonenſis.

8 *Si Controverſia ferveat inter Pontificem, ac Sectarios, pars utraque litigantium ſtare debet ante liberum Concilium.*

Dioſcorus, ac Socii cornua erexerant contra Leonem, neque tamen Pontifex Maximus, veluti pars una, ſtetit ante Tribunal Chalcedonenſe, imò Leges eidem præſcripſit de Dioſcoro, ac Sociis condemnandis, & Concilium illi obedivit obſequentiſſimè.

9 *Liberum dici nequit Concilium, niſi prius Epiſcopi ſolvantur a Juramento fidelitatis, quo Pontifex præſumit, illos ſibi obſtringi.*

De hac ſolutione a Juramento actum non fuit in hac Synodo, imò Patres exclamarunt, non poſſe in dubium revocari veritatem a Leone declaratam.

10 *Cum Pontifex Romanus in ſuis Diplomatis doctrinam Proteſtantium appellaſſet Hæreſim, optimo Jure illum hi Judicem recuſabant.*

Hoc affirmare auſi non ſunt Eutychiani, qui ante Concilium Chalcedonenſe fuerant a Leone damnati tanquam Hæretici.

11 *In Conciliis promulgari poſſunt Decreta Sacris Literis planè contraria.*

Si ſermo ſit de Synodis, quæ Pontificis Maximi Regimen excutiunt, verum ab iis affirmari docet Prædatoria Synodus Epheſina. Si de aliis Romano Antiſtiti obſequentibus, blaſphemos evincit Synodus Chalcedonenſis.

12 *Definitionibus Conciliorum non ineſt Certitudo veritatis, niſi prius Epiſcopi ſolvantur a Juramento fidei, quam ſibi deberi præſumunt Romani Pontifices.*

Imò Infallibilis Auctoritas tribuitur Chalcedonenſi, quia ſe obſtrictam putavit ad obtemperandū Leoni.

13 *Antiqui Patres detrectabant identidem Synodos, ne ſe Romano Epiſcopo ſubiicerent.*

Mendaces oſtendunt Proteſtantes ea, quæ a Flaviano ſcripta referuntur num. 16., & ab aliis Epiſcopis num. 370. Imò ſuperfluæ ab illis cenſentur Synodi, quia Catholica Veritas jam fuerat a Leone declarata.

14 *Concilium Tridentinum infringere potuiſſet ea, quæ Leo Decimus ante decreverat contra Lutherum.*

At Synodus Chalcedonenſis nihil a ſe imminui poſſe credidit ex iis, quæ Leo Magnus contra Eutychetem ſanciverat.

IN-

INDEX CAPITUM

POLEMICÆ HISTORIÆ PONTIFICIÆ

CONCILII CHALCEDONENSIS.

Primus Numerus indicat Paginam, ſecundus Columnam.

Caput I. Hiſtorica Synopſis hujus Concilii. pag. 1. 1

Caput II. Expendendo ea, quæ Synodum ipſam præceſſerunt, animadvertimus Poteſtatem in Eccleſiam Orientalem, & Jus declarandæ Fidei exercitum a S.Leone Pontifice Maximo. 4. 1

Caput III. Appellatio Eutychetis ad Leonem manifeſtè ſtabilitur, & quid ex ea eruatur. 5. 1

Caput IV. S.Flavianus Archiepiſcopus Conſtantinopolis Leonem Judicem Fidei reverenter agnoſcit, & ſupervacaneum putat Concilium, ſi Hæreſis Eutychetis a Leone damnetur. 6. 1

Caput V. S.Leo Pontifex Maximus, ut Infallibilis Univerſalis Eccleſiæ Magiſter, Fidem declarat, & jubet Hæreſim condemnari. 7. 2

Caput VI. Cauſæ, ob quas Leo indulget celebrari Synodum Epheſinam Secundam, in qua nulla Quæſtio circa Fidem agitanda erat, ſed Pontificia ſolùm Definitio publicanda. 8. 1

Caput VII. S.Leo, ut Infallibilis, & antegreſſus Auctoritate Generalia Concilia, Leges præſcribit Epheſino Secundo de condemnanda Eutychetis Hæreſi. 9. 2

Caput VIII. S. Petri Chryſologi Archiepiſcopi Ravennatis ab Eutychete conſulti de Leonis Infallibilitate Sententia. 11. 1

Caput IX. Ex eo, quod Secunda Synodus Epheſina, non proſequens debito cultu Auctoritatem S. Leonis Magni, degeneraverit in Latrocinale, ac Satanicum Conciliabulum, oſtenditur, quàm neceſſarium ſit rectò Eccleſiæ Regimini, ut Concilia, etiam Generalia, ſubſint Pontifici Maximo, eumque credant Erroris expertem. Ac primò expenditur injuria illata Pontificiis Legatis, quibus Primæ Concilii Sedes ex Jure, ac Conſuetudine debebantur. 11. 2

Caput X. Quia lectæ initio Synodi non fuerunt Literæ Pontificis Maximi, ejuſdem Concilii Præſidis, & Magiſtri, neque Epiſcopi ſecuti ſunt ductum Romanorum Legatorum, confirmata Hæreſis fuit. 12. 2

Caput XI. Secunda Synodus Epheſina non ſolùm falſa, ſed etiam Latrocinalis, & Satanica fuit, ac dici perpetuò meruit ab Eccleſia, quia receſſit a Duce, ac Præceptore Conciliorum Romano Pontifice. 14. 1

Caput XII. Impia in Epheſina Synodo damnatio S. Flaviani Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, qui ad S.Leonem Magnum, ut ſibi, & Concilio antecellentem, appellat. Cur a Leone Appellationem admittente allegentur Canones Nicæni, aut Sardicenſes. 15. 2

Caput XIII. S. Leo Pontifex Maximus reiicit Epheſinam Synodum Secundam, & pro ſtabilienda Catholica veritate aliam celebrari contendit. 17. 1

Caput XIV. Conſtantinopolitanæ curam gerit Eccleſiæ Paſtor omnium Leo: decreta condit de illius Urbis Præſule, ac exoratus a Bizantinis Fidem declarat. 18. 1

Caput XV. Valentinianus Imperator, & Galla Placidia Auguſta, ex notiſſimo Eccleſiæ ſenſu, affirmant, ſpectare ad Romanum Pontificem, qui falli nequit, Declarationem Fidei, & ad eumdem, ut Synodis præſtantem, pertinere Conciliorum Regimen, &, ſi erraverint, Condemnationem. 19. 1

Caput XVI. Prodigium obſequii Apoſtolicæ Sedi præſtiti a Theodoſio, confeſſo Pontificiam eminentiam ſupra Concilia, etiam dum Leoni obſecundare abnuebat. Pœna ob hanc repugnantiam eidem inflicta. 21. 2

Caput XVII. S.Leo præcipit, ad ſe, ut Infallibilem Judicem, mitti de more Profeſſionem Fidei ab Anatolio Archiepiſcopo Conſtantinopolis, electo ab Epheſino Concilio, quo proinde Major iterum Leo a Cæſare agnoſcitur. 23. 2

Caput XVIII. Marcianus Imperator Valentiniani Collega veneratur Leonem, ut Eccleſiæ Univerſæ Principem, Auctorem, ac Ducem Conciliorum, illis præſtantiorem, & Infallibilem, cujus de Fide Definitiones debeant neceſſariò a Synodo publicari. 24. 2

Caput XIX. Anatolius Conſtantinopolitanus probatur Catholicus Epiſcopus, quia ſequitur Fidem Leonis, qui rurſus cognoſcitur

ſcitur veritatis Magiſter, & Regula Conciliorum. Hoc ipſum oſtenditur ex honoribus habitis S.Flaviano a Secunda Synodo Epheſina damnato. 25.2

Caput XX. Indicitur Concilium primò Nicææ, deinde Chalcedone Auctoritate Leonis, qui ut Superior, & Infallibilis plurima eidem Synodo præcipit, jubetque ſuſcipi ſuam Fidei Definitionem: contra quas Juſſiones nullus in Synodo reclamavit, veluti præpoſterè factas. 26.1

Caput XXI. Primæ Chalcedonenſis Concilii Sedes tribuuntur Legatis Romani Pontificis: iidem jubent e ſubſelliis diſcedere Dioſcòrum. Alexandrinum Patriarcham, cui exprobratur, quod Synodum celebraſſet ſine Leonis Auctoritate. 28.1

Caput XXII. Synodus obtemperat Legatis Pontificiis, negans Dioſcoro ſedem inter Epiſcopos, eamque tribuens Theodoreto, licet damnato a Generali Concilio, quia reſtituto in priſtinum honoris gradum a Leone, qui Conciliis anterior erat. 29.2

Caput XXIII. Reſipiſcunt plerique Præſulum, qui Epheſi damnaverant Flavianum, & Leonis Auctoritas agnoſcitur Infallibilis, & præſtantior definitione Synodi Univerſalis. 31.1

Caput XXIV. In Dioſcoro, ac Eutychete reiicientibus omnem Explicationem Fidei, & confugientibus tantùm ad Sacras Literas, expenditur Hæreticorum mos, ac neceſſitas Pontificiæ Infallibilitatis. Seculares Judices ſententiam non ferunt in Fidei Controverſiis. 32.2

Caput XXV. Horror oſtenſus a Patribus Chalcedonenſibus erga Dioſcorum, qui ſpreverat Appellationem ad Pontificem Maximum Synodo præcellentem. Hujus Epiſtola proponitur, ut certa Fidei Regula. 35.1

Caput XXVI. Seculares Judices doceri petunt ab Epiſcopis; hi verò, cæteroqui omnem novam Fidei Definitionem exoſi, velut ineluctabilem tamen admittunt illam, quam ſcripſerat Leo Conciliis præſtans, & non ſubjectus Erroris periculo. 36.1

Caput XXVII. Non aliter a Chalcedonenſi Concilio ſuſcipitur Nicænum, & Epheſinum Primum, quàm juxta Interpretationem Leonis, qui proinde agnoſcitur Major Synodis, & Infallibilis. 37.2

Caput XXVIII. Legitur in Concilio Chalcedonenſi Leonis Epiſtola Magiſterium exercens, ac Synodo Leges præſcribens. 39.2

Caput XXIX. Leonis Epiſtola, velut e Cælo ſcripta, & Infallibilis, miris a Concilio laudibus in Cælum fertur. 40.2

Caput XXX. Eutychiani patent nonnulli, qui dubitare potuerunt de quibuſdam ſententiis Leonis Epiſtolæ. Cur eadem dubia ſoluta non ſint confugiendo ad Pontificiam Infallibilitatem. 41.2

Caput XXXI. Epiſcopi omnes, non exceptis quibuſdam adhuc Hæreſi addictis, Leonis Epiſtolæ iterum plaudunt, & ab alio inſtrui recuſant. 44.1

Caput XXXII. Optimè erga Dioſcorum affecti deprehenduntur Epiſcopi, qui de Veritate Leonis Epiſtolæ dubitaverant. 45.1

Caput XXXIII. Apoſtolici Legati præcipiunt Synodo diſcuſſionem Supplicum Libellorum contra Dioſcorum, & jubent eumdem ad ſententiam in illum ferendam acceſſiri. Univerſalis Epiſcopus appellatur Leo. 46.2

Caput XXXIV. Iterum Legati ſua utuntur auctoritate jubentes Concilio, quo major patet Romanus Pontifex, nuncupatus rurſus frequenter Epiſcopus Univerſalis. 49.1

Caput XXXV. Ex Criminibus Dioſcoro exprobratis in Concilio liquet, quàm projectè ſceleſti ſint illi, qui rebellare audent Apoſtolicæ Sedi. 50.1

Caput XXXVI. In ipſum Cæſarem inſurgit Dioſcorus contemptor Pontificis Maximi. Pœna ſuperbiſſimo capiti inflicta. 52.1

Caput XXXVII. In Dioſcorum tertiò fruſtra vocatum Sententiam ferunt Leonis nomine Pontificii Nuntii exorati a Synodo, quæ ſe Leone minorem agnoſcit. 53.2

Caput XXXVIII. Leonis Sententiam confirmat Synodus, ac Dioſcoro vertens crimini temerarium auſum in Apoſtolicam Sedem, hujus Præſtantiam ſupra omnes Præſules, etiam conciliariter congregatos, multipliciter atteſtatur. Rurſus Univerſalis Eccleſiæ Papa dicitur Leo. 56.1

Caput XXXIX. Judices, ac Senatus ad compeſcendam Hæreticorū quorumdam Præſulum calumniam de Vetuſta Fide innovata a Leonis Epiſtola interrogant Patres de Conformitate Nicæni, & Conſtantinopolitani Concilii cum ejuſdem Epiſtolæ Doctrina. Hujus examen inſtitutum fuiſſe a Concilio Chalcedonenſi affirmare Suavis abſque inſania nequivit. Rurſus Leo dicitur Major Synodis, & Infallibilis. 57.2

Caput XXXX. Illyriciani, & Palæſtini Epiſcopi ſua dubia circa Leonis Epiſtolam refundunt in ignoratam a ſe Latinam linguam, ſed re ipſa reſiliunt ab Hæreſi, ſeque Pontifici Maximo veræ Fidei Magiſtro ſubiiciunt. Juvenalis, Thalaſſius, alii-

Digitized by Google

aliique tres Antiſtites Epheſinę cum Dioſcoro conſpirationis frequenter accuſati, ac tunc excluſi a Synodo, ad eamdem revocantur, & Catholici cenſentur, eò quòd Leonis, certiſſimi Veræ Fidei Magiſtri, Epiſtolæ ſubſcripſerint. 62.1

Caput XLI. Tredecim Ægyptii Epiſcopi a Synodo Hæretici conclamantur, quia non recipiunt Pontificiam Epiſtolam, quam ſolam a ſe vulgandam pro defendenda Fide fuiſſe Patres profitentur, quæque non ideo veritati conſona credenda eſt, quia vera doceat, ſed quia prodeat a Magiſtro errare neſcio. Paſchaſinus Legatus patet Arbiter Synodi. 64.1

Caput XLII. Eutychiani Monachi manifeſtæ Hæreſis a Concilio coarguuntur, eò quòd Leonis Epiſtolam, veluti certam Fidei Regulam, venerari detrectant: iidem majori veſania in Synodum Chalcedonenſem, quàm in Romanum Pontificem invehuntur. 67.2

Caput XLIII. In Controverſia de Photio Epiſcopo Tyri, & Euſtathio Berythi Synodus diffingit Anatolii Decreta, & adhæret Sententiæ Legatorum prohibentium Sacerdotio perfungi eos, qui ab Epiſcopatu meritò deiiciuntur. Abolentur Pragmaticæ, ideſt Leges præſcribi Conſtantinopoli de rebus Eccleſiaſticis conſuetæ. 68.2

Caput XLIV. Formula Fidei, cui ſubſcripturi eſſent Ægyptii, aliique ad Catholicam Eccleſiam accedentes, ſcripta a Patribus, & propoſita Concilio, reiicitur a Legatis, jubentibus, omnes conſentire Leonis Epiſtolæ. 71.2

Caput XLV. Declaratur, licere nova Symbolo inſeri verba. Legati minantur aliam in Occidente, contra Chalcedonenſem, Synodum celebrandam. Pontificia Auctoritas in ipſo æſtu certaminis multipliciter triumphat, & major oſtenditur Synodis, & Errori exempta. 74.1

Caput XLVI. Prævalet Juſſio Legatorum, & ad Regulam Epiſtolæ S. Leonis, qui Superior Synodis, & Infallibilis præſumitur, reformatur Definitio Fidei a Concilio Chalcedonenſi, quod manifeſtè declarat fieri poſſe novam Explicationem Catholicæ veritatis contra id, quod Schiſmatici affirmant, falsò obtendentes Epheſinam prohibitionem. 76.1

Caput XLVII. Marcianus Imperator Latinè primùm in honorem Leonis, & ejus Legatorum, ac deinde Græcè Synodum alloquitur, & Religionis Magiſtrum, ac Synodis præcellentem, veneratur Romanum Pontificem, ſummis in Cœlum plauſibus a Concilio elatus. Fidei Definitio a Synodo ſubſcribitur, jurante in verba Leonis Univerſalis Eccleſiæ Papæ. 80.2

Caput XLVIII. In plurium Controverſiis Epiſcoporum præclarè fulget Suprema in Univerſam Eccleſiam, & Major Synodis, Leonis Auctoritas. 82.2

Caput XLIX. In Cauſa Maximi Antiocheni, & aliorum Præſulum apparet, atque eminet Pontificium Jus ſupra Generalia Concilia. Romanæ Cathedræ Infallibilitas, & nulla facultas Conſtantinopolitani Antiſtitis ad excipiendas Appellationes Orientalium non pertinentium ad ſuam Provinciam. 85.2

Caput L. Conduntur a Synodo Canones, quorum primus de ſervandis Regulis Patrum conſtitutis a cæteris Conciliis deſtruit alium de Conſtantinopolitana Sede aliis Orientalibus præferenda. Intruſus hic eſt, & ſubreptitius. 89.1

Caput LI. Ex abſurdo initio Canonis inſtituentis Conſtantinopolitanum in Oriente Primatum evertitur Primatus idem, & unius Romani Antiſtitis ſupra Univerſam Eccleſiam Auctoritas confirmatur. 90.1

Caput LII. Non à Patribus intuitis amplitudinem Urbis imperantis, ſed ab Inſtitutione Chriſti Domini fluxiſſe Privilegia Romanæ Cathedræ, contra intruſi Canonis verba, demonſtratur. 91.2

Caput LIII. Ex Facto, & Verbis ipſiuſmet Synodi Chalcedonenſis, dum Fidem contra Hæreticos declarabat, oſtenditur, non potuiſſe deinde decerni, ut Conſtantinopolitanus Præſul eſſet Æqualis Romano, & Œcumenicus. 93.1

Caput LIV. Detegitur aſtus Anatolii. Afferuntur Proteſtationes Romanorum Legatorum contra intruſum Canonem de Conſtantinopolitano in Oriente Primatu, qui multipliciter iterum ſubruitur. 94.2

Caput LV. Ex Chalcedonenſium Præſulum Subſcriptionibus manifeſtiſſimè liquet, nihil aliud ipſos decreviſſe, niſi ut certæ quædam Provinciæ Conſtantinopolitano Archiepiſcopo ſubiicerentur, ideoque doloſè ab Anatolio inſertam fuiſſe Canoni Privilegiorum Æqualitatem cum Romano, & honorem Primæ in Oriente Sedis. 98.2

Caput LVI. Evidens Demonſtratio alieniſſimi Chalcedonenſium Patrum animi a decernenda Æqualitate cum Romano, & Univerſalitate Præſulis Conſtantinopolitani. 100.1

Caput LVII. Obiter refellitur Doſitheus Patriarcha Hieroſolymitanus Canones

Digitized by Google

Conſtantinopolitanum, & Chalcedonenſem, contra Sedem Apoſtolicam allegans. 104. 1

Caput LVIII. Allocutio Concilii Chalcedonenſis ad Marcianum Imperatorem declarat licere Fidei Expoſitionem, & novorum Symbolo inſertionem verborum, ac Romano Pontifici, ut Infallibili veritatis Magiſtro, ampliſſimè plaudit, nihilque aliud a Synodo factum affirmat in explicanda Fide, quàm ut ſe Leonis Magiſterio conformaret. 105. 1

Caput LIX. Concilii ad Leonem Magnum Literæ ipſum appellant Synodi Ducem, Magiſtrum, Caput, Patrem, ideoque Synodo ipſa Majorem, Infallibilem in Fide declaranda, & Epiſcopum Univerſalis Eccleſiæ. Petunt Confirmationem geſtorum omnium, & etiam Canonis Conſtantinopolitano Archiepiſcopo faventis. 108. 1

Caput LX. S.Leonis ad Anatolium Epiſtola Leges præſcribit Cæſareæ Urbis Antiſtiti, & reiicit Canonem de ipſius Primatu, licet ſancitus a Concilio (cui Leo antecellebat) perhibeatur. 112. 1

Caput LXI. Conſtantinopolitanus in Oriente Primatus iterum evertitur in Pontificiis ad Marcianum, & Pulcheriam Literis, in quarum primæ Inſcriptione ſe Leo dicit Epiſcopum Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ. 114. 1

Caput LXII. Confirmatur Synodus a Leone in Literis ad ipſum Concilium, ad Maximum Antiochenum, & ad Marcianum datis, quò ad Fidem tamen ſolummodo, non quò ad Canonem de prærogativa Conſtantinopolitanæ Cathedræ, multiplici iterum ratione ſubverſum a Pontifice Maximo, Conciliis omnibus præcellente, ac Epiſcopo Univerſalis Eccleſiæ. 116. 2

Caput LXIII. Sanctus Leo curam gerit Orientalis Eccleſiæ exagitatæ a Timotheo Alexandrino oſore Chalcedonenſis Concilii, & in Literis ad Leonem Auguſtum, qui ad ipſum, ut communem Chriſtianorum omnium Paſtorem, certumque veritatis Magiſtrum, confugerat, eamdem ſibi ineſſe profitetur, quam Chriſtus Dominus Petro tradidit Auctoritatem ſupra Univerſam Eccleſiam. 119. 1

Caput Ultimum. Anacephaleoſis, Qua oſtenditur, ex Chalcedonenſi Concilio patere omnia illa, quæ de Pontifice Maximo prægloriosiſſima a Romanis dicuntur, ac præcipuè, quòd ſit Succeſſor Petri, Chriſtianorum omnium Pater, Rector, Paſtor, Magiſter, ac Supremus a quovia alio ad ſe appellantium Judex, Epiſcopus Eccleſiæ Univerſalis, præſtantior Generalibus Conciliis, & Infallibilis in declaranda Fide; nulliſque ab Epheſina Synodo vinculis irretitus, ne nova Symbolo verba inſeri jubeat. 123. 2

INDEX LIBRORUM,

ET CAPITUM

De Notorietate in Antiqua Eccleſia Præſtantiæ Pontificis Maximi ſupra Generalia Concilia, & ejuſdem in declaranda Fide Infallibilitatis.

TRactatus Primus, de Antiqua Eccleſia Palam, & Notoriè præſumente Præſtantiam Pontificis Maximi ſupra Generalia Concilia. pag. 135

Caput I. Hæc omnibus nota erat tamquam orta ex Inſtitutione Divina in Sancto Petro. 135. 1

Caput II. Notorietas Pontificiæ Antecellentiæ ſupra Generalia Concilia patens a Titulis S.Leoni Papæ tributis. 136. 1

Caput III. Multiplex Factum Concilii Chalcedonenſis obtemperantis S. Leoni oſtendit, Notoriè præſumptum fuiſſe, quod idem Synodo Superior eſſet. 138. 1

Caput IV. Jus Pontificium transferendi, abrumpendi, comprobandi, vel reprobandi Concilia, demonſtrat, compertam fuiſſe omnibus Pontificiam Precellentiam. 140. 1

Caput V. Incommoda Eccleſiæ, quæ ſequerentur, niſi Pontifex Maximus Conciliis anteſtaret, arguunt, a nullo tunc in dubium revocatam fuiſſe Pontificiam ſupra Synodos Eminentiam. 140. 2

Caput VI. Multiplex Atteſtatio S. Leonis ſcribentis ad Synodum Secundam Epheſinam, & ad Chalcedonenſem, atque ab hac obſequentiſſimè culta, patefacit, admiſſam tunc ab omnibus fuiſſe Pontificiam Præſtantiam ſupra Concilia. 141. 2

Caput VII. Literæ ejuſdem S.Leonis ad Imperatorea, & alios, evincunt Notorietatem tunc ab omnibus habitam Pontificiæ ſuprà Synodos Generales Poteſtatis. 142. 2

Caput VIII. Atteſtatio Sanctorum, et Doctorum tunc viventium, Imperatorum, Judicum Sæcularium Concilii, et Conſtantinopolitanorum Civium, de eadem, tunc apud omnes pervulgata, Præſtantia Pontificis Maximi ſupra Concilia. 143. 1

Caput IX. De eadem Pontificia Superioritate Conciliis alia multiplex Atteſtatio plurium Epiſcoporum Concilii Chalcedonenſis, et Univerſæ Synodi, præter alịatas,

latas, dum expendebantur Rationes Intrinſecæ, et Atteſtatio aliorum Sacrorum Conciliorum. 144.1

Caput X. De Præſtantia Pontificis Maximi ſupra Generalia Concilia penitus Notoria Atteſtatio ipſorum Æmulorum, et Hoſtium Romanæ Cathedræ, videlicet Anatolii Præſulis Conſtantinopolitani, Juvenalis Hieroſolymitani, Illyricorum Epiſcoporum Hæreticorum, Eutychetis Hæreſiarchæ, Dioſcori Eutychete ferè nequioris, ac Prædatoriæ Synodi Epheſinæ. 145.1

Tractatus Secundus, de Notorietate in Antiqua Eccleſia Pontificiæ Infallibilitatis in declaranda Fide. 146

Caput I. Pontificia Infallibilitas omnibus Nota, veluti orta ex Inſtitutione Divina. 146.1

Caput II. Notorietas ejuſdem Pontificiæ Infallibilitatis patens a Titulis Sancto Leoni tributis. 148.1

Caput III. Multiplex Factum Concilii obtemperantis Sancto Leoni jubenti condemnationem Hæreſum oſtendit, notoriè præſumptum fuiſſe, quod idem Leo errare non poſſet in Fide explicanda. 149.1

Caput IV. Alia Pronuntiata, vel Facta Concilii obedientis Leoni, tanquam certo Veritatis Doctori, demonſtrant, præſuppoſitam fuiſſe veluti Notoriam Pontificiam Infallibilitatem. 152.1

Caput V. Pontificia Infallibilitas patet ex Confirmatione, aut Improbatione Synodorum, etiam Generalium, prodeunte ab Apoſtolica Sede. 153.2

Caput VI. Incommoda Eccleſiæ, quæ ſequerentur, niſi Pontifex Maximus Infallibilis eſſet in declaranda Fide, arguunt, a nullo tunc in dubium revocatam fuiſſe Pontificiam Infallibilitatem. 154.2

Caput VII. Multiplex Atteſtatio S. Leonis ſcribentis ad Synodos, ad Imperatores, & alios, evincit Notorietatem tunc ab omnibus habitam Pontificiæ Infallibilitatis. 156.2

Caput VIII. De Infallibilitate penitus Notoria Pontificis Maximi declarantis Fidem Atteſtatio Sanctorum Virorum, Imperatorum, Judicum Secularium, aliarumque, præter Chalcedonenſem, Synodorum. 158.2

Caput IX. Atteſtatio ipſorum Æmulorum Romanæ Cathedræ, videlicet Anatolii Conſtantinopolitani, & Hoſtium quoque, ſcilicet Hæreticorum, & Hæreſiarchæ Eutychetis, ejuſque Signiferi Dioſcori, de Apoſtolicæ Cathedræ Fidem explicantis certiſſima Veritate. 161.1

INDEX LIBRORUM,

Capitum, & Paragraphorum

Operis contra Janſenianos in Quatuor Partes diviſi.

CAPUT PRIMUM.

Prima Janſeniana Propoſitio.

Aliqua Dei Præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant. 173.1

Quorumdam Subterfugia quò ad Primam Janſenii. ibid.

Propoſitiones Antijanſenianæ.

NUllum Præceptum Dei eſt Juſtis impoſſibile. §. I. pag. 173. 1.

Nunquam deeſt Juſto Gratia ſimpliciter neceſſaria, qua potentes reddamur obſervare Præcepta Dei. §. II. 173.2

Non eſt neceſſaria Gratia, quæ a Janſenianis appellatur Efficax, per ipſos Inabjicibilis, & Irreſiſtibilis, ad conſtituendam in Actu Primo Potentiam obſervandi Præcepta. §. III. 173.2.

Cavillatores Janſeniſtæ coguntur fateri cum Antiquis Impoſſibilitatem obſervandi Præcepta, ſi ad hanc putant ſimpliciter neceſſariam Gratiam nedum intrinſecè Efficacem, ſed & per ipſos inabjicibilem, & irreſiſtibilem. §. IV. 174.1

Nihil ſubdolis Janſenianis ſuffragatur Gratia illa Sufficiens, quam admittunt, ad oſtendendum, quod obſervatio Præceptorum non ſit impoſſibilis. §. V. 174.2

Nihil prodeſt Janſenianis, quod Concilium dicat obſervanda eſſe Præcepta, quantum quiſque poterit. §. VI. 176.1

Reſpondetur Propoſitionibus Primæ Janſenianæ damnationem ſubterfugere fruſtra laborantibus. §. VII. 176.2

CAPUT SECUNDUM.

Secunda Propoſitio Janſeniana.

Interiori Gratiæ in Statu Naturæ Lapſæ nunquam reſiſtitur. 177.2

Subterfugia quò ad Secundam Propoſitionem Janſenianam. ibid.

Propoſitiones Antijanſenianæ.

GRatia Dei Præveniens, reddens nos ſimpliciter potentes ad opus Salutare, quam conſiſtere in Illuſtrationibus Intellectùs, & piis Motibus Volun-

luntatis, verum putamus, eſt Abijcibilis, & Reſiſtibilis. §. I. 178. 1
Gratia eadem Præveniens poteſt abjici, eique poſſumus diſſentire tunc, quando nobis confertur. §. II. 178. 2
Concilium ſupponit, quod re ipſa abjiciatur Gratia eadem Præveniens, quæ nempe potentes nos reddit ad opus ſalutare, illique reſiſtatur. §. III. 179. 1
Concilium nullam Prævenientem Interiorem Gratiam agnovit, præter Abjicibilem, & Reſiſtibilem. §. IV. 179. 1
Excluditur Gratia inabjicibilis ex verbis adhibitis a Synodo. §. V. 179. 2
Expenduntur alia Synodi verba eidem Gratiæ inabjicibili repugnantia. §. VI. 180. 1
Ex Merito, quod Synodus in homine agnoſcit, excluditur Gratia præveniens, quæ a Janſenio dicitur Victrix, prorſus Inabjicibilis, & Irreſiſtibilis. §. VII. 180. 2
Detegitur Synodi mens illi eſſentialiter Victrici, & Irreſiſtibili Gratiæ contraria ex Cauſa formandi Decreta, & Canones contra Pelagianos, & Semipelagianos. §. VIII. 180. 1
Idem confirmatur ex Cauſa damnandi Lutheranos, & alios humanæ Libertatis everſorea. §. IX. 181. 1
Expenditur Sedulitas Concilii in explicanda Gratia præveniente. §. X. 181. 2
Veritas magis dilucidatur ex qualitate Præſulum, aliorumque Theologorum, qui Synodo aderant ante Decreta Seſſionis Sextæ. §. XI. 181. 2
Major Gratia Præveniens conſiſtit in Majori Illuſtratione, & Motione Divina. §. XII. 182. 2
Aliquando datur Major Gratia præveniens diſſenſuro, quàm conſenſuro, ſi ſpectetur intrinſeca Gratiæ Natura. XIII. 182. 2
Si verò conſiderentur ea omnia, quæ circumſtant extrinſecè Gratiam Prævenientem, major eſt illa, quæ datur conſenſuro. §. XIV. 183. 2
Gratia præveniens conſiderata in ſe intrinſecè eſt indifferens, ut conjungatur cum Conſenſu, vel Diſſenſu; licet ſit extrinſecè determinata Divina circa illam Præſcientia. §. XV. 184
Omnis Gratia Præveniens dici poteſt quodammodo Efficax, non quia trahena infallibiliter Actum, ſed quia potentes reddens ad illum ponendum; licet non ſit Efficiens, hoc eſt ſemper illum trahens: nec, propriè loquendo, dicendum eſt ab homine addi Efficaciam Gratiæ Divinæ. §. XVI. 185. 1
Fruſtranea eſſet Gratia Præveniens, quæ intrinſecè, & ex natura ſua eſſet merè Sufficiens, neque talis, quæ conſtituat nos proximè potentea ponere effectum. §. XVII. 185. 2
Per ſummam abuſionem Vocabuli appellaretur Sufficiens Gratia, quæ neceſſariò indigeret conſortio alterius non tantùm, ut operaretur, ſed etiam ut poſſet operari. §. XVIII. 186. 1
Ex eo, quod homo poſſit abjicere Gratiam, & illi diſſentire, non ſequitur, quod conſentiens diſcernat ſe primò, & primariò a non conſentiente. §. XIX. 186. 1
Via humani Arbitrii a Deo confortati, conſequenter ad dicta, explicatur auctoritate Sacri Concilii. §. XX. 187. 2
Determinatio Gratiæ indifferentis facta ab homine nihil Dei Gloriam imminuit. §. XXI. 187. 2
In quanam prima Diſcretione Concilium ſupponat conſiſtere Divinam Electorum Prædeſtinationem. §. XXII. 188. 1
Quid ſignificet illa Eccleſiæ ad Deum Oratio: *Ad te noſtras, etiam Rebelles, compelle propitius voluntates*. §. XXIII. 188. 1
Quænam ſit Gratia illa Præveniens Efficaciſſima, de qua nonnunquam loquuntur Sancti Patres. §. XXIV. 189. 1
Fruſtra Janſenius confugit ad diſcrimen inter Statum Naturæ Integræ, ac Stantis, & ejuſdem Infirmæ, ac Lapſæ, ut inferat Neceſſariam nunc eſſe *Gratiam Chriſti Medicinalem*, & *Victricem*, necdum intrinſecè, & eſſentialiter Efficacem, ſed & per ipſum *Inabiicibilem*, & *Irreſiſtibilem*. §. XXV. 189. 2
Fruſtra Janſeniani ex Concilio expiſcantur loca ſibi faventia. §. XXVI. 190. 1
Retorquetur in Janſeniſtas Locus Concilii comparans Vocationem S. Pauli cum Proditione Judæ, ac demonſtratur ab ipſis attribui Deo Scelera hominum. §. XXVII. 191. 2
Reſpondetur Propoſitionibus ſubterfugia quærentibus Secundæ Janſenianæ. §. XXVIII. 192. 1

CAPUT TERTIUM.

Tertia Janſeniana Propoſitio.

Ad merendum, & demerendum in Statu Naturæ Lapſæ non requiritur Libertas a Neceſſitate, ſed ſufficit Libertas a Coactione. 194. 2
Propoſitiones Tertiam Janſenianam inani tegumento cælantes. ibid.

Propoſitiones Antijanſenianæ.

SAcra Synodus Tridentina affirmat, poſt Culpam Adæ remanere veram hominis Li-

Libertatem. §. I. 195. 1
Concilium declarat, cum Gratia prævenіente ad bonum remanere Libertatem a Neceſſitate. §. II. 195. 1
Synodus loquitur de humana, ſicut de Divina, Libertate; ideoque omnem ab homine Antecedentem Neceſſitatem excludit. §. III. 195. 2
Synodus explicat dari Libertatem a Neceſſitate in ſenſu compoſito cum Vocatione ad bonum. §. IV. 195. 2
Apertè præſumitur a Synodo, excludendam eſſe omnem Neceſſitatem Antecedentem, ab homine Inimpedibilem, & Inabjicibilem, ut ſalvetur humana Libertas. §. V. 196. 1
Concilium ſupponit lædi Libertatem humani Arbitrii ab omni Neceſſitate antecedenti prorſus Inimpedibili, atque omnino Inabjicibili ab eodem Arbitrio, inabjicibilitate excludente Potentiam ad Actum bonum, vel malum. §. VI. 197. 1
A fortiori Synodus negat Neceſſitatem Antecedentem prorſus Inimpedibilem, & Inabjicibilem ad Actum malum. §. VII. 192. 2
Natura veri Meriti, ac Demeriti, a Concilio cognita in homine excludit omnem Neceſſitatem Antecedentem prorſus Inimpedibilem, Inabjicibilem, & Irreſiſtibilem. §. VIII. 198. 1
Reſpondetur Propoſitionibus Tertiæ Janſenianæ ſubterfugia quærentibus. §. IX. 199. 1

CAPUT QUARTUM.

Quarta Janſeniana Propoſitio.

Semipelagiani admittebant Prævenientis Gratiæ Neceſſitatem ad ſingulos Actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana Voluntas reſiſtere, vel obtemperare. 200. 2
Propoſitiones ſubterfugia quærentes Quartæ Janſenianæ. ibid.

Propoſitiones Antijanſenianæ.

Sacra Synodus Tridentina damnat veros Pelagianorum, & Semipelagianorum errores. §. I. 200. 2
Adeo non erraſſent Semipelagiani, ſi dixiſſent, Prævenientem Gratiam, qua ſimpliciter potentes efficimur, eſſe talem, cui poſſit humana Voluntas reſiſtere, vel obtemperare, ut in hac aſſertione amplexi fuiſſent Sententiam, quam deinde Sacra Synodus Tridentina definivit. §. II. 201. 2
Reſpondetur Propoſitionibus velare laborantibus Quartam Janſenianam. §. III. 202. 1.

CAPUT QUINTUM.

Quinta Janſeniana Propoſitio.

Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe. 203. 2
Propoſitiones Quintæ Janſenianæ ſubterfugia quærentes. ibid.

Propoſitiones Antijanſenianæ.

Sacrum Concilium declarat, Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro omnibus. §. I. 204. 1
Huic Univerſalitati Mortis obitæ pro omnibus nihil obſtat, quod non omnes re ipſa percipiant Fructum Mortis ejus. §. II. 204. 2
Non ſolùm Chriſtus Dominus obtulit Pretium Sufficiens pro omnibus, & mortuus eſt pro Communi Cauſa, ſed omnibus præparavit Morte ſua Auxilia neceſſaria ad Salutem. §. III. 204. 2
Mortuus eſt pro omnibus non ſolùm Antecedenti Velleitate, quæ nempe nec aſſenſum creatum trahat, nec media ſimpliciter neceſſaria conferat; ſed etiam Conſequenti veriſſima Voluntate in ordine ad præparanda pro omnibus Auxilia ſimpliciter Neceſſaria, & verè Sufficientia ad Salutem conſequendam. §. IV. 205. 1
Deus veriſſima Voluntate, ac non ſolùm Velleitate Antecedenti, vult omnes homines ſalvos fieri. §. V. 206. 2
Qui negant mortuum pro omnibus fuiſſe Chriſtum Dominum, majores vires attribuunt in malum Peccato Adami, quàm in bonum Morti ejuſdem Chriſti Domini. §. VI. 207. 2
Concilium declarat etiam poſt Adæ peccatum remanere in hominibus Libertatem, cujus bono uſu conſequi poſſint Salutem; ideoque ſupponit, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe. §. VII. 207. 2
Explicat Synodus, quod Chriſtus Morte ſua præparaverit Auxilia etiam Fidelibus actu peccantibus, quorum plurimi damnantur. §. VIII. 208. 1
Declarat quoque Synodus Chriſtum Dominum mortuum fuiſſe pro Infidelibus renuentibus ad Fidem accedere, ideoque damnatis. §. IX. 208. 1
Auxilia neceſſaria ad Salutem Chriſtus Dominus Morte ſua preparavit pro illis quoque, qui nondum habuerunt auditum Fidei, ideoque pro illis quoque mortuus eſt. §. X. 208. 2

Pro Parvulis quoque ſublatis ante Baptiſmum mortuus eſt Chriſtus Dominus. §. XI. 209.1
Non ſolùm pro Generibus ſingulorum, ſed etiam pro Singulis generum Chriſtus Dominus mortuus eſt. §. XII. 209.2
Specialis oblatio Sanguinis Chriſti Domini, & ejus Oratio pro Prædeſtinatis nihil officit univerſalitati Mortis obitæ pro omnibus. §. XIII. 209.2
Ex præparatione Auxiliorum pro omnibus non ſequitur, quod homines illa reddant Efficacia addendo eiſdem Potentiam, quæ ipſis deſit. §. XIV. 210.1
Ex eo, quod Janſeniani putent ſimpliciter neceſſariam eſſe Gratiam nedum eſſentialiter Efficacem, ſed & *inabjicibilem*, & *irreſiſtibilem*, ſequitur, quod per ipſos Chriſtus mortuus ſit pro ſolis Prædeſtinatis. §. XV. 210.2
Ex Morte Chriſti Domini pro omnibus abſurdiſſimè infertur Certitudo Perſeverantiæ finalis, & Salutis Æternæ. §. XVI. 211.2
Reſpondetur Propoſitionibus Quintæ Janſenianæ ſubterfugia quærentibus. §. XVII. 212.1
Negantes Mortem Chriſti pro omnibus Impii, blaſphemi, & contumelioſi ſunt, ac derogant plurimùm Divinæ Pietati. §. XVIII. 214.2
Quàm perperam Janſeniani jactent a ſe promoveri Gloriam Gratiæ Chriſti Domini. §. XIX. 214.2
Concilium Tridentinum viſum eſt prævidere excitandam paulò poſt Hæreſim Janſenianam, quam in anteceſſum damnavit. §. XX. 216.1
Quænam certa Fide credenda ſint ex aperta Definitione Sacri Concilii Tridentini. §. XXI. 216.1

INDEX LIBRORUM,

ET PARAGRAPHORUM

Aliorum Trium Partium Operis contra Janſenianos.

LIBER PRIMUS.

Polemica Hiſtoria Janſeniſmi, & contra illum Certaminum Apoſtolicæ Sedis: Ex Conſtitutionibus, & Literis Maximorum Pontificum, & Gallicani Cleri, aliiſque authenticis Actis contexta. 229
§. I. Prævia Janſenii Damnatio in ejus Magiſtro Bajo. 229.1
§. II. Errores, ac Hæreſes ſuas retractat Michael Bajus. 229.2
§. III. Janſenii Librum condemnat Urbanus Octavus. 230.1
§. IV. Innocentius Decimus promovet Damnationem Janſeniani Libri, & Catechiſmi de Gratia, aliorumque editorum a Janſenii aſſeclis. 230.2
§. V. Gallicani Epiſcopi flagitant ab Innocentio Decimo Examen, & Damnationem Quinque Janſenii Propoſitionum, quam futuram aſſerunt Infallibilem. 231.2
§. VI. Janſeniani confugiunt ad Apoſtolicam Sedem, quam certam Veritatis Magiſtram agnoſcunt: fatentur extare Quinque Propoſitiones in Libro Janſenii: & in obvio ejuſdem Senſu Catholicas illas eſſe aſſeverant. 232.1
§. VII. Quinque Ianſenii Propoſitiones damnantur ab Innocentio X. 232.1
§. VIII. Catholici omnes, ac præcipuè Galliarum Epiſcopi excipiunt obſequentiſſimè Pontificiam Fidei Definitionem tanquam Infallibilem. 232.2
§. IX. Janſenianorum Libros omnes Innocentius damnat. 234.1
§. X. Comitia Cleri Gallicani admonent omnes Regni Epiſcopos de technis Janſeniſtarum, negantium excerptas fuiſſe ex Libro Janſenii Quinque Propoſitiones, atque damnatas infallibiliter in ejuſdem Janſenii Senſu. 234.1
§. XI. Iterum confugiunt Gallicani Epiſcopi contra Janſenianos ad Innocentium, deque ſalli neſcio Apoſtolicæ Sedis Judicio præclarè loquuntur. 235.2
§. XII. Iidem Epiſcopi Galliæ quærunt præſidium ab Alexandro VII. contra negantes Infallibilem eſſe Definitionem Apoſtolicæ Sedis in damnandis Propoſitionibus a Janſenii Libro excerptis in Senſu Janſenii. 236.1
§. XIII. Alexander VII. declarat Quinque Propoſitiones excerptas fuiſſe ex Libro Ianſenii, atque damnatas in ejuſdem Ianſenii Senſu. Quam novam Ianſenianorum Claſſem, præter proſcriptam ab Innocentio X. anathemate perculerit Alexander. 237.2
§. XIV. Summo cum plauſu ſuſcipitur a Catholicis Pontificia Conſtitutio, tanquam Infallibilis, non ſine fremitu Hæreticorum. 239.1
§. XV. Ianſeniſtarum Libros damnat, & eorum eluſiones multipliciter refellit Alexander VII. 239.2
§. XVI. Studia Regis, & plurimorum Antiſtitum Galliæ pro extinguendo Ianſeniſmo infallibiliter damnato a Cathedra S. Petri, & contra ſubdolam oblationem

Silentii. 240.2

§. XVII. Præſcribit Alexander Formam declarandæ Fidei. Clemens IX. jubet ſervari ſuorum Prædeceſſorum Decreta. 241. 2

§. XVIII. Alexander VIII. damnat plurimas Ianſeniſtarum Opiniones. 243.1

§. XIX. Innocentius XII. Literis datis ad Epiſcopos Belgii confirmat ſuorum Deceſſorum Decreta, jubetque Alexandrinam Fidei Formam in Obvio, proprio, & nativo Senſu præſtari. 244.2

§. XX. Sanctiſſimus D. N. CLEMENS XI. Apoſtolicas Literas dat ad Regem Chriſtianiſſimum, & ad Cardinalem Archiepiſcopum Pariſienſem, contra Eluſores Pontificiarum Conſtitutionum, & ad univerſos Catholicos in partibus Hollandiæ, & Provinciarum conterminarum conſtitutos, detegens Perduelles ſub ſpecie Summi Rigoris in Morum Diſciplina Populum decipientes. 246.1

§. XXI. Sanctiſſimus D. N. CLEMENS XI. confirmat, & innovat Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. editas adversùm Janſenianam Hæreſim, & novas adjicit Declarationes pro debita illarum obſervantia. 247.1

LIBER SECUNDUS.

In quo demonſtratur, Quinque Propoſitiones excerptas eſſe ex Libro Janſenii, atque ſtatuitur, qua Cenſura afficiendæ ſint hoc negantes. pag.252

§. I. Atteſtatio Octoginta quinque Gallicanorum Epiſcoporum. 252.1

§. II. Confeſſio Janſenianorum ante Propoſitionum Damnationem. 252.2

§. III. Sententia Theologorum, quos Innocentius X. conſuluit. 253.1

§. IV. Definitio Innocentii, aliorumque Summorum Pontificum Confirmatio. 253. 1

§. V. Univerſæ Catholicæ Eccleſiæ Pontificiam declarationem obſequentiſſimè ſuſcipientis Approbatio. 253.2

§. VI. Poſt ipſam quoque Condemnationem Janſeniani fatentur Propoſitiones illas eſſe Ianſenii. 254.1

§. VII. Teſtes oculi omnium, quibus permiſſa eſt lectio Ianſeniani Voluminis, quò ad Primam Propoſitionem. 254.2

§. VIII. Manifeſta eſt eadem Veritas quò ad Secundam Propoſitionem. 255.1

§. IX. Apparet in Libris Ianſenii Tertia Propoſitio. 255.1

§. X. Negari nequit extare Quartam Propoſitionem in Ianſenii Libro. 255.a

§. XI. Quinta Propoſitio ultro ſe exhibet in Opere Ianſeniano. 256.1

§. XII. Quæ Cenſura ferenda ſit contra negantes excerptas eſſe Propoſitiones illas ex Libro Ianſenii. 257.2

§. XIII. Sepoſita, de qua nihil decernimus, Infallibilitate Divina, quam plures tribuunt Pontifici Maximo, etiam in definiendo, quod Propoſitiones ſint re vera excerptæ ex Libro Ianſenii, Catholici omnes tenentur eidem firmiſſimè obedire, præſtando ejus Declarationi certum aſſenſum. 258.a

LIBER TERTIUS.

De Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiæ Infallibilitate in damnando Senſu Janſenii, ideſt in ſolvendis Quæſtionibus Doctrinæ, ac Juris, expendendo etiam ea, quæ ſpectant ad Factum. 259

§. I. De quibus Factis affirment probabiliter aliqui, quod in iis declarandis exiſtimari queat Infallibilis Apoſtolica Sedes. 259. 1

§. II. Facta ſpectantia ad omnes Fideles, & Univerſæ Eccleſiæ propoſita ab ejus Magiſtro, dici poſſe implicitè revelata, quorumdam Theologorum opinio eſt. 260.1

§. III. Eccleſia in ſuo Capite, vel in Conciliis, conſuevit obſtringere Fideles ad admittenda ut vera quædam Facta, ſive Divina, ſive alia certitudine. 260.2

§. IV. Janſeniani ipſi agnoviſſe videntur in Pontifice Maximo Poteſtatem definiendi Facta. 261.2

§. V. Facta etiam Recentia ſolent ab Eccleſiæ Magiſtro proponi tanquam certò aſſirmanda. 262.1

§. VI. Videtur quibuſdam apparere ex Divinis Oraculis, & Eccleſiæ, imò & Ianſenii, Confeſſione, reſolvi poſſe Quæſtiones Facti. 262.1

§. VII. Damnatio Propoſitionum in Senſu Ianſenii cadit ſupra Senſum Libri Ianſenio attributi, non autem ſupra Senſum, quem idem in Mente habuerit. 262.2

§. VIII. Quod Hæreticus ſit Senſus Ianſenii, eſt Quæſtio potius Iuris, quàm Facti. 264. 2

§. IX. Non ſolùm plurimæ, ſed omnes prorſus Propoſitiones de Iure Fidei includunt aliquod Factum non revelatum. 266.1

§. X. Neceſſariò concedenda eſt Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ, Poteſtas definiendi Infallibilitate Divina Senſum Catholicum, aut Hæreticum, Propoſitionum; alioqui

enim

enim nihil certum eſſet in Fide. 266.2

§. XI. Credendum eſt, Senſum damnatum in Propoſitionibus Janſenii eſſe Senſum Obvium, proprium, nativum, quem Verba ipſa exhibent. 267.2

§. XII. Vetuſtiſſima eſt Eccleſiæ Conſuetudo damnandi Senſum Hæreticorum, dum definiuntur Dogmata ipſa ſpectantia ad Ius Fidei. 268.1

§. XIII. Contra Poteſtatem damnandi Senſum Veteres Hæretici reclamare non conſueverunt: neque confugerunt ad Diſtinctionem Iuris, & Facti. 268.2

§. XIV. Sectatores Baii non ſunt uſi ſubterfugio Diſtinctionis inter Ius, & Factum. Abſurda maxima, quæ ex illa ſequerentur, niſi Infallibilis eſſet Pontificia quò ad Senſum proprium, & obvium, Definitio. 269.1

§. XV. Præclarè animadvertunt Galli Antiſtites, quod, negata Infallibilitate Pontificia circa Senſum Ianſenii, periret vis cujuſlibet Definitionis circa Fidei Articulos. 269.2

§. XVI. Ianſenius ipſe, ac Ianſeniani præſumpſerunt in Pontifice Maximo facultatem definiendi Infallibilitate Divina veritatem Senſus. 270.1

§. XVII. Validiſſimè confirmatur ex Doctrina Melchioris Cani, quod tribuendus ſit Infallibilis Aſſenſus Fidei Divinæ Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ declaranti Verum Senſum Sacrarum Literarum, & falſum Hæreticorum eas perperam explicantium. 270.2

§. XVIII. Cardinalis de Laurea extendit Infallibilitatem Divinam etiam ad Pontificias, & Conciliares Definitiones pertinentes ad Facta Dogmatica. 272.1

§. XIX. Quando damnatur, ut hæretica, Doctrina *in Senſu* alicujus Authoris, cenſet Cardinalis de Laurea non ſolùm eſſe Objectum Fidei, quod hæreticus ſit Senſus Doctrinæ illius, ſed etiam quod hæreticus ſit ejus Author. 272.2

§. XX. Dum Eccleſia, vel Pontifex, proponit Fidelibus Damnationem alicujus Hæretici, vel Facti Hæreticalis, Damnatio illa eſt Fidei Objectum, e Sententia Cardinalis de Laurea. 273.1

§. XXI. Quæ pro Factis Dogmaticis conſtituendis Objectis Fidei docet Cardinalis de Laurea de Implicita Generali Revelatione, multò fortius valent pro Infallibili Damnatione Senſus, & Doctrinæ. 273.2

§. XXII. Exempla plurima oſtendentia Diſcrimen inter Veritates pertinentes ad Ius Fidei, quibus neceſſe ſit præbere Infallibilem Aſſenſum Supernaturalem, & alias Veritates ſpectantes ad Factum Dogmaticum, quibus ſufficiat dare alium diverſum, ſed certum, Aſſenſum. 276.1

§. XXIII. Qui negant damnatas Infallibilitate Divina fuiſſe Propoſitiones in Senſu Ianſenii, & renuunt eas in eodem deteſtari, cenſendi ſunt Schiſmatici. 278.1

§. XXIV. Hæreſis notâ perſtringendi ſunt, qui negant Infallibilitatem Divinam Pontificiæ Definitioni de Propoſitionibus damnatis in Senſu Ianſenii. 278.2

LIBER QUARTUS.

De obſequenti Silentio a Cavillatoribus Janſenianis promiſſo, nec ullatenus ſervato, nec idoneo ad Hæreſim extinguendam. pag.280

§. I. Quid ſub Obtentu Silentii delitiſcat. 280. 1

§. II. Quò colliment in poſterum Ianſeniani, & quo ſtudio latibula ſemper quæſiverint. 281.1

§. III. Quomodo Silentium Janſeniſtarum dici nequeat obſequens, quantoque iidem impetu invecti ſint in Apoſtolicam Sedem. 283.1

§. IV. Subdoli Ianſeniani Beati Petri Cathedram pugnaſſe dicunt per annos Sexaginta contra umbratilem Hæreſim; ac proinde omnes Univerſalium Conciliorum, Maximorumque Pontificum Definitiones in contemptum adducunt. 284.1

§. V. Per manifeſtam Hæreſim pronuntiant Eluſores Ianſeniani immeritò vexari ab Eccleſia Sanctos Sacerdotes, piosque Veritatis Defenſores. 284.2

§. VI. Quàm fruſtra obtendant exactioris Diſciplinæ ſpeciem, & de rigidioris Theologiæ fama ſibi Ianſeniani blandiantur. 285.2

§. VII. Quid indicent tot Ianſeniſtarum Libelli ſcatentes jurgiis, maledictis, mendaciis, & calumniis. 286.2

§. VIII. Blaſphemiæ Ianſeniſtarum in Deiparam, Divinumque illius Filium. 287.1

§. IX. Quàm longè a Spiritu Dei ſint Ianſeniani Silentium ſpondentes. 288.1

§. X. Secta nulla fuit, quæ obdurationem animi tantam conjunxerit tantæ fraudi, & ſimulatâ conſtantiâ in Catholica Fide petiverit Libertatem opinandi promittendo Taciturnitatem. 289. 1

§. XI. Quàm magna ſit copia Ianſenianorum, qui Silentium ſpondent, ſed oſtendunt Externa Hæreſis Indicia, & nihilominus Subdoli potius, quàm hoſtilem ani-

Digitized by Google

animum profeſſi, dicendi ſunt ex Regula Sanctorum Patrum. 290.1
§. XII. Plurimæ non agnoſci ſatagentium Ianſenianorum Propoſitiones, & Explicationes ab illis tributæ Propoſitionibus ipſius Janſenii, multipliciter damnatæ ſunt ab Apoſtolica Sede. 292.1
§. XIII. Nullatenus acquieſcere poteſt Eccleſia Silentio a Ianſenianis oblato, ſed ab illis, præ cæteris Hæreticis, extorquenda eſt apertiſſima Veræ Fidei Confeſſio. 293.2

PARTIS TERTIÆ

LIBER PRIMUS.

In quo ſolvuntur Antiquæ Janſenianorum Cavillationes. 296

§. I. De inani, ac ſubdolo Artificio Ianſenianorum omnia vocantium ad Quæſtionem Facti. 296.1
§. II. De præſumpta Fallibilitate Eccleſiæ in omnibus Quæſtionibus Facti. 296.2
§. III. De aſſerto nullo Diſcrimine inter Facta Doctrinalia, & cætera non ejuſmodi. 297.1
§. IV. De prætenſa inſufficientia Fidei Humanæ, Scholaſticæ, ac Theologicæ, præſtitæ Factis Doctrinalibus. 297.2
§. V. De aſſerta repugnantia, quod Factum ullum dici queat implicitè revelatum, præter illud, quod ſpectat ad Traditionem declaratam per Conſenſum Patrum. 298. :
§. VI. De ſuppoſitione, quod ante damnatum Librum, & Senſum Ianſenii, expenſa ſolummodo fuerit unius peculiaris Authoris Doctrina. 298.2
§. VII. De Diſcrimine inter ea, quæ ab Eccleſia ex profeſſo deciduntur, & ea, quæ ſolùm incidenter attacta narrantur. 298.2
§. VIII. De magnis Eccleſiæ Defenſoribus Cardinalibus Baronio, Bellarmino &c. qui negare dicuntur Infallibilitatem Eccleſiæ in decidendis Quæſtionibus Facti. 299. 1
§. IX. De præſumpto Errore Sextæ Synodi Generalis in damnando Honorio Summo Pontifice, contra quam aſſertionem primò ſtatuitur Honorium non potuiſſe jure damnari. 299.2
§. X. De eodem Honorio, quem probatur non fuiſſe damnatum a Sexto Concilio, ſed hujus Acta fuiſſe corrupta. 301.1
§. XI. De ipſomet Honorio, cujus Literarum nullum examen Doctrinale fuiſſe inſtitutum in ordine ad damnandum, necne, Monothelitiſmum, demonſtratur; ſed ad ſummum fuiſſe habitum Examen Criminale circa ipſius Honorii Perſonam, ideoque Synodum deceptam fuiſſe circa ſolum Factum. 304.1
§. XII. De multiplici Diſcrimine inter Cauſas Honorii, atque Ianſenii. 310.2
§. XIII. De Cauſa Trium Capitulorum. 311. 1
§. XIV. De Marcello Ancyrano. 313.1
§. XV. De aſſerto errore Concilii Francofordienſis quò ad Sacras Imagines. 313.2
§. XVI. De Abbatis Joachimi Erroribus. 314. 2
§. XVII. De Infallibilitate Grammatica, quam per inconditum Scomma Ianſeniani nonnulli dicunt attribui Eccleſiæ ab ejus Propugnatoribus. 315.2
§. XVIII. De aſſerto Diſcrimine inter Librum Ianſenii, & aliorum patentium Hæreticorum. 317.1
§. XIX. De præſumpto Diſcrimine inter Facta ſpectantia ad Canonizationem Sanctorum, et ad Condemnationem Propoſitionum excerptarum ex Libro Ianſenii in ejuſdem Ianſenii Senſu. 319.1
§. XX. De aſſerta obligatione Obedientiæ latius patente, quàm pateat obligatio Fidei. 321.2
§. XXI. De certitudine requiſita ad Iuramentum. 322.2
§. XXII. De Reſtrictionibus Mentalibus, quas a ſe non fieri Ianſeniani affirmant. 323. 2
§. XXIII. De Interno Lutheranorum, et Calviniſtarum Inſtinctu, ad quem etiam Ianſeniani neceſſariò confugiunt. 324.1
§. XXIV. De Clemente IX. ſ. m. a quo Exceptiones, et Reſtrictiones aliquas, indultas ſibi fuiſſe Ianſeniani per ſummam Calumniam affirmant. 324.2
§. XXV. De Relatione Cardinalis Roſpiglioſii perperam pro ſe a Ianſenianis allegata. 325.2
§. XXVI. De Apoſtolico Zelo Clementis IX. contra Ianſenianos fulgente in aliis ejuſdem Brevibus. 326.2
§. XXVII. De Decreto Sancti Officii edito anno 1694. quod Ianſeniſtæ peſſimè interpretantur. 326.2
§. XXVIII. De primo Brevi Innocentii XII. ſ. m. ad Epiſcopos Belgii, quod præpoſterè pro ſe Ianſeniani afferunt. 327.2
§. XXIX. De Secundo Brevi ejuſdem Innocentii XII. iniquiſſimè pro ſe allegato a Ianſenianis. 329.2

LI-

LIBER SECUNDUS.

De quorumdam Janſenianorum Effugiis apparenter novis, quæſitis ad circumventionem Erroris. pag. 331

§. I. De inani jactatione Ianſenianorum, quod damnent Senſum Obvium Quinque Propoſitionum in abſtracto ſumptarum. 332. 1

§. II. De falſa Præſumptione, quod Damnatio Propoſitionum in concreto, ſcilicet in Senſu Obvio, quem habent in Libro Ianſenii, ſpectet ad Quæſtionem Facti, non verò Iuris. 333. 1

§. III. De damnata ab Innocentio X. Doctrina Ianſenii, ideoque confixis infallibiliter illis Propoſitionibus, prout confirmantur a Contextu Ianſeniani Voluminis. 335. 1

§. IV. De ipſo Contextu Doctrinæ Ianſenii confirmantis Hæreſim Quinque Propoſitionum, damnato ex Cathedra ab Alexandro VII. 337. 1

§. V. De confirmatis a Clemente IX. Declarationibus Prædeceſſorum. 340. 1

§. VI. De Innocentio XII. loquente definitivè de Obvio Senſu, quem Propoſitiones in concreto habent in Opere Ianſeniano. 342. 1

§. VII. De Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente XI. manifeſtiſſimè, ut hæreticum, damnante Senſum Obvium Propoſitionum explicatarum a Contextu Ianſenianæ Doctrinæ. 343. 2

§. VIII. Recentiſſimæ Ianſenianorum Cavillationes: Et primò de Mutatione Status Quæſtionis. 344. 1

§. IX. De recurſu ad ſolam Prævifionem Divinam de Eccleſia nunquam fallenda in explicando Senſu Propoſitionum, aut Voluminum, excluſa Promiſſione Infallibilitatis. 344. 2

§. X. De Infallibilitate orta ex Notoria Evidentia Senſus excludente, ut quidam affirmant, Neceſſitatem Promiſſionis Divinæ de eadem Infallibilitate. 345. 2

§. XI. De Senſibus Obſcuris, quos perperam definitos emendari dicunt Ianſeniani quidam ope Traditionis. 347. 2

§. XII. De Aſſenſu ſolùm Moraliter certo, quem ſufficiat præſtare Definitionibus declarantibus eſſe Hæreticum Senſum Ianſenii, ut quidam ejus amatores pronuntiant. 348. 2

§. XIII. De inani regreſſu Ianſenianorum ad primas Labyrinthi ſui vias: deque Cauſis, propter quas plurimi fateri nolunt, quod Quinque Propoſitiones ſint hæreticæ in Senſu Obvio, quem præſeferunt ex Contextu Libri, qui Ianſenio tribuitur. 349. 2

LIBER TERTIUS,

In quo exhibentur, nullo adempto verbo, Conſtitutiones Apoſtolicæ, Literæ Pontificū Maximorum, & Cleri Gallicani, aliaque Authentica Acta, quibus Polemica Hiſtoria Janſeniſmi, ac reliqua hucuſque ſtatuta de Quinque Propoſitionibus excerptis ex Libro Janſenii, & damnatis Infallibiliter tanquam Hæreticis in Senſu ejuſdem Voluminis: deque Subdola, & Inani Oblatione Silentii, validiſſimè confirmantur. 351

A *Num.* 1. Epiſtola Octoginta quinque Epiſcoporum Galliæ ad Innocentium X. Pont. Max. Petentium ab illo Examen, et Damnationem Quinque Propoſitionum Ianſenii. Scripta anno 1651. 353

B *Num.* 2. Conſtitutio Innocentii X. Damnantis Quinque Ianſenii Propoſitiones, data pridie kal. Iunii 1653. 354

C *Num.* 3. Breve Innocentii X. ſ. m. ad Regem Chriſtianiſſimum de Condemnatione Propoſitionum Ianſenii. 355

D *Num.* 4. Breve Innocentii X. ſ. m. ad Epiſcopos Galliæ de Pontificia Damnatione Propoſitionum Ianſenii. 355

E *Num.* 5. Brevia Innocentii X. ſ. m. de lata a ſe Condemnatione Propoſitionum Ianſenii. 356

F *Num.* 6. Venerabili Fratri Epiſcopo Gratianopolitano. 356

G *Num.* 7. Venerabili Fratri Epiſcopo Placentino Majori Inquiſitori Hiſpaniarum. 357

H *Num.* 8. Dilectis Filiis Decano, et Doctoribus, ac Profeſſoribus Conſilii Academiæ Duacenſis. 357

I *Num.* 9. Epiſtola ſignata a Cardinali Mazarino, ac triginta et uno Epiſcopis Galliæ 15. Iulii 1653. poſt acceptam Innocentii Definitionem, cui plaudunt tanquam Infallibili. 357

K *Num.* 10. Epiſtola triginta ſex Epiſcoporum cum Cardinali Mazarino ad alios Galliarum Epiſcopos contra negantes excerptas fuiſſe Quinque Propoſitiones ex Libro Ianſenii, et hæreticas eſſe in ejus Senſu. 359

L *Num.* 11. Epiſtola Epiſcoporum Galliæ ad Innocentium X. contra negantes fuiſſe excerptas Quinque Propoſitiones ex Libro Ianſenii, et eſſe hæreticas in ejuſdem Senſu. Data anno 1654. 360

M *Num.* 12. Breve Innocentii X. ſ. m. ad Comitia

mitia Cleri Gallicani de condemnata a ſe *Doctrina*, ideoque Senſu Janſenii. 361

N *Num.* 13. Epiſtola ad Alexandrum VII. Pont. Max. ſubſcripta a Septuaginta partim Epiſcopis, et partim aliis Eccleſiaſticis Galliæ, narrantibus Effugia Janſenianorum recurrentium ad Quæſtiones Facti, et Juris, ſcripta 2. Sept. 1656. 361

O *Num.* 14. Conſtitutio Alexandri VII. Declarantis damnandas eſſe Quinque Propoſitiones excerptas ex Libro Janſenii, ut hæreticas in ejuſdem Janſenii Senſu, data 17. Kal. Novemb. anno 1656. 363

P *Num.* 15. Cenſura lata a Tredecim Doctoribus Facultatis Pariſienſis, contra Epiſtolas Provinciales, Notas Wendrokii, et Diſquiſitiones Pauli Irenæi. 364

Q *Num.* 16. Breve Alexandri VII. ad Magnum Vicarium Pariſienſem, qui malè interpretatus fuerat Pontificias Conſtitutiones. 364

R *Num.* 17. Breve Alexandri VII. ad Epiſcopos Galliæ contra Janſenianorum Effugia. 365

S *Num.* 18. Epiſtola Epiſcoporum Galliæ ad Alexandrum VII. 2. Octobris 1663. de iiſdem ſubdolis Janſenianorum Effugiis. 365

T *Num.* 19. Conſtitutio Alexandri VII. præſcribentis Formulam Fidei ab omnibus Eccleſiaſticis ſubſcribendam, data 15. Kal. Martii 1664. 367

V *Num.* 20. Epiſtola Quatuor Epiſcoporum profitentium exactiſſimè ſe obtemperaſſe Pontificiis Decretis, ad Clementem IX. 368

X *Num.* 21. Epiſtola Epiſcopi Laudunenſis ad Clementem IX. de ſincera Subſcriptione præſtita a Quatuor Epiſcopis. 369

Y *Num.* 22. Breve Clementis IX. ad Regem Chriſtianiſſimum de eadem Subſcriptione, quam ſinceriſſimam opinabatur. 370

Z *Num.* 23. Breve Clementis IX. ad Quatuor Epiſcopos, quos exactè obtemperaſſe præſumebat. 370

AA *Num.* 24. Breve Clementis IX. ad Præſules Mediatores de eadem præſumpta Quatuor Epiſcoporum Obedientia. 371

BB *Num.* 25. Relatio Cardinalis Roſpiglioſii de eadem a Clemente Nono præſumpta Quatuor Epiſcoporum Obedientia. 371

CC *Num.* 26. Breve Clementis IX. contra Rituale publicatum ab Epiſcopo Alectenſi Gallico idiomate. 373

DD *Num.* 27. Breve Clementis IX. contra Editionem Novi Teſtamenti Gallica lingua Montibus Hannoniæ. 374

EE *Num.* 28. Decretum S. R. Univerſalis Inquiſitionis contra Janſenianos confirmatum ab Innocentio XII. 28. Jan. 1694. 375

FF *Num.* 29. Breve Innocentii XII. ad Epiſcopos Belgii contra Janſenianorum Effugia, datum die 6. Februarii 1694. 375

GG *Num.* 30. Aliud ejuſdem Innocentii XII. Breve ad eoſdem Epiſcopos Belgii, contra Janſenianos, datum 24. Nov. 1696. 377

HH *Num.* 31. SS. D. N. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Damnatio, et Prohibitio quorumdam foliorum impreſſorum ſub titulo: Lettre de M.*** Chanoine de B. A. Mr. T. D. A. &c. Cas de Conſcience proposè par un Confeſſeur de Province touchant un Eccleſiaſtique, qui eſt ſour ſa conduite &c. 378

II *Num.* 32. Brevia SS. D. N. Clementis XI. ad Regem Chriſtianiſſimum contra peſtilentem Libellum, in quo aſſerebatur: Ad Obedientiam Sedi Apoſtolicæ debitam non requiri, ut quis Janſeniani Libri Senſum, in Quinque Propoſitionibus damnatum, interius ut hæreticum damnet, ſed ſatis eſſe, ſi ea de re obſequioſum Silentium teneatur; & Formulæ ab Alexandro VII. præſcriptæ ſubſcribi licitè poſſe etiam ab iis, qui interius non judicant Janſenii Libro Doctrinam hæreticam contineri. 378

KK *Num.* 33. Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo. 379

LL *Num.* 34. Breve Sanctiſs. D. N. ad Cardinalem de Noailles Archiepiſcopum Pariſienſem contra Aſſertores earumdem Propoſitionum. 380

MM *Num.* 35. Breve Sanctiſſimi D. N. Clementis XI. declarans abrogatum fuiſſe munus priori Vicario Apoſtolico Hollandiæ, et detegens Janſenianos ſub ſpecie ſummi Rigoris in Morum Diſciplina Populum decipientes. 381

NN *Num.* 36. Conſtitutio Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis XI. confirmantis illas Innocentii X., et Alexandri VII. adverſus Hæreſim Janſenianam, et declarantis nihil unquam Janſenii Sectatoribus indultum fuiſſe a Clemente IX. & Innocentio XII. et præterea, Obedientiæ, quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo Silentio minimè ſatisfieri, ſed damnatum in Quinque Propoſitionibus Janſeniani Libri Senſum, quem illarum verba præſeferunt, ab omnibus Chriſtifidelibus, ut hæreticum, non ore ſolùm, ſed et corde, reiici, ac damnari debere: nec alia mente, animo, aut credulitate, Formulæ Alexandrinæ ſubſcribi licitè poſſe. 383

Digitized by Google

HISTORIA
POLEMICA PONTIFICIA
CONCILII CHALCEDONENSIS.
CAPUT PRIMUM.
Hiſtorica Synopſis hujus Concilij.

TRiumphavit de Neſtorio Catholica Religio in Synodo Epheſina: palmam de Eutychete referet in Chalcedonenſi. Conſtantinopolitanus hic Archimandrita mediam inire veritatis viam pertæſus, quam edocti a Cæleſtino Pontifice Maximo Epheſini Patres omnibus indigitaverant, ut longius a Neſtorio recederet, in aliam Hæreſim prolapſus eſt. Perſonas ille in Chriſto Domino geminaverat: hic duas illi relinquere noluit Naturas, quæ in una eademque Perſona ſubſiſtunt. Neſtorius (cum in animum nequiret admittere verum, ac naturale vinculum duas inter Naturas, Divinam ſcilicet, & Humanam, per quod, ut Athanaſius docet, *ſicut Anima rationalis, & caro unus eſt Homo, ita Deus & Homo unus eſt Chriſtus*) duos effinxit Dei Filios, Deum unum, hominem alterum, intimo ſolùm Amicitiæ nexu inter ſe conjunctos: & humani ſolummodo Filii Matrem fuiſſe Auguſtiſſimam Virginem blaſphemavit, cui proinde Matris Divinæ nuncupationem invidit. Ex geminis autem Dei Filiis, Nativo uno, & adoptivo altero, nulla inter ſe phyſica Unione connexis, unum conflari poſſe per Moralem ſolummodo, adeoque hyperbolicam, appellationem indulſit, ea ratione, qua duorum cor Amicorum unum dicitur, & unus animus utriuſque. Ac potiori quidem jure, quia multò major Divinum inter, humanumque Filium, quàm duos inter homines Amicitia intercedat, ſemperque Divinus adſit humano, ſuiſque illum donis uberrimè locupletet. Hoc opinionis portentum exoſus Eutyches aliud peperit non minus prodigiale monſtrum, affirmans, non modò aſſumptam in verum ſui conſortium a Verbo Divino humanam Naturam, ſed & humanam abſumptam fuiſſe penitus a Divina, inque ipſam Divinam immigraſſe: eo ferè pacto, quo Ignis ea, quæ comburit, in ſeſe immutat, ac validius certè, quia licet ſubſtantialis, ut Philoſophi loquuntur, dum lignum incenditur, ejuſdem ligni forma depereat, materia tamen, & reliquiæ ſuperſunt in cinere. Humanitas autem illico penitus, atque omni ex parte in Chriſto Domino, ut Eutyches delirat, interiit. Eumdem tamen hominem dici non vetat, ſed per præteritam (ut & nunc cum Dialecticis loquar) Denominationem; quia videlicet Homo erat ante Divinitatis *Inhumanationem*. Vocem adhibeo Eutychianis ſolennem, ac perpetuò uſurpatam in Latrocinali Synodo, quam Epheſi Dioſcorus Eutychetis Patronus adegit ad hunc Draconem Hæreſis, Conſtantinopoli a Flaviano paulò ante proſciſſæ, redintegrandum.

Utrique huic peſti ut e Tartaro prodiret ad magnam Orientis partem inficiendam divinitus permiſſum fuiſſe crediderim, quò ſui pompam exereret in ea extinguenda Pontificis Maximi Auctoritas, ac Leo Magnus in Chalcedonenſi contra Eutychetem Concilio pateret Eccleſiæ Moderator, ac Fidei Magiſter: perinde ac in Epheſino Primo contra Neſtorium fulſerat Cæleſtinus. Tam illuſtria certè, adeoque multiplicia in duplici hac Synodo fuerunt Argumenta Pon-

Pontificiæ Poteſtatis, ut hæc ſolùm abunde ſint ad oſtendendum, multò majus in Vetuſta Eccleſia fuiſſe Supremæ Juriſdictionis Exercitium, quo tunc Romani Antiſtites, nullo reclamante, utebantur, quàm illud, quo, parcentes infœlicitati temporis, utuntur in præſens. Vehementiſſimè admiratus fui, cum audivi, quemdam nuper Mythiſtoricum Lutheri de grege auſum fuiſſe affirmare, nihil e priſcis Conciliis extundere Romanos poſſe contra ſui Magiſtri ſententias. At enimvero tot ex his tantùm duabus Synodis tela depromam (quod in aliis quoque expendendis & præſtiti, & Auſpice Divino Numine porrò præſtabo) ut hæ ſolùm ſatis ſuperque ſint ad illum perpetui in contexenda fabuloſa ſua Conciliorum Hiſtoria mendacii coarguendum. Ne reliquos veterum Hæreticorum, quos recentes Romæ perduelles ab Inferis revocarunt, Errores, a priſcis Conciliis damnatos, attingam, immorabor ſolùm in Fundamentali eorum Articulo, quo Sacram Romani Pontificis Præfecturam, & Magiſterium Eccleſiæ, perditum eunt. Eumdem Chriſtianorum Rectorem, ac Magiſtrum eſſe, Auctoritate Conciliorum evincens omnia unico ictu truncabo Tenareæ hujus Hydræ, novarum ſcilicet Hæreſum, capita. Si enim vera Doctrina e Vaticano prodit, ut Synodi aſſeverant, falſa ergo ſunt omnia, quæ contra Romanas ex Pontificia Cathedra Definitiones Lutherus, aliique comminiſcuntur.

Jam verò, quoniam nil tale animo deſtinanti mihi in longum abiit Præfatio in Hiſtoricam Synopſim hujuſce Concilii, nec illam omittam, quæ menti nunc obverſatur, animadverſionem: erupiſſe videlicet Conſtantinopoli utramque, de qua dicere aggreſſi ſumus, Neſtorii Hæreſim, & Eutychetis, illam quidem ab ejus urbis Antiſtite, hanc a celeberrimi Monaſterii Præſide: ut pateret, non Recentem Romam (ſic enim Bizantium dicebatur) at Veterem eſſe Veritatis Magiſtram. Atque hic obiter notandum eſt præcipuarum Orientis urbium infortunium, cum omnes, ad quas penitus labefactandas opportuna viſa fuere Concilia, in illis Hæreſes natæ ſint: Alexandriæ ſcilicet Ariana confoſſa in Nicæno, præter vires Eutychianæ additas ab illius Signifero Dioſcoro Præſule Alexandrino, & ab Origene, ac Severo aliis, contra quas Synodus Quinta pugnavit: quod Severi, ac deinde Monothelitarum venenum vires etiam hauſit Antiochiæ. At Conſtantinopoli, præter jam recenſitum ignem excitatum a Neſtorio, & Eutychete, Macedonius exarſerat damnatus a Secunda Synodo: exinde quatuor Patriarchæ Monothelitæ anathemate perculſi a Sexta: alii pariter e Paſtoribus mutati in lupos, qui cum Cæſaribus Iconoclaſtis, proſciſſi a Septima, impiè conſpiraverunt: & par omnibus parricidis unus Patriarchatus invaſor Photius miſerrimi Schiſmatis Auctor, de quo Synodus Octava trophæum ſtatuit.

Interim Chalcedonenſis breviſſimam narrationem adorti, ut ea ſolùm, ex hujus Operis inſtituto, attingamus, quæ reſpiciunt Romani amplitudinem Sacerdotii, ordimur ab iis, quæ occaſionem dedere conflandæ Synodo, & a Literis eidem præviis, quæ, ut Prima Concilii Pars, eorumdem Conciliorum inſeri Corpori conſueverunt.

Delatus ad S. Flavianum Conſtantinopolis Antiſtitem Eutyches fuit ab Euſebio Epiſcopo Dorylæi, quòd ſuam Hæreſim diſſeminaret. Flavianus autem Provincialem contra illum Synodum celebravit, a qua cum damnatus fuiſſet Eutyches, Appellationis libellum miſit ad S.Leonem Romanum Pontificem, Neſtorianæ perfidiæ Flavianum inſimulans, ac negans, auditum ſe, Synodo Epheſinæ adhærentem, cum ad Apoſtolicam Sedem provocaret. (1)

S.Leo graviter ob id commotus eſt, cum credi poſſet, debitum Petri Cathedræ honorem habitum a Flaviano nequaquam fuiſſe. (2)

Leoni, ut omnium Epiſcoporum Judici, certoque veræ Religionis Interpreti, ſui facti rationem reddit Flavianus, negans, appellatum ab Eutychete fuiſſe in Synodo, & Romam mittit Acta ejuſdem Synodi Conſtantinopolitanæ. (3)

Flaviani ſententiam a Leone confirmatam videns Eutyches appellat hæreticorum more a Pontificia Cathedra ad Theodoſium Juniorem Imperatorem, & confugit ad Dioſcorum ſceleſtiſſimum Patriarcham Alexandriæ, ſua hæreſi infectum, cui favens etiam Auguſtus indicit Epheſinam Synodum Secundam. (4)

Cum Cæſar deceptus ab Aulicis hæreticis invaſiſſet ea, quæ ſpectabant ad Summum Pontificem, ſuo munere perſungitur Leo, mittens Legatos ad Concilium, & Epiſtolis ad Flavianum, & Synodum explicat Fidem. Legati petunt, prius legi Epiſtolas Leonis, quæ quoniam lectæ de more non ſunt, & ſuppreſſæ dolosè, nec datus Primus locus ipſis Legatis (ut præſtitum fuerat in Concilio Nicæno, Sardicenſi, & Ephe-

(1) *Ex Epiſt.Eutychetis pag.3.tom.2. Conciliorum Editionis Vaticanæ 1609.*
(2) *Ex Epiſt.S.Leonis 8.9.10.pag.3.*
(3) *pag. 3.* (4) *pag.3.*

Epheſino Primo) recedunt: ac deinde redeunt, ut obſiſtant Hæreticis. Ipſis tamen Legatis non præſidentibus omnia fiunt per vim, & nefas. Reclamant Legati, & non proficientes abſcedunt: ipſiſque non præſentibus abſolvitur Eutyches: probatur Hæreſis: Flavianus, & Euſebius Doryleníis accuſator Eutychetis coniiciuntur in vincula. Ex quibus patet, quàm neceſſaria bono Eccleſiæ Regimini, atque ideo certè a Chriſto decreta, ſit Pontificia etiam in Synodis Præfectura. (1)

Flavianus a Concilio Univerſali appellat ad Sedem Apoſtolicam, & ob id penè occiditur a Dioſcoro, qui regreſſus Alexandriam, inaudito exemplo, in S. Leonem a ſua communione rejectum inſanus inſurgit. (2)

Leo, ut Superior Synodis, etiam Univerſalibus, damnat Epheſinum Secundum Conventum: & hortatur Theodoſium, ac Pulcheriam ejus Sororem ad novam Synodum cogendam pro damnanda iterum Latrocinali Epheſina coram Græcis Epiſcopis ad eam confluentibus. Valentinianus, & Auguſtæ Theodoſium per literas orant ad Leoni obtemperandum, quod cum ille minimè præſtitiſſet, & execratus Flavianum probaſſet Epheſinum Congreſſum, quem a Nicænis definitionibus alienum non eſſe opinabatur, pauló poſt interiit ab equo prolapſus, in pœnam moleſtiæ allatæ Pontifici Maximo. (3)

A Marciano novo Auguſto, & Pulcheria Concilium, Leone Auctore, decernitur, & illi præſident Pontificii Legati, quibus Primæ tribuuntur Sedes, quique omnium Primi ſubſcribunt Fidei Decreta; iis verò ſanciendis, & judicandis Epiſcopis, ſe nullatenus immiſcent Senatores, & Seculares Judices, miſſi a Cæſare tantummodo ad turbas compeſcendas, quæ graviſſimæ pauló ante flagraverant Epheſi. (4)

Legati prohibent inter Præſules conſidere Dioſcorum, cui, licet criminibus omnibus, & hæreſi inquinato, tamen veluti ſummum ſcelus primò exprobratur, quod Synodum celebrare auſus fuiſſet ſine facultate Apoſtolicæ Sedis, *quod nunquam licuit, nunquam factum eſt*. (5)

Leguntur Literæ Leonis, & Patres clamant: *Petrus per Leonem ita locutus eſt*: & eaſdem Literas, ut Infallibilem Fidei Regulam, exoſculantur. (6)

Damnatur Dioſcorus ex Leonis ſententia, quæ ab Anatolio Antiſtite Conſtantinopolitano, & ab omnibus comprobatur.

Ex Regula Leonis Epiſtolæ declaratur Fides: Epiſcopi lapſi in Epheſino Cœtu, venerati Leonis Epiſtolam, ut inviolabilem Veritatis Normam, abſolvuntur. (7)

Pro Fidei Forma uberius declaranda conveniunt Apoſtolici Legati cum Anatolio, & aliis, qui ad Leonis Epiſtolam, ut certam Catholicæ Doctrinæ Legem, reſpicientes condemnant auſuros eidem refragari. (8)

Marcianus hortatur Patres ad veram Fidem ſervandam Oratione prius Latinè, quàm Græcè habita in honorem Leonis, & Legatorum, quos proſecuti reliqui omnes in eorum Formulam ſubſcribunt ex præſcripto Leonis Epiſtolæ. (9)

Licet poſt diſceſſum Legatorum, & Judicum, editus fuerit quidam Canon de Conſtantinopolitanæ Sedis honoribus amplificandis, occaſione Alexandrinæ tunc vacantis, & pauló ante a Dioſcoro dedecoratæ, tamen nullius roboris fuit, quia & Legati regreſſi audaciam improbarunt, & illum deinde Leo rejecit. (10)

Epiſcopi obſequentiſſimè petiverunt a Leone Confirmationem Synodi; ipſe autem ſolùm auctoritate ſua roboravit Fidei Decreta, & ut Superior ipſis Generalibus Conciliis compreſſit ambitum Conſtantinopolitani Præſulis, juſſitque ſervari Canones Nicænos, & retudit temeritatem Juvenalis Hieroſolymitani duabus Palæſtinis inhiantis: declarans, ſuos Legatos ſolùm miſſos pro Fide ſtabilienda, & ſcribens ad omnes Epiſcopos Chalcedonenſes, eamdem ſolùm Fidem a ſe confirmatam fuiſſe, & hanc ſolùm poteſtatem a ſe tributam Legatis: & ad hoc ſolummodo congregatum ſuo conſenſu Concilium, ideoque irritum fuiſſe quicquid Concilium ipſum ſine ſua Auctoritate tentaſſet. (11)

Ipſa tantummodo Fidei Dogmata ſancita ab hac Synodo ſummo ſemper in pretio habuit, & complexa fuit Eccleſia Dei, ut patet ex Collatione tertia Quintæ Synodi: ex Actione decimaſeptima Sextæ, in qua Leonis Epiſtola ad Flavianum appellatur *Rectæ Fidei Titulus*: idemque Septima, & Octava confirmant. Ac proinde fatentur, Summum Pontificem antecellere Generalibus Conciliis, cum ex Chalcedonenſi ea ſolùm recipiant, quæ Romæ comprobata fuerunt. (12)

Præter Leonem autem, qui ſolùm Decreta Fidei firmavit, Gelaſius quoque ſpernit Canonem illum, ut conditum ſine Auctoritate Apoſtolicæ Sedis, & ab illa minimè admiſſum. Pelagius verò, & S. Gregorius

(1) *Pag.*4. (2) *Pag.*4. (3) *Pag.*4.
(4) *Pag.*5. (5) *Pag.*5. (6) *Pag.*5.
(7) *Pag.*5. (8) *Pag.*5. (9) *Pag.*6.
(10) *Pag.*6. (11) *Pag.*6. (12) *Pag.*7.

rius Magnus cum dicunt, Canones editos fuiſſe ſtatim poſt Fidei Definitionem, loquuntur de Canonibus legitimis, non de intruſo, ſpectante ad Sedem Conſtantinopolitanam; hic enim additus fuit abſoluta Actione quartadecima, poſtquam Apoſtolici Legati diſceſſerant, ut liquet ex Actione ſextadecima.

CAPVT II.

Expendendo ea, quæ Synodum ipſam præceſſerunt, animadvertimus Poteſtatem in Eccleſiam Orientalem, & Jus declarandæ Fidei exercitum a S. Leone Pontifice Maximo.

1 IN Epiſtola S. Leonis Magni ad Eutychetem hæc habentur: *Nos &c.* NECESSE EST AUXILIANTE DOMINO PROVIDERE QUATENUS NEFANDUM VIRUS HÆRESIS NESTORIANÆ (quam Eutyches iterum repullulare ſcripſerat ad Pontificem) RADICITUS POSSIT EXTINGUI. Ergo neceſſariò incumbit Romano Præſuli onus regendi Orientalem Eccleſiam, in qua Neſtorii venenum iterum ebullire ferebatur. (1)

Itane, Petre Suavis, intra *Occidentales*, & *Suburbicarias* quidem, *Eccleſias* Romani olim Auctoritas Epiſcopi ſe tenebat? Non ſemper virulenti hominis verba allegabimus; ſed, cum unum idemque fallax ejus Pronuntiatum plerumque ſit illi non ſemel exprobrandum, ſuo unumquodque opportunè tempore in medium afferetur. (2)

2 Scribens autem ad Flavianum Leo, *Miramur*, inquit, *Fraternitatem tuam, quicquid illud ſcandali fuit*, NOBIS SILERE POTUISSE. Ergo Fidei Controverſiæ ad Romanum ſunt Pontificem, ut ad earumdem Judicem, deferendæ. Et ab omnibus quidem hoc præſtandum eſt, videlicet ab ipſis etiam Conſtantinopolitanis Antiſtitibus. (3)

Et ſcripſiſſe Hieronymum, quod Ariſtocraticum olim fuerit Eccleſiarum Regimen, Suavis iniquus Interpres aſſeverat? (4)

3 Addit Leo. *Cum &c. Eutyches libellum* APPELLATIONIS *ſe aſſerat obtuliſſe &c.* NON AGNOSCIMUS, QUA JUSTITIA *a communione Eccleſiæ fuerit ſeparatus*. Nullus ergo vetatur ad Romanum Pontificem appellare a Conſtantinopolitanis Præſulibus, & Synodis; in Synodo enim, & de ſententia Synodi, fuerat Eutyches a Flaviano damnatus. (5)

Et ea pronuntiavit Suavis, ex quibus ſequeretur, improbatas olim fuiſſe Tranſmarinas Appellationes! Si videlicet, quemadmodum Polanus fabulatur, latitudo Pontificiæ poteſtatis ab antiqua Romæ Præfectura, ideſt juxta Occidentales, & Suburbicarias Civitates, menſuram accepiſſet. (6)

4 Tum imperans Cæſareæ Urbis Epiſcopo ait: FACTI TUI NOSSE VOLUMUS RATIONEM, *& uſque ad plenam notitiam cuncta deferri &c. Fraternitas tua per idoneam maximè, aptamque perſonam*, PLENISSIMA NOBIS RELATIONE SIGNIFICET, *quid contra antiquam Fidem Novitatis emerſerit, quod ſeveriori ſententia dignum fuerit vindicari*. Non ſolùm ergo Primatum Ordinis, ſed veram Juriſdictionem, & Magiſterium exercet Romanus ſupra Reliquos, etiam Primarios, totius Orbis Antiſtites. (7)

5 Cauſam verò ſui hujus Imperii ſubnectens inquit: *Ut amputatis diſſenſionibus Fides Catholica inviolata ſervetur, & his, qui prava defendunt, ab Errore revocatis*, NOSTRA AUCTORITATE, *quorum Fides probata fuerit*, MUNIATUR *&c. Dilectio tua &c. quàm pleniſſimè, & lucidè univerſa nobis (quod ante facere debuit)* INDICARE FESTINET. Diſſenſiones igitur amputandas, & Errores extinguendos affirmat, *ſi Veritas Auctoritate Pontificia muniatur*. An non ergo Infallibile cenſendum putat Oraculum ſuum ab Orientali etiam Eccleſia? Quis autem tributum ſibi putet a Pontifice Sapientiſſimo id, quod ſui juris non eſſet? Aut quod, perperam uſurpatum, Orientalis Eccleſia ſpernere impune potuerit? Illud certè nequaquam ſprevit Flavianus: & Univerſale, paulò poſt celebratum, Chalcedonenſe Concilium adeo non carpſit Sacerdotum Principem, quaſi ſe Magiſtrum non ſubjectum Errori jactaſſet, ut potius, jurans in Leonis verba, dictata e cęlo a Petro fuiſſe dixerit ea, quæ Leonis calamus exaraverat. (8)

Et audet Suavis inducere Alexandrum Cardinalem Farneſium coram Cæſare affirmantem, ex vetuſtiſſimo more a ſolis Conciliis diſſolutas fuiſſe Fidei Controverſias? Hoc enimvero Pronuntiatum ex illius Principis ore nequivit excidere, nam octo OEcumenicas Synodos Orientales ferè omnes Decreta Apoſtolicæ Sedis anteceſſerunt definitiva Controverſiæ in Fidei materia, quæ agitabatur, quibus Romani Legati inſtructi

cum

(1) *Pag.* 8.
(2) *Pag.* 243. *Hiſtoriæ Concilij Tridentini ſcriptæ a Petro Suavi Polano in Latinum Sermonem verſæ, ac editæ Francofurti apud Godefridum Tampachium ann.* 1621.
(3) *Pag.* 8. (4) *Pag.* 243.

(5) *Pag.* 9. (6) *Pag.* 243. (7) *Pag.* 9.
(8) *Pag.* 9.

cum poſtea ad Synodos acceſſiſſent, jubebant, Patres id ſeqni, & amplecti, quod Romæ Pontifex de conſilio ſuorum Epiſcoporum ſanciverat: ut præcipuè patet in Synodis Epheſina, Chalcedonenſi, Sexta Synodo, & aliis: aliæ verò hæreſea a ſola Sede Apoſtolica damnatæ ſunt. Id autem, quod Farneſio tribuit, Suavis ipſe diſertè aſſeverat pag.3. ſecundæ Editionis Italicæ, in qua Concilium appellat, *l'unico rimedio di riunir le diviſioni, e accordar l'opinioni contrarie*; licet Interpres Latinus verterit: *quo nullum præſentius remedium potuit reperiri*. (1)

6 Hanc demum ſuæ ad Flavianum Epiſtolæ coronidem imponit Leo. *Ne diſſenſio*, QUÆ IN SUIS INITIIS ABOLENDA EST, *nutriatur*. Lactandi ergo non ſunt Errores in Fide, præſtolando Generalia Concilia, quæ difficillimè coaleſcunt, nec frequenter cogi poſſunt ſine maximo ſingularum Eccleſiarum incommodo, a quibus abeſſe nequeunt frequenter Epiſcopi, præſertim quando recentes Hæreſes inſurrexerunt. *Diſſenſiones* igitur *aboleri* poſſunt, ac ſæpe debent per ſolam Definitionem Pontificis Maximi. Eadem proinde Pontificia Definitio credita fuit Infallibilis a Leone, qui pariter nulli Erroris diſcrimini obnoxiam ab Orientali Eccleſia exiſtimandam putavit. (2)

CAPUT III.

Appellatio Eutychetis ad Leonem manifeſtè ſtabilitur, & quid ex ea eruatur.

7 DE hac non exiguæ molis Volumen ante annos ferè triginta edidit in lucem Chriſtianus Lupus eruditiſſimus vir. Sed abunde ſunt ipſius Leonis verba ad veritatem elucidandam. Quæſtio certè ſolùm potuiſſet inſtitui, an Appellatio interpoſita fuerit ante latam Sententiam, & an in Synodo ipſa Conſtantinopolitana: quod, ab Eutychete affirmatum, Flavianus inficiabatur. Sed nullus dubitationi ſupereſt locus quò ad ipſam, quandocumque demum, & ubicumque habitam, Appellationem; ſic enim inquit Leo in Epiſtola ad Theodoſium. *Quamvis enim prædictus Presbyter* (*Eutyches*) AD APOSTOLICAM SEDEM *per libellum doloris ſui* QUERIMONIAM MISERIT. Exceperat ergo Leo ſupplicem Eutychetis libellum, in quo Appellatio continebatur. Non ſolùm ergo Catholici omnes ultro fatentur Pontificium Jus excipiendi Appellationes omnium Romam confugientium, ſed ipſi etiam Auctores Hæreſum, cujuſmodi Eutyches fuit, licere putant, ad Summum Pontificem provocare. Sive credant, ut certè credendum eſt, Jus hoc ab Inſtitutione Divina Chriſti Domini permanare; cum enim Supremus Ovium omnium Paſtor electus fuerit Petrus, ejuſque in cura Gregis Dominici Succeſſores, profectò iis, qui ſibi injuriam inferri arbitrantur a Minoribus Paſtoribus, appellare licet ad eorumdem Paſtorum ſubjectum oculis Principem. Sive ſtatuant, obtemperandum eſſe Decretis Nicæni, aut Sardicenſis Concilii, declarantibus idem Jus confugiendi ad Apoſtolicam Sedem: quod certè Jus Sanctæ huic Sedi tributum primò non fuit ab ipſo Concilio, ſed ab eodem eſt cognitum, ut divinitus ante conceſſum. (3)

Ex præjactis a ſe fundamentis damnare Suavis cogitur ad Pontificem Maximum Appellationes, quas Eutyches ipſe admittit, & quibus utitur. (4)

8 Poſtquam ab ipſo nefario Hæreſum Inventore comprobatam vidimus Pontificiam hanc facultatem excipiendi Appellationes, fruſtra fortaſſe nunc adiicimus, eamdem exercitam a Leone fuiſſe. Juvat tamen attexere, Pontificem hunc Sapientiſſimum pariter, atque Sanctiſſimum, ſuo uſum Jure in favorem Eutychetis, nondum Hæreſis comperti, ſic de Flaviano ad Theodoſium ſcripſiſſe: *Quem credimus, vel poſt admonitionem, omnia ad noſtram notitiam relaturum*, UT *in lucem ductis his, quæ adhuc videntur occulta*, ID, QUOD EVANGELICÆ, ET APOSTOLICÆ DOCTRINÆ CONVENIT, JUDICETUR. Sibi ergo, ut Superiori, obtemperandum a Flaviano cenſet, ſeque Judicem ipſius Flaviani, & Synodi ab illo habitæ manifeſto jure præſumit eſſe, Univerſæque in Vera Fide a ſe explicanda Eccleſiæ Magiſtrum. (5)

At eumdem Suavis dixit Præſidem olim fuiſſe Romanæ, ac Suburbicariarum Eccleſiarum, ceteras excludens. (6)

CA-

(1) *Pag.*99. (2) *Pag.*9.

(3) *Pag.*10. (4) *Pag.*243 (5) *Pag.*10. (6) *Pag.*243.

CAPUT IV.

S. Flavianus Archiepiſcopus Conſtantinopolis Leonem Judicem Fidei reverenter agnoſcit, & ſupervacaneum putat Concilium, ſi Hæreſis Eutychetis a Leone damnetur.

9 IPſa Literarum,quas ad Leonem dedit Flavianus,Inſcriptio ſummum indicat cultum; cum enim *Fratrem* illum appellaſſet Leo, hunc ille compellat SANCTISSIMUM, ET BEATISSIMUM PATREM. Porrò de Eutychete loquens, ſeque purgans apud Chriſti Vicarium, inquit: *Accuſatum verò eum a Reverendiſſimo Euſebio,& occurrentem in Sacrum Concilium, & voce ſua Sectam propriam retegentem,alienumque exiſtentem a recta Fide, damnavimus*. Idcirco igitur ſententiam ferre, inconſulta Sede Apoſtolica, in Eutychetem non fuerat veritus Sanctus Antiſtes, quia Hæreſis manifeſtæ ſua ipſius confeſſione reus erat Archimandrita nequiſſimus. (1)

Ergo *Ariſtocraticum* olim non erat Eccleſiæ Regimen, & delirat Suavis ita loquens, ut præſumat, Orientalibus ſe nullatenus rebus Romanos Pontifices immiſcuiſſe. (2)

10 Suum deinde obſequium erga Petri Cathedram Flavianus oſtendit, profeſſus, obtemperare ſe juſſioni Leonis,per hæc verba: *Sicut docebunt Veſtram Sanctitatem omnia, quæ ſuper eo ſunt geſta*, QUÆQUE DIREXIMUS CUM NOSTRIS HIS LITERIS. Imperialis igitur Urbis Præſul ſui facti rationem reddit Hierarchæ, ac Judici ſuo. (3)

11 Mox negans, auſum ſe fuiſſe contemnere Appellationem ad Epiſcopum Univerſalis Eccleſiæ, quam Hæreſiarcha ſcripſerat a ſe interpoſitam fuiſſe in ipſo Concilio, cum re vera ſolùm illo abſoluto Romam confugiens tentaſſet inhibere latæ ſententiæ vim,ait: *Eutyches direxit libellos plenos omni fallacia, atque calliditate, dicens, Judicij tempore libellos ſe dediſſe Appellationis & nobis, & hic convenienti Sacro Concilio, &* APPELLASSE VESTRAM SANCTITATEM, QUOD NEQUAQUAM AB EO FACTUM EST &c. *Per fallaciam mendacii ſubrepere ſe Sanctis veſtris auribus putans*. Hinc conſtat, quod neque in ipſum hæreſis Auctorem intorſiſſet Excommunicationis fulmen Flavianus, ſi pendente cauſa Romam Eutyches provocaſſet. (4)

(1) *Pag.*10.12.& 13. (2) *Pag.*243.
(3) *Pag.*10. (4) *Pag.*10.

Si ſtandum fuiſſet ſententiæ Petri Suavis, ſequeretur, quod Flavianus immani ſe crimine obſtrinxiſſet, pervertens Eccleſiarum fines, & Suburbicario Romæ Præſuli ſubiiciens Chriſtiani Orbis partem, quæ ad illum, ſi Polano credimus, ut ex ejus ſententia inferri debet, nequaquam ſpectabat. (5)

12 Suo deinde, ac Synodali decreto robur adiici flagitat Pontificia Confirmatione: *Commotus itaque, Sanctiſſime Pater, ab his omnibus, quæ ab eo præſumpta ſunt, & ob ea, quæ in noſtram Sanctiſſimam Eccleſiam facta ſunt, atque fiunt, pro conſueta fiducia fiducialiter age, ſecundùm quod Sacerdotio competit, propriamque faciens communem cauſam, & Sanctarum Eccleſiarum diſciplinam,* SIMUL DECERNERE DAMNATIONEM ADVERSUS EUM REGULARITER FACTAM, ET PER PROPRIA SCRIPTA DIGNARE. Formidat ergo, pondus non ineſſe declarationibus ſuis, niſi a Leone firmentur: &,ad Romanum Epiſcopum pertinere omnium curam Eccleſiarum, atteſtatur. (6)

Tantum auctoritatis incrementum accedere poterat Synodali definitioni a Romano Antiſtite. Juſſus igitur is non fuit a Nicæna Synodo ſuburbicarias tantùm Eccleſias procurare; licet hoc Suavis,Auctor Hæreticis gratiſſimus, opinari videatur. (7)

13 Romani etiam Paſtoris ovem eſſe regnantem in Oriente Cæſarem certò præſumens, a Leone petit, ut dignetur, CONFORTARE *& piiſſimi & Chriſto deditiſſimi noſtri* IMPERATORIS FIDEM. (8)

14 Tum ſubdit: *Cauſa enim eget ſolummodo veſtro ſolatio, atque defenſione, qua debeatis* CONSENSU PROPRIO AD TRANQUILLITATEM, ET PACEM CUNCTA PERDUCERE. Sapiens ergo, & Sanctus Antiſtes pacandam Orientis Eccleſiam ſperabat per aſſenſum Conſtantinopolitanæ Provinciali Synodo præſtitum a Leone. Inani autem ſpe lactatus fuiſſet, niſi morem hunc Orientis Eccleſia Catholica eò uſque ſervaſſet, ut videlicet Romanis Declarationibus acquieſceret. (9)

Sed totius vetuſtatis oblitus Petrus Suavis, licet ejus, ſomniatos a ſe, mores vulgo mortalium confidentiſſimè obtrudens,ita loquitur, ac ſi verum ipſe putaret, a ſolis Synodis diremptas perpetuò fuiſſe Fidei Controverſias. (10)

15 Addit exinde Teſtimonium ampliſſimum Pontificiæ in exponendis Veræ Fidei Articulis Infallibilitatis. SIC ENIM HA-

RE-

(5) *Pag.*243. (6) *Pag.*10. (7) *Pag.*243.
(8) *Pag.*10. (9) *Pag.*11.
(10) *Pag.*99.

RESIS, QUÆ SURREXIT, ET TURBÆ, QUÆ PROPTER EUM FACTÆ SUNT, FACILLIME DESTRUENTUR, *Deo cooperante per veſtras Sanctiſſimas Literas*. Deſtrui profectò Hæreſis per Leonis Literas nequiviſſet, niſi eaſdem, e Cathedra Petri dictatas, nulli ſubiici Errori poſſe, pervulgatum, & notorium Orbi Chriſtiano fuiſſet. (1)

16 Quia verò Sanctus Præſul, cumque illo Sacra tunc Reſpublica, nequaquam neceſſarium putabat Conſenſum Ovium, ut veræ crederentur voces Paſtoris, ait: *Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur*, QUATENUS NEQUAQUAM UBIQUE TURBENTUR ECCLESIÆ. Infallibilis igitur eſt Pontificia Definitio, etiam ante Concilii, vel Eccleſiæ Confirmationem, ex Flaviani ſententia, & communi tunc Catholicorum omnium, quos idem confidebat ultro adhæſuros Leonis Literis, ut Divinitatis Oraculo. Alioqui, ſupervacaneum fore Concilium ad novam labefactandam Hæreſim, ineptè pronuntiaſſet. Prudenter etiam innuit, per frequentia Concilia *ubique turbari Eccleſias*. Ad hoc autem incommodum evitandum neceſſe fuit, vigere in Eccleſia certum, perpetuòque apertum Tribunal, a quo poſſint quotidie naſcentes Errores damnari. Id porrò, quo Eccleſia ad optimum ſui Regimen indigebat, enimverò decrevit Sapientiſſimus Deus. (2)

En cauſam, ob quam Flavianus, aliique Sanctiſſimi Patres Concilia identidem detrectabant, *ne* ſcilicet *ubique turbentur Eccleſiæ*. Et ſcribit Suavis: *Ad hæc illi accuratè reſpondent* (ſcilicet Proteſtantes Epiſcopo Aquenſi) *ſimul cauſas afferunt, quibus adducti Pontificem, ſuoſque in rebus Fidei Judices averſantur, citatis in eam rem Sanctorum Patrum Exemplis, qui priſcis temporibus Concilia recuſarunt:* perinde videlicet, ac ſi ea fuiſſet cauſa recuſandi Concilia, quòd Pontificem, ſuoſque Judices averſarentur? At ideo potius ſupervacaneam eſſe Synodum Flavianus cenſet, quia jam a Leone, cui ſe ultro ſubiiciebat, declarata erat Catholica veritas. Sui præterea, juxta morem perpetuò mentientium, Suavis obliviſcitur, omnia tributa in Conciliis fuiſſe præſumens Romano Pontifici, quem Suburbicariarum Eccleſiarum Cuſtodem fuiſſe decreverat. (3)

CAPUT V.

S. Leo Pontifex Maximus, ut Infallibilis Univerſalis Eccleſiæ Magiſter, Fidem declarat, & jubet Hæreſim condemnari.

17 QUia ſcriptam ad Flavianum celeberrimam Leonis Epiſtolam in Eutychetis condemnationem alibi expendemus, hìc ſolùm delibamus quædam loca ex illis, quas dedit ad Julianum Coenſem Epiſcopum, & ad Archimandritas, in quibus præſcribi a ſe affirmat per alias ad Flavianum datas, quid credendum ſit contra Eutychetis deliria; inquit enim. *Licet per noſtros, quos ab Urbe pro Fidei cauſa direximus, pleniſſimas ad Flavianum Fratrem noſtrum literas miſerimus contra nimiæ Impietatis errorem &c. Cum jam per noſtros ad Fratrem Flavianum* SUFFICIENTES LITERAS MISERIMUS AD CONFIRMANDOS ANIMOS *non ſolùm Sacerdotum, ſed etiam Laicorum*. Damnatum igitur a ſe fuiſſe recentem Errorem affirmat, ſuaſque ſufficere Literas ad Chriſti cultores omnes intra veritatis fines continendos. An non igitur Univerſæ Præceptorem, cui ſemper Divina Veritas adſit, Eccleſiæ ſe profitetur? (4)

Si vera eſſent, quæ Suavis affirmat, ſcilicet quod Romani Pontificis potentia a parvis initiis lapſu temporis creverit in infinitum, Leo Magnus ob uſurpatam Maximam Auctoritatem Reus immanis criminis Polano videretur. Sed quid moramur Impoſtorem nequiſſimum, qui paulò poſt Hæreticè blaſphemus ſcribit, Concilium Tridentinum fuiſſe noſtri temporis Iliadem? Iliademne malorum ex recepta in aliis rebus formula? An Fabulam, perinde ac Ilias fabuloſa fuit? At fabula profectò eſt ea, quam Suavis a ſe contexi profitetur, hujuſce Synodi Hiſtoria? Quo Polanus nomine compellaſſet Concilium Chalcedonenſe, in quo Auctoritas Pontificia mirificè triumphavit? Suine temporis Odyſſeam? At nihil Romanis artibus tribuere potuiſſet, cum aperto in illud Imperio uſus fuerit Leo. (5)

18 Monachorum autem Patres ita alloquitur: *Cum propter cauſam Fidei, quam Eutyches perturbare tentavit*, DE LATERE MEO MITTEREM, QUI DEFENSIONI VERITATIS ASSISTERENT, *congruum credidi, ut etiam ad veſtram dilectionem ſcripta dirigerem*. Vetuſtus hinc mos comprobatur mittendi Legatos

(1) *Pag.* 11. (2) *Pag.* 11. (3) *Pag.* 89.

(4) *Pag.* 13. & 15. (5) *Pag.* 2.

Digitized by Google

tos a Latere Pontificio ad Fidem defendendam, & condemnandos Hæreticos; quod permiſſum ab aliis Epiſcopis, ipſoque Imperatore Conſtantinopoli regnante, nequaquam fuiſſet Romano Antiſtiti, niſi eumdem, ut Univerſæ Rectorem, Magiſtrum, & Judicem Eccleſiæ, Chriſtiani omnes Populi coluiſſent. (1)

Sed ad Romanum Epiſcopum nullatenus pertinuiſſe Orientales Cultores Chriſti Suavis opinabatur, ut ex ejus dictis colligitur. (2)

19 Quod verò ſuum eſſet de Anteſignano recentis Hæreſis Decretum exponens, ait: SENSUM *autem prædicti* EUTYCHETIS *&c. etiã nos* DETESTANDUM ESSE DECERNIMUS, *ita ut si aſſertor insipiens in ſua pravitate voluerit permanere*, HABEAT CUM HIS CONSORTIUM, QUORUM EST SECUTUS ERROREM. *Sed si idem, ſpiritu Dei miſerante, correctus, impietatem ſui Erroris agnoverit, &, quæ Catholici execrantur, plena ſatisſactione damnaverit*, VOLUMUS EI MISERICORDIAM NON NEGARI. Ut Eccleſiæ igitur Doctor Hæreſim improbat, utque Judex Hæreſiarcharum pœnis Eutychetem ſubiicit, niſi reſipiſcat, & ut mitis Pater jubet miſericorditer ſuſcipi reſipiſcentem. (3)

CAPUT VI.

Cauſæ, ob quas Leo indulget celebrari Synodum Epheſinam Secundam, in qua nulla Quæſtio circa Fidem agitanda erat, ſed Pontificia ſolùm Definitio publicanda.

20 R*Ationabilibus cauſis ab indicenda Synodo fuiſſet abſtinendum*, ſcribit Leo ad Theodoſium: tum videlicet quia Controverſia excitata ab Eutychete ſolvi poterat ſine Patrum congreſſu, ut idem ad Flavianum ſcripſerat Leo: *Quamvis evidenter appareat, rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatione*: tum quia ſententiam jam tulerat Pontifex ipſe de Catholica veritate, ideoque nuper exorta Hæreſis profligata ſatis jam fuerat. *Quid enim* (ut habetur in aliis Leonis Literis ad Imperatorem) *Catholica Eccleſia univerſaliter de Sacramento Dominicæ Incarnationis & credat, & doceat, ad Fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Flavianum* PLENIUS CONTINENT SCRIPTA, QUÆ MISI. Neque verò, nimium ſibi a Leone tribui, blateret quiſpiam, cum & hunc Heroem Eccleſiæ, Agnomento Magnum, ipſi paſſim Hæretici venerentur, & Chalcedonenſe Concilium cenſuerit, meritò ſibi a Leone vindicatum Jus explicandi Fidem ea certitudine, quæ omnem ambigendi in poſterum facultatem adimeret. (4)

Sed adeo huic denegatam a ſuis Lutheranis certitudinem Veritatis narrat Suavis, ut nec illam Conciliis indulgeant, *niſi prius Epiſcopi a Juramento Fidei Romano Antiſtiti ſervandæ ſolvantur*. (5)

21 Synodum tamen fieri non vetuit clementia Sanctiſſimi Patris, ut obſecundaret voluntati Imperatoris, utque omnium conſenſu Patrum excepta Pontificia Definitio penè compelleret Eutychetem ad excutiendam animi noctem. *Quoniam verò Pietas veſtra* (Theodoſium alloquitur Leo) *apud Epheſum conſtituit Synodale Concilium*, UT IMPERITO SENI EA, IN QUA NIMIS CALIGAT, VERITAS INNOTESCAT. En præcipua cauſa habendorum Conciliorum, videlicet ad Hæreticos obruendos tot Præſulum conſenſione, cum cæteroqui certa Doctrina Fidei ab Infallibili Petri Cathedra prodire poſſit. (6)

22 Aliam mox cauſam ſubdit, ut ſcilicet Eutyches vel Hæreſim in Synodo publicè deteſtetur, vel palam in illa damnationi ſubjectus, alterutro exemplo ſuæ reſipiſcentiæ, vel pœnæ, populis a ſe deceptis prodeſſe poſſit. Sic certè in datis ad Pulcheriam Literis ait: *Ac ſi ipſe, qui in hanc tentationem incidit, reſipiſcat, ita ut, quod* MALE SENSERAT, *propria voce, & ſubſcriptione condemnet*, COMMUNIO ILLI SUI ORDINIS REFORMETUR: videlicet reſtituatur communio, quæ ablata illi fuerat per Decretum Synodi Conſtantinopolitanæ. At ſi ad Hæreſim animum obduraverit, *ut ſententiam damnationis exciperet, quam utique ſi in ſuo* SENSU *voluerit permanere*, NULLUS POTERIT RELAXARE. *Sedis enim Apoſtolicæ moderatio hanc temperantiam ſervat, ut & ſeverius agat cum obduratis, & veniam cupiat præſtare correctis.* Animadvertenda ſunt verba illa: *Nullus poterit relaxare*: neque ipſe videlicet Univerſalis Epiſcoporum Cœtus, quo proinde præſtantiorem ſe æquiſſimus Cuſtos Dignitatis ſibi divinitus traditæ meritò profitetur. (7)

23 Idem ſcripſerat ad Theodoſium, & palam edixerat, nullam, poſt ſua Decreta, de Fide Quæſtionem in Synodo inſtituendam eſſe: UT, QUIA DUBITARI NON POTEST, QUÆ SIT CHRISTIANÆ CONFESSIONIS INTEGRITAS, *& totius Erroris pravitas damnaretur*,

& re-

(1) *Pag.* 16. (2) *Pag.* 243. (3) *Pag.* 16.

(4) *Pag.* 23. & 27. (5) *Pag.* 305.
(6) *Pag.* 17. (7) *Pag.* 18.

& reſipiſceret, qui deviaverat, ſi pro venia ſupplicaret, Sacerdotalis ei benignitas ſubveniret. Ambigi ergo nequit de Veritate, quam Petri Succeſſor edocuit, & ineluctabiliter damnandum a Synodo eſt, quod Romanus Pontifex ante damnavit. Falli ergo nequit idem ex Cathedra docens Eccleſiam, & Generalibus idem Conciliis, illum ſequi coactis, profectò præeſt. (1)

At diffingi potuiſſe a Synodo Tridentina, ut Suavis narrat, Proteſtantes optabant quæcumque contra Lutheri Hæreſim Leo Decimus ante ſanciverat, &, niſi hæc ineſſet Concilio poteſtas, *illius nomen averſabantur*. (2)

24 Eo etiam nomine celebrari Synodum ultro permittit, ut ſi Eutyches datam a ſe fidem non violaret, innoteſceret Orbi Chriſtiano cultus, quo Romanam Sedem Inventor ipſe nefarius Hæreſis proſequebatur: *Cum in libello ſuo*, ſcribit ad Cæſarem Leo, *quem ad nos miſit, hoc ſaltem ſibi ad promerendam veniam reſervaverit*, UT CORRECTURUM SE ESSE PROMITTERET, QUIDQUID NOSTRA SENTENTIA DE HIS, QUÆ MALE' SENSERAT, IMPROBASSET. Hoc autem licet nondum Eutyches præſtitiſſet, ſperari tamen poterat, tot Præſulum adhortationibus urgendum eſſe, ne a ſponſione, in os illi ingeſta, reſiliret. (3)

25 A ſuis demum Legatis, Concilii Præſidibus, medelam omnibus Orientalis Eccleſiæ morbis afferendam dicit, atque hac etiam de cauſa Synodo uti decernit, ut Pontificiæ Auctoritatis Inſtrumento: *Fratres*, Theodoſio ſcribit, *meos Julianum Epiſcopum, & Renatum Presbyterum, & Filium meum Hilarum Diaconum miſi, qui ad vicem præſentiæ meæ pro negotii qualitate ſufficerent*. Et Pulcheriæ addit, nullatenus in Synodo, ſibi proinde ſubjecta, a ſua ſententia diſcedendum. *In his Fratribus meis, quos vice mea miſi, me quoque adeſſe cum cæteris, qui adfuerint, æſtimate*: QUIBUS *ſecundùm cauſam, ſatis mihi, & geſtorum ſerie, & ipſius, de quo agitur, confeſſione patefactam*, EVIDENTER ET PLENE', QUID SERVANDUM ESSET, OSTENDI. Hoc porrò erat, quemadmodum ſtatim ſubdit, ut, niſi palinodiam caneret, Eutyches cum ſua Hæreſi condemnaretur. (4)

Haſne Leonis Epiſtolas delibaverat Petrus Suavis Romanum Epiſcopum orbans jure in Orientales, vel ſeorſum acceptas, Eccleſias? Equidem credo, non ignotas Polano fuiſſe hujuſmodi Leonis epiſtolas, ſed manifeſtum Eccleſiæ hoſtem ex pravo in Pontificem genio in contrarias partes abſtractum. (5)

Tom.II.

(1) *Pag.*17. (2) *Pag.*88. (3) *Pag.*17.
(4) *Pag.*17. (5) *Pag.*243.

26 Ab ipſis autem Legatis ſuis Præſules omnes edocendos affirmat, & ſcandala omnia de medio tollenda: quod, non niſi nomine Supremi Eccleſiæ Rectoris, exequi poterant. Sic certè Flavianum alloquitur: *Nec neceſſarium fuit nunc amplius ſcribi, cum propitio Deo de his, quæ cauſæ credimus convenire*, PER EA, QUÆ IPSI PORTABUNT, SCRIPTA SIS PLENIUS INSTRUENDUS. Et in aliis literis ad Theodoſium: *Fratribus meis, qui amputandis ſcandalis pro cauſæ æquitate ſufficiant, quique præſentiæ meæ impleant vicem*. An non igitur Magiſtrum, & Rectorem ſe oſtendit Univerſalis Eccleſiæ? (6)

Sed arrogatam ſibi a Romanis Pontificibus Poteſtatem Concilia convocandi, quam Cæſarum fuiſſe dicit, Suavis affirmat. (7)

CAPUT VII.

S. Leo, ut Infallibilis, & antegreſſus Auctoritate Generalia Concilia, Leges præſcribit Epheſino Secundo de condemnanda Eutychetis Hæreſi.

27 Expedit recenſere hic totam Epiſtolam ab hoc immortalis, & verè Magni, nominis Pontifice datam ad Epheſinum Conventum, quæ tamen occultata fuit, licet Pontificii Legati eam ſuggeſſerint, non permittente publicationem impio Dioſcoro Patriarcha Alexandriæ, qui Concilii regimen, ſeu verius Tyrannidem, invaſit. *Religioſa clementiſſimi Principis fides, ſciens, ad ſuam gloriam maximè pertinere, ſi intra Eccleſiam Catholicam nullum erroris germen exſurgeret, hanc reverentiam Divinis detulit inſtitutis*, UT AD SANCTÆ DISPOSITIONIS EFFECTUM AUCTORITATEM APOSTOLICÆ SEDIS ADHIBERET. Divina igitur Inſtitutione Chriſti Domini confugiendum eſt ad Romanam Sedem ad Hæreſes extirpandas. Ex his præterea verbis liquet, petitam a Theodoſio fuiſſe facultatem Leonis pro Synodo celebranda; ideoque, licet frequenter ejuſdem Convocator Cæſar ipſe dicatur, non proinde Summus excluditur Pontifex, cujus Auctoritas eo in negotio nequaquam fuerit adhibita. (8)

28 TANQUAM AB IPSO BEATISSIMO PETRO CUPERET DECLARARI, *quod in ejus confeſſione laudatum ſit, quando dicente Domino: Quem me eſſe dicunt homines Filium hominis? variat quidem diverſorum opiniones Diſcipuli memorarunt, ſed cum ab eis, quid ipſi crederent,* B *qua-*

(6) *Pag.*23. (7) *Pag.*148. (8) *Pag.*20.

Digitized by Google

quæreretur, Princeps Apoſtolorum plenitudinem fidei brevi ſermone complexus: Tu es, inquit, Chriſtus Filius Dei vivi: hoc eſt: Tu, qui es verè Filius Dei vivi, ita, inquam, verus in Deitate, verus in carne, & ſalva geminæ proprietate naturæ utrinque unus. Mirabili ſapientia inſinuat, a Petro per ejus Succeſſorem declarandum fuiſſe Myſterium Dominicæ Incarnationis contra Eutychetis errores, cum ipſe Petrus omnium primus Arcanum idem celebraſſet, & in elucidanda Fide nequeat errare, ut clarius oſtendunt ea, quæ conſequuntur, videlicet. (1)

29 *Quod ſi Eutyches intelligenter, ac vivaciter crederet,* NEQUAQUAM AB HUJUS FIDEI TRAMITE DEVIARET. *Propter quam ei reſpondetur a Domino: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in Cælis: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.* Inſinuat hic, ex Divina promiſſione fundandæ ſupra Petram Eccleſiæ, nulliſque unquam Tartari viribus diruendæ, oriri certiſſimam veritatem Apoſtolicæ Romanæ Fidei, quia cęteroqui ea deficiente corrueret ædificium in Petro fundatum, & Dæmon mendacii Pater ob illud a ſe labefactatum triumpharet. (2)

30 *Nimis autem a compage hujus ædificationis alienus eſt, qui &* B.PETRI CONFESSIONEM NON CAPIT, ET CHRISTI ECCLESIÆ CONTRADICIT, *oſtendens, ſe nullum unquam ſtudiũ cognoſcendæ veritatis habuiſſe, & ſuperfluè honorabilem viſum, qui nulla maturitate cordis ornavit canitiem ſenectutis. Verùm quia etiam talium non eſt negligenda curatio, & piè ac religiosè Chriſtianiſſimus Imperator haberi voluit Epiſcopale Concilium, ut pleniore judicio omnis poſſit error aboleri.* Idem profectò eſt, *B. Petri confeſſionem non capere, & Chriſti Eccleſiæ contradicere*, quia vera Chriſti Eccleſia numquam a Petri Fide receſſit. Licet autem habendi Concilii cauſa eſſe dicatur, *ut pleniore judicio omnis poſſit error aboleri*, non tamen proinde ſequitur, nequaquam ſufficere Pontificiam Condemnationem ad errorem penitus extinguendum, ſed ſolùm oſtenditur, facilius deleri Hæreſes, cum omnes Epiſcopi ſententiæ Pontificis Maximi publica, & ſolenni conſpiratione ſubſcribunt, & in Eccleſiæ Senatu populis omnibus indicitur Catholica veritas. Plenius ergo Judicium dicitur quò ad ſolennitatis pompam, non quò ad augendam Infallibilitatem. Cæterùm quod *plenius illud judicium* Antiſtitum ad Synodum confluentium revocare non poſſet in dubium ea, quæ Romæ fuerant declarata, ex conſequentibus verbis apertiſſimè conſtat. (3)

31 *Fratres noſtros Julianum Epiſcopum, Renatum Presbyterum, & Filium meum Hilarum Diaconum, cumque his Dulcitium Notarium probatæ nobis fidei miſi, qui vice mea Sancto Conventui veſtræ Fraternitatis interſint, & communi vobiſcum ſententia, quæ Deo ſint placitura, conſtituant, hoc eſt,* UT PRIMITUS PESTIFERO ERRORE DAMNATO, *etiam de ipſius, qui imprudenter erravit, reſtitutione tractetur; ſi tamen Doctrinam veritatis amplectens* SENSUS HÆRETICOS, *quibus imperitia ejus fuerat irretita, plenè apertèque* PROPRIA VOCE, ET SUBSCRIPTIONE DAMNAVERIT. Quamvis igitur communi ſententia Epiſcopi rem conſtituant in Synodis, ac definiant Articulos Fidei, nihilominus hinc non eruitur, exemptos illos eſſe a Pontificio Regimine, cum Leo illis, laturis de Eutychete ſententiam, Leges præſcribat *de peſtifero errore primitus damnando*, & adigendo Hæreſiarcha ad idem præſtandum, ſi reſtitui cupiebat in Eccleſiaſtici honoris gradum. Has porrò Leges præſcribere Univerſali Concilio nequiviſſet, niſi eidem præſtans, & Infallibilis in ſancienda Fide: ac niſi talem exiſtimandum ſe ab ipſa Synodo Sapientiſſimus Pontifex crediďiſſet. (4)

Leges præſcribit Leo Univerſali, & Orientali quidem, Concilio? At idem, Suavi teſte, a ſolis Cæſaribus fuit indictum, & ab eorumdem Miniſtris temperatum. Quid, quod ſi ad Romanum Antiſtitem Orientalium Synodorum cura nequaquam ſpectaſſet, ut Polanus alibi omnino præſumit, ſolummodo ei licuiſſet, ſuam cum cæteris per ſuos Nuntios proferre ſententiam. (5)

32 Quid, quod Eutyches ipſe nulli obnoxium errori confeſſus fuerat Leonem, qui de illo ſubdit: *Quod etiam in libello, quem ad nos miſerat, eſt profeſſus,* SPONDENS, PER OMNIA NOSTRAM SECUTURUM SE ESSE SENTENTIAM. Ita demum claudit Epiſtolam Pontificio verè ſtylo exaratam: *Acceptis autem Fratris, & Coepiſcopi noſtri Flaviani literis plenius ad eum de his, quæ ad nos videtur retuliſſe, reſcripſimus,* UT ABOLITO HOC, QUO INQUINATUS VIDEBATUR, ERRORE, *in laudem, & gloriam Dei per totum Mundum Una ſit Fides, & una eademque confeſſio, & in nomine Jeſu omne genu flectatur Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Amen. Data Idibus Junij, Aſterio, & Protogene Viris Clariſſimis Conſulibus.* En iterùm, ut Concilio Superior, & Infallibilis, jubet penitus aboleri Eutychetis errorem. (6) Si

(1) *Pag.* 20. (2) *Pag.* 20.

(3) *P.* 20. (4) *P.* 21. (5) *P.* 148. & 243. (6) *P.* 22.

Si hanc Suavis exararet Hiſtoriam, induceret Eutychianos affirmantes, Concilium fruſtra congregandum, ſi ſequi cogebatur ſententiam Leonis Magni, eùm toties narraverit querelas Proteſtantium; eò quòd non liceret Tridentinæ Synodo diruere decreta Leonis Decimi contra Lutherum. (1)

CAPUT VIII.

S. Petri Chryſologi Archiepiſcopi Ravennatis ab Eutychete conſulti de Leonis Infallibilitate Sententia.

33 PEculiare de hac, licet breviſſimum, inſtituimus Caput ob ſummam auctoritatem Sapientiſſimi pariter, & Sanctiſſimi Præſulis, cujus, tunc etiam in Oriente celeberrimi, auxilium Eutyches imploravit. Prius tamen (aurifodinas, quas nobis exhibet Conciliorum Corpus recto conſequenter ordine effodientes) ex altera Leonis ad Fauſtum Presbyterum, & Archimandritam Epiſtola hæc delibamus. *Si quæ verò Fidei quæſtiones invenientur*, ADMONEMUS, UT *de his, quæ ad communem utilitatem pertinent*, LATIUS NOBIS SCRIBAS. Ad Summum ergo Pontificem, ut ad Judicem, & Eccleſiæ Præceptorem Controverſiæ Fidei ſunt deferendæ, & ex ipſo quidem etiam Oriente, quamvis Catholicæ ſtudioſiſſimus veritatis Flavianus in Conſtantinopolitana tunc Cathedra conſideret. (2)

34 Sic autem Petrus Chryſologus Eutycheti reſpondet: *In omnibus hortamur te, Frater honorabilis, ut his, quæ a Beatiſſimo* PAPA *Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas*, QUONIAM B. PETRUS, QUI IN PROPRIA SEDE ET VIVIT, ET PRÆSIDET, PRÆSTAT QUÆRENTIBUS FIDEI VERITATEM. Licet a primis uſque Eccleſiæ temporibus adhiberi cœperit Paternum, ac venerabile *Papæ* nomen, antonomaſticè tributum Univerſali Chriſtianorum Patri, ut alibi oſtendimus, non contemnendum tamen argumentum habemus, quod idem meritò Antiſtitum Maximo aptetur, ex eo, quod illud Chryſologus uſurpaverit. At quanta vis ineſt verbis illis: *Beatus Petrus in propria Sede & vivit, & præſidet?* Eadem ergo Auctoritas eſt in Petri Succeſſoribus, quam eidem Petro contulit Chriſtus. Ac ſi Petro noſtræ ſalutis Auctor ſpopondit, *numquam defecturam illius Fidem*, perinde quoque e Romana Cathedra Eccleſiam docentibus *perpetuò præſtat Petrus veritatem Fidei*, in qua proinde *dum confirmant Fratres*, errare non poſſunt. (3)

At nullum ex eo, quod illam Petrus inſediſſet, Romanæ Cathedræ Privilegium acceſſiſſe Suavis, cum Chryſologo certare auſus, opinabatur. (4)

35 De ſe verò ita ſcribit aureo fluens calamo, & ſermone Ravennas Antiſtes. *Nos enim pro ſtudio pacis*, ET FIDEI, EXTRA CONSENSUM ROMANÆ CIVITATIS EPISCOPI CAUSAS FIDEI AUDIRE NON POSSUMUS. Non ſolùm ergo immiſcere ſe nequeunt cæteri Præſules Controverſiis jam delatis ad Romanum Tribunal, ſed neque *illas audire*: atque hoc præſtare vetantur non tantummodo ne pacem lædant, ſed etiam *ne ipſam Fidem*, cujus Magiſter, & Judex falli neſcius eſt Romanus Epiſcopus, Idemque Univerſæ Præſes Eccleſiæ. (5)

CAPUT IX.

Ex eo, quod Secunda Synodus Epheſina, non proſequens debito cultu Auctoritatem S. Leonis Magni, degeneraverit in Latrocinale, ac Satanicum Conciliabulum, oſtenditur, quàm neceſſarium ſit recto Eccleſiæ Regimini, ut Concilia, etiam Generalia, ſubſint Pontifici Maximo, eumque credant Erroris expertem. Ac primò expenditur injuria illata Pontificiis Legatis, quibus Primæ Concilii Sedes ex Jure, ac Conſuetudine debebantur.

HOrrore concutitur, quicumque miſeri hujus Conventus palmaria ſcelera propemodum intuetur. Oculis penè ſubiici affirmo, quia recenſentur, & quaſi pinguntur in Generali Concilio Chalcedonenſi, in quo lecta fuerunt Acta Epheſina, & exprobrata Dioſcoro ſua crimina, fraudes, violentia, Tyrannis. Omnia hic in compendium redigimus, licet in Corpore Conciliorum pleraque ad hanc Tartaream Synodum pertinentia referantur in Secunda Parte, non in Prima, quam nunc expendimus. Sed quia nos Polemicam Hiſtoriam conteximus, ſeriem temporis, quo res ipſæ contigerunt, non quo narratæ Chalcedone ſunt, proſequi malumus.

(1) *Pag.* 19.66.70.107.343.413. *& alibi paſſim.* (2) *Pag.* 22.

(3) *Pag.* 23. (4) *Pag.* 243. *& in tota ſua fabuloſa Hiſtoria.* (5) *Pag.* 23.

36 Ac primò quidem generatim ſtatuimus, cauſam ruinæ fuiſſe, quòd ſpreta fuerit Leonis Auctoritas, ut ipſemet conqueritur in Epiſtola ad Theodoſium, in qua ſermonem habens de ſuis Legatis, ait: *Præſertim cum ad Epiſcopale Concilium, quod haberi apud Epheſum præcepiſtis* (connivente videlicet ipſo Leone, ut ſupra oſtendimus Capite Sexto) *tam inſtructi ſint miſſi, ut ſi ſcripta, quæ vel ad Sanctam Synodum, vel ad Flavianum Epiſcopum detulerunt, Epiſcoporum publicari auribus Alexandrinus permiſiſſet Antiſtes, ita manifeſtatione puriſſimæ Fidei, quam divinitus inſpiratam & accepimus, & tenemus*, OMNIUM CONCERTATIONUM STREPITUS QUIEVISSET, *ut nec imperitia ultra deſiperet, nec occaſionem nocendi æmulatio reperiret. Sed dum privatæ cauſæ Religionis exercentur obtentu, commiſſum eſt impietate paucorum, quod univerſam Eccleſiam vulneraret.* Hi porrò pauci, quorum impietas lethale vulnus univerſæ inflixit Eccleſiæ, fuerunt Dioſcorus, & alii cum ipſo Rebellionis Duces. Cæterùm horum audacia tanta fuit, ut, cum omne ſibi jus arrogarent, nequiverint reliqui adhærere Præſidi Eccleſiæ. Idcirco exclamaverunt Orientales Epiſcopi in Concilio Chalcedonenſi: *Ejectus eſt: nullus ſuſcepit nomen Leonis*. Quid ex hoc excuſſo legitimi Rectoris jugo contigerit, mox in medium proferemus. Interim liquet, immunes criminum fuiſſe Pontificios Legatos. Ac præterea conſtat, neceſſe omnino eſſe, ut ab iis Concilia in officio contineantur, ne in præceps ruant, ideoque Synodis Pontifex Maximus antecellat. Id autem, quod neceſſarium eſt ad bonum Eccleſiæ Regimen, profectò Deus Optimus Maximus ſervari præcepit. (1)

Aliam inibat ratiocinandi ſemitam Petrus Suavis, cui cordis livor tenebras offundebat mentis acumini; ideoque Sacram omnem Conciliorum Præfecturam exoſus, temperata illa ſolùm a Cæſaribus, vel Cæſareis Miniſtris fuiſſe præſumebat. (2)

37 Ominari licuit ex ipſo initio, infauſtum fore Cœtus hujuſce progreſſum, quia, contra Jus, & Eccleſiæ conſuetudinem, Dioſcorus Alexandrinus Præſul Primam Sedem occupavit; ſic enim lectum eſt in Concilio Chalcedonenſi: *Reſidentibus in S. Eccleſia Reverendiſſimis, & Sanctiſſimis Epiſcopis Dioſcoro Alexandrino, & Juliano agente vices, & tenente locum Sanctiſſimi, & Beatiſſimi Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ Leonis, & Juvenali Hieroſolymorum, & Domno Antiocheno, & Flaviano Conſtantinopolis*. Inverſus ergo eſt ordo, cum Dioſcorus omnia pro arbitrio moderaretur; Primus enim locus deferendus erat Pontificiis Legatis, ut delatus fuerat in Sacris, ex jure, & æquo celebratis, Conciliis, videlicet Nicæno, Sardicenſi, & Epheſino Primo. Conſtantinopolitano autem Romani Legati non interfuerant. Neque ſuffragari ullatenus Dioſcoro poterat S. Cyrillus, qui primus omnium conſederat in altero Epheſino; hoc enim non præſtiterat, ut Alexandrinus Antiſtes, ſed ut vices gerens Cæleſtini Pontificis Maximi. Semel autem perverſo ſedium ordine non ſolùm Romanis, ſed aliis etiam Præſulibus injuriam Dioſcorus intulit; nam Hieroſolymitanus Antiocheno contra Nicænas ſanctiones anteivit. (3)

CAPVT X.

Quia lectæ initio Synodi non fuerunt Literæ Pontificis Maximi, ejuſdem Concilii Præſidis, & Magiſtri, neque Epiſcopi ſecuti ſunt ductum Romanorum Legatorum, confirmata Hæreſis fuit.

38 PEtebat Eccleſiaſtica Lex, & Conſuetudo, ut initio Synodi legerentur Apoſtolicæ Literæ; atque hinc etiam arguitur ſummus cultus, quo Romanum, veluti Directorem ac Ducem ſuum, reliqui Epiſcopi proſequebantur. Vetuit autem hoc Dioſcori impietas, & perjurio crimen ſuum geminavit, cum enim inſtitum ſæpe a Legatis, aliiſque fuiſſet, ut Leonis Literæ legerentur, & ad hoc permittendum multiplici ſe jurejurando Dioſcorus obſtrinxiſſet, nunquam tamen datam Patribus fidem ſervavit. Ita illi in os exprobravit Chalcedone Aëtius Archidiaconus Conſtantinopolitanus: *Neque ſuſcepta eſt Epiſtola, neque lecta eſt.* ET SEPTIES JURAVIT CORAM OMNIBUS, FACERE EAM RECITARI, *& non eſt lecta. Et pejeravit, quia juravit.* Et poſt hæc Aëtii verba ſic proſequuntur Acta Chalcedonenſia: *Theodorus Reverendiſſimus Epiſcopus Claudiopolis Iſauriæ dixit: Quia juravit, omnes ſcimus: Et quia non eſt lecta, confitemur.* (4)

Cur verò Pontificiæ legendæ erant in Orientali Synodo Epiſtolæ, ſi nulla ad Leonem, Auctore Petro Suavi, Orientalis Eccleſiæ cura ſpectabat, atque illi uſurpata inerat auctoritas, quippe quæ ex parvis initiis paulatim creviſſet, & Romæ, & in Suburbicariis Eccleſiis limitatam poteſtatem habuiſſet? (5)

Ve-

(1) *Pag.* 24. & 64. (2) *Pag.* 148.

(3) *Pag.* 64. (4) *Pag.* 67. (5) *Pag.* 243.

39 Vetita hæc Pontificiarum Literarum lectio recenſetur a Synodo Chalcedonenſi veluti primum, & maximum Dioſcori crimen in Literis datis ad Marcianum Auguſtum poſt Actionem tertiam: PRIMUM *quidem, quia Epiſtolam a Sanctiſſimo Archiepiſcopo Senioris Romæ Leone directam ad ſanctæ memoriæ Flavianum quondam Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum recitari prohibuit Reverendiſſimis Epiſcopis Epheſi congregatis, & hoc poſt promiſſiones ſuas, & juramenta plurima, ſicut nos præſentes novimus.* SECUNDO *verò, quia Eutychi &c.* Et in aliia ejuſdem Concilii ad Pulcheriam hæc habentur. FRATRIBUS ENIM SCANDALA PONEBAT, UT NEQUAM, *& in ore ſuo abundavit nequitia, fallaciâ ſuâ Literarum Romani Pontificis abnuens lectionem.* Quocirca ipſius Hæreſis patrocinio, ſuſcepto a Dioſcòro, præfertur hoc ſcelus, quod primo loco ſtatuitur, veluti peſtilena aliorum omnium ſcaturigo, & *ſcandalum fratribus appoſitum*, ut in terram proni a celſo rectæ Fidei ſtatu corruerent. Hoc autem indicat, ſententiam fuiſſe Chalcedonenſis Concilii, quod Literæ illæ ab Infallibili calamo profluxiſſent, ab illo exaratæ, cui eſſet ab Epheſinis Patribus obtemperandum. Cæteroqui enim nulla fuiſſet gravitas in querelis de omiſſa hujuſmodi lectione Literarum, quæ neque datæ fuiſſent ab habente majorem, quàm ipſa Synodus, Auctoritatem, neque ab illo, cui Divina veritas ſemper adeſſet. (1)

40 Sed non minorem in Leone, quàm in Petro, certitudinem veritatis a ſe agnoſci Chalcedonenſe Concilium diſertè profitetur, ſic enim paulò ante ſcripſerat ad Pulcheriam. *Chriſto ad intelligentiam proſperè dirigente, qui oſtendit in Leone mirabili Veritatem, quia* SICUT SAPIENTE PETRO, ITA ILLO UTITUR ASSERTORE. (2)

Nulla eſt, ſi verba Suavis excutimus, in Orientales Epiſcopos Romani Auctoritas: aliqua, & certè maxima, eſt apud Sexcentos triginta Chalcedonenſes Patres. Sed fortaſſe non deerunt, qui pluris ampliſſima illa Synodo Suavem faciant, & cum Vate illo dicant: (3)

Victrix cauſa Dijs placuit, ſed victa Catoni?

41 Ut integritati veræ Fidei Concilia rectè proſpiciant, ſequi debent ductum Literarum Rectoris Eccleſiæ, vel ejuſdem Legatorum. Neutrum autem Epheſi contigit ſub Dioſcoro; ideoque iidem Legati, cum Hæreſi conſtanter obſtitiſſent, omnia deinde agi per vim, & nefas intuiti, ſe a Satanico Cœtu proripuerunt. Ita Leo in Literis ad Theodoſium: *Quod noſtri ab Apoſtolica Sede directi* ADEO IMPIUM, ET CATHOLICÆ FIDEI CONTRARIUM ESSE VIDERUNT, *ut ad conſentiendum nulla potuerint oppreſſione compelli, conſtanterquè in eadem Synodo, ut decuit, fuerint proteſtati, nequaquam id, quod conſtituebatur, Sedem Apoſtolicam recepturam.* De ſua verò fuga, a reliquis etiam Legatis paulò poſt arrepta, ſic Hilarus eorum unus certiorem facit Pulcheriam. *Innocentem me, integrumque ſervavi; licet nulla flagella, nulla tormenta me poſſent facere ejus conſentire ſententiæ, ſed omnibus derelictis exinde diſceſſi, per incognita, & invia loca Romam veniens, ut Reverendiſſimo Papæ omnium, quæ in Epheſo geſta ſunt, idoneus nuntiator exiſterem.* (4)

42 Deſtituti legitimis Ducibus, videlicet Apoſtolicis Literis, & Legatis Concilio præſidere prohibitis, quid Epheſini demum Patres præſtiterunt? Flavianum Catholicæ Fidei Vindicem condemnarunt, & in priſtinum honoris gradum reſtituerunt Eutychetem ejuſdem Hæreſi inſano plauſu faventes: ut inter Acta Epheſina lectum fuit in Chalcedonenſi Concilio. *S. Synodus dixit: Tolle, incende Euſebium* (Eutychetis Accuſatorem) *Iſte vivus ardeat, iſte in duos fiat. Sicut partitus eſt, partiatur. Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus dixit: Tolerabilis vobis eſt iſte ſermo: Poſt inhumanationem dicere duas Naturas? S. Synodus dixit: Anathema ei, qui dixerit. Dioſcorus Epiſcopus dixit: Quoniam & voces veſtras neceſſarias habeo, & manus, ſi quis non poteſt clamare, manum extendat. S. Synodus dixit: Si quis dicit duo, ſit anathema.* Duas ergo in Chriſto Domino Naturas eſſe pernegarunt, adhærentes Eutycheti, qui humanam in Divinam immigraſſe ſtolidus affirmabat. Enimvero non omnes Epiſcopi adeo turpiter inſaniverunt, imò cum legerentur hæc Acta Epheſina in Concilio Chalcedonenſi, *Orientales, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi dixerunt: Iſta nemo dixit. Anathema ei, qui dixit iſta. Homicida dixit. Ægyptij dixerunt hæc. Iſta Pharaonis ſunt: Anathema, qui iſta dixerunt. Hæc Dioſcori ſunt: homicidæ ſunt.* Plerique tamen ivere, ſeu potius abrepti ſunt, in ſententiam Dioſcori, & certè a Synodo confirmata Hæreſis fuit. Errare igitur poſſunt ipſa etiam Generalia Concilia (nam Generale fuiſſe hoc Epheſinum dubitat nemo) niſi a Rectore ſuo, & Infallibili veritatis Magiſtro, Maximo videlicet Pontifice, temperentur. Infallibilem eumdem eſſe arguo ex hoc ipſo, quod Synodi Univerſales a ſuo Capite ſeparatæ errare poſſint; nam cæteroqui ſi etiam ipſe, ut Synodi, ſubjectus eſſet Errori, incer-

ta

(1) *Pag.* 267. & 268. (2) *Pag.* 268.
(3) *Pag.* 19. 66. 107. 243. *ac ubique.*

(4) *Pag.* 24. & 30.

ta omnia in Eccleſia fluctuarent, cui proinde malè conſultum eſſet a Conditore ſuo. Hoc autem dici ſine palmari blaſphemia nequit. Neque reponas, ſatis proſpici veritati, ſi Pontificia Confirmatio accedat Synodorum Definitioni; ideoque minimè neceſſariam eſſe Pontificis ejuſdem, ſeorſum a Synodo accepti, Infallibilitatem. Nam ſubiicio, contingere poſſe, ut Concilia cum Antiſtite Summo decertent: in quo eventu niſi certò ſtandum eſſet Romanis decretis, velut ineluctabilibus, quid præſtari oporteret? An alias cogere Synodos perinde fortaſſe cum Eccleſiæ Hierarcha pugnaturas nullo unquam impoſito fine diſſidiis, & Paſtoribus a ſuo ſemper grege procul futuris? Præterea ſi Pontificia Confirmatio Synodis veram Fidem ſancientibus Infallibilitatem attribuit, quo pactò Infallibilitas deeſſe poteſt eidem Confirmationi? (1)

CAPUT XI.

Secunda Synodus Epheſina non ſolùm falſa, ſed etiam Latrocinalis, & Satanica fuit, ac dici perpetuò meruit ab Eccleſia, quia receſſit a Duce, ac Præceptore Conciliorum Romano Pontifice.

43 JAm verò poſt Rem ipſam, ſcilicet Univerſalis Concilii lapſum in Hæreſim, curſim expendendus eſt Modus, quo in hoc infortunium fuit devolutum. Ex hoc pariter liquet, quàm neceſſaria Synodis ſit Pontificia, per Legatos, aut Literas, Præfectura. *Comperimus* (ſcribit Flaviano Leo) *conveniſſe ad Synodum plurimos Sacerdotes, quorum utique frequentia conſultationi, & judicio profuiſſet, ſi is, qui ſibi locum principem vindicabat, ſacerdotalem moderationem cuſtodire voluiſſet, ut (ſicut moris eſt) omnium ſententijs ex libertate prolatis, id tranquillo, & æquo conſtitueretur examine, quod & Fidei congrueret, & errantibus ſubveniret. In ipſo autem judicio non omnes, qui convenerant, interfuiſſe cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromiſſos, qui pro ſupradicti Sacerdotis arbitrio* IMPIIS SUBSCRIPTIONIBUS CAPTIVAS MANUS DEDERUNT, *quod nociturum ſtatui ſuo ſcirent, niſi imperata feciſſent: talemque ab ipſo prolatam eſſe ſententiam, ut dum homo unus* (videlicet Flavianus) *impetitur, in omnem Eccleſiam ſæviretur*. (2)

Hæc certè Synodus Proteſtantibus a Suavi frequenter in ſcenam inductis omnium eſt Idea Conciliorum, cui reliqua conformari optabant; licet eam commendare non audeant, ne videantur Eutychiani, & Luthero nequiores, non plaudente Cœtui, quem omnia Eccleſiæ ſæcula impium, & Prædatorium appellaverunt. Cæterùm in hoc tantùm Concilio ea omnia contigerunt, quæ fieri Proteſtantes fortaſſe optabant in Tridentino. Excuſſum videlicet eſt Maximi Pontificis jugum, illius Legati non præſederunt, lectæ non ſunt illius Literæ, admiſſi ſunt ad ſententias ferendas Hæretici, nec Epiſcopi tantùm, ſed & mille Monachi, qui fuſtibus potius, & enſibus, quàm ore, & calamo reliquos in flagitium impulerunt. (3)

44 At quæ vis illata fuit, quidve ſibi miſeri Antiſtites a Dioſcoro metuerunt? Cognoſcere hoc præſtat ex Chalcedonenſibus eorumdem clamoribus, ut conſtet, non in falſas tantummodo, ſed & in verè Latrocinales, & Satanicas turbas degenerare poſſe Concilia, niſi eis præſint Apoſtolici Nuntii, miſſi a Gubernatore Eccleſiæ, non ſolùm ubique gentium ſparſæ, ſed etiam in Synodis congregatæ. *Orientales, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi dixerunt: In damnationem B. Flaviani Conſtantinopolitani Archiepiſcopi, & Euſebij Epiſcopi nullus voluntariè conſenſit. Violentia facta eſt, vit cum plagis. In pura charta ſubſcripſimus: minabatur nobis damnatio: minæ exilij tendebantur: Milites cum fuſtibus, & gladijs inſtabant: timebamus fuſtes, & gladios.* UBI GLADII ET FUSTES, QUALIS SYNODUS EST? *Milites propter hoc accepit Dioſcorus, ut nos terreret.* Et paulò poſt. *Obtulerunt nobis puras chartas Dioſcorus, & Juvenalis, multitudinem habentes ſeditioſorum hominum.* Et inferius. *Acacius Reverendiſſimus Epiſcopus Ariarathiæ dixit. Puræ chartæ ſubſcripſimus, compulſi, & violenter habiti, & multa mala perpeſſi, nolentes, ſed & per potentiam oppreſſi ſubnotavimus, Uſque ad veſperam enim tenuerunt nos recludentes in Eccleſia, & ægrotantes nos, neque quieſcere permiſerunt, neque recedere, ut aliquantulum recolligeremur, ſed milites nobis cum fuſtibus, & gladiis impoſuerunt, & Monachos: & ſic fecerunt ſubnotare.* Nec animadvertendum non eſt, quod Monachorum vis ingens, Barſuma Archimandrita duce, Militum furorem incendit. Adeo Hæreſis efferaverat infœlices Aſcetas, Sanctiſſimam ſuam diſciplinam dedecorantes, licet perpetuis jejuniis, & producto in horas plurimas diu noctuque cantu propemodum enectos. Ne ſibi igitur Schiſmatici

Cœ-

(1) *Pag.* 118. & 120. (2) *Pag.* 24.

(3) *Pag.* 88. 102. 184. 300. & *alibi frequentiſſimè*.

Cœnobitæ blandiantur, qui, niſi verum Eccleſiæ Paſtorem venerentur, fruſtra dapibus parcent, & vigiliis intabeſcent, quibus dapibus ipſi etiam Eutychiani, ac Neſtoriani Monachi pepercerunt, & quibus pariter vigiliis intabuerunt. Quamvis ultro concedam, difficilius Materiales Hæreticos inventos fuiſſe, quàm nunc Schiſmatici reperiantur, quorum plurimos Ignorantia vinci neſcia, & pium cæteroqui vera credendi ſtudium fortaſſe reos eſſe non ſinit. Ut autem ad Barſumam regrediar, ita de illo teſtatus eſt Chalcedone Baſilius Epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ Dioſcorum allocutus: *Magnam nobis neceſſitatem impoſuiſti tunc, tam quidem ab his, qui foris, quique intus erant, quàm ex lingua tua. Irruebant enim in Eccleſiam milites cum armis. Inſtabant Monachi, qui cum Barſuma, & Parabalani* (ſcilicet qui circa balnea verſantur) & *multitudo alia grandis. Conjurentur omnes: conjuretur Auxonius Epiſcopus Ægyptius, conjuretur Athanaſius, quia dicebam: Noli, Domine, noli ſolvere totius Orbis opinionem.* Et paulò poſt. IN TALE NOS HOMICIDIUM TU (Dioſcore) COMPULISTI *per minas multitudinis poſt damnationem Beatiſſimi Flaviani. Conjicite, quantam tunc intulit violentiam omnium rerum poteſtatem adeptus, & judicii, cum etiam & nunc omne conturbet Concilium.* (ſcilicet Chalcedonenſe) *Sex illi tantùm relicti ſunt, & nos omnes conturbat. Omnibus nobis triſtibus effecit, & aliquantis quidem nolentibus emittere vocem, aliquantis autem fugientibus, exurgens ipſe, & ſtans in alto deſignabat, & dicebat: Videte: qui non vult ſubſcribere, ad me habet.* (videlicet: mihi adverſatur.) An non graſſatorum ducem ſe Dioſcorus præſtitit, poſtquam Pontifici Maximo rebellavit? An non Synodi a Romanis Legatis non temperatæ in impios, & ſacrilegos abeunt Cœtus? (1)

(1) *Pag.* 62. 63. 71. & 153.

CAPUT XII.

Impia in Epheſina Synodo damnatio S. Flaviani Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, qui ad S. Leonem Magnum, ut ſibi, & Concilio antecellentem, appellat. Cur a Leone Appellationem admittente allegentur Canones Nicæni, aut Sardicenſes.

45 QUia certiſſimum ſemper a Vaticano prodit Oraculum veritatis, frequenter autem errant Synodi Romano Pontifici ſuo Capiti non unitæ, probata ſemper a Summis Pontificibus fuit Athanaſii Fides, ab Antiocheno, aliiſque Conciliis improbata; Flavianus autem, Religionis Catholicæ Propugnator egregius, per ſummam injuriam damnatus fuit ab Epheſino Conventu, ſed ab Apoſtolica Sede perpetuò defenſus. Modus initus ad eum, unà cum ipſa Fide, opprimendum ita deſcribitur ab Oneſiphoro Iconii Epiſcopo in Chalcedonenſi Concilio. *Poſtquam lecta ſunt hæc omnia, quæ nunc relecta ſunt, Regula legebatur, in qua continebatur: Nullum debere jam de Fide quærere aliquid, neque Epiſcopum, neque Clericum; alioquin eſſe eum condemnatum; ſi autem Laicus eſt, ut excommunicatus exiſteret. Dico his, qui juxta me conſidebant, Epiſcopis ſub ſilentio: Regula iſta propter nihil aliud legitur, niſi ut Flavianus Epiſcopus damnetur. Erat autem mecum Reverendiſſimus Epiſcopus Synnadæ Marinianus, & Domnus Epiphanius Pergenſis. Dicit mihi Pergenſis: Abſit; ſed ſi aliqua fortè indignatio procedat, contra Euſebium utique futura eſt; nam contra Flavianum nemo erit inſanus, ut fruſtra tale aliquid faciat. Poſt lectam hanc Regulam confeſtim dicit:* (ſcilicet Dioſcorus) *Da hic Notarios. Et allata, & relecta eſt Damnatio Beatiſſimi Flaviani. Tollent ergo ego alios Epiſcopos ſurrexi, & tenui genua ipſius, dicens: Noli per veſtigia Reverentiæ veſtræ: nihil dignum damnatione egit. Si autem & reprehenſione dignus eſt, reprehendatur. Et exurgens de Throno ſtans ſuper ſcabellum ſuum dixit: Seditionem mihi movetis? Da Comites. Et ita timentes ſubſcripſimus.* Suffragatur atteſtatio Mariniani Epiſcopi Synnadenſis, qui ſic proſequitur. *Deinde ipſe* (videlicet Dioſcorus) *dicit: Etiam ſi lingua mihi præcidatur, aliam vocem non emitto. Sic irruit multitudo, & permanebamus nos tenentes genua ejus, & rogantes eum, & tunc emiſit hanc vocem: Ubi ſunt Comites?*

Amant

Amaus veritatem dico. INGRESSI SUNT COMITES. INTROOUXERUNT PROCONSULEM CUM MULTITUDINE MAGNA, ET CATENIS. *Poſt hoc unuſquiſque noſtrum ſubſcripſit*. Quid magis violentum, inſanum, ac Tyrannicum auditum unquam fuit? Graſſatorum ne,an Præſulum ducem in hoc ſe facinore Dioſcorus præſtitit? (1)

An ſimile quid unquam contigit, cum Synodorum habenas flexerunt Pontificii Legati, quos ex Proteſtantium ſententia orbare Suavis velle videtur recepto ſemper in Eccleſia jure Conciliis præſidendi? (2)

46 Scelcſtiſſimæ hujus damnationis accepto nuntio graviter commotus Leo ita Flavianum compellat: *Quæ, & quanta Dilectio tua pro Catholicæ Fidei defenſione patiatur per Diaconum, qui ab Epheſo furtim eſt lapſus, cognovimus, &c. Scire debet Fraternitas tua*, NOS PRO COMMUNI CAUSA NIHIL EORUM, QUÆ AGENOA SUNT, PRÆTERIRE, *ut primitus ad ea, quæ univerſitati fidelium proſint, pervenire mereamur*. Curam ergo ſe gerere profitetur ipſius Flaviani, tanquam ovis ad ſe Paſtorem omnium pertinentis, ac præterea Univerſo Concilio, a quo damnatus Flavianus fuerat, & cujus vim infringere Leo decernebat, ſeipſum antecellere. (3)

47 Ad eum certè, ut Superiorem Synodo, Flavianus appellavit. Liquet ex innumeris documentis, ac præſertim ex Epiſtola Leonis ad Theodoſium, in qua, loquens de immani crimine damnationis hujuſmodi, ait: *Quia, & noſtri fideliter reclamarunt*, & EISDEM LIBELLUM APPELLATIONIS FLAVIANUS EPISCOPUS DEDIT. (4)

48 Nullus e Synodo, quamvis Tartarea, auſus eſt dicere, appellare ad Pontificem Maximum non licere damnatis a Generali Concilio. Perlegantur Acta Chalcedonenſia, & nihil tale inveniendum ſpondeo, licet in iis recenſeantur omnia, quæ in Epheſino Conventu contigerunt. Non ſilentur blaſphemæ, ac Hæreticæ Præſulum ſententiæ contra Humanam, ac Divinam in Chriſto naturam. Ergo extaret hæc etiam Proteſtatio minimè permiſſæ a Synodis ad Summum Pontificem Appellationis, ſi quis illam Antiſtitum habuiſſet. Adeo igitur in Eccleſia Notorium erat, præcellere Synodis, etiam Generalibus, Romanum Epiſcopum, ut hoc inficiari nequiverit Dioſcorus ipſe, cæterique cum ipſo in Hæreſim lapſi.

Sed hoc inficiari audet ulterius in impietate progreſſus Petrus Suavis, qui Romanos Epiſcopos in Adminiſtratione Suburbicariarum Eccleſiarum hærere jubet, ideoque omnem improbare cogitur ad Tribunal, inter quod mare interjacet, Appellationem. (5)

49 Excanduit quidem, ut ſaucius aper, Dioſcorus, & conjecto prius in vincula Flaviano, ac Euſebio Dorylæi Eutychetis accuſatore, mox FACTUS EX EPISCOPO CARNIFEX, *tot pugnis, calcibuſque contudit Flavianum, ut poſt triduum in exilio, graviſſimo plagarum dolore conflictatus, obierit*. Ex quo ſceleſtiſſimo in Sanctum Martyrem auſo evincitur primò, reclamari non potuiſſe contra Romanam Provocationem, ne per fictum quidem colorem juris; ideoque rabiem a Dioſcoro expletam more Tyrannorum, qui violentis manibus opprimunt, quos non poſſunt per æquitatem peſſumdare. Præterea patet, quem finem ſortiantur Synodi ab Eccleſiæ Gubernatore nequaquam directæ. In Tragica videlicet abeunt, & inaudita barbaræ crudelitatis portenta. (6)

Idem contigiſſet de Synodo, quam Proteſtantes optabant, & de qua centies apud Suavem obganniunt, formanda videlicet ad arbitrium Lutheranorum, ſolvendaque ab obedientia Pontificis Maximi. Accenſits nimirum ſuiſſet Antiocheno Arianorum, & Epheſino Eutychianorum Concilio. (7)

50 At cur Appellationem Flaviani libenter excipiens Leo, non ſuam ab Inſtitutione Divina manantem Auctoritatem, ſed Nicænos Canones allegavit? Sic enim Theodoſio ſcribit, cui novum, intra Italiam habendum, Concilium proponit ad reſcindendam condemnationem Flaviani. *Quom autem* POST APPELLATIONEM INTERPOSITAM HOC NECESSARIÒ POSTULETUR, *Canonum Nicææ habitorum Decreta teſtantur, quæ a totius Mundi ſunt Sacerdotibus conſtituta*. Cauſa, propter quam hos Canones in medium affert prudentiſſimus Pontifex, ea certè eſt, ut Orientalium ſuffragio Præſulum, & Concilii ſummo in pretio ab omnibus habiti, videlicet Nicæni, Imperatorem tunc refractarium, & ab Hæreticis deceptum, ipſoſque cum Dioſcoro inſanientes Epiſcopos adigat ad recens Concilium, in quo expendi rurſus volebat latam in Flavianum ſententiam. Cæterùm niti profectò poterat Leo verbis Chriſti Domini, Petrum eligentis ad Regimen Eccleſiæ ſuæ, ex quibus manat Regale Sacerdotium ſuccedentium Petro, cui certè innatum eſt Jus excipiendi omnium ad ſe confugientium Appellationes. Niſi hoc ipſum agnoviſſent Nicæni, aut Sardicenſes Patres, talia nunquam Decreta condidiſſent. Quis enim in animum poſſit inducere, a Generali Concilio

(1) *Pag*.154. (2) *Pag*.305.& *alibi frequentiſſimè*. (3) *Pag*.23. (4) *Pag*.25.

(5) *Pag*. 243. (6) *Pag*.4.
(7) *Pag*. 19.20.29.66.70.72.84.92.105.107.119.137.305.343.346.407.413.

cilio tributum ultro, & ſponte fuiſſe Romano Epiſcopo Jus ſupra Epiſcopos univerſos in Synodo Univerſali coactos? At qui controverſias ab alio ſolutas iterum cognoſcere poteſt, & contrariam de illis ferre ſententiam priore abrogata, profectò alteri præſtat. An ex neceſſitate ad hoc adactos dices Concilii Patres, ne ſemel damnatis nullum præſidium ſupereſſet? At niſi ad hanc poteſtatem in Romano Pontifice cognoſcendam illos Divinæ Literæ compuliſſent, adjudicare illam poterant numeroſiori Concilio. Illi igitur ſive Nicæni, ſive Sardicenſes Canones nequaquam fuerunt novi Juris Inſtitutio, ſed confeſſio illius, quod ex Divina Inſtitutione neceſſariò proficiſcebatur. Nicænos dixi, vel Sardicenſes, quia & probabile admodum eſt, loquentes de Romana Appellatione Canones editos primùm Nicææ fuiſſe, licet cum aliis plurimis interierint, ab Arianis combuſti, ut conqueritur Athanaſius in Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes: aut ſi ſermonem hic habet Leo de tertio, quarto, & quinto Canone Sardicenſi (licet nonnihil immutato Librariorum, aut Interpretum incuriâ) potuit eos Nicænos appellare, cum Sardicenſis Synodus appendix Nicænæ ſub ipſius Nicænæ nomine perpetuò circumferri conſueverit, ut oſtendemus agentes de ipſa Synodo Sardicenſi. (1)

CAPUT XIII.

S. Leo Pontifex Maximus reiicit Epheſinam Synodum Secundam, & pro ſtabilienda Catholica veritate aliam celebrari contendit.

51 Condemnatio Synodi hujuſce Prædatoriæ edita Romæ a Leone, qui præſtantiorem ſe Synodis, etiam Generalibus, hoc facto exhibuit, habetur ex Literis Hilari Diaconi ad Pulcheriam per hæc verba. *Veſtra igitur veneranda Clementia cognoſcat*, A PRÆFATO PAPA *cum omni Occidentali Concilio* REPROBARI OMNIA, QUÆ IN EPHESO *contra Canones, per tumultus, & odia ſecularia* A DIOSCORO EPISCOPO GESTA SUNT. Hoc autem Occidentale Concilium, de quo ſermo habetur, profectò non fuit Univerſale; ideoque infringere ſua non potuit auctoritate illa, quæ in Generali Epheſino geſta ſunt. At certè potuit Leo, omnibus Synodis antecellens. Et Univerſa quidem Eccleſia ſemper Epheſinum Secundum rejecit, quia a Leone damnatum. Licet autem a Chalcedonenſi, aliiſque Conciliis eadem prodiverit in hoc Epheſinum ſententia, tamen in ea ferenda judicium Leonis ſecuta ſunt, ut mox expendemus: & niſi in illud refunderetur cenſura reliquorum Conventuum, non eſſet ineluctabilis, ut liquet ex Antiocheno, Ariminenſi, atque hoc ipſo Epheſino, qui licet infregerint priorum Decreta Conciliorum, nullo tamen in pretio habita ſunt, quia illis Apoſtolicæ Sedis ſuffragium nequaquam robur adjecit. (2)

52 Sed expedit audire verba Sanctiſſimi ipſius Leonis, ſibi vindicantis poteſtatem ſolvendi Fidei Controverſias, cum ita Theodoſium alloquatur. *Olim & ab initio in Conciliis celebratis tantam nos percepimus a Beatiſſimo Petro Apoſtolorum Principe fiduciam*, UT AUCTORITATEM HABEAMUS AD VERITATEM *pro veſtra pace* DEFENDENDAM, QUATENUS NULLI LICEAT, SIC EAM MUNITAM IN ALIQUO COMMOVERE, DUM REPENTE LÆSIO REMOVETUR. Ipſe igitur Leo, quique illi in Pontificatu præceſſerant, auctoritate pollebant aſſerendi verum in Conciliis, & removendi læſionem ejuſdem veritatis, quam *nulli*, videlicet ne ipſi quidem Synodo, *commovere licebat*. Infallibilem ergo ſe eſſe profitetur Veræ Fidei Magiſtrum, & Conciliis præcellentem. (3)

53 Et apertius in Literis ad Pulcheriam affirmat, præſcriptam a ſe fuiſſe Patribus Epheſinis Formam Fidei, quam quia per ſummum nefas audire prohibiti fuerant, idcirco lethale veritati vulnus inflixerant, cui a ſe medela tunc erat omnino afferenda. *Proteſtantes &c.* (loquitur de ſuis Legatis,) *nec ſe ab ea Fide ullá injuriá ſeparandos*, QUAM PLENISSIME EXPOSITAM, ATQUE DIGESTAM, A SEDE B. PETRI APOSTOLI AD S. SYNODUM DETULISSENT. Attulerant ergo Fidem a Synodo ſubjecta Pontifici confirmandam, ea ſolùm de cauſa, ut univerſo per ſuos Antiſtites innoteſceret Orienti. *Cujus cum recitatio poſcentibus Epiſcopis non ſit admiſſa, hoc, quod factum eſt ſine conſideratione Juſtitiæ* (videlicet exigentis, ut Eccleſiæ Præceptoris voces obſequenter a Synodis audiantur) ET CONTRA OMNIUM CANONUM DISCIPLINAM (declarantium ſcilicet Pontificiam ſupra Synodos Auctoritatem, ab Inſtitutione Divina manantem) *ratum haberi ratio nulla permittit*: ac proinde irritum illud eſſe decernit Leo Conciliis, etiam Generalibus, præſtans. (4)

Spectabat igitur, Petre Suavis, ad Ro- ma-

(1) *Pag.* 25.

(2) *Pag.* 30. (3) *Pag.* 26.
(4) *Pag.* 27.

manum Antiſtitem Orientalis quoque Eccleſiæ ſolicitudo. (1)

54 Novum ergo Concilium eo ſolùm nomine fieri cupit amantiſſimus Pater, ut ſuavius in viam veritatis revocentur Antiſtites exerrantes. Et quia celebrari non poterat ſine Imperatoris permiſſu, & pecunia, ut alibi oſtendimus, officiosè Theodoſium compellat, rogans, ut ab illo Synodus jubeatur, ſuggerente ſcilicet facultatem, & auxilia eidem habendæ perneceſſaria. *Generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quę omnes offenſiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra ſit vel in Fide dubium, vel in charitate diviſum, convenientibus utique Orientalium Provinciarum Epiſcopis, quorum ſi qui ſuperati minis, atque injurijs, a veritatis tramite deviarunt, ſalutaribus remediis in integrum revocentur: ipſique, quorum eſt cauſa durior, ſi conſilijs melioribus acquieſcant, ab Eccleſiæ unitate non excidant.* Cæſarem deinde urget ad ſuppetias laboranti Fidei porrigendas ita Epiſtolam claudens: *Cum enim Eccleſiæ cauſas, tum Regni veſtri agamus, & ſalutis,* UT PROVINCIARUM VESTRARUM QUIETO JURE POTIAMINI, *defendite contra Hæreticos inconcuſſum Eccleſiæ ſtatum, ut & veſtrum Chriſti dexterâ defendatur Imperium.* Ipſius igitur humani cauſam Imperii Pontifices agunt, dum Hæreſes infeſtantur, quas cum pariter impugnant Seculi Principes, Divinum in Regno adminiſtrando patrocinium promerentur, quod Theodoſio Juniori, ab Hæreticis miſerum in modum decepto, non adfuiſſe, quamprimùm intuebimur. (2)

CAPUT XIV.

Conſtantinopolitanæ curam gerit Eccleſię Paſtor omnium Leo: decreta condit de illius Urbis Præſule, ac exoratus a Bizantinis Fidem declarat.

55 EXtant geminæ Leonis ad Clerum, & Populum Cæſareæ Urbis Epiſtolæ, a quibus manifeſtè liquet, ipſum agere partes Epiſcopi Eccleſiæ Univerſalis, ad quem proinde ſpectat omnium Chriſti ovium ſolicitudo. Neque ipſe tantùm ſe talem præfert, ſed & talem eum fuiſſe agnitum à Conſtantinopolitanis, conſtat e ſupplicibus illorum precibus eidem oblatis, ut in fine hujuſce Capitis evincemus. Interim ex prima Epiſtola hæc delibamus. *Quia Eccleſiam veſtram cognovimus diſſipatam, conſolandos, adhortandoſque vos eſſe credidimus noſtris Epiſtolis, ut pro Catholicæ Fidei defenſione perfidorum nequitiæ reſiſtatis.* Cùm ſemper illius Eccleſiæ incolumitati proſpexiſſet vigilantiſſimus Leo, etiam dum in ſuo Flavianus throno confidebat, multò magis hoc præſtat, cum accepiſſet nuntium de eodem Flaviano in carcerem conjecto, ac metueret, ne vis etiam illius vitæ inferretur, ut certè fuit a ſceleſtiſſimo Dioſcoro illata. (3)

56 Quoniam autem ſubjectus oculis Paſtorum Princeps decernere valet de Paſtoribus cæteris, ita de Conſtantinopolitano ſtatuit. *Quiſquis enim incolumi, atque ſuperſtite Flaviano Epiſcopo veſtro Sacerdotium ejus auſus fuerit invadere,* NUNQUAM IN COMMUNIONE NOSTRA HABEBITUR, NEC INTER EPISCOPOS POTERIT NUMERARI. An non igitur Romano ſubiiciebatur Regiæ Urbis Antiſtes? Deridendæ cęteroqui fuiſſent illæ Anathematis minæ, ac fruſtra ſcripſiſſet Leo, inter Epiſcopos cenſeri non poſſe illum, quem ipſe nequaquam probaſſet. (4)

57 Oſtendit deinde exemplo Neſtorii pœnam, quæ a Vaticano cæteris Hæreticis imminebat. *Nos enim* SICUT NESTORIUM IN SUA PERVERSITATE ANATHEMATIZAVIMUS, *ita eos, qui veritatem carnis noſtræ in Domino Jeſu Chriſto denegant, pari execratione* DAMNAMUS. Atque hîc notandum eſt, de Pontificia ſolùm Neſtorii condemnatione ſermonem haberi, licet hoc monſtrum in Epheſina etiam Prima Synodo confoſſum fuiſſet. Ex quo indicatur Præſtantia Pontificis ſupra Concilium, quod executum eſt Cæleſtini Præcepta, & cui ex Romana Confirmatione robur acceſſit. (5)

58 In ſecunda verò Epiſtola ita Leo reſpondet Clero, & Populo Conſtantinopolis, qui ab eo flagitaverat declarationem Catholicæ veritatis. *Cui impietati* (ſcilicet Epheſinæ Synodo Secundæ) *ne in aliqua præberetis aſſenſum, ita per filium meum Epiphanium, & Dionyſium Romanæ Eccleſiæ Notarios cohortatoria ad Dilectionem veſtram ſcripta direximus, quibus* CONFIRMATIONEM, QUAM EXPETISTIS, ULTRO PRÆBUIMUS, *ut nos paternam vobis curam non dubitetis impendere, ac modis omnibus laborare, ut auxiliante miſericordia Dei omnia, quæ ab imperitis, & inſipientibus excitata ſunt, ſcandala deſtruantur. Nec quiſquam ſibi audeat de Sacerdotali honore blandiri, qui potuerit in execrandi Senſus impietate convinci.* Expetiverant ergo Conſtantinopolitani a Leone Confirmationem Fidei, ac paternam cuſtodiam.

(1) *Pag.*243. (2) *Pag.*25.

(3) *Pag.*28. (4) *Pag.*28. (5) *Pag.*28.

diam. Et illam quidem expetiverant ſtatim poſt Generale Concilium in Orienté celebratum, cui Theodoſius Junior Imperator, Hæreticorum laqueis irretitus, impenſè favebat. Ipſum ergo Leonem potiorem Univerſali Synodo a ſe haberi Conſtantinopolis profitebatur, & inconcuſſam ab Urbe Roma veritatem declarandam ſperabat, quæ ab Ephcſino Conventu minimè prodiiſſet. An non igitur in Vetuſta Eccleſia pervulgatum erat, Romanum Pontificem præſtare Conciliis, ac Erroris immunem eſſe in Fidei Articulis explicandis? (1)

59 In fine autem Epiſtolæ, continentis mirabilem veræ Doctrinæ expoſitionem, ſic habet. HANC FIDEM, *Dilectiſſimi, veram, & indiſſolubilem &c.* PERSEVERANTER TENETE, ET CONSTANTER ASSERITE. Ut Magiſter igitur Veritatis, & Eccleſiæ Rector, præcipit Apoſtolico ritu, quid credendum ſit: veluti Paulus vetabat, credi contraria iis, quæ populis ipſe nuntiaverat Arcana Divinitatis. (2)

CAPUT XV.

Valentinianus Imperator, & Galla Placidia Auguſta, ex notiſſimo Eccleſiæ ſenſu, affirmant, ſpectare ad Romanum Pontificem, qui falli nequit, Declarationem Fidei, & ad eumdem, ut Synodis præſtantem, pertinere Conciliorum Regimen, &, ſi erraverint, Condemnationem.

60 CUm Valentinianus Theodoſii in Imperio Collega, & Galla Placidia Theodoſii, ac Pulcheriæ Mater, Romam ad Apoſtolorum limina religioſè veniſſent, ad Auguſtum Conſtantinopoli regnantem pro convocando ex Leonis voluntate novo Concilio dedere literas, ex quibus maniſeſtiſſimè conſtat, pervulgata tunc in Eccleſia fuiſſe illa, quæ in Capitis Titulo prænotavimus. Sic primò Valentinianus inquit. *Rogatus ſum ſcribere veſtræ Manſuetudini de Fide, quæ, cum ſit conſervatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata: quam nos a majoribus noſtris traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, &* DIGNITATEM PROPRIÆ VENERATIONIS B. APOSTOLO PETRO INTEMERATAM ET IN NOSTRIS TEMPORIBUS CONSERVARE. Quæ iſta eſt dignitas B. Petri, niſi ut ipſe, ac ejus Succeſſores ſint certi Judices

Tom.II.

(1) *Pag.*28. (2) *Pag.*30.

Veræ Fidei, a quorum ſententia nemini recedere liceat, ac ne ipſis quidem Conciliis? (3)

De hac B. Petri Apoſtoli dignitate nunquam, cum ſuam ſententiam profert, Suavis comminiſcitur, ut queat tragicis omnia clamoribus permiſcere, quia Romanus Pontificatus *a parvis*, ut ipſe ait, *initiis lapſu temporis excreverit in infinitum*. Parva ne fuerunt initia Poteſtatis exercitæ a Petro, cui ſuæ Vineæ, Univerſæ ſcilicet Eccleſiæ, cuſtodiam tradidit humani generis Liberator, ut Chalcedonenſe Concilium atteſtatur? Utcumque primis illis temporibus Eccleſiâ nondum latè diffuſâ, & Cæſarum Ethnicorum infeſtationibus impetitâ, ſuoque præclarè functis munere pleriſque peculiarium Urbium Epiſcopis, neceſſe non fuerit Univerſali Præſidi adeo frequenter in reliquos Regale Sacerdotinm exercere, innumera tamen ſunt experimenta protenſæ a Primis Pontificibus in totum Chriſtianum Orbem Auctoritatis. A Suave præterea inquiro, an *parva* illi videri poſſint *initia poteſtatis* ea, quæ in Leone Magno fulſerunt? Enimvero longiſſimi temporis lapſu, mille videlicet, ac ferè centum Annorum, qui Chalcedonenſe dirimunt a Tridentino Concilio, nullum hæc immenſa potentia incrementum acceperat. (4)

61 Si quis diverſimode Cæſarea hæc verba explicare aggrederetur, os illi Valentinianus comprimeret, omne per ea, quæ conſequuntur, verba dubium eliminans. *Quatenus Beatiſſimus Romanæ Civitatis Epiſcopus, cui* PRINCIPATUM *Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem* DE FIDE, AC SACERDOTIBUS JUDICARE. Prohibendus ergo non erat per Seculi Principes a Judicio ferendo de Fide, ac Epiſcopis, qui Epheſi convenerant: quod Judicium ferendum de ipſis Univerſalibus Synodis oſtendit Romanum Pontificem Synodis ipſis antecellere, ac Infallibilem eſſe. Alioqui enim, ſi etiam ipſe, veluti Synodi, errare poſſet, nihil certum in Eccleſia relinqueretur. (5)

62 Verus præterea *Sacerdotii Principatus*, ac non ſolùm Primatus Ordinis, Romano Epiſcopo adjudicatur, dum aſſeritur ipſi facultas judicandi de reliquis Præſulibus, etiam conſlantibus Generale Concilium. Neque prudenti cuipiam negotium faceſſere valet modus ille loquendi: *Cui Principatum Sacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit*: perinde ac ſi non a Chriſto Domino in Petro, ſed a vetuſta Eccleſia tributum hunc Principatum fuiſſe Romanis Antiſtitibus

C 2 Cæ-

(3) *Pag.*31. (4) *Pag.*2. (5) *Pag.*31.

Cæſar opinaretur. Ineptè hoc apud ſe ſtatueret, qui ſuperiora Valentiniani verba expendiſſet: DEBEMUS DIGNITATEM PROPRIÆ VENERATIONIS B. APOSTOLO PETRO INTEMERATAM CONSERVARE, *quatenus Beatiſſimus Romanæ Civitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de Fide, ac Sacerdotibus judicare.* A Beato igitur Apoſtolo Petro, cui divinitus tradita eſt, manaſſe fatetur Imperator Pontificiam Auctoritatem; collatam autem ab antiquitate, videlicet cognitum ab ipſis primis Eccleſiæ temporibus fuiſſe, quod negari Succeſſoribus Petri non poſſent ea, quæ ipſis fuerant divinitus attributa. Cæterùm nunquam reliqui Epiſcopi ultro, & ſponte ſeſe uni ſubjeciſſent, ut ſupra Capite Duodecimo num. 50. demonſtravimus. Verbum igitur *Conferre* ſumi non poteſt pro *Dare*, ſed pro *Agnoſcere* illum ei Principatum Sacerdotii a Deo collatum fuiſſe.

Non latebant Valentinianum ea, quæ incomperta fuerunt Petro Suavi, eam eruditionem jactanti, cui fides a Lectoribus, veluti Pythagoræ a Diſcipulis, præbenda ſit. Idcirco res innumeras de priſcis Eccleſiæ temporibus effutiens Oraculorum more nullam unquam probare dignatur, aut ullum, ex quo eas acceperit, Auctorem indicare. Semel tantùm in fabuloſa ſua Hiſtoria Divum Hieronymum Teſtem appellat, qui docuerit, *Ariſtocraticam fuiſse antiquam Eccleſiæ gubernationem, cum communi conſilio Presbyterij regeretur.* Sed nullum ſagax locum deſignat, ut illum cogantur Lectores in pluribus, iiſque prægrandibus Maximi Doctoris Voluminibus, oleum perdituri, & operam, indagare. Hieronymus enim (quicquid de peculiaribus quibuſdam Eccleſiis dixerit in Commentario cap. 1. Epiſt. ad Titum) certè ſi agatur de Regimine Univerſalis Eccleſiæ, præter alia plurima in honorem Apoſtolicæ Sedis ampliſſimè dicta, diſertè affirmat in Epiſtola ad Luciferianos: Ab ejus Throni in omnes ſacro dominatu pendere Eccleſiæ Unitatem, ejuſque cultu imminuto tot futura Schiſmata, quot Sacerdotes: & idipſum docet lib. 1. contra Jovin. *Ex duodecim Unus eligitur, ut Capite conſtituto Schiſmatum tolleretur occaſio.* Et in Epiſt. ad Ruſticum Monachum, quia Eccleſia ordinato Exercitui, ac Navi comparatur, inquit: *In, quamvis grandi, Exercitu Unius Signum expectatur: in Navi unus Gubernator.* (1)

63 Addit exinde Cæſar Appellationem Flaviani, ut alteram cauſam Judicii neceſſariò a Leone iterum inſtituendi. *Hujus enim rei gratiâ* SECUNDUM SOLENNITATEM CONCILIORUM *Conſtantinopolitanus Epiſcopus* EUM *per libellos* APPELLAVIT *propter contentionem, quæ orta eſt de Fide.* Imperialis ergo ſententia eſt (quia pervulgata in Eccleſia) licere a Synodis Generalibus ad Romanum Pontificem appellare: atque hæc veritas, originem habens ab Inſtitutione Divina, fuerat ſolenniter a Conciliis comprobata. (2)

64 Quo autem pacto Flaviani cauſam cognoſcere decreviſſet Leo, ſubdit Imperator his verbis: UT PRÆDICTUS SACERDOS *congregatis ex omni Orbe etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio ſubmoto, a principio omnem cauſam, quæ vertitur, ſolicita probatione cognoſcens,* SENTENTIAM FERAT, *quam Fides, & Ratio veræ Divinitatis expoſtulat.* Si veneno madidis in urbem Romam luminibus hæc Suavis ſcripta percurrere potuiſſet, triumphaſſet in hæc incidens verba, ex iis evinci affirmans, nequiviſſe a Leone abſque alio Concilio de priori Epheſino ferri ſententiam. Sed ſtolidè malignus fuiſſet, ultro enim ac ſponte Concilium moliebatur Leo ad veritatem ſuavius aſtantibus Epiſcopis inſinuandam poſt novam ejuſdem, exuberanti charitate ineundam, diſcuſſionem. Cæterùm jam Latrocinium Epheſinum ipſe damnaverat, nec Italia ſolùm ipſius Oraculo, ſed ipſa etiam Conſtantinopolis acquieverat. Quid, quod, licet alia Synodus habenda eſſet, non tamen ipſa, ſed Leo laturus erat ſententiam, ut Valentinianus teſtatur: *Ut prædictus Sacerdos, congregatis ex omni Orbe etiam reliquis Sacerdotibus &c. ſententiam ferat.* Hæc ipſa igitur verba in hoſtes Vaticani validiſſimè retorquentur, cum Conciliorum Regimen, Eminentiam ſupra Concilia, & inconcuſſam veritatem vindicent Pontifici Maximo. (3)

Veritates Orbi Chriſtiano univerſo notiſſimas Suavis negat, & fidem ſibi adhibendam a perfuſis qualicumque vetuſtatis notitia præſumit? (4)

65 Poſt Cæſaream, ac verè palmarem Epiſtolam videri poſſum ſupervacaneè quædam ex Gallæ Placidiæ literis delibare. Sed quia paternum ſpirant Leonis amorem, & novis argumentis redundant veritatum, quas propugnamus, non fruſtra ſit in illis immorari. *Leo &c. Epiſcoporum multitudine circumſeptus, quos ex innumerabilibus civitatibus Italiæ* PRO PRINCIPATU PROPRII LOCI, SEU DIGNITATE COLLEGIT: *& verbis permiſcent lacbrymas ad communionem ſui fletus noſtros quoque gemitus provocavit.* Manifeſtus igitur omnibus erat *Principatus Apoſ-*

(1) *Pag.* 243.

(2) *Pag.* 31. (3) *Pag.* 31. (4) *Pag.* 243.

Apoſtolici Throni ſupra omnes Antiſtites.(1)

66 Tum poſt narratam lachrymarum cauſam, videlicet Epheſinum ſcelus, ait: *Hac itaque gratia tua Manſuetudo tantis turbis reſiſtens veritatem Fidei Catholicæ Religionis immaculatam ſervari præcipiat, ut* SECUNDÙM FORMAM, ET DEFINITIONEM APOSTOLICÆ SEDIS, *quam & nos tanquam præcellentem ſimiliter veneramur, in ſtatu Sacerdotij illæſo manente per omnia Flaviano*, AD CONCILIUM APOSTOLICÆ SEDIS JUDICIUM TRANSMITTATUR. Si *ſecundùm Formam, & Definitionem Apoſtolicæ Sedis* deſtruenda erant Acta Epheſina, & novæ Synodi Decreta ſtatuenda, omnium ergo addictorum Chriſto mortalium, atque ipſorum Conciliorum Judex erat Romanus Epiſcopus, ipſiſque Synodis anterior, & Infallibilis; cæteroqui enim nulla patuiſſet via ad veritatem indagandam. Hæc certè non adeo diſertè ad Filium Imperatorem, & Hæreticorum ſibilis aures non occludentem, Auguſta ſcripſiſſet, ſi ullus tunc Supremam hanc Romani Pontificis Auctoritatem in controverſiam revocaſſet. (2)

67 Locuta porrò de Apoſtolica Sede, ita proſequitur: *In quo primus ille, qui Cæleſtes claves dignus fuit accipere*, PRINCIPATUM EPISCOPATUS ORDINAVIT. Petrus ergo (ſive hoc præſtiterit ex aperta revelatione voluntatis Divinæ, ſive ſecreto, at cæleſti certè impulſu, ſibi ſeligens Romanum Epiſcopatum uſque ad triumphalem interitum ſuum) jure Succeſſionis *ordinavit* Romæ non qualemcumque Primatum Sedis, ſed verum *Epiſcopatus omnis Principatum*. Non inſaniebat ergo Galla Placidia cum illis, qui deinde Præſulem urbis Romæ prælatum cæteris fuiſſe dixerunt, quia Epiſcopus eſſet urbis imperantis. Arbitrio proinde ſeculi Principum majoris in Romano gradum honoris attribuerunt. Sed quorum Principum, Deus immortalis? Neroniſne, Veſpaſiani, Titi? Sacer ille profectò Principatus cognitus fuit in Lino, Cleto, Clemente, non minus, quàm in Sylveſtro, ut proinde illius Exordia nequeant ad Conſtantini tempora revocari. (3)

Sed quid moramur in diſſlandis Petri Suavis ſomniis, quæ Quinto hoc, quod regnante Placidia tunc agitabatur, Seculo ne ipſis quidem Hæreticis illudebant? (4)

68 *Quando ſcilicet decet nos, huic maximæ Civitati*, QUÆ DOMINA OMNIUM EST CIVITATUM, *in omnibus reverentiam conſervare*. Quæ vis hujuſmodi verbis ineſt? Et cur ita Cæſarem alibi Regnantem Imperatrix alloquitur? Nec ipſa cum Valentiniano Placidia ſedem fixerat Romæ, ut profani Imperii causâ Domina hęc reliquarum urbium dici poſſet. Et licet fixiſſet, æquo animo ferre non potuiſſet Theodoſius, (quem *Patrem* alter Cæſar appellat) ſui Sedem Imperii Regiæ alterius Principis poſthaberi. Manifeſtiſſimum igitur eſt, ob Sacrum Romani Pontificis Principatum ſupra omnem Eccleſiam appellari Romam Urbium omnium Reginam. (5)

69 Ita demum Epiſtolam claudit. *Diligentius autem etiam in hoc providere, ne*, QUOD PRISCIS TEMPORIBUS NOSTRA GENERATIO CUSTODIVIT, *ſub nobis imminui videatur, & per præſens exemplum* SCHISMATA GENERENTUR INTER EPISCOPOS, *& Sanctas Eccleſias*. Teſtatur ergo, a Theodoſio Magno Junioris Avo, aliiſque Cæſaribus Supremum, de quo verba ſuperius fecerat, cultum exhibitum fuiſſe Apoſtolicæ Sedi, cujus gratiâ Vetus Roma Novæ, ſcilicet Conſtantinopoli, imperabat. Ex eo autem, quod dicat, periculum Schiſmatis imminere, ſi novum aliquod contra Vetuſtas Conſuetudines exemplum induceretur, aliud eruitur argumentum neceſſitatis, ut Romanus Antiſtes Conciliis anteferatur, & Infallibilis ſit. Enimvero niſi hoc fuiſſet divinitus conſtitutum, aut ſi terræ Principes hoc convellere tentarent, frequentiſſimè in partes Eccleſia ſcinderetur. (6)

CAPUT XVI.

Prodigium obſequii Apoſtolicæ Sedi præſtiti a Theodoſio, confeſſo Pontificiam eminentiam ſupra Concilia, etiam dum Leoni obſecundare abnuebat. Pœna ob hanc repugnantiam eidem inflicta.

70 Timens Auguſta, ne circumventus ab Hæreticis Cæſar ſuis votis obluctaretur, alias ad Pulcheriam literas dedit, quæ Religioſiſſima, ſummæque erat apud Theodoſium auctoritatis. In iis de Leone ſic habet. *Multitudine Sacerdotum Reverendiſſimus Leo Papa circumdatus* PRO DIGNITATE SUI LOCI *nos primus adiit: qui propter interpoſitam gemitus ſui triſtitiam deſiderium ſuum verbis plenè inſinuare non poterat. Vicit tamen conſtantia ſapientia Sacerdotis, ut lachrymas paululum retineret*, ET CAUSAM VIOLATÆ FIDEI, TANQUAM HUJUS VINDEX, *manifeſto ſermone proferret*. Innotuerat igitur Orbi Chriſtiano,

(1) *Pag.*31. (2) *Pag.*31. (3) *Pag.*32. (4) *Pag.*243. (5) *Pag.*32. (6) *Pag.*32.

no, Pontificem Romanum eſſe *Vindicem Fidei*, hoc eſt ejuſdem Cuſtodem, Magiſtrum, & Judicem, a quo ad alterius tribunal provocari non poſſet. (1)

At adeo poſſe a Pontificia Definitione ad aliud provocari Tribunal cenſebant Lutherani, quos frequentiſſimè loquentes inducit Petrus Suavis, ut optarent Synodum, quæ Leonis Decimi in Lutherum decreta poſſet reſcindere. (2)

71 Ac ne Theodoſius Prædatorium Concilium Epheſinum prætexeret, abolendum illud eſſe Placidia certò aſſeverat. *Quicquid in illo tumultuoſo, miſerrimoque Concilio conſtitutum eſt, omni virtute removeatur, ut, omnibus integris permanentibus*, AD APOSTOLICÆ SEDIS JUDICIUM, *in qua Primus Apoſtolorum Beatus Petrus, qui etiam claves Regni Cælorum ſuſcipiens Sacerdotii Principatum tenuit*, EPISCOPATUS CAUSA MITTATUR. Rurſus hìc aſſeritur Principatus Romani Pontificis ortus ab Inſtitutione Divina Chriſti Domini, claves Cęli Petro tradentis: & ad ſolius Apoſtolicæ Sedis, neque alterius etiam Concilii, Judicium mittenda dicitur *cauſa Epiſcopatus*, videlicet non unius tantùm Epiſcopi, ſed quorumlibet, ipſam etiam Generalem Synodum conſtituentium. Hac proinde Major, & Infallibilis Romanus Epiſcopus affirmatur; profectò enim Tribunal aliquod non obnoxium Errori ſupereſſe debet in Orbe terrarum. (3)

72 Coronidem Epiſtolæ ad Sanctam, ſapientiſſimamque Filiam ſuam ſcriptæ Placidia imponit dicens, profanum terrarum Regimen datum Chriſtianis Cæſaribus fuiſſe a Summo Pontifice: qua de re nihil affirmans illuſtria ſolùm recenſeo Imperatricis verba: *Debemus enim Primatum in omnibus* (in antecedenti periodo locuta fuerat de Apoſtolica Sede) *immortali converſationi tribuere, quæ totum Mundum propriæ virtutis dominatione complevit*, ET NOSTRO IMPERIO ORBEM GUBERNANDUM, SERVANDUMQUE COMMISIT. (4)

73 Quid ad hæc Theodoſius, nam de Religione Pulcheriæ nulla poteſt ſuboriri ſuſpicio? Renuit ille quidem novum Concilium, ut ex illius Reſponſionibus ad Valentinianum, & Placidiam liquet. Sed nihil hinc extundere pro ſe Suavis valet; quid enim infertur ex eo, quod humana Divinæ poteſtati audeat obſtare? An idcirco ſuo Divinitas jure ſpoliatur? Quid verò ſi vel obſiſtendo eam Theodoſius viam iniverit, ut Pontificiam ſupra Concilia præſtantiam validiſſimè confirmaverit? Ita profectò ſeſe res habuit: atque hoc in eo contigit rerum articulo, quo Eudociâ (cujus ſuæ conjugis formam, ſapientiam, artes Theodoſius deperibat) ab Eutychianis deceptâ, & Chryſaphio, aliiſque potentiſſimis Eunucorum in aula regnantibus, impensè Dioſcoro, & Eutycheti faventibus, prodigio ſimile videri potuit, quod Imperatoris Reſcripta fuerint ejuſmodi, quæ tela nobis præbeant, retorquenda in Adverſarium Pontificiæ Poteſtatis. Integram damus Theodoſii Epiſtolam ad Valentinianum. *Et Romam perveniſſe tuam manſuetudinem, & petitionem oblatam a Leone Reverendiſſimo Patriarcha in ipſo principio literarum a tua Majeſtate ſignificatum eſt. Et de tua quidem incolumi in Romanam urbem reverſione gratias competentes Divinæ Majeſtati reddidimus, Domine Sanctiſſime Fili, & Venerabilis Imperator. De his autem, quæ dixit memoratus Reverendiſſimus Vir, indicatum eſt ad eumdem latius, atque pleniſſimè, ſicut arbitramur:* ET COGNOVIT, NOS IN NULLA PARTE A PATERNA RELIGIONE, ET MAJORUM TRADITIONE RESILIISSE. *Nihil enim aliud volumus, quàm Sacramenta paterna per ſucceſſionem nobis tradita inviolabiliter cuſtodiri. Propter hanc igitur cauſam, quoniam quoſdam cognovimus Sanctiſſimas Eccleſias nocibili novitate turbare, Synodum decrevimus Ephesi fieri. In præſentia quippe Reverendiſſimorum Epiſcoporum* CUM MULTA LIBERTATE, *ac integra veritate, & indigni Sacerdotio remoti ſunt, & qui judicati ſunt eſſe digni, ſuſcepti ſunt. Nihil igitur ab his contrarium Regulæ Fidei, aut Juſtitiæ factum eſſe cognovimus. Omnis igitur contentio ſacro judicio examinata eſt. Flavianus autem, qui reus inventus eſt nocibilis novitatis, debitam pœnam recepit, & hoc remoto omnis pax, & omnis concordia regnat in Eccleſiis, & nihil aliud, quàm veritas, viget.* In Epiſtola verò ad Placidiam, confirmatas Epheſi fuiſſe Nicænas definitiones, affirmat: *Manifeſtum eſt, nihil nos, præter paternam Fidem, aut Dogmata Divina, vel Definitiones Reverendiſſimorum Epiſcoporum*, QUI *tam ſub Divæ memoriæ Conſtantino* IN NICÆA CIVITATE, QUÀM DUDUM *noſtro præcepto* IN EPHESO (prima videlicet vice ſub Cyrillo, Legato Cæleſtini Pontificis) CONGREGATI SUNT, DEFINIVISSE, AUT DECREVISSE, AUT INTELLEXISSE. *Sed hoc ſolùm in Epheſo conſtitui juſſimus, ut omnes, qui nocibili læſione Eccleſias ſanctas turbaverunt, dignè removerentur.* Eumdem clypeum Nicæni, & Epheſini Primi Concilii prætendit in Literis ad Leonem. Quis non videt in Theodoſio Principum infœlicitatem, vera geſtarum, vel maximarum, & ne ipſum quidem vulgum latentium,

(1) *Pag.* 33. (2) *Pag.* 19. 66. 70. 107. 343. 413. *& alibi paſſim.* (3) *Pag.* 33. (4) *Pag.* 33.

tium, rerum cognitione fraudatam? Nihil contrarium Fidei, aut Juſtitiæ contigiſſe in Tartarea Synodo Cæſar aſſirmat: nihil contra Vetuſtam Religionem decretum fuiſſe, cum humana in Chriſto Natura fuiſſet abolita: nihil contra Nicænas definitiones conſtitutum, quæ in Symbolo exclamaverant: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus eſt.* At quo pacto incarnatus, & homo factus, ſi humanitatem, eam aſſumendo, deſtruxiſſet, ut Eutyches delirabat? At ita Præſules, & Monachi ſimulatione pictatis impoſuerant Principi, controverſiæ ſtatum non aſſecuto, neque ſe a Nicæna Fide deficere opinato. In omnibus ille Literis totus eſt in ſe purgando a ſuſpicione novitatis, cujus odio incendi ſe profitetur. At ne verbo quidem læditAuctoritatem Leonis,quaſi Concilio minorem. Illum non carpit eò, quòd Synodum Epheſinam Secundam reſciderit, ſed tantùm dicit, ab illa Synodo confirmatam Antiquam Fidem: & in Quæſtione Facti de Antiſtitum innocentia, vel crimine, (quam ſolam inſtitui Cæſar optaverat) juſtam in Flavianum latam fuiſſe ſententiam. Non ſolùm ergo non abnuit Pontificiam in Synodos poteſtatem, ſed cum ad Nicænam, & Epheſinam Primam confugiat (quæ certè a Romanorum Præſulum Præfectura per Legatos,& multiplici deinde illorum Confirmatione, vires acceperant) eorumdem Romæ Præſulum in Synodos Præſtantiæ ſuffragatur. (1)

Quot hinc eruuntur contra Suavem veritates, negantem, ut ab ejus verbis infertur, Jus omne Apoſtolicæ Sedis in Orientales Epiſcopos, nedum in Synodos Generales, & in Oriente quidem celebratas,& Monarchico, inſtituto a Chriſto, Ariſtocraticum Eccleſiæ regimen ſubſtituentem? (2)

74 Quia tamen gravis certè culpæ reus Theodoſius fuit, obiiciendo moram ſanctiſſimæ voluntati Leonis, pœna in ipſum ſubitò corruit in hoc mortalitatis theatro. Intervenandum quippe ex equo delapſus luxatis artubus repentino ferme fato ſublatus eſt, Princeps alioqui pius, ac temperantia, & moderatione ſpectabilis. Infœlix hoc mortis genus Theodoſio, qui aliis illud ſceleribus non laceſſiverat, contigiſſe,quia voluntati Leonis minimè obſecundavit, univerſa tunc credidit Chriſtiana Reſpublica: & perſuaſionem hanc confirmavit ſucceſſio in Imperium Marciani, qui Religioſiſſimus in Apoſtolicum Thronum implevit Propheticum de Divina Eccleſia Vaticinium: *Et erunt Reges nutricij tui.*

CAPVT XVII.

S. Leo præcipit, ad ſe, ut Infallibilem Judicem, mitti de more Profeſſionem Fidei ab Anatolio Archiepiſcopo Conſtantinopolis, electo ab Epheſino Concilio, quo proinde Major iterum Leo a Cæſare agnoſcitur.

75 Cum poſt Flaviani Sanctiſſimi Antiſtitis mortem ad Conſtantinopolitanas Infulas electus fuiſſet Anatolius Dioſcori Apocriſarius, Leo Pontifex literas dedit ad Theodoſium, cujus extincti fama nondum Romam pervaſerat, jubens, a novo Præſule certiorem ſe fieri Catholicæ, quam profiteretur, Religionis, ſi vellet in Sacro Cæſareæ urbis ſolio confirmari, & Pontificia communicatione frui. Prudentiſſimè orditur ex eo, quod Theodoſius affirmaverat in Epiſtola ad ipſum Leonem, ſe videlicet Nicænis definitionibus adhærere: *Spem nobis ſecuritatis maximam præſtitiſtis Nicænum commendando Concilium, adeo ut ab illo, ſicut ſæpe jam ſcribitis, non patiamini Sacerdotes Domini deviare. Sed ne aliquid in præjudicium Catholicæ defenſionis viderer egiſſe, de ordinatione ejus, qui Conſtantinopolitanæ capit Eccleſiæ præſidere,* NIHIL INTERIM IN ALTERUTRAM PARTEM TEMERE RESCRIBENDUM PUTAVI, *non dilectionem negans, ſed* MANIFESTATIONEM CATHOLICÆ VERITATIS EXPECTANS. Hinc evincitur, petitam a Theodoſio fuiſſe Anatolii Confirmationem, de qua Leo *reſcribere* differt, quouſque illi Innoteſcat integra Archiepiſcopi Fides. At certè neceſſarium minimè crediſſet Auguſtus ad Leonem confugere, neque hoc, in illa certè diſcrepantia ſententiæ ſuæ a Pontificia quò ad Epheſinum paulò ante celebratum Concilium, præſtitiſſet, niſi luce meridiana fuiſſet clarius, flagitandum omnino eſſe a Sacerdotum Principe, ut reliqui Præſules in ſuo ſolio illius Auctoritate firmarentur. Atque hoc iterum facto,præter id, quod ſuperiori Capite expendimus, Theodoſius Cæſareum teſtimonium tulit Præſtantiæ Pontificis ſupra Concilium: quia ab ipſa Epheſina Synodo ſuffectus fuerat Anatolius Flaviano; ut proinde, ſi hæc fuiſſet Leonem antegreſſa, nullæ fuiſſent Epiſcopo Romano vires ad infringendum Synodale Decretum. (3)

76 Poſt paternam deinde, & qualem exigebat

(1) *Pag.* 33. & 34. (2) *Pag.* 243.

(3) *Pag.* 35.

gebat decepti Prineipis infirmitas, cohortationem, diſertè de Anatolio præcipit: QUAMPRIMÙM AD NOS CONSTANTINOPOLITANI EPISCOPI, *qualia debent probati, & Catbolici Sacerdotis*, SCRIPTA PERVENIANT, *apertè ſcilicet, atque dilucidè proteſtantia, quod ſi quis de Incarnatione Verbi Dei aliud aliquid credat, aut aſſerat, quàm Catbolicorum omnium*, ET MEA *profeſſio proteſtatur, bunc a ſua communione ſecernat: ut ei fraternam in Chriſto charitatem meritò poſſimus impendere*. Mos hinc antiquus aſſeritur, innumeris aliis probatu facillimus documentis, ut cæterarum Principum Eccleſiarum Sponſi in ſua Inauguratione Profeſſionem Catholicæ Fidei ad Romanum Pontificem mitterent, veluti ad Veræ certiſſimum Judicem Religionis. Neque illa ſuo pondere carent verba: *Vt Catbolicorum omnium, & mea profeſſio proteſtatur*; perinde ac ſi oratio creſceret, & Profeſſio Pontificia robur adiiceret Univerſæ Catholiex Eccleſiæ Profeſſioni: aut ſaltem, (ne incaſſum additum videatur, *& mea*) quia ſicut Catholici omnes conſtituentes Eccleſiam Capiti ſuo Romano Pontifici unitam errare nequeunt, ita Pontifex Maximus exemptus eſt erroris diſcrimini. (1)

77 Ad Cæſareæ autem urbis Eccleſiam ordinandam ſuos a ſe mitti Legatos profitetur cum Fidei forma, in cujus verba jurandum ab Anatolio ſit, adeoque in reliquos, vel maximos, totius Orbis Præſules Imperium, & Magiſterium exereet, ſic enim proſequitur. *Vt autem ſalubribus curis velocior, pleniorque anxiliante Domino per veſtræ clementiæ fidem præſtetur effectus, ad pietatem veſtram Fratres, & Coepiſcopos meos Abundium, & Aſterium, ſed & Baſilium, & Senatorem Presbyteros, quorum mibi devotio eſt probata, direxi*, PER QUOS, QUÆ NOSTRÆ FORMA SIT FIDEI, MANIFESTATIS INSTRUCTIONIBUS, QUAS MISIMUS, POSSITIS DILIGENTER AGNOSCERE, *ut ſi Conſtantinopolitanus Antiſtes in eandem confeſſionem toto corde conſentit, ſecuri, ut dignum eſt, de Eccleſiaſtica pace lætemur*. (2)

Unane ex Suburbicariis Eccleſiis Conſtantinopolis eſt, Petre Suavis, qui eas affirmaſti ad Romanum olim Epiſcopum pertinuiſſe, cæteras ſeparando? (3)

CAPUT XVIII.

Marcianus Imperator Valentiniani Collega veneratur Leonem, ut Eccleſiæ Univerſæ Frincipem, Auctorem, ac Ducem Conciliorum, illis præſtantiorem, & Infallibilem, cujus de Fide Deſinitiones debeant neceſſariò a Synodo publicari.

78 SAnctiſſimi Leonis Epiſtola Theodoſio inſcripa hunc ereptum invenit e conſortio mortalium, ideoque reddita fuit Marciano, quem Sponſum, aſcitum in Imperii quidem, non tamen thalami, conſortium, S. Pulcheria, certa ſervare illibatum Virginitatis florem, invitavit. Religioſiſſimus hie Prineeps, addito etiam, ut moris erat, Valentiniani in Oeeidente imperautis nomine, ita Leonem alloquitur. *Ad boc maximum Imperium venimus Dei providentiá, & electione Senatus Excellentiſſimi, cunctæque militiæ. Unde pro Reverenda, & Catbolica Religione Fidei Chriſtianorum, cujus auxiliis virtutem noſtræ potentiæ confidimus gubernari*, TUAM SANCTITATEM, PRINCIPATUM IN EPISCOPATU DIVINÆ FIDEI POSSIDENTEM, *ſacris literis in principio juſtum eredimus alloquendam*. Quid, rogo, eſt, *Principatum in Epiſcopatu Divinæ Fidei poſſidere?* An ſolùm Primam Sedem in Synodis promereri? An hae ſolùm de cauſa Imperator juſtum crederet, Leonem obſequentibus literis convenire in aditu Principatus, eique ſuæ reddere Fidei rationem? (4)

79 Mox *Concilij Auctorem* Epiſcopum Romanum appellat, poſtquam illius precibus Imperium commendavit. *Invitantes, atque rogantes, ut pro firmitate, & ſtatu noſtri Imperij Æternam Divinitatem Tua Sanctitas deprecetur, ut & tale propoſitum, atque deſiderium babeamus, quatenus omni impio errore ſublato* PER CELEBRANDAM SYNODUM TE AUCTORE *maxima pax circa omnes Epiſcopos Fidei Catbolicæ fiat, ab omni ſcelere pura, & intemerata conſiſtens*. (5)

Cæſarei diadematis dedecorator Suavi Marcianus videretur, qui Auctorem Synodi velit eſſe Romanum Pontificem, cum hoc munus indicendi, & gubernandi Concilia Suavis idem Cæſarum ſolummodo fuiſſe contendat, affirmans, *Exemplo Conſtantini* (a quo ſolo Nicænum congregatum fuiſſe falsò præſumit) *qui eum ſequuti ſunt Impe-* rato-

(1) *Pag.35.* (2) *Pag.35.* (3) *Pag.243.* (4) *Pag.36.* (5) *Pag.36.*

ratores ſurrepentibus ſubinde in Religione diſſidijs Concilia id genus convocarunt. (1)

80 In aliis autem Literis apertè Marcianus affirmat, *a Synodo declaranda eſſe illa, quæ Leo definiverit*, adeoque manifeſtiſſimè ipſum appellat Ducem, & Arbitrum Conciliorum, ipſiſque præpollentem, & Infallibilis veritatis Magiſtrum; alioqui enim ea, quæ Romæ definita fuiſſent, potuiſſent abrogari a Conciliis, non compulſis ad ea Chriſtianis omnibus populis indicenda. Niſi autem hæ veritates in Eccleſia pervulgatæ, ac notoriæ fuiſſent habitæ, an eas ſuis Cæſar Epiſtolis inſeruiſſet? Audiantur ipſamet Imperatoris verba. *Supereſt, ut ſi placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire*, ET SYNODUM CELEBRARE, *hoc facere Religionis affectu dignetur, noſtris utique deſideriis Veſtra Sanctitas ſatisfaciet, & Sacræ Religioni, quæ utilia ſunt*, DECERNET. Ipſe ergo DECERNET, & illi Synodus obtemperabit. *Si verò hoc oneroſum eſt, ut tu ad has partes advenias, hoc ipſum nobis propriis literis Tua Sanctitas manifeſtet, quatenus &c. omnes Sanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire, & quæ Chriſtianorum Religioni, atque Catholicæ Fidei proſint*, SICUT SANCTITAS TUA SECUNDÙM ECCLESIASTICAS REGULAS DEFINIVERIT, *ſua diſpoſitione declarent. Declarare, ac diſponere* dicuntur Epiſcopi, quia verè ipſi quoque definiunt in Conciliis, ſed juxta ea, quæ prius fuerint a Præceptore Synodorum Pontifice Maximo *definita*, ſi opportunum ipſe putat ſuam ante Synodos ſententiam, ſecundùm *Eccleſiaſticas Regulas*, pro Eccleſiæ bono proferre. Neque inutilia proinde Concilia ſunt, quia & Præſulum conſilium auditur in iis, quæ prius decreta Romæ non fuerint, & Canones pro inſtauranda morum diſciplina conduntur, & ſingularum incommodis Eccleſiarum medela adhibetur, & in eadem omnes Antiſtites Fide, uberi illius, etiam oretenus allata, explicatione firmantur, & Hæretici redarguuntur erroris, & alia plurima e ſacris hiſce Congreſſibus naſcuntur bona, quæ non eſt hujus loci recenſere. (2)

Fruſtraneum igitur non fuiſſet, Petre Suavis, neque profectò fuit Tridentinum Concilium, licet illi nequaquam liceret ſubvertere Antiquam Fidem a Leonis Decimi Conſtitutione firmatam. (3)

Tom.II.

(1) *Pag.*3.& 148. (2) *Pag.*37.
(3) *Pag.*20.29.66.92.105.& *alibi paſſim*.

CAPUT XIX.

Anatolius Conſtantinopolitanus probatur Catholicus Epiſcopus, quia ſequitur Fidem Leonis, qui rurſus cognoſcitur veritatis Magiſter, & Regula Conciliorum. Hoc ipſum oſtenditur ex honoribus habitis S. Flaviano a Secunda Synodo Epheſina damnato.

81 ATtexere preſtat Marciani Literis illas, quas ad Leonem dedit Pulcheria, teſtimonium ferens de ſyncera novi Preſulis Religione, quam integram eſſe comprobat ex eo, quod errare neſciæ Apoſtolicæ Romanæ Cathedræ ſe diſcipulum profiteatur, exoſus illi contrariam, ideoque peſtilentem, Synodi Prædatoriæ doctrinam. Ex hoc inferri id, quòd in Capitis titulo prænotavimus, nemo non videt: *Anatolius in eadem Fide permanſit, atque Religione*, & TUARUM LITERARUM APOSTOLICAM CONFESSIONEM COMPLECTITUR *illo Errore ſublato, qui ab aliquibus nunc ortus eſt*. Ab Eutychete autem exortus error fuerat Epheſi a Concilio confirmatus, & ab Anatolio tamen rejectus, quia perculſus anathemate a Leone Religionis Magiſtro. (4)

82 Licet ipſius Anatolii ad Summum Pontificem Literæ interierint, directas tamen ab ipſo fuiſſe conſtat ex Epiſtola Pulcheriæ ſic loquentis: SICUT EX EJUS QUOQUE LITERIS CLARIUS TUA SANCTITAS AGNOSCERE POTUIT: & *Epiſtolæ ſimiliter Catholicæ Fidei, quam ad ſanctæ memoriæ Flavianum Epiſcopum Tua Beatitudo direxit*, SINE ALIQUA DILATIONE SUBSCRIPSIT. Obtemperavit ergo Leoni Anatolius, licet ingenio prætumidus, quod deinde exeruit in Chalcedonenſi Concilio: nec a Vetuſta Conſuetudine exhibèndi ſuam Fidem Pontificiæ Cenſuræ receſſit. (5)

Non ſolùm igitur Flavianus Sanctitate inclytus Præſul, cujus modeſtiæ tribuere Suavis poſſet honorem ſponte habitum Apoſtolicæ Sedi, ſed Anatolius quoque, nulla animi demiſſione ſpectabilis, mendacii coarguit Polanum, præſumere non veritum Romanis Epiſcopis Suburbicariarum ſolummodo adminiſtrationem Eccleſiarum indultam olim fuiſſe. (6)

83 Omne deinde in Leone ſitum eſſe habendi Concilii arbitrium profeſſa, ita Pulcheria proſequitur: *Et propterea Tua Reven-*

D *ren-*

(4) *Pag.*37. (5) *Pag.*37. (6) *Pag.*243.

ventia, QUOCUMQUE MODO PROSPEXERIT; SIGNIFICARE DIGNETUR, *ut omnes etiam totius Orientis Epiſcopi, Thraciæ, atque Illyrici, ſicut etiam noſtro Domino piiſſimo Imperatori meo conjugi placuit, in unam civitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant convenire: & illic facto Concilio, & de Catholica confeſſione*, ET DE HIS EPISCOPIS, *qui ante hoc ſegregati ſunt, ſicut Fides, & Chriſtiana pietas exigit*, TE AUCTORE DECERNANT. Igitur *quocumque modo proſpexerit Leo* Concilium inſtituendum erat, & *illo Auctore* decernendum non de iis tantùm, quæ ſunt *de Jure*, videlicet de ipſius Fidei Articulis, ſed de iis etiam, quæ ſunt *de Facto*, ſcilicet de ſingulorum Epiſcoporum Cauſis. (1)

84 De Flaviano demum ſic ait: *Super hæc autem ſciat Tua Sanctitas, quoniam præcepto noſtri Domini, ac tranquilliſſimi Principis mei conjugis in glorioſam civitatem Conſtantinopolim* SANCTÆ MEMORIÆ EPISCOPI FLAVIANI CORPUS ALLATUM EST, *& in Baſilica Apoſtolorum, in qua conſueverunt prædeceſſores Epiſcopi ſepeliri, competenter eſt poſitum*. Dignitate ſpoliatus, & Hæreſis notâ inuſtus a Synodo fuerat Flavianus; a Leone autem reſtitutus, & appellatus Catholicæ Fidei Propugnator. Honores igitur illi habiti ſpretum oſtendunt Synodale Judicium, eique prælatam ſententiam Pontificis Maximi. (2)

Sed ne Occidentalibus quidem Conciliis eam præferendam eſſe cenſebant Lutherani, quorum auctoritati Suavis plurimùm defert. (3)

CAPUT XX.

Indicitur Concilium primò Nicææ, deinde Chalcedone Auctoritate Leonis, qui ut Superior, & Infallibilis plurima eidem Synodo præcipit, jubetque ſuſcipi ſuam Fidei Definitionem: contra quas Juſſiones nullus in Synodo reclamavit, veluti præpoſterè factas.

85 IN Epiſtola, quam Sanctæ Synodo apud Nicæam conſtitutæ Leo inſcribit, de ſuis ita Legatis diſſerit: *In his Fratribus Paſchaſino & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Presbyteris, qui ab Apoſtolica Sede directi ſunt*, ME SYNODO VESTRA FRATERNITAS EXISTIMET PRÆSIDERE, *non abjuncta a vobis præſentia mea, qui nunc in Vicarijs meis adſum, & jamdudum in Fidei Catholicæ prædicatione non deſum*. Coram verò ſe non adfuturum prædixerat, quia hoc *nec neceſſitas temporis*, illius ab Urbe diſceſſum prohibentis: *nec ulla poterat conſuetudo permittere*. At Præfecturam Concilii, ut abſque ulla controverſia ſuis Nuntiis debitam, ita ſine ulla formidine iiſdem attribuit. Et, *ſe non defuiſſe*, affirmans *prædicatione Catholicæ veritatis*, inſinuare incipit id, quod exinde præcipit, videlicet, ut ſuam omnino in ſententiam Synodus eat. (4)

Si Suavis, cum hæc legeretur Epiſtola, interfuiſſet, fortè exclamaſſet, præſidendi Concilio munus exercitum a Cæſaribus fuiſſe, aut ab eorumdem Miniſtris: neque incommodis Eccleſiæ proſpici opportunè poſſe, ſi Apoſtolici Legati Concilio præeſſent, cum affirmaverit: *Proteſtantes certiſſimum habuere documentum, neque in Concilio, neque alibi Papæ Miniſtris intervenientibus de tolerabili aliqua conditione quidquam ſibi eſſe ſperandum*. (5)

86 *Unde, Fratres chariſſimi*, REJECTÂ PENITUS AUDACIÂ DISPUTANDI *contra Fidem Divinitus inſpiratam, vana errantium Infidelitas conquieſcat: nec liceat defendi, quod non licet credi*. Vetat ergo diſputationes de Fidei Articulis, ac Hæreſum Defenſiones. (6)

An Paulus, Julius, Pius, tam disertè quidpiam imperarunt Patribus Tridentinis, Petre Suavis, qui cum narraſſes, vetitum a Paulo Tertio ulteriorem progreſſum in Tractatu de Vulgata Bibliorum Editione, quouſque Romæ quædam circa illam expenderentur, exclamas: *Ea ſcilicet erat libertas Concilij a Pontificis voluntate pendentis in rebus certis omittendis, & novis inchoandis*. At ſatiſne libera fuit Synodus Chalcedonenſis, cui definiendi Formulam Urbs Roma ſubmiſit? (7)

87 Mox, Fidei Regulam ſtatuens ſuam ad Flavianum Epiſtolam, ita ſuperiorem verborum ambitum proſequitur: *Cum ſecundùm Evangelicas auctoritates, ſecundùm Propheticas voces, Apoſtolicamque doctrinam*, PLENISSIMÈ, ET LUCIDISSIMÈ PER LITERAS, *quas ad beatæ memoriæ Flavianum Epiſcopum miſimus*, FUERIT DECLARATUM, *quæ ſit de Sacramento Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti pia, & ſyncera confeſſio*. Sua ergo Epiſtola eſt illa, contra quam diſputari prohibetur in Synodo, eique pugnantes opiniones defendi. (8)

Interrogare iterum præſtat Petrum Suavem, an ullas hujuſmodi Conſtitutiones decla-

(1) *Pag*.37. (2) *Pag*.38. (3) *Pag*.343.346. 414. *& alibi paſſim*.

(4) *Pag*.41. (5) *Pag*.102. (6) *Pag*.41. (7) *Pag*.184. (8) *Pag*.41.

clarantes Arcana Fidei contra Lutherum, Zwinglium, alioſque novarum Hæreſum Inventores miſſæ a Romanis Pontificibus fuerint ad Synodum Tridentinam, vetitam inſtituere quæſtiones de Pœnitentia, Euchariſtia, aliiſque veritatibus Romæ ſancitis? Ne unum quidem Articulum Suavis recenſet, cujus Definitio fuerit ab iis Pontificibus imperata, quibus regnantibus Synodus habebatur. Quod autem præceſſiſſet Leonis Decimi Conſtitutio contra Lutherum, nullatenus officit Concilii libertati, tum quia nihil in ea Conſtitutione continebatur, quod frequenter non fuiſſet in aliis antea Conciliis definitum: tum quia neque de ipſis in ea Conſtitutione contentis veritatibus prohibiti ſunt agitare quæſtionem ad eas dilucidius explicandas, & Hæreticos revincendos; licet falſitatis coargui non poſſet Apoſtolica Sedes a Patribus illi certò aſſenſuris ex Divina Promiſſione non permittendi labi in Errorem Cathedram Petri docentis Eccleſiam. Neque verò ea Fidei Dogmata explorantes Antiſtites Tridentini ullatenus in dubium revocarunt eorumdem veritatem: perinde ac expenſæ ab illis iterum ſunt Definitiones aliarum Generalium Synodorum, licet hæ quoque, poſtquam a Maximo Pontifice ſunt confirmatæ, nequeant erroris in Fide inſimulari: Major ergo in Tridentino Concilio Libertas indulta Patribus fuit, quàm olim permitti Leo Magnus opportunum putaverit, qui omnem vetuit *audaciam diſputandi contra Fidem divinitus inſpiratam*. Et Suavis, per curſorios equos ab Urbe conſuetum ſubmitti Tridentum Divini Spiritus afflatum petulanti cachinno non ſemel jactavit? Interim liquet, certum ſe Divinarum Literarum Interpretem, ac Veritatis Magiſtrum profiteri Leonem, qui licere negat Generali Concilio contra ſuas Definitiones agitare certamen ingenii, nedum ab illis in declaranda Fide diſcedere.

88 Nec Præceptis parcit Sapientiſſimus, & Æquiſſimus Pontifex quò ad ſingulorum Epiſcoporum Perſonas, ſed reſtitui Sedes jubet iis, qui eiſdem dejecti fuerant auctoritate Synodi Secundæ Epheſinæ, qua proinde majorem ſe præſtat. *Quia verò non ignoramus, per pravas æmulationes multarum Eccleſiarum ſtatum fuiſſe turbatum, plurimoſque Epiſcopos, quia Hæreſim non receperint, ſedibus ſuis pulſos, & in exilia deportatos, atque in locum ſuperſtitum alios ſubſtitutos*: VULNERIBUS HIS PRIMITUS ADHIBEATUR MEDICINA JUSTITIÆ, *nec quiſquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis; cum ſi, ut cupimus, errorem omnes reliquerint, nemini quidem perire honor debeat, ſed illis, qui pro Fide laborarunt, cum omni privilegio oporteat jus proprium reformari*. (1)

89 Demum Juſſiones congeminans Leo confirmari jubet Decreta Fidei edita a Prima Synodo Epheſina contra Neſtorium, cumque illo, non expectata mox incipiendi Concilii Definitione, condemnat cum ſua Hæreſi Eutychetem. Nihil ergo Concilio ſuperfuit quò ad Fidem declarandam, niſi ut Pontificiam ſententiam per Orbem terræ latè vulgaret. *Prioris autem Epheſinæ Synodi, cui ſanctæ memoriæ Cyrillus Epiſcopus tunc præſedit*, IN NESTORIUM SPECIALITER STATUTA PERMANEANT: *ne tunc damnata impietas ideo ſibi in aliquo blandiatur, quia Eutyches juſta execratione percellitur. Puritas enim Fidei, atque Doctrinæ, quam eodem, quo Sancti Patres noſtri, ſpiritu prædicamus, & Neſtorianam, & Eutychianam cum ſuis Auctoribus condemnat pariter, & perſequitur pravitatem*. (2)

90 Quid ad hæc hiſcere Suavis auderet? An ſibi nimium arrogatum a Leone fuiſſe? At ſi hoc dicere non erubeſceret, cur de Regnantibus noſtra, & Patrum ætate Pontificibus conqueritur, quaſi nimium tribuant ſibi, cum parcius utantur poteſtate ſua, quàm Magni nominis Magiſtri Religionis olim uterentur? Pernego deinde, uſurpatum a Leone fuiſſe jus, quod ad ipſum minimè pertineret. Concilium certè Chalcedonenſe hanc obſequentiſſimè ſuſcepit Præceptis redundantem Epiſtolam, neque ullus de illa Patrum querimoniam inſtituit. Faſſa ergo Synodus fuit, obtemperandum ſibi eſſe Pontifici Maximo, antecellenti Generalibus Conciliis, & Infallibili Fidei Præceptori, ac Interpreti.

Hæc pro illis inferimus, qui prudenter norunt ratiocinari. At Lutherani, quorum querelas Polanus commemorat, hiſce auditis Pontificiis Præceptis exclamaſſent in gratiam Sectatorum Eutychetis, atque Neſtorii id ipſum, quod deinde ſui non compotes pro ſe ipſis intonuerunt: *Quomodo Pontificem cauſæ ſuæ Judicem admittant, qui hoc unum ſpectat, ut ipſorum doctrina, quam in omnibus Diplomatis ſuis vocat Hæreſim, aboleatur?*

91 Nicæam directas diximus Pontificias Literas, quia ea in urbe habenda Synodus erat. Sed, cum deinde ſubortus fuerit metus tumultuum, qui procul a Regia excitari ab Hæreticis poſſent, ſicut in Epheſino Latrocinio paulò ante contigerat, viſum eſt opportunius, Cœtum celebrari Chalcedone, in urbe videlicet Conſtantinopoli proxima.

(1) *Pag*.41. (2) *Pag*.41.

Digitized by Google

ximâ. Nequ^ Tranſlatio Synodi decreta eſt ſine conſilio, & voluntate Legatorum Leonis. Conſtat hoc ex Cæſarea Epiſtola, qua Patres Nicææ coactos Chalcedonem Marcianus invitat. *Nam & Religioſiſſimi Epiſcopi, & Presbyteri, qui vice Sanctiſſimi, ac Deo dilectiſſimi Leonis Archiepiſcopi florentiſſimæ urbis Romæ venerunt, a noſtra tranquillitate petierunt, quatenus omnimodo nos adeſſe deberemus Sancto Concilio*, AFFIRMANTES, QUONIAM NON PATERENTUR ILLUC ABSENTE NOSTRA PIETATE VENIRE. Quamvis ergo lata Lex eſſet, ne Cœtus ulli mortalium fierent abſque Imperatoris facultate, ideoque vetuſti Cæſares appellentur Conciliorum Convocatores, quia illa fieri permittebant: & eo etiam nomine, quòd tunc profano regimine præeſſent univerſis ferè Chriſtianis Provinciis, atque ipſorum auro veherentur Epiſcopi, & alerentur; tamen non ſolùm non indicebantur Concilia ſine Pontificis Maximi aſſenſu (ut alibi multiplici documento ſtatuimus) ſed nec ſine illo ab una in aliam urbem migrabant. (1)

CAPUT XXI.

Primæ Chalcedonenſis Concilii Sedes tribuuntur Legatis Romani Pontificis: iidem jubent e ſubſelliis diſcedere Dioſcorum Alexandrinum Patriarcham, cui exprobratur, quod Synodum celebraſſet ſine Leonis Auctoritate.

92 IN ipſo Concilii aditu, dum eorum, qui convenerant, nomina recenſentur, omnium primi ex Patribus enumerantur Pontificii Legati. *Conveniente Sancto, & Univerſali Concilio ſecundùm Sacram Præceptionem in Chalcedonenſi urbe congregato, ideſt Paſchaſino, & Lucentio Reverendiſſimis Epiſcopis, & Bonifacio Religioſiſſimo Presbytero*, TENENTIBUS LOCUM SANCTISSIMI, ET REVERENDISSIMI ARCHIEPISCOPI ALMÆ URBIS ROMÆ LEONIS, *& Anatolio Sanctiſſimo Archiepiſcopo Conſtantinopolis novæ Romæ, & Dioſcoro Reverendiſſimo Epiſcopo Magnæ Alexandrinæ civitatis, & reliquis Sanctiſſimis, & Religioſiſſimis Epiſcopis, ideſt Maximo Antiochiæ Syriæ, Juvenali Hieroſolymorum, Quintillo Heracleæ Macedoniæ &c.* In ſedendo autem non ſolùm omnium Primi fuerunt, ſed lævam etiam partem occuparunt, quæ præſtantior eſt apud Græcos. *Et ex læva quidem parte ſedentibus Sanctiſſimis, & Reverendiſſimis Epiſcopis*, ET VICARIIS DEO AMICISSIMI, SANCTISSIMI, ET REVERENDISSIMI LEONIS ANTISTITIS PRISCÆ URBIS ROMÆ, *& Anatolio Religioſiſſimo Archiepiſcopo Conſtantinopolitanæ Regiæ civitatis, & Maximo Religioſiſſimo Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ, & Stephano Religioſiſſimo Epiſcopo Epheſi, & cæteris Religioſiſſimis Epiſcopis Orientis, & Ponti, & Aſianæ, & Thraciæ Regionum, exceptis Palæſtinis. Ex dextera verò parte ſimiliter conſidentibus Dioſcoro Religioſiſſimo Archiepiſcopo Alexandriæ, & Juvenali Hieroſolymorum, & Quintillo Religioſiſſimo Epiſcopo Heracleæ primæ Macedoniæ, & agente vices Anaſtaſii Religioſiſſimi Epiſcopi Theſſalonicenſis, & Petro Religioſiſſimo Epiſcopo Corinthi, & reliquis Ægyptiacæ Diœceſis, & Illyrici, inſuper etiam & Palæſtinis Religioſiſſimis Epiſcopis, antepoſitis in medio Sacroſanctis, & venerabilibus Evangelijs.* Paſchaſinus ergo Lylibetanus in Sicilia Epiſcopus, & Lucentius Aſculanus, aut Eſculenſis, imò & Bonifacius Sacerdos ad Epiſcopatus apicem non evectus, quia Leonis Pontificis Maximi vices gerebant, ipſis Orientis Patriarchis anteferuntur. Fracta Dioſcori, ac Juvenalis arrogantia fuit; nam etiam ſecundus præhaberi ſibi Antiochenum juxta Nicænos Canones vidit, cui locum Epheſi præripuerat. (2)

93 Sed multò lethalius vulnus inflixit Dioſcori ſuperbiæ Paſchaſinus Legatus, neque ſolùm Primatum Ordinis, ſed etiam Univerſalis Concilii Regimen Pontificio nomine exercuit, cum ſtare Dioſcorum juſſit a Synodo judicandum. *Paſchaſinus Reverendiſſimus Epiſcopus, & Vicarius Sedis Apoſtolicæ, cum in medio unà cum Reverendiſſimis Collegis ſuis ſtetiſſet, dixit*: BEATISSIMI, ATQUE APOSTOLICI VIRI PAPÆ URBIS ROMÆ, QUÆ EST CAPUT OMNIUM ECCLESIARUM, PRÆCEPTA HABEMUS *præ manibus, quibus* PRÆCIPERE *dignatus eſt ejus* APOSTOLATUS, UT DIOSCORUS ALEXANDRINUS ARCHIEPISCOPUS NON SEDEAT IN CONCILIO, *ſed audiendus intromittatur. Hoc nos obſervare* NECESSE EST. *Si ergo præcipit veſtra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus.* Plurima hìc ſunt notatu digna: & primum quidem, quod *Præcepta* nuncupat ea, quæ a Leone decreta fuerant; ac rurſus edicit: *præcipere dignatus eſt ejus Apoſtolatus*. Jubet ergo Synodo Pontifex, ut eidem anterior. (3)

94 Romanam præterea *Caput omnium Eccleſiarum* appellat, atque hoc utitur nomine, cum ſermo eſt de Juriſdictione, quam præcipiendo exercet in reliqua Ec-
Eccleſiæ

(1) *Pag.* 42.

(2) *Pag.* 44. (3) *Pag.* 52.

cleſiæ membra,conſtituentia Generale Concilium. Hac ergo *Capitis* Appellatione, non qualemcumque Primatum indicari, ſed verum Dominatum, oſtendit,qualem in cæteras partes invicem nexas, & corpus conflantes, obtinet animantis Caput.

95 Et *Apoſtolatum* antonomaſticè dicit Romani Antiſtitis Præfecturam: quæ ſacra nuncupatio frequenter iterata fuit in hoc Concilio: atque ex illa infertur, vigere in Romana Cathedra indubitabile Fidei Magiſterium, quod ipſi olim Apoſtoli exercuerunt. Aliæ quidem etiam Sedes, ut Antiochena Petri, Epheſina Joannis, Hieroſolymitana Jacobi, dictæ ſunt Apoſtolicæ,quia in illis Apoſtoli conſederunt, ſed ut de his ſermonem haberi intelligatur,addendum eſt peculiare ſingularum nomen; cum contra quando ſine addito *Sedes* dicitur *Apoſtolica*, Romanam intelligi,omnibus liqueat. Neque ulla præter illam appellata generatim fuit *Apoſtolatus*.

96 Nullus contra hæc Epiſcoporum, ac ne ipſe quidem, utcumque mortalium contumaciſſimus, Dioſcorus, auſus eſt loqui. Silentio igitur ſuo comprobaverunt *Jus præcipiendi Conciliis ad Maximum Pontificem* ſpectans, Titulum *Capitis Eccleſiarum omnium* Romanæ debitum, ac Pontificium *Apoſtolatum*. Interrogaverunt quidem Seculares Judices, miſſi a Cæſare non ad ſententiam cum Patribus ferendam (ut maniſeſtiſſimè ſuo loco dilucidabimus) ſed ad turbas compeſcendas,quid obiiceretur Dioſcoro. Sed hæc interlocutio anſam dedit novis Argumentis Romanæ in Synodos Juriſdictionis.

Interim animadvertenda eſt Petri Suavis vecordia, qui Suburbicarias tantùm Eccleſias Romanæ ſubiicit, quam omnium eſſe Caput Eccleſiarum nullus e Sexcentis triginta Chalcedonenſibus Patribus inficiatus eſt. (1)

97 Cum igitur Judices, ac Senatus interrogaſſent: *Quid enim ſpecialiter ingeritur Dioſcuro Reverendiſſimo Epiſcopo? Lucentius Reverendiſſimus Epiſcopus, ac Vicarius Sedis Apoſtolicæ dixit: Judicij ſui neceſſe eſt eum dare rationem, quia cum perſonam judicandi non haberet*, PRÆSUMPSIT, ET SYNODUM AUSUS EST FACERE SINE AUCTORITATE SEDIS APOSTOLICÆ, QUOD NUNQUAM LICUIT, NUNQUAM FACTUM EST. Celeberrimus hic eſt hujuſce Concilii locus (& Primus ferè inter huc uſque hoc in Libro allatos, quem alii expenderint) ex quo Controverſiarum Scriptores evincunt, Nicænum & alia Concilia celebrata fuiſſe juſſu, vel ſaltem indultu Romani Pontificis, atque illo Auctore ac Duce. Cumque, contrarium *non licere*, affirmetur, conſtat, vel agnitum ab Eccleſia fuiſſe, hoc ab Inſtitutione Divina manare, qua tradita Petro, & Succeſſoribus fuit a Chriſto Domino Eccleſiæ adminiſtratio: vel (quod in idem recidit) extitiſſe Canones, ſive Nicænos, ſive Sardicenſes, vetantes Concilia, pro quibus habendis non adeſſet Conceſſio,aut Juſſio Pontificia.Hoc in idem recidere diximus,quia (ut alibi oſtendimus) hujuſmodi Canones editi nequaquam fuiſſent, niſi hoc Maximorum Pontificum Jus a Divina Inſtitutione fluxiſſet. Dioſcorus porrò celebraſſe dicitur Synodum Epheſinam ſine Auctoritate Apoſtolicæ Sedis,quia munus Legatorum Leonis invaſit, neque illius Literas legi permiſit, a quibus inſtrui, ac regi Synodus debuiſſet. (2)

Quod nunquam licuiſſe,nec factum unquam fuiſſe Chalcedonenſe Concilium aſſenſum eſt, ut ſcilicet Synodi haberentur ſine Auctoritate Apoſtolicæ Sedis, olim perpetuò contigiſſe opinatur Suavis, qui locutus de Caroli Magni Succeſſoribus, & Gothorum in Hiſpania Regibus, ait. *Tandem excluſis penitus a rerum Eccleſiaſticarum tractatione Principibus deſiit uſum habere hoc genus Conciliorum* (quæ ſcilicet a Cæſaribus, aut Regibus coacta fuiſſe præſumit) *& permanſit alterum illud ſolùm ab ipſis Eccleſiaſticis congregatum, quod prope totum in ſe Romanus Pontifex derivavit, miſſis eò, ubi haberi debebat, ſuis ad præſidendum Legatis: etiam arrogata ſibi ante aliquot ſæcula poteſtate,quę Romanorum Imperatorum fuerat, Concilia ex univerſo Imperio convocandi, & ubi coram adeſſet, per ſe præſidendi; ſi abeſſet,per Præfectum, qui ſua nomine præſideret, & negotium omne moderaretur*. (3)

CAPVT XXII.

Synodus obtemperat Legatis Pontificiis, negans Dioſcoro ſedem inter Epiſcopos, eamque tribuens Theodoreto, licet damnato a Generali Concilio, quia reſtituto in priſtinum honoris gradum a Leone, qui Conciliis anterior erat.

98 Poſt ea in Dioſcorum Lucentii verba *Paſchaſinus Reverendiſſimus Epiſcopus, & Vicarius Sedis Apoſtolicæ dixit*: Nos CONTRA PRÆCEPTA BEATISSIMI, ATQUE APOSTOLICI PAPÆ GUBERNATORIS SEDIS APOSTOLICÆ VENIRE

(1) *Pag.* 243.

(2) *Pag.* 55. (3) *Pag.* 149.

NIRE NON POSSUMUS, *nec contra Eccleſiaſticas Regulas, vel contra Patrum inſtituta*. Iterum igitur Pontificia *Præcepta* inculcavit, perque *Eccleſiaſticas Regulas* illum, de quo diximus, Canonem viſus eſt indicare. Tunc Judices, & Senatores dixerunt: *Convenit, vos ſpecialiter, quid erraverit, exponere*; nimis enim generatim Dioſcoro exprobrata videbatur celebratio Synodi perperam facta. Sed *Lucentius vir venerandus, & Vicarius Sedis Apoſtolicæ dixit*: NON PATIMUR *tantam injuriam nec vobis fieri, nec nobis, ut iſte ſedeat, qui judicandus advenit*. Et prævaluit quidem juſſio Pontificia, nam illico ſubnectunt Acta, diſceſſiſſe, abſque ulla ſuæ cauſæ diſcuſſione, Dioſcorum e Sede, quam inter Epiſcopos occupabat ex dextera parte, & coactum in media Concilii cavea Euſebium Dorylæum audire, qui ſua illi crimina in os ingerere aggreſſus fuit. *Et Dioſcoro Religioſiſſimo Epiſcopo Alexandriæ, ſecundùm juſſionem glorioſiſſimorum Judicum, & ampliſſimi Senatus* (qui videlicet compulerunt Dioſcorum, fruſtra ipſorum patrocinio prius aliquamdiu tectum, ad obtemperandum Pontificiis Legatis) RESIDENTE IN MEDIO, *& reſidentibus Romanis, & Reverendiſſimis Epiſcopis in propriis locis, & tacentibus, Euſebius Religioſiſſimus Epiſcopus Dorylea civitatis &c.* Tanquam Reus igitur *in medio reſedit*, neque unquam in poſterum ad ſubſellia Judicum cæteros inter Epiſcopos regreſſus eſt. (1)

Immane Suavi crimen videretur excluſus a ſubſelliis Judicum Dioſcorus ob Synodum ab illo habitam abſque Auctoritate Pontificis Maximi, cum affirmaverit, a Cæſaribus olim convocata fuiſſe Concilia, atque omnino præſumi a ſe oſtendat, nullam fuiſſe neceſſariam, præter Cæſaream, facultatem, quæ certè Dioſcoro a Theodoſio Juniore tunc imperante, ac ab Hæreticis decepto, fuerat indulta. (2)

99 Sicut in expulſione Dioſcori, ita in reſtitutione Theodoreti fulſit Pontificis Maximi Auctoritas. De hoc præclariſſimo viro plura locuturi in Hiſtoria Synodi Epheſinæ Primæ, nunc ipſa tantùm aſſerimus Chalcedonenſis Acta Concilii, ex quibus patet, nullam habitam fuiſſe rationem Condemnationis in illum latæ ab Epheſino Secundo Conventu, quia eam corruere manifeſtum erat, eò quòd Synodo præſtans Leo aboleviſſet Synodale decretum. Igitur *glorioſiſſimi Judices, & ampliſſimus Senatus dixerunt: Ingrediatur & Reverendiſſimus Epiſcopus Theodoretus, ut ſit particeps Synodi*, QUIA ET RESTITUIT EI EPISCOPATUM SANCTISSIMUS ARCHIEPISCOPUS LEO, *& Sacratiſſimus, & piiſſimus Imperator ſanxit, eum adeſſe Sanctæ Synodo*. Licet ſermo habeatur de Cæſarea quoque juſſione, tamen conſtat, Marcianum, verè pium, ac religioſum Principem, huic ſe rei immiſcuiſſe ſolùm, ut Pontificiam ſententiam exequeretur, & diffingeret Mandatum Theodoſii, qui deceptus adhæſerat Prædatoriæ Synodo Epheſinæ. (3)

100 Obſtrepere quidem auſi cum Dioſcoro ſunt plurimi Epiſcopi, ſed irriti fuerunt clamores, quos nondum excuſſus (ut quamptimùm patebit) ab ipſorum animis Eutyches concitavit. *Et ingreſſo Theodoreto Reverendiſſimo Epiſcopo Ægyptii, & Illyriciani, & Palæſtini Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Miſeremini: Fides perit. Iſtum Canones ejiciunt: hunc foras mittite: Magiſtrum Neſtorii foras mittite &c. Dioſcorus Reverendiſſimus Epiſcopus Alexandriæ dixit: Cyrillus cur ejicitur, qui ab iſto eſt anathematizatus?* invidiam ob præteritam noxam Theodoreto conflans, qui, non niſi poſt reſipiſcentiam, pacemque initam cum Cyrillo, ſuſceptus fuerat a Leone. Licet autem Dioſcori fautores iterum inclamaſſent: *Synodus Orthodoxa Theodoretum non ſuſcipit*; Judices tamen, & Ampliſſimus Senatus, auditis contrariis clamoribus Antiſtitum Orientis, & Ponti, & Aſiæ, ac Thraciæ, adeoque multò numeroſioris partis Concilii, Dioſcorum cum aſſeclis execrati, dixerunt: *Theodoretus Reverendiſſimus Epiſcopus* PROPRIUM RECIPIENS LOCUM A SANCTISSIMO EPISCOPO INCLYTÆ URBIS ROMÆ *in locum nunc Accuſatoris ingreſſus eſt*. Proprium ergo recepit locum, quia illi tributus fuit a Sanctiſſimo Epiſcopo urbis Romæ. Neque ulla hic ab ipſis Secularibus Judicibus fit Imperatoris mentio, licet Theodoretus, prudenter redimens vexationem, quam formidabat, preces ante Synodum Cæſari porrexiſſet, & audiens fremitum hoſtium ſuorum paulò ante dixiſſet: *Preces obtuli Sacratiſſimis, & piiſſimis, & Chriſtianiſſimis Mundi Dominis, & enarravi, quæ in me acta ſunt funera, & precor has perlegi*. Hæc porrò, de quibus loquitur, ſunna fuerant anathemata in illum Epheſi jacta in Secunda Tartarea Synodo ſub Dioſcoro. De illis certè, quibus meritò fuerat impetitus in Primo Sacroſancto Epheſino Concilio, conqueſtus numquam fuit, ſed ſui criminis, quo diras illas laceſſiverat, veniam a Pontifice Maximo ſupplex petivit, & impetravit. Injuſtè igitur, quia numqnam relapſus in Hæreſim, proſciſſus iterum Epheſi fuerat. At hoc Prædatoriæ, licet Univerſalis, Synodi fulmen evanidum fuit,

(1) *Pag.* 53. (2) *Pag.* 3. & 148.

(3) *Pag.* 56.

fuit, quia illius alas decuſſit, & ignem difſlavit Major Conciliis Apoſtolicę Sedis Auctoritas. (1)

At nullum in ſingulos Orientis Antiſtites, nedum in Orientales Synodos Generales, Jus eſſe Romano Epiſcopo, juxta ſuæ doctrinæ Principia, Suavis opinabatur. (2)

CAPUT XXIII.

Reſipiſcunt plerique Præſulum, qui Epheſi damnaverant Flavianum, & Leonis Auctoritas agnoſcitur Infallibilis, & præſtantior definitione Synodi Univerſalis.

101 RElecta in Concilio Chalcedonenſi ſunt Acta Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Flaviano in Eutychetem, & Latrocinalis Epheſinæ ſub Dioſcoro in ipſum Flavianum, de qua ſupra diſſeruimus. Hæc verò dum legerentur, *Orientales, & qui cum ipſis Reverendiſsimi Epiſcopi clamaverunt: Omnes peccavimus, omnes veniam poſtulamus*: idemque peculiari nomine præſtiterunt Thalaſſius, & Euſebius Ancyranus, alter a Dorylæo, & Euſtathius, principes inter aſſeclas Dioſcori, & Juvenalis. Neque ſemel tantùm, aut iterum, ſed frequentiſſimè profeſſi ſunt, ſe adactos a Dioſcoro *ad ſubſcribendum in pura charta*; neque enim illas plerique blaſphemias protulerunt, quæ in falſis Epheſinis Actis continebantur. Ut hæc pro arbitrio poſteris Dioſcorus traderet, a ſuis illa tantùm, & Juvenalis, ac Thalaſſii, Notariis excipi voluerat; ii verò, quos introduxerant reliqui Epiſcopi, ſuo perſungi munere prohibiti ſunt. Ita illi Stephanus Epheſinus Antiſtes improperavit: *Excipiebant Notarij mei, Julianus, qui nunc eſt Reverendiſsimus Epiſcopus Sebedi, & Criſpinus Diaconus: & venerunt Notarij Reverendiſsimi Epiſcopi Dioſcori, & deleverunt tabulas eorum*, ET DIGITOS EORUM PENE' PREGERUNT, *volentes tollere & thecas eorum*. Si nec ipſi ſua in Eccleſia Epheſino Epiſcopo licuit veritatis monumenta conficere, quid advenis Præſulibus licuiſſe putandum eſt? Adeo Veritas exulat, & Juſtitia, cum Synodi a Legatis Apoſtolicæ Sedis, divinitus ipſis præpoſitæ Synodis, minimè temperantur. (3)

Sed ſolos olim interfuiſſe Cæſareos Præſides decernit Suavis, qui certè, ac armis quidem præcincti, in Prædatoria Synodo Dioſcori latus muniverunt. (4)

102 Cum lecta fuiſſet declaratio Catholicæ veritatis lata in Synodo Conſtantinopolitana a Flaviano, ac tunc in Chalcedonenſi Judices inquirerent ex Patribus: *Itane exponens Fidem s. m. Flavianus Orthodoxam Catholicam Religionem ſalvavit, an erravit in ea? Paſchaſinus Reverendiſsimus Epiſcopus Vicarius Sedis Apoſtolicæ dixit: Sanctè, & integrè, & Catholicè Fidem expoſuit beatæ memoriæ Flavianus*, SIQUIDEM EJUS FIDEI EXPOSITIO CUM BEATISSIMI, ATQUE APOSTOLICI VIRI PAPÆ ROMANI EPISTOLA CONCORDAT. Unicum ergo argumentum, ex quo infertur, ſanctam, integram, & Catholicam eſſe Flaviani Fidem, eruitur ex eo, quod conveniat cum Epiſtola Pontificia: & particula illa *Siquidem* manifeſtè habet vim *Cauſalis*. Summus igitur Pontifex cenſetur Infallibili pollens Auctoritate in vera Fide explicanda; cæteroqui enim nullum robur ineſſet huic ratiocinationi: *Flaviani Fides Fidei Pontificiæ cohæret. Ergo Catholica eſt.* Hinc præterea infertur, eumdem Antiſtitem Maximum præcellere Synodis, quæ Flaviani Fidem damnaverant. (5)

103 Neque verò ad rem Suavis blateraret, hanc Pontificii tantùm Legati, non Concilii Chalcedonenſis fuiſſe ſententiam, ideoque nos inniti Teſti, qui ſuſpicionem parere meritò poſſit nimiæ propenſionis erga ſui Principis Auctoritatem. Nullus enim in Synodo contra hujuſmodi Argumentum reclamavit; imò & aliqui ſtatim illud inculcarunt, & paulò poſt cęteri ſua idem ſubſcriptione confirmaverunt. Non ſolùm ergo ſilendo viſi ſunt aſſentiri (quod ſatis eſſet) ſed etiam apertè plaudendo Pontificiam Infallibilitatem, & Præſtantiam ſupra Synodos roborarunt.

104 Ulterius progreſſus alter Legatus, neceſſarium eſſe, dixit, a Synodo condemnari Latrocinium Epheſinum. *Lucentius Reverendiſsimus Epiſcopus Vicarius Sedis Apoſtolicæ dixit*: QUONIAM S. M. FLAVIANI FIDES CONCORDAT CUM APOSTOLICA SEDE, *& Patrum traditione, ſententiam, qua illum ab Hæreticis conſtat eſſe damnatum, ipſam in eos retorqueri a S. Synodo*, NECESSE EST. Hic etiam adhibetur *Cauſalis* particula *Quoniam*, & cohærentia cum Leonis Fide Catholicam Flaviano vindicat veritatem. Additur autem *Patrum traditio*, a qua recedere Pontifices nequeunt, quia in veritate, dum Eccleſiam erudiunt, ſunt divinitus ſolidati. *Hæreticos* autem nuncupat illos, qui Flavianum in Epheſino Congreſſu diris devoverant: *& conſtare* dicit, infectos Hæ-

refi

(1) *Pag.* 56. 57. (2) *Pag.* 243.
(3) *Pag.* 76. & 71.

(4) *Pag.* 148. (5) *Pag.* 95.

reſi eoſdem fuiſſe, quia talis prodiverat a Vaticani Oraculo declaratio. Et *neceſſe eſt*, affirmans, *a Sancta Synodo* Chalcedonenſi *in eos retorqueri ſententiam*, an non Leonem ejuſdem Synodi Arbitrum, adeoque Moderatorem eſſe ſtatuit, & Magiſtrum? Enimverò Pontifici Maximo Præſtantiam aſſerit non ſolùm ſupra Satanicum Epheſinum Cœtum, ſed etiam ſupra Sacroſanctum Concilium Chalcedonenſe in Sancto Spiritu congregatum. (1)

105 Num aliquis fortaſſe Præſulum conqueſtus eſt, quòd hujuſmodi NECESSITAS ampliſſimæ Synodo imponeretur? Profectò ſi Concilium adigebatur ad infligendam Hæreſis notam Patribus Epheſinis, qui faverant Eutycheti, & ad comprobandam ut Catholicam Flaviani Fidem Pontificiæ declarationi adhærentem: igitur in dubium revocare non poterat veritates Romæ definitas, ſed illas tantummodo ſua Confirmatione, quaſi tuba multiplici, debebat latè vulgare. Ita certè ſeſe res habuit, atque ita ſe habere Chalcedonenſes Patres profeſſi ſunt, haudquaquam conati excutere hanc ſibi injectam NECESSITATEM.

Incentores illis non adfuerunt Lutherani, qui Chalcedonenſibus Patribus ſuggeſſiſſent verba, quæ loquentes ipſos inducit Suavis: *Se Concilium liberum, & Chriſtianum ſemper poſtulaſſe, non tam ut ſuam cuique ſententiam proferre liceat, aut ut Turcas, & Infideles ab eo Cœtu arceant, quàm ut eos, qui Sacramentis, aliiſque pactionibus in caput ſuum conjurarunt, Judices refugiant: & Sacroſancto Dei Verbo præeunte omnes de doctrina Controverſiæ explorentur, ac definiantur*. Rectus ſcilicet verbi Divini Interpres habitus non fuiſſet Leo, ſed unuſquiſque alius vel ex ipſa Hæreticorum fæce, & nullus Apoſtolicæ Cathedræ, aliis Conciliis nullus, vetuſtiſſimis, ac ſemper inconcuſſis Traditionibus honor nullus habendus fuiſſet? (2)

106 Poſtquam hæc Latii linguâ Lucentius edixit, ita narrationem proſecuntur Acta Concilii. *Qua voce Græcè interpretata per Conſtantinum venerandum Secretarium Sacri Conſiſtorii Maximus Reverendiſſimus Epiſcopus Antiochiæ Syriæ dixit: S.M. Archiepiſcopus Flavianus Orthodoxè*, ET CONSONANTER BEATISSIMO, ET SANCTISSIMO LEONI *Fidem expoſuit, & omnes eam promptè ſuſcipimus*. Conſonantiam igitur cum Leonis Fide amplexus eſt, & communi quidem omnium nomine, veluti certiſſimum Argumentum, quod *Orthodoxa* eſſet Flaviani Fides. Quamvis autem non omnes tunc ſingillatim ad eamdem ſe Leonis retulerint Auctoritatem, prodigio tamen ſimile videri poteſt, quod illâ, veluti fulmine, afflatus fuerit Juvenalis Hieroſolymitanus. Princeps hic poſt Dioſcorum fuerat in Prædatoria Synodo Epheſina latæ in Flavianum ſententiæ, & adhuc in Chalcedonenſi contumaciam ſpirabat: cumque ſuis Palæſtinis Epiſcopis dexteram ſubſelliorum partem inſederat prope Dioſcorum, deinde ab illa pulſum, tum ne in ſiniſtra potiorem locum cederet Maximo Antiocheno, tum ut prope ſe confidentibus facilius fortaſſe, ac vividius ſuffragaretur. Allatâ verò Legatorum Leonis, ac deinde Maximi ſententiâ hæc de Juvenali narrant Acta. *Exurgens Reverendiſſimus Epiſcopus Juvenalis ſimul cum ipſis* (Epiſcopis videlicet Palæſtinis) *tranſiit in alteram partem: & clamaverunt Orientales, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi*: DEUS BENE ADDUXIT TE, ORTHODOXE: *bene veniſti*. Quemadmodum igitur Maximus voce, ita pedibus (vetuſto Romani Senatus more) Juvenalis, aliique Palæſtini Præſules, iverunt in Leonis ſententiam. Cæteri autem *Orthodoxum* ipſum eſſe inclamantes, eo quòd re ipſa fateretur *Neceſſitatem* damnandi ut Hæreticum Epheſinum Conventum, cujus ipſe præcipuus poſt Dioſcorum ductor fuerat, quia hæc Neceſſitas a Pontifice Maximo imponebatur, ejuſdem Romanæ Sedis Infallibilitati, ac Eminentiæ ſupra Concilia, ſunt præclariſſimè ſuffragati. (3)

CAPUT XXIV.

In Dioſcoro, ac Eutychete reiicientibus omnem Explicationem Fidei, & confugientibus tantùm ad Sacras Literas, expenditur Hæreticorum mos, ac neceſſitas Pontificiæ Infallibilitatis. Seculares Judices ſententiam non ferunt in Fidei Controverſiis.

106 JUvenalis præſidio nudatum ſe Dioſcorus videns ad Sanctos primò Patres, perperam a ſe intellectos, provocavit: cumque legeretur in Actis, Præſules, qui Conſtantinopolitanæ Synodo interfuerant, duas in Chriſto Domino agnoviſſe Naturas, auſus eſt exclamare: *Ex duabus ſuſcipio, duas non ſuſcipio. Cogor & impudenter agere: de anima eſt mihi ſermo.* Simulatam hanc ſceleſtiſſimi nebulonis Religionem ferre non valuit Euſe-

(1) *Pag.* 95. (2) *Pag.* 88.

(3) *Pag.* 95.

Digitized by Google

Euſebius Epiſcopus Dorylæi, qui proinde: *Tu enim*, inquit, *dudum occidiſti Sanctiſſimum Archiepiſcopum Flavianum, mibi autem vitæ intuliſti diſcrimen*; nunc verò, ſcilicet, admittendi criminis metu conflictaris, ne aſſenſum præbeas Apoſtolicæ Cathedræ, ac Univerſali Concilio eandem obſequentiſſimè venerato? Dioſcori quoque arrogantiam compeſcens *Paſchaſinus Venerabilis Epiſcopus dixit: Licuit Flaviano Epiſcopo, iſto audiente, tantum loqui, quantum iſte loquitur? Glorioſiſſimi Judices, & Ampliſſimus Senatus dixerunt: Sed in præſenti Synodus cum juſtitia celebratur. Lucentius Reverendiſſimus Epiſcopus, & Vicarius Sedis Apoſtolicæ dixit: Juſta eſt Synodus?* DETUR ERGO HUIC, ET ILLI JUSTA SENTENTIA. Judices quidem, & Senatus frequenter interloqui conſueverunt, ut libera omnibus purgandi ſeſe facultas tribueretur; ſed Legatorum conſtantia e ſupremo numquam ſuæ Auctoritatis gradu dejecta eſt; ideoque Lucentius iterum edixit, ſententiam omnino ferendam eſſe in Dioſcorum, ac Eutychetem. (1)

107 In hunc Acta Conſtantinopolitana ſub Flaviano cum legerentur, narratum eſt, quod cum Sanctorum ſelectas Patrum ſententias, repugnantes illius erroribus, eidem Synodus exprobraret, hæc reponerat ſtolidè ſuperbus Archimandrita: *Si verò aliquid contigit, eos* (ſcilicet Sanctos Patres) *in aliquibus dictis aut falli, aut errare, hoc neque reprehendere, neque ſubſcribere*; SOLAS AUTEM SCRIPTURAS SCRUTARI *tamquam firmiores Sanctorum Patrum expoſitionibus, quia Divinæ Scripturæ, ut dicebat, meliores ſunt Patrum Doctrinis.* Neque Patres igitur, neque Concilia, quæ Patrum ſententias interpretantur, in pretio olim habebant Hæretici (ſicut nec habenda a ſuis Lutheranis cenſebat Suavis) qui ſecurius aſſequi ſe poſſe Divinarum ſenſum Literarum confidunt, quàm Univerſa Chriſtiana Reſpublica in Synodis congregata illum fuerit aſſecuta. Quæ hominum monſtra hæc ſunt, Deus immortalis! qui ſibi adjudicant Infallibilitatem in Sacris Voluminibus explanandis, cum eamdem negent Succeſſoribus Petri, licet illis eamdem Servator humani generis in ipſo Petro ſpoponderit, juſſo *confirmare fratres in Fide*, quam in ipſo *nunquam defecturam* efficacibus, quia *ſemper auditis a Patre*, ſuis precibus exoraverit? (2)

108 Ex ipſis Conſtantinopolitanis, & Epheſinis Actis relectis Chalcedone, jamque partim expenſis Capitibus 9. 10. 11. & 12. pauca nunc delibare proſequimur, ex quibus liquet, nondum a quibuſdam Epiſcopis in Chalcedonenſi Concilio conſidentibus Hæreſim expulſam animo in hac prima Synodi Actione fuiſſe. Nil proinde mirum, ſi profeſſi non ſunt, ineluctabilem eſſe Leonis Auctoritatem. Lectæ fuerant inſanæ voces intorquentium Epheſi Anathema in eos, qui Divinam, humanamque Chriſto Domino naturam tribuerant: & Chalcedone Orientales, aliique Epiſcopi negaverant, a ſuo unquam ore hujuſmodi blaſphemias prodiviſſe; ſed *Ægyptij Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*. ISTA TUNC DIXIMUS, ET NUNC DICIMUS. Neque in hac Prima ſolùm Actione, ſed & in Quarta obſtinatum in perfidia exhibuerunt animum, ac *Hæretici* palam a reliquis Præſulibus ſunt appellati. Nicæni ſe, malè adhibito, clypeo Concilii tuebantur, cui proinde conſentaneam eſſe Leonis Epiſtolam poſtea Synodus aſſeveravit, nullatenus in dubium revocans illius veritatem, ſed obſtruens Hæreticorum os ad Nicæna decreta confugientium. At hæc ſuo apertius loco in meridiana luce ſtatuemus. Interim cum Hæretici, ut nulli Concilio ſuccumbant, ab uno ad aliud, ſed a ſeipſis pro arbitrio explicatum, provocent, patet neceſſitas certi Conciliorum Interpretis, & Magiſtri, Apoſtolicæ videlicet Cathedræ, ſupra ipſos Synodos eminentis. (3)

Inſignem hæc inter portenta locum obtinent Proteſtantes, quorum poſtulata frequenter commemorat Petrus Suavis, exigentium, ut ad lydium *puri puti Verbi Divini* lapidem omnia in Conciliis expendantur. (4)

109 Cum legerentur Conſtantinopolitana in Eutychetem Acta, & narratio perveniſſet ad Interrogationem, qua Florentius Patricius ex illo quæſiverat: *Duas Naturas dicis, & conſubſtantialem nobis? dic*: veritus religioſus Princeps, Expræfectus Prætorii, & Exconſul, ne Chalcedonenſes Patres opinarentur, in Cæſarea illum urbe auſum fuiſſe quæſtionibus de Fide ſeſe ingerere, opportunum putavit, omnem a ſe ſuſpicionem amoliri. Quare *poſtquam recitatum eſt, magnificentiſſimus Patricius dixit: Quod dixi, dic, non quaſi interloquens dixi, ſed exhortans eum, ut conſentiret his, quæ a Sancta Synodo dicebantur*. Cumque paulò poſt adjectum fuiſſet: *Magnificentiſſimus, & glorioſiſſimus Expræfectis, & Conſulibus, & Patricius Florentius dixit: Confiteris duas Naturas poſt adunationem? Dic. Si non dixeris, damnaberis*: proteſtatus iterum fuit Chalcedone, ſe non fuiſſe diſcuſſorem Myſteriorum Fidei: *Et cum recitarentur, Magnificentiſſimus Patricius dixit: Iſtud, dic: Si non dixeris, damnaberis*:

(1) *Pag.* 99. & 100. (2) *Pag.* 103.

(3) *Pag.* 118. (4) *Pag.* 107.

beris: non quaſi interloquens dixi, ſed quia videbam inſtantes ei omnes, hortabar eum conſentire. Cum demum tertiò ſe compellatum audiret, disertè negavit, a ſe dicta fuiſſe illa, quæ tunc ſibi tribuebantur, & apertè profeſſus eſt, vetitam Secularibus Judicibus eſſe Articulorum Fidei perquiſitionem: *Magnificentiſſimus, & glorioſiſſimus Patricius Florentius dixit: Qui non dicit, Ex duabus Naturis, & duas Naturas, non credit rectè. Et cum legerentur, Magnificentiſſimus Patricius dixit: Hanc interlocutionem non dixi*; Neque enim idoneus eram dicere: utque melius hunc locum interpretamur ex Græcis Actis: Neque enim idoneus eram dogmatizare. Prudenter hìc margini Conciliorum Collectores appingunt: *Principes Seculi idonei non ſunt, qui tractent Eccleſiaſtica Dogmata*. Expungenda deinde ex Actis hæc verba fuiſſe Florentius affirmavit, ſi ea notata in illis animadvertiſſet: *Magnificentiſſimus Patricius dixit: Quando mihi relecta ſunt geſta, ut ea reprehenderem? Quippe cum quærenti mihi ea relegere, non dederunt*. Si nec in Urbe Cæſarea, nec regnante Juniori Theodoſio Eutychetis fautore, nec in Synodo non niſi Provinciali, idoneum ſe Florentius exiſtimavit ad ferendam ſententiam, imò & ad interloquendum de Fidei Controverſiis, multò minus hoc præſtare auſus fuiſſet in Generali Concilio, procul ab urbe Regia, & imperante Marciano Religioſiſſimo, & Eccleſiaſticarum Legum obſervantiſſimo Principe. Qui ergo Chalcedonenſi Concilio iuterfuiſſe leguntur Judices, ac Senatus, aderant ſolùm ad turbas compeſcendas, non ad ſolvendas Fidei Quæſtiones: ac Synodum quidem patrocinio tegebant, illam verò nequaquam moderabantur. Hinc etiam eruitur, neque ipſos Cæſares fuiſſe præcipuos Conciliorum Convocatores, licet hæc honoris gratiâ indicta ab illis fuiſſe dicantur. Ille quippe Synodis præeſt, qui eaſdem cogi jubet. Cum ergo profectò Cæſarei Adminiſtri Synodis non præfuerint, conſtat, quod nec ipſi Cæſares fuerint præcipui Synodorum Juſſores, ſed executi ſint Pontificis Maximi voluntatem, cujus Legati fuerunt Conciliorum Moderatores. (1)

Cur ſententiæ ferendæ idoneum ſe Florentius Patricius, Exconſul, & Judex a Cæſare deſignatus, minimè arbitrabatur, ſi Petrus Suavis confidentiſſimè pronuntiavit, habitas initio naſcentis Eccleſiæ fuiſſe Synodos *convocatis Hieroſolymam quatuor Apoſtolis, & quotquot in ea Civitate commorabantur, fidelibus?* Iverunt igitur, auctore Suavi, in ſuffragia omnes, pueri videlicet etiam, & fœminæ, & multa omnino hominum millia? Idem præterea frequenter inducit Principes Proteſtantes, & alios Provinciarum Rectores dicentes, *ſe nullum facturos operæ pretium, ſi id genus Conciliorum congregetur, in quo ſolis Epiſcopis, & Præſulibus jus ſuffragij concedatur*. Ac paulò ante ſtatuerat eorumdem ore. *Ejuſmodi Concilium, quale ab annis Octingentis obtinuit, omnino reijciunt, ac repudiant, neque illius ſe judicio ſubmittunt Proteſtantes*. Siccine? Non reiiciebant igitur Synodum, quæ imitaretur morem Chalcedonenſis habitæ annis Mille ac centum ante Tridentinam. Sed in illa non ſolùm non tulere ſententiam Eutyches, Dioſcorus, aliique profeſſi Hæreſim, ſed neque Cæſarei Judices Catholicæ Fidei retinentiſſimi. (2)

110 Prope finem Actionis Primæ Chalcedonenſis Concilii lectum eſt ex Epheſinis Actis decretum Dioſcori prohibentis Declarationem Fidei, & falsò affirmantis, vetitam illam a Primo Epheſino Conventu fuiſſe. Hoc autem eo ſolùm conſilio dixit, ut Flavianus, ac Euſebius Dorylæus condemnarentur, qui nullius Hæreſis, & explicatæ ſolummodo Fidei, rei inſimulabantur. Sufficiat ſpecimen dare in ſententia, quam protulit Juvenalis, tunc Dioſcori Signifer: *Seſe alienos a Sacerdotio, & gradu Epiſcopali monſtraverunt Flavianus, & Euſebius, qui conati ſunt addere, & minuere aliquid de Sancta Fide, quæ in Nicæa a Sancto Concilio expoſita eſt, quam & confirmavit Sancta & Univerſalis Synodus in hac Epheſia civitate pridem collecta. Quapropter juſtum eſt, eos, qui andent addere aliquid Fidei, aut minuere, alienos eſſe a Sacerdotio, & maximè qui tantam fecerunt confuſionem. Unde & ego conſona decerno Sanctæ, & Univerſali Synodo, & Sanctiſſimo Archiepiſcopo Dioſcoro, alienans eos ab Epiſcopatus dignitate*. Cum expendimus verba Epheſini Decreti, demonſtravimus, nullatenus ab illo vetari, nec porrò vetari potuiſſe, celebrandis in poſterum Synodis Explicationem Fidei, multòque minus præſcriptam Legem ullam fuiſſe Maximis Pontificibus, quibus minorem ſe Sanctiſſimus ille Cœtus multiplici argumento profeſſus eſt. Dogmata ſolùm contraria veritatibus eò uſque definitis inſeri Symbolo, aut quomodocumque ſanciri, neceſſariò interdixit. Hic porrò ſolùm innuimus, quod ſi naſcentes in dies Controverſiæ ſolvi non poſſent, & ea disertè declarari, quæ implicitè continentur in Articulis antea definitis, Hæreſes invaleſcerent, neque via ſupereſſet ad illas e me-

(1) *Pag.* 145. & 146.

(2) *Pag.* 2. 19. & 20.

e medio tollendas. Cum verò Veterum Synodorum Definitiones Hæretici ad ſuorum Errorum tutelam detorqueant, (quo pacto Eutychiani abutebantur nomine Nicænorum Patrum) cumque nihil repugnans perfidiæ ſuæ declarari velint a Novis Conciliis, profectò conſopiri cupiunt in impietate populos a ſe deceptos. Perneceſſarium igitur eſt, opportunas identidem fieri ab Eccleſiæ Magiſtro, Antiſtite Summo, declarationes, aut ab eodem præſcribi, ut fiant a Sacris Epiſcoporum Congreſſibus. Niſi autem Erroris expers in hoc eidem ineſſet Auctoritas, Hæretici Nova Concilia perpetuò criminarentur, ut auſa contra Vetuſta pugnare. Neceſſe igitur eſt ad ſecurum Eccleſiæ Magiſterium, ut Infallibilis ſit in explicanda Fide Pontifex Maximus. Id autem, quo Eccleſia indiget ad optimum ſui Regimen, divinitus conſtitutum eſſe, vix ipſe Suavis inficiatus fuiſſet. (1)

CAPUT XXV.

Horror oſtenſus a Patribus Chalcedonenſibus erga Dioſcorum, qui ſpreverat Appellationem ad Pontificem Maximum Synodo præcellentem. Hujus Epiſtola proponitur, ut certa Fidei Regula.

111 AUdita condemnatione ſui lata a Dioſcoro Flavianus exclamavit (ut recenſitum eſt in Chalcedonenſi Concilio) *Appello a te. Hilarius Diaconus Romanæ Eccleſiæ dixit: Contradicitur.* Cum huc legendo ventum eſſet, *Orientales, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt. Anathema Dioſcoro.* HAC HORA DAMNAVIT, HAC HORA DAMNETUR. *Sancte Domine, tu illum vindica. Catholice Imperator, tu illum vindica.* LEONI MULTOS ANNOS. *Patriarchæ multos annos.* Digniſſimus animadverſione videtur horror, & execratio, quâ Præſules optimi correpti ſunt audientes contemptam a Dioſcoro fuiſſe Appellationem ad Eccleſiæ Hierarcham. Compeſcere ſe proinde nequiverunt, quin clamoribus abrumperent lectionem cæterorum, quæ in Epheſino Latrocinio contigerant, atque in Dioſcorum, qui primæ huic Actioni aderat, inveherentur. Immane igitur crimen viſum eſt, quod præſtantior Univerſali Concilio Epheſino habitus non fuerit Romanus Epiſcopus, ad quem, ut Synodo antecellentem, Flavianus appellaverat. Ac tale quidem hoc Dioſcori ſcelus exiſtimatum fuit, ut in illius ultionem implorandum eſſet Secularis etiam Poteſtatis auxilium. Idcirco non ſolùm elatis in Cælum vocibus dixerunt: *Sancte Domine, tu illum vindica*; ſed etiam, *Catholice Imperator, tu illum vindica*. (2)

Sexcentos igitur, ac triginta, quotquot ſcilicet erant Chalcedonenſes Præſules, Teſtes habemus, qui palmaris mendacii Suavem inſimulant, ita coarctantem intra Suburbicarias Eccleſias Pontificiam Auctoritatem, ut ex hoc ſequatur, omnino non licere Transmarinas Appellationes. Non modò permiſſum affirmant, provocare ad Romanum a ſingulorum ſententia Præſulum, ſed etiam a Decretis Univerſalis Concilii, ac immane crimen eſſe putant, ſi hujuſmodi Appellatio reiiciatur. (3)

112 Neque alium in Dioſcoro reatum explorandum eſſe Patres cenſuerunt, cum ſatis ſuperque eſſet ad illum e piorum ſodalitio abigendum, quod veritus non fuiſſet Leonis Auctoritatem. Vis maxima ineſt vocibus illis: *Hac hora damnavit*: videlicet non coercuit Sententiam contra Flavianum poſt Romanam Appellationem: *hac hora damnetur.* Neque prætermittendus eſt abſque nota plauſus ille: *Leoni multos annos*: *Patriarchæ multos annos*; oſtendit enim impetum geſtientis obſequii erga Chriſtianorum omnium Patrem, ac perfugium eorum, qui a Synodis injuſtè damnantur. Cum verò idem *Patriarcha* nuncupetur, dum ſermo eſt de Orientalibus Antiſtitibus ad illum confugientibus; indicatur, eumdem agnoſci Principem Patrum non ſolùm intuitu populorum ſpectantium ad Occidentem Solem, ſed etiam ad Orientem, & ubicunque demum terrarum. Quod ſi quis ineptiret affirmans, Patriarchæ nomen cadere ſupra Præſulem Conſtantinopolis, profectò in vetuſtis Eccleſiæ monumentis egregiè peregrinaretur; hic enim Titulus numquam illius Urbis Antiſtiti tributus fuit in Synodis ante Quintum Concilium: inque hoc ipſo Chalcedonenſi Anatolius ſemper dictus fuit *Archiepiſcopus*. Neque ullus de illo ſermò fuerat in Actis Epheſinis; quæ tunc legebantur; erat enim eo tempore Anatolius ſolummodo Dioſcori Apocriſarius. At Flaviano, qui jam receptus in Cælum fuerat, ſtultum fuiſſet multos in terris annos precari. (4)

113 Producta in longum Actione Prima, antequam Patres dimitterentur, ut animum ad habendum Secundum Congreſſum compararent, interfati ſunt Judices, & Senatus, vide-

(1) Pag. 183.

(2) Pag. 183. (3) Pag. 243. (4) Pag. 148.

videri ſibi, omnium ſententiis, ac ſubſcriptionibus de more damnandum Dioſcorum, & alios, qui primas partes obiverant in Prædatoria Synodo Epheſina. Non a ſe ipſis autem, ſed a Catholicis Epiſcopis dicendam Sententiam juxta Concilia, & Patres. Deinde verò, quaſi certam Definitionis ferendæ Regulam, Leonis Epiſtolam proponentes, hæc ſubiiciunt: *Etenim Reverendiſſimus Archiepiſcopus Senioris Urbis Romæ* LEO *adverſus Eutychis inſidam, & contrariam Catholicæ Religioni emergentem dubitationem* VISUS EST *ad Reverendæ memoriæ Flavianum* MISISSE EPISTOLAM. Non magni ponderis videri poteſt, quod Seculares Judices certam Fidei Legem opinentur eſſe Epiſtolam ex Apoſtolica Sede dictatam, cum hoc ipſum cenſuerit Univerſa Synodus, multò majori pollens auctoritate. Sed neque contemnendum videtur Seculare Judicium, ex quo congruenter arguitur, pervulgatam ea tempeſtate fuiſſe, ac Notoriam omnibus Chriſti cultoribus Pontificiam Infallibilitatem. (1)

CAPUT XXVI.

Seculares Judices doceri petunt ab Epiſcopis; hi verò, cęteroqui omnem novam Fidei Definitionem exoſi, velut ineluctabilem tamen admittunt illam, quam ſcripſerat Leo Conciliis prę́ſtans, & non ſubjectus Erroris periculo.

114 NOn immorabimur ulterius in expendendo Sedium ordine, ſicut enim in Prima præſtitum fuerat Actione, ita in hac Seeunda, quam explorare aggredimur, & in cæteris, ſemper omnium Primi Leonis Legati conſederunt. Præſtat verò commemorare initium ſermonis habiti a Judicibus, & Senatu, qui cum de Flaviano, ac Euſebio Dorylæo dixiſſent: *Oſtenſi ſunt tunc crudeliter, & non decenter damnati*, ideoque videri poſſent, ingerere ſe ferendæ in eorum condemnatores Sententiæ, ut hujus a ſe audaciæ ſuſpicionem amoverent, ſubjecerunt ea, quæ ſequuntur. DOCERI, QUÆ AD RELIGIONEM PERTINENT, RECTÈ DESIDERAMUS, *& omnem ambiguitatem auferri ex omnium Sanctorum Patrum concordia, & conſenſu, & conſona expoſitione, & doctrina. Feſtinate ſine ullo timore, & gratia, atque inimicitia, Fidem puram exponere, ita ut & qui videntur non eadem cum omnibus ſapere, per veritatis agnitionem ad concordiam revocentur. Scire enim vos volumus, quod tam Sereniſſimus, & piiſſimus Terræ Dominus, quàm nos Catholicam Fidem a Sanctis trecentis decem, & octo, & a Sanctis centum, & quinquaginta, necnon etiam & a cæteris Sanctiſſimis, & glorioſiſſimis Patribus traditam cuſtodimus, & ſecundùm ipſam credimus.* Igitur *doceri cupiunt a Patribus*, neque ulli ſuffragari, aut nocere volunt Interlocutiones ſuas. Ex hoc autem efficitur, Cæſares non eſſe præcipuos Conciliorum Convocatores, perinde ac ipſorum Miniſtri non ſolùm eorumdem Præſides minimè ſunt, ſed neque cum Epiſcoporum ultimis Sententiam ferunt in rebus ad Religionem ſpectantibus. (2)

Sed cur a Hieroſolymitana conſuetudine, commendata a Petro Suavi, reſiliebant, nec exemplo præibant Lutheranis, qnos idem frequenter inducit ſuffragium in Synodis efflagitantes? (3)

115 Quia verò Fidei Expoſitionem, ac Doctrinam, ex omnium Epiſcoporum conſenſu, & concordia Judices ac Senatus flagitaverant, ingrata hujuſmodi poſtulatio Patribus accidit. *Reverendiſsimi Epiſcopi clamaverunt: Expoſitionem alteram nullus facit:* NEQUE TENTAMUS, NEQUE AUDEMUS EXPONERE. *Docuerunt enim Patres, & in ſcriptis cuſtodiuntur, quæ ab eis ſunt expoſita, & citra ea docere non poſſumus.* Dupliciter interpretari poſſumus hujuſmodi Exclamationem. Aut enim Præſules formidarunt, Judices, ac Senatum optare aliquid addi Declarationi Catholicæ veritatis a Leone ad Flavianum ſubmiſſæ: aut omnino manum admovere Fidei quomodocumque elucidandæ detrectabant. Si quidpiam addere Pontificiæ Definitioni perhorruerunt, ipſam enimvero conteſtati ſunt certiſſimam eſſe rectè credendi Normam. Si qualemcumque novam Expoſitionem averſati ſunt, eximium deinde honorem habuerunt Literis Leonis, quibus, velut e Cælo miſſo Veritatis Oraculo, dedere plauſum. (4)

116 Et profeſſi quidem Patres illico ſunt, a Leone prodire poſſe Fidei Explicationem, quam vetitam eſſe Univerſali Synodo inclamaverant. Huic proinde præſtantem Pontificem Maximum, & ab errandi periculo longius, quàm ipſa Synodus, remotum aſſirmaverunt. Hæc certè vis verbis mox aſſerendis ineſt, ſi eorum penetralia, & latentem in illis emphaſim introſpiciamus. Poſt averſionem quippe animi oſtenſam a Patribus erga Fidei Expoſitionem a Concilio formandam, ſubiiciunt Acta. *Cecropius Reverendiſſimus Epiſcopus Sebaſtopolitanus dixit:* Emer-

(1) *Pag.* 194.

(2) *Pag.* 201. (3) *Pag.* 2. (4) *Pag.* 201.

Emerſerunt, quæ ad Eutycheu pertinebant, & ſuper ijs FORMA DATA EST A SANCTISSIMO ARCHIEPISCOPO ROMANÆ URBIS, ET SEQUIMUR EAM, ET EPISTOLÆ OMNES SUBSCRIPSIMUS. *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt:* ITA OMNES DICIMUS. *Sufficiunt, quæ expoſita ſunt.* ALTERAM EXPOSITIONEM NON LICET FIERI. Hoc enimvero non unius Cecropii, ſed omnium Epiſcoporum Pronuntiatum abunde eſt ad triumphum veritatibus plurimis aſſerendum. Primò ſcilicet hinc eruitur, manifeſtam fuiſſe Chalcedonenſium Patrum ſententiam, quod Prima Sacroſancta Synodus Epheſina dum prohibere viſa fuit novas Expoſitiones Fidei, illas Romano interdicere Pontifici minimè ſomniavit. Cæteroqui enim quonam pacto hanc a Leone prolatam ultro excepiſſent, ſi eam tradendo Pontifex Epheſina Decreta ſprevisset, a quibus etiam Romano Antiſtiti leges præſcribi opinati fuiſſent? Et audent hac tempeſtate Schiſmatici affirmare, ipſi etiam Petri Succeſſori ab Epheſino Concilio injecta fuiſſe vincula, quibus quoniam innodari noluerit, excuſſus fuerit a Regimine Univerſalis Eccleſiæ? Et ſunt, qui proinde ſolius nunc Occidentis Romano Patriarchæ Juriſdictionem attribuant, & alii omnino pauci blaſphement, ipſum a quavis excidiſſe Sacra Chriſtiani Populi Præfectura? Ad os illorum veſaniæ comprimendum palmaris hæc ſufficiat Chalcedonenſium Patrum Atteſtatio. (1)

117 Non ſolùm ex hoc loco pulcherrimo fabuloſæ Romani Pontificis compedes infringuntur, ſed etiam illius Principatus ſupra Generales Synodos vindicatur. Secunda quippe, profectò Univerſalis, Epheſina ſanciverat Fidem pugnantem cum illa, quæ in Leonis Epiſtola continebatur. Si ergo huic Epiſtolæ ſtandum eſſe Patres decernunt, majorem in illa fatentur, quàm in numeroſiſſimo Epiſcoporum Cœtu Auctoritatem.

118 At quod Infallibilis omnino ſit Pontificia Definitio, disertè Chalcedonenſes Patres inclamant. Cum enim Cecropius dixiſſet: FORMA DATA EST A SANCTISSIMO ARCHIEPISCOPO ROMANÆ URBIS: cæteri Præſules intonuerunt: ALTERAM EXPOSITIONEM NON LICET FIERI. At cur non liceret, ſi Pontificia Fidei Forma refingi, ac reformari poſſet? (2)

Neque ſuâ fraudati notâ hinc mihi abeant Nuntii Hæretici Principis apud Suavem affirmantes, *Pontifici non permittendum, ut Præſidis auctoritatem ſibi ſumat, ſed ei Concilio ſe ſubmittat, & Epiſcopis jusjurandum remittat, quò libera ſint ſuffragia.* At minimè ſibi licere putant Chalcedonenſes Patres de alia, præter illam, quam ipſis præſcripſerat Leo Pontifex Maximus, Fidei Formula cogitare. (3)

119 Licet omnes Epiſcopi Leonis Epiſtolæ ſubſcripſiſſe perhibeantur, quia plerique id, ac ferè omnes præſtiterunt, ſupererant tamen nonnulli venenum Eutychetis adhuc foventes animo. Ad hos reſpiciens *Florentius Reverendiſſimus Epiſcopus Sardium dixit &c. Quamvis in noſtra perſona,* QUI EPISTOLÆ SANCTISSIMI LEONIS SUBSCRIPSIMUS, *non indigeamus correctione.* Iterum ergo Romanum Catholicæ Veritatis Magiſterium obſequenter exceptum cenſetur comprobatio certiſſima veræ Fidei, eorum mentes illuſtrantis, qui ſe Apoſtolicæ diſcipulos Cathedræ profitentur. At certum hujuſmodi argumentum nequaquam eſſet, ſi Apoſtolica eadem Cathedra errare docendo poſſet. (4)

CAPUT XXVII.

Non aliter a Chalcedonenſi Concilio ſuſcipitur Nicænum, & Epheſinum Primum, quàm juxta Interpretationem Leonis, qui proinde agnoſcitur Major Synodis, & Infallibilis.

120 IN hæc hucuſque allata, & mox afferenda incidens Concilii loca incredibili ſimul gaudio, admiratione, dolore corripior: gaudio quidem, quod hæc mihi acutiſſima cœleſte hoc armamentarium tela ſuppeditet: admiratione autem, ac dolore, quòd non omnes vitali hucuſque ab iiſdem vulnere ſauciati fuerint. *Cecropius Reverendiſſimus Epiſcopus Sebaſtopolitanæ civitatis dixit &c. Precamur, ut ea, quæ Sanctorum Patrum trecentorum decem, & octo ſunt,* ET QUÆ SANCTISSIMI LEONIS, RECITENTUR. Quemadmodum igitur a Sanctis Nicænis Patribus certas proponi putabat credendi Leges, ita & ab Epiſtola Leonis Pontificis Maximi. Cumque nemo fuerit refragatus, parem ſaltem in uno Leone confiteri viſa eſt Synodus, ac in Sanctis Trecentis decem & octo Patribus Auctoritatem. In illis autem, utpote Capiti ſuo Pontifici Maximo conjunctiſſimis, Supremam, & nulli ſubjectam Errori Catholica ſemper Eccleſia venerata fuit. (5)

121 Sed levia ſint iſta. Nec ipſam Nicænam

(1) *Pag.*201. (2) *Pag.*201. (3) *Pag.*407. (4) *Pag.*202. (5) *Pag.*202.

nam Auctoritatem aliter in animum admiſerunt Chalcedonenſes Epiſcopi, quàm perinde ac illam Leo Pontiſex interpretabatur. Poſt lectum certè Nicænum Symbolum *Reverendiſsimi Epiſcopi clamaverunt. Hæc Catholicorum Fides &c. Omnes ita credimus.* Papa Leo sic credit. *Cyrillus ita credidit.* Papa Leo ita interpretatus est. Ergo Leonis Interpretatiò, & Maximi Pontificis Fides eſt certa Chriſtiano Populo credendi Norma: & neque ipſi Sacroſancto, ac Evangeliis comparato, Nicæno Concilio aliter præſtandus aſſenſus eſt, quàm juxta Pontificiam Interpretationem. At omnino contrariam adhibuerat Epheſina Secunda Synodus Generalis? Quid tum? Non Synodali, ſed Pontificiæ adhærendum eſt Explicationi ex Chalcedonenſis Concilii Sententia. Idem igitur Concilium potiorem Synodis habet Romanum Pontificem, eumdemque cenſet impotem falli. Profectò enim certus aliquis Interpres veri ſupereſſe debet, ſi optimo magiſterio inſtruenda eſt Eccleſia Dei. At inſtruendam eſſe quis neget? Si ergo non exempta neceſſariò Errori ſunt in explicanda Fide Concilia a Romano Pontifice non directa, & illuſtrata, tanquam a ſuo Capite, ac Rectore, neque hæc ipſa cogi frequenter poſſunt: procul abeſſe debet ab errandi periculo Apoſtolica Sedes, a qua confirmari fratres in Catholica veritate præcepit Deus humanitatem indutus. Verba illa: *Cyrillus ita credidit*: adjectà ſunt ad infringendam audaciam Dioſcori, qui Succeſſor, ac dedecorator Inſularum Cyrilli, ejuſdemque conſanguineorum crudeliſſimus inſectator, exiſtimari tamen volebat doctrinæ Cyrilli contra Neſtorium defenſor. Quid, quod eamdem Cyrilli doctrinam probaverat, utque ſuam aſciverat Sancta Prima Synodus Epheſina, a Cæleſtino, Xyſto, ac Leone, Romanis Pontificibus confirmata. Plauſus ergo datus Fidei Cyrilli in Epheſinam Primam Synodum, Romanoſque Pontifices redundavit. Imò ab horum ſolummodo Confirmatione certitudinem hauſit Cyrilli fides, alioqui ſubjecta deceptionis periculo. Nec omiſerim animadvertere, exclamatum quidem fuiſſe a Synodo: *Cyrillus ita credidit*; non autem: *Cyrillus ita interpretatus eſt*: veluti dictum fuerat de Leone, qui proinde ſolus habitus fuit certus Synodorum Explanator. (1)

Et iniquum fortaſſe videtur Suavi, quod Pontificiæ Chriſtianus populus Definitioni ſubiiciatur; inducit enim Conventum Smalchaldicum ita loquentem: *Opinionem eſſe iniquam, & quæ ſapit Tyrannidem, Pontificis poteſtatem Eccleſiæ totius auctoritati præferre?* Quod autem Hæreticorum ore loquens venenum, quod ipſe animo conceperat, videatur effundere, liquet ex innumeris locis Mythiſtoriæ, quam contexit, in quibus perpetuò Vaticanum impugnat, & Novatoribus ſuffragatur, quos Eccleſiæ Reformatores appellat: veluti cum de Hermanno Colonienſi, qui ad Lutheri partes poſtea tranſgreſſus eſt, ait: *Eccleſiæ ſuæ emendationem cogitans Concilium Epiſcoporum ſuæ ditionis coegerat, in quo Decreta de Religione facta.* Inſultat Romanis, poſt Zwinglii, ac Lutheri mortem meliora ſperantibus, hoc uſus impio, & vecordi epiphonemate: *Illuſtri argumento, tam copioſam meſſem ab altiori cauſa, quàm Zwinglii coloni opera proveniſſe.* Ac de Luthero ait: *Quæ deinceps ad noſtra uſque tempora ſunt conſecuta, ſatis ſuperque teſtatum reliquerunt, mutationis tantæ cauſas alias fuiſſe multò potentiores, abſtruſioreſque, Lutherum verò tantummodo Miniſtrum.* Conqueſtus de Maria Britanniæ Regina, quæ Fidei perduelles inſectabatur: *Tunc primùm*, inquit, *non ſine multorum admiratione auditum, Reformationis Auctores Religionis causá ſanguinem effundere.* Sed fruſtra ſit, argumenta venari ad pateſaciendum Suavis animum Hæreticis addictiſſimum, cum extent illius ad eoſdem Epiſtolæ flagrantiſſimum votum ſpirantes Reformatæ, quam appellat, Fidei per Italiam quoque ſpargendæ. Niſi fortè, cum Romanam, quam medullitus deteſtabatur, Religionem palam profiteretur, nulla illius cordi Religio inerat. (2)

122 Quod oſtendimus de Nicæno, idem affirmamus de Epheſino Primo Sacroſancto Concilio. Hoc enim Chalcedonenſes Patres roborari profeſſi ſunt Confirmatione Leonis. Narratur quidem in Actis, lectas poſt Nicænum Symbolum fuiſſe duas Epiſtolas Cyrilli, ad Neſtorium unam, alteram ad Joannem Antiochenum. Sed quis ignorat, Epiſtolas illas probatas, & ſubſcriptas ab Epheſino Concilio fuiſſe, ideoque illarum ſententias cenſeri Univerſæ Synodi ſanctiones? Vis ergo, quæ illis Epiſtolis a Leonis Comprobatione tribuitur, præbetur pariter Epheſino Concilio. Igitur poſt Epiſtolarum Cyrilli lectionem *Reverendiſsimi Epiſcopi clamaverunt: Omnes ſic credimus.* Papa Leo sic credit: *Anathema ei, qui partit, & ei, qui dividit.* Hæc Fides Leonis Archiepiscopi. Leo sic credit. Leo, & *Anatolius ita credunt. Omnes ſic credimus: ſicut Cyrillus, ita credimus. Æterna memoria Cyrilli. Sicut Epiſtolæ Cyrilli habent, ita ſapimus:*

Sic

(1) *Pag.* 202.

(2) *Pag.* 34. 135. 65. 162. & 434.

Sic credimus, ſic credidimus: Leo Archiepiſcopus ita ſapit, ita credit, ita ſcripſit. Quis non videt, magnam in eo vim fieri, quod Literæ illæ, adeoque Concilium Epheſinum a Leone verum, & integrum, cenſeatur? Oſtendunt enimvero Patres, non adeo ſe impelli ad Epiſtolas illas, adeoque ad Synodum ſuſcipiendam, ab earumdem Epiſtolarum, ipſiuſque Synodi, ut a Leonis, Auctoritate. Ipſa ergo Synodo potiorem, & ab erroris periculo remotiorem exiſtimant Pontificem Maximum. (1)

123 Nimium, ideoque nihil, hac noſtra ratiocinatione evinci Suavis affirmaret; non ſolius enim Leonis, ſed etiam Anatolii nomen inſertum plauſibus fuit. Si ergo quidpiam ex Leonis, id ipſum ex Anatolii compellatione conficitur. At pretium Epheſinæ Primæ Synodi non augetur ex eo, quòd illam Conſtantinopolitanus Præſul admittat. Neque igitur ſumit incrementum ex eo, quòd illam probet Romanus. Ita ne verò? Sed, heus tu, cui livor hebetat mentem, eodemne pacto Leonis, & Anatolii nomen ad robur adiiciendum Literis Cyrilli, ſeu verius Epheſinis Definitionibus, affertur a Synodo Chalcedonenſi? Semel tantùm Anatolius, neque ſeorſum, ſed Leoni additus recenſetur: *Leo, & Anatolius ita credunt.* Et additum ab uno, vel altero eidem addicto Antiſtite fuiſſe crediderim ad illum laudibus urgendum ad veræ Fidei defenſionem, & cavendum, ne illius animum in præceps aliquando raperet amor Dioſcori, cujus fuerat Apocriſarius. Vel ſuſpicari non vetor, ab ipſo Anatolio fuiſſe nonnullis inſinuatum, ut ſe quoque honoris gratiâ compellarent, veluti, præter Romanum, celebratus fuerat Alexandrinus Præſul Cyrillus. Jam tum enim fortaſſe incendebatur ambitu Primæ poſt Romanam Sedis, quo deinde in hoc ipſo Concilio infæliciſſimè patuit inflatus. Si Patrum plerique Anatolio quoque plauſiſſent, non ſemel tantùm, ſed frequenter appellatus fuiſſet, ut probabili conjectura opinamur. At ea ſolummodo Conciliorum placita contemni nequeunt, quæ certò ſcimus, aut prudenter ratiocinando conſequimur, pleriſque Patrum arriſiſſe. Hujuſmodi eſt comprobatio Epiſtolarum Cyrilli, & Epheſini Concilii petita ab auctoritate Leonis, cujus nomen quinquies ab Epiſcopis Chalcedone congregatis inclamatur: neque in medio tantùm exclamationum æſtu, ſed & in earumdem initio, atque fine. Papa Leo ſic credit. Hæc Fides Leonis Archiepiſcopi. Leo ſic credit. Leo, et Anatolius ita credunt. Leo Archiepiſcopus ſic ſapit, ita credit, ita ſcripſit. Ac tantum quidem Pontificiæ Fidei tribuitur, ut poſt eam prima vice relatam Excommunicatio feratur in illos, qui ab eadem diſcedunt. Papa Leo ſic credit. Anathema ei, qui partit, et ei, qui dividit: videlicet unam Chriſti Domini Perſonam ſcindit in geminas. Uno Verbo. Locus Conciliorum unus alteri aſtipulatur. Innumera porrò ſunt, ex quibus liquet, habitam fuiſſe a Patribus Infallibilem Pontificis Maximi Eccleſiam docentis fidem. Nullus verò penitus, qui decus idem Conſtantinopolitano Præſuli attribuat. Utque in iſtis, quos nunc expendimus, plauſibus immoremur, viſum Patribus fuit, a Leonis tantùm Interpretatione lucem accedere veritati Nicænæ, & ab ejuſdem non voce tantùm, ſed & ſcripto vires, & nervos ſumere Cyrilli Epiſtolas: *Leo ita credit; ita ſcripſit*: ac mox ipſius Leonis Epiſtola veluti Lex, & Regula credendi certiſſima ſtatuetur a Synodo. Nihil tale de Anatolii voce, vel ſcriptis innuunt Chalcedonenſes Patres. Ergo non ſolùm ex eo, quod ſemel idem fuerit ab aliquibus compellatus, ne deteritur Argumentum a nobis numero ſuperiori contortum in Hoſtem Romanæ gloriæ; ſed potius ex eo, quòd ſemel tantummodo, veluti ſubſcriptum Græcorum Jota, Leoni additus fuerit hic tumidus Apoſtolicæ Sedis propemodum Antagoniſtes, videlicet Anatolius Conſtantinopolitanus, idem infra eamdem valido conatu deprimitur. (2)

CAPUT XXVIII.

Legitur in Concilio Chalcedonenſi Leonis Epiſtola Magiſterium exercens, ac Synodo Leges præſcribens.

124 Statim poſt lectum Nicænum Symbolum, & Epiſtolas Cyrilli, quæ Synodi Epheſinæ Decreta cenſebantur, quæque a Leonis Confirmatione firmitatem hauſerant certiſſimæ veritatis, *Glorioſiſſimi Judices, & Ampliſſimus Senatus dixerunt*: Recitetur et Epiſtola Deo digniſſimi Archiepiſcopi Regiæ et Senioris Romæ Leonis. Revocarunt illi quidem ſolummodo in animum Patrum id, quod in Literis ad Chalcedonenſem Synodum datis præſcripſerat Leo, videlicet ut ſua ad Flavianum Epiſtola legeretur, ac juxta illam ferretur in Eutychetem Sententia: ut Capite Vigeſimo oſtendimus.

(1) *Pag.* 204.

(2) *Pag.* 204.

mus. Cum autem illam legi univerſi Patres aſſenſi fuerint, imò & vehementer optaverint, re ipſa confeſſi ſunt, judicandi de rebus Fidei Regulam ab illa eſſe petendam Epiſtola, velut a Nicæno atque Epheſino Primo Concilio. (1)

125 Initium ſolummodo, & quaſdam ejuſdem eloquentiſſimæ ſimul, ac ſapientiſſimæ ad Flavianum Epiſtolæ particulas delibamus. *Lectis dilectionis tuæ literis*, QUAS MIRAMUR FUISSE TAM SERAS. Statim enim admonendus fuiſſet Romanus Fidei Magiſter de Recenti, quæ in Urbe Cæſarea eruperat, Eutychetis Hæreſi. Anatolius ergo Flaviani Succeſſor commonefactus coram Univerſa Synodo fuit, ſe quoque ovem eſſe ſpectantem ad Ovile Romani Paſtoris, ac diſcipulum a Petri Cathedra erudiendum; neque contra hiſcere auſus eſt. (2)

126 Profertur deinde a Leone mirabilis explicatio Catholicæ Veritatis circa Divinæ Incarnationis Myſterium, & impugnatio Eutychianæ blaſphemiæ, quæ hujuſmodi cenſurâ perſtringitur: *Cum* TAM IMPIE' *duarum Naturarum ante Incarnationem Unigenitus Dei Filius fuiſse dicatur*, QUÀM NEFARIE', *poſtquam Verbum Caro factum eſt, Natura in eo ſingularis* ASSERITUR. Cum duplex Eutychetis error *impius* abſque ulla hæſitatione a Pontifice dicatur, atque *nefarius*, nullum profectò Synodo relinquitur Arbitrium de illis conferendi certamen. (3)

127 Hæreſis a ſe explicatæ Condemnationem omnino præcipiens Leo ſubjecto ſibi Concilio, ideoque ſua uſus Auctoritate quò ad *Jus* Fidei, ſolùm quò ad *Factum* infligendæ in Hæreſis Auctorem pœnæ liberam indulget Synodo facultatem moderationis exercendæ erga reſipiſcentem: *De quo ſi fideliter, atque utiliter dolet &c.* NON ERIT REPREHENSIBILIS *erga correctum quantacumque* MISERATIO. (4)

128 Sed in hac ipſa Sententia in Hæreſiarcham ferenda conſilium quidem Præſulum non detrectat, Judicium verò reſervat ſuis Legatis: AD OMNEM VERÒ CAUSAM PIE', AC FIDELITER EXEQUENDAM *fratres noſtros Julianum Epiſcopum, & Renatum Presbyterum tituli S. Clementis, ſed & filium meum Hilarum Diaconum vice noſtra direximus: quibus Dulcitium Notarium noſtrum, cujus fides nobis eſt ſæpe probata, ſociavimus, confidentes adfuturum Divinitatis auxilium, ut is, qui erraverat, damnata* SENSUS SUI *pravitate, ſalvetur*. Quamvis hìc nominentur Pontificii Legati ad Epheſinum directi Concilium, quod in Prædatorium degeneravit; tamen cum hanc ipſam Epiſtolam in Chalcedonenſi legi præceperit Leo, & ampliſſimam aliis Legatis tribuerit ejuſdem Chalcedonenſis Concilii Præfecturam, proculdubio idem ferendæ in reos Sententiæ Jus novis Legatis inhæſit, ex vi quoque hujus Epiſtolæ, præter alia quamplurima argumenta. Prætermittamus cætera hujus, verè Pontificiæ, Epiſtolæ loca, quam miris laudibus omnia deinde ſecula ſunt proſecuta, cum Narratio feſtinet ad plauſus illi datos a Chalcedonenſi Concilio. (5)

(1) *Pag.*204. (2) *Pag.*204. (3) *Pag.*210. (4) *Pag.*210.

CAPUT XXIX.

Leonis Epiſtola, velut e Cælo ſcripta, & Infallibilis, miris a Concilio laudibus in Cælum fertur.

129 IN aliquibus Græcis Codicibus hujus Concilii poſt hanc Epiſtolam inſeruntur teſtimonia quædam Sanctorum Patrum, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Ambroſii, Joannis Chryſoſtomi, Auguſtini, Cyrilli, adjuncta a S. Leone Magno alteri ſuæ ad Leonem Auguſtum Epiſtolæ. Sed utcunique hìc etiam a quibuſdam recenſeantur, profectò, quod lecta fuerint in Concilio, nullum veſtigium ſupereſt, imò Acta oſtendunt, ſtatim poſt auditam Epiſtolam Pontificiam inclamaſſe Patres. Sic enim inquiunt eadem Acta. *Poſt lectionem autem prædictæ Epiſtolæ Reverendiſsimi Epiſcopi clamaverunt: Hæc Patrum Fides, hæc Apoſtolorum Fides.* OMNES ITA CREDIMUS. ORTHODOXI ITA CREDUNT. ANATHEMA EI, QUI ITA NON CREDIT. Quàm vividum ex hujuſmodi vocibus emicat geſtientis animi obſequium! Alacrius certè non intonuerunt optimi Antiſtites poſt lectam Nicænam, & Epheſinam in Cyrilli Epiſtolis Fidem. Imò illi auctoritatis incrementum addiderunt ex ipſius Leonis ſuffragio. Nunc autem ab unius Leonis atteſtatione ſatis evinci credunt, Paternam, & Apoſtolicam eſſe illam, quæ in Pontificiis Epiſtolis continebatur, ac talem eſſe, quam Catholici omnes amplectantur, & a qua recedentes Anathemate percelli debeant. (6)

Et affirmare potuit Petrus Suavis: *Epiſcopi* Tridenti congregati *ſperabant*, *Concilium illud Antiſtitum dignitatem in integrum reſtituturum, quam penè univerſam ipſis ademptam Pontifex Romanus ad ſe traxerat.* Et ſperare poterant auferendam Maximo Præſuli poteſtatem, quam a Chriſto collatam

(5) *Pag.*210. (6) *Pag.*215.

Digitized by Google

tam,a ſe imminui non poſſe probè viderunt Chalcedonenſes Patres ? Quam præterea exercebat evoluto proximè ſeculo Romanus Pontifex poteſtatem, quam Leo Magnus Quinto poſt reparatam mortalium ſalutem non exercuerit ? (1)

130 Sed cur nullius Teſtificationem adjectam dicimus ad Leonis Epiſtolam comprobandam ? Negavimus, quemquam in terris quæſitum fuiſſe veritatis teſtem, qui vel tunc degeret inter mortales, vel ſcripſiſſet, dum in hoc exilio ætatem ageret: quia nullum ſingillatim a Patribus Chalcedonenſibus in medium allatum invenimus. Sed alium a Cælo accerſitum non diffitemur; poſt verba enim ſuperius relata ſucclamarunt: PETRUS PER LEONEM ITA LOCUTUS EST. APOSTOLI ITA DOCUERUNT. *Piè, & verè Leo docuit*. A Leonis igitur calamo exarata illa fuiſſe credunt, quæ illi ſuggeſſerit e Cælo Petrus, univerſumque cum ſuo Principe Apoſtolorum Collegium. Hæc affirmantes Antiſtites, niſi Leonis Epiſtolæ tribuerent Infallibilitatem, a Cælo ſe poſſe decipi formidarent. Hæc autem ſuſpicio ab eorum ſapientia longiſſimè abfuit. Imò perinde ac Cæleſtia Oracula ſuis obſequenter capitibus Pontificiam Epiſtolam impoſuerunt. Petrum quoque præ cæteris Apoſtolis compellando indicare voluerunt, illi Leonem in Pontificatu Maximo ſucceſſiſſe; ideoque par eſſe, ut præ reliquis eidem adeſſet Coryphæus Diſcipulorum Chriſti, qui non Leoni, cæteriſque Pontificibus minus, quàm Petro, Fidei conſtantiam, dum Eccleſiam docerent, exoravit a Patre Divino. (2)

131 Neque omittenda ſunt verba, quæ conſequuntur: *Cyrillus ita docuit. Cyrilli æterna memoria.* LEO, ET CYRILLUS SIMILITER DOCUERUNT. *Anathema ei, qui ſic non credit. Hæc vera Fides*. Additur nunc quidem etiam Cyrilli ſuffragium, ſed *Cæleſtis* jam abſque illo habita fuerat Leonis doctrina. Licet autem jam Cælo donatus Cyrillus eſſet, & illuſtrem inter Sanctos Eccleſiæ Patres occuparet ſedem, & illius effata, conſentanea Leonis Epiſtolæ, Generale Sanctum Concilium Epheſinum adoptaſſet in ſua, primum tamen Leo in Synodalibus plauſibus locum tenet. *Leo, & Cyrillus ſimiliter docuerunt*. Hinc etiam indicari ſummum erga Præſidem Eccleſiæ cultum, nemo non videt, præter Suavem, cujus oculi veneno livoris ſuffundebantur. (3)

132 Exclamant denique Antiſtites: *Hæc in Epheſo lecta non ſunt*. HÆC DIOSCORUS OCCULTAVIT. Cauſam igitur Hæreſis in Epheſino Latrocinio confirmatæ refundunt in ſuppreſſam dolosè Pontificiam Epiſtolam. Num verò illâ deſtituti Epiſcopi ſcrutari non poterant Sacras Literas, Sanctos Patres, & alia eò uſque celebrata Concilia ? Profectò poterant, & ad id præſtandum omnino tenebantur. Sed optimus, & maximus Deus, qui Religionis Magiſtrum voluit Eccleſiæ præſidere, permittit, in præceps labi Synodos, quæ ab illo erudiri detrectant. Hoc fateri mihi videntur Chalcedonenſes Patres, dum conqueruntur, quod Epheſi lecta non fuerit Epiſtola Leonis, cui Magiſterium ſimul, & Præfecturam Conciliorum attribuunt. (4)

Hoc in pretio fuit habitus ante annos mille ducentos Romanus Epiſcopus ab ampliſſimo, & numeroſiſſimo Græcorum Concilio. Quàm ferrea fuit frons Petro Suavi appellare non verito Synodum Tridentinam *Remedium in ſpeciem efficax moderandæ immenſæ potentiæ* Romani Pontificis, *quæ ab parvis initiis lapſu temporis excreverat in infinitum*! Tridentinine Patres inire poterant inſanum conſilium imminuendi exercitium Potentiæ Sacroſanctæ, quam nullæ aliæ Synodi deterere fuerant auſæ? Et quænam fuerunt parva illa initia, de quibus ſermonem Scriptor hic vecors inſtituit, nihil deterritus ab Evangelio narrante, juſſum a Reparatore noſtro fuiſſe Petrum ſuas oves paſcere, Univerſam videlicet Eccleſiam, *Chriſti Vineam* procurare, juxta interpretationem hujus ipſius Chalcedonenſis Concilii? Quam præterea, ut iterum hoc in atrocem hoſtem retorqueam, exercebat ineunte Tridentina Synodo Romanus Hierarcha Poteſtatem, & quam exercet in præſens, cujus uſum in Leone Magno Chalcedonenſes Patres obſequentiſſima veneratione non fuerint proſecuti? (5)

CAPUT XXX.

Eutychiani patent nonnulli, qui dubitare potuerunt de quibuſdam ſententiis Leonis Epiſtolæ. Cur eadem dubia ſoluta non ſint confugiendo ad Pontificiam Infallibilitatem.

133 Plauſerant plerique Antiſtitum Leonis Epiſtolæ, ideoque cum potior Concilii pars aſſenſa fuiſſet illius explicationi Catholicæ contra Eutychetem, ac Dioſcorum veritatis, nihil circa Fidem ſupererat definiendum. Plerique illius Epiſtolæ apices omnes vene-

(1) *Pag.*22. (2) *Pag.*215. (3) *Pag.*215.

(4) *Pag.*215. (5) *Pag.*2.

rati fuerant,ſicut a LegeDivina *Jota unum, aut unus apex non præteribit*. Fuere tamen nonnulli ex Illyrico, & Palæſtina Epiſcopi, qui de tribus earum Literarum ſententiis dubitarent. Neceſſarium puto, hìc omnia Concilii, dubitationes hujuſmodi narrantis, verba recenſere, ut pateat,in controverſiam revocari non potuiſſe Leonis Oracula, niſi ab illis, qui quò ad alios etiam Fidei Articulos, compertos Catholicis omnibus,claudicarent. Nulli proinde admirationem faceſſere poteſt, quod Præſules Eutychianæ hæreſi addicti de Pontificia Infallibilitate ſuſpicarentur. Noſtri operis inſtitutum eſt, oſtendere, in Vetuſta Eccleſia pervulgatum, & notoriumCatholicis omnibus fuiſſe,quod Pontifex Maximus errare nequeat,dum Eccleſiam ipſam e Cathedra de Arcanis Divinis informat. Quod autem idem de illo Hæretici opinarentur, probare aggreſſi non ſumus, licet non raró ad eumdem, ut falli neſcium,illos confugiſſe demonſtraverimus, & porró demonſtraturi ſimus. Igitur ſic habent Acta Concilii: *Et cum legeretur pars prædictæ Epiſtolæ, quæ continet: Et ad reſolvendum conditionis noſtrę debitum natura inviolabilis naturæ eſt unita paſſibili, ut quod his remediis congruebat,unus atque idem Mediator Dei, & hominum Homo Chriſtus Jeſus, & mori poſſet ex uno, & mori non poſſet ex altero. Dubitantibus Illyricianis, & Palæſtinis Reverendiſſimis Epiſcopis Aëtius Reverendus Diaconus Sanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ legit Cyrilli San. Mem. Alexandrinæ magnæ civitatis quendam Epiſcopi capitulum ita continens: Quoniam veró iterum proprium ejus corpus gratiá Dei, ſicut ait Paulus, pro omnibus guſtavit mortem; ideo dicitur ipſe paſſus propter nos mortem, non tanquam in experimentum vincens mortis, quod ad ſuam pertinebat naturam (dementis eſt enim hoc dicere, aut ſapere) ſed quia, ſecundùm quod nuper dixi, caro ejus guſtavit mortem*. Cur Cyrilli auctoritas allegetur, mox oſtendemus. Interim animadverto,quod nullus Catholica inſtructus Catecheſi puer ignorabat, inviolabilem naturam Divinam fuiſſe in Chriſto Domino conjunctam humanæ, quæ pati poſſet; ac proinde mortuum illum quidem ſecundùm humanitatem fuiſſe, non ſecundùm Divinitatem. An de hoc dubitare potuiſſent Antiſtites illi, niſi deſtructam in Reparatore noſtræ ſalutis humanam naturam putaſſent,Eutychetis inſaniâ delirantes? Neque minus abſurda fuit dubitatio altera, ſic ab Actis enarrata. *Similiter cum legeretur ex Epiſtola pars,quæ continet: Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium eſt: Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt, & carne exequente, quod carnis eſt. Unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injurijs: dubitantibus Illyricianis,& Palæſtinis Epiſcopis, Aëtius Archidiaconus Sanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ legit S. M. Cyrilli capitulum continens ita: Quædam ſunt voces quàm maximè Deum decentes, quædam veró decentes humanitatem,quædam veró medium quemdam tenentes ordinem, inſinuantes,Filium Dei Deum eſſe, & hominem ſimul.* Qui hanc unam veritatem compertam habet (habent autem Catholici omnes) quod videlicet Deus pariter,& homo fuerit Chriſtus, abſque ulla ambiguitate credit,operari Divinitatem ea, quæ Divina ſunt, exempli causâ Miracula; humanitatem autem exequi, aut perpeti ea, quæ ſunt humana,verbi gratiâ ſuccumbere injuriis. Num Præſules, niſi cum Eutychete humanitatem a Chriſto abrogaſſent, & immigraſſe in Divinam naturam ſtolidè opinati fuiſſent,ignoraſſent ea, quæ pleriſque ab aratro,piſtrino, & caupona ad Eccleſiam accedentibus notiſſima ſunt? Poſtremum denique dubium eoſdem non minus Eutychianæ veſaniæ coarguit. *Similiter cum legeretur ex eadem Epiſtola pars, quæ ita continet. Quamvis in Domino Jeſu Chriſto Dei, & hominis una Perſona ſit, aliud tamen eſt, unde in utroque communis eſt contumelia, aliud, unde communis eſt Gloria. De noſtro enim illi eſt minor Patre humanitas, de Patre illi eſt æqualis cum Patre Divinitas: dubitantibus Illyricianis, & Palæſtinis Epiſcopis Theodoretus Reverendiſſimus Epiſcopus Cyri dixit: Eſt ſimiliter exemplum beatiſſimi Cyrilli ita habens: Et factum hominem,& non mutantem, quod proprium eſt; permanſit enim id, quod erat, intelligitur verè omnino & aliud in alio, quod habitat, ideſt Divina natura in humanitate.* Quamvis Theodoreti erudititiſſimi viri memoriæ obverſatus non fuiſſet locus, quem ſcriptum in Cyrilli codice Aëtius Archid:aconus prę manibus non habebat,quod tamen ſubeſſe dubium poterat Leonis verbis, duplicem in Chriſto Naturam, unamque Perſonam aſtruentibus, & aliud eſſe humanam, aliud Divinam Naturam, ac ſecundùm primam illum eſſe Patre *minorem*, ſecundùm alteram *æqualem* affirmantibus? Quoties hæc veritas ab Athanaſio, aliiſque Patribus fuerat inculcata, inſultantibus Ario, qui eo Evangelii textu, *Pater major me eſt*, dementiſſimè nitebatur? Manifeſtum quippe eſt, Dominum tunc locutum de ſua humanitate fuiſſe, cujus causâ major illo eſt Pater; ideoque nihil colligi exinde poteſt ad inferendum, quod Patri æqualis non ſit

ſecun-

-ſecundùm naturam Divinam. Hæc profectò non latuiſſent Præſules illos, niſi in Servatore noſtro humanitatem abſorptam, abſumptamque penitus opinati fuiſſent. (1)

134 Supervacaneum non fuit, ſedulò recenſere dubitationes de Doctrina Leonis Epiſtolæ ſubortas, cum per ſummam veſaniam Suavis affirmaverit, illius Examen inſtitutum a Chalcedonenſi Concilio fuiſſe, quaſi Univerſa de illius veritate Synodus dubitaſſet. Atque hic certè eſt Argumentorum Achilles, quo a ſe probari Polanus putat, incerta fuiſſe de Pontificia Infallibilitate Concilia. Sed Therſitem verius appellaverim figmentum hoc, quo paucos Antiſtites, eoſque Hæreſi adhuc infectos, producit in medium, tamquam repræſentantes Synodum Univerſalem. Hi certè ſolummodo Illyriciani, & Palæſtini Epiſcopi hæſitare ſe circa tres illas Epiſtolæ Pontificiæ ſententias profeſſi ſunt. At de nulla penitus ambigua fuit Synodus Univerſa, vel numeroſior Synodi pars. Nam ſuffragia, quibus deinde Actione Quarta Patres omnes Leonis Epiſtolæ vindicarunt Conformitatem cum Definitionibus trium eò uſque celebratarum Generalium Synodorum, nullatenus fuerunt ejuſdem Examen Epiſtolæ, ſed confutatio Calumniæ, qua Hæretici mentiebantur, a Chalcedonenſi Concilio, Literas illas amplexo, probari novam, cumque vetuſta pugnantem doctrinam. At hæc ſuo manifeſtiſſimè loco ſtatuemus.

135 Interim liquet, de notiſſimis Catholicæ Fidei Articulis, hoc eſt de humana, ac Divina in Chriſto natura dubitaviſſe, qui de Leonis Epiſtolæ veritate incerti fuerunt. Quid, quod Hereſim ſapere paulò poſt iidem in hac ipſa Actione viſi ſunt, incredibilem erga Dioſcorum amorem præſeferentes, & eorum aliqui in Actione Quarta *Hæretici* ſunt palam a Patribus appellati. At cur eorum hic dubia ſciſſa non ſunt affirmando, falli non poſſe Pontificem Maximum iis in Literis, quas cum juſſiſſet in publica Synodo legi, profitebatur a ſe per illas Eccleſiam edoceri? Itane verò non ſolvendus nodus Auctoritate Cyrilli, ſed, ut Gordius, Alexandrino enſe Pontificię Infallibilitatis ſcindendus erat? At cur Auguſtinus non pepercit labori ſcribendi Librum de Conſenſu Evangeliſtarum? Reſpondere dubitantibus de veritate Sacræ narrationis a pluribus exaratę, eò quòd una pugnans alteri alicubi videatur, uno verbo potuiſſet, negans, ullam ex ipſis falli, quia omnes ſunt Infallibiles? Hanc non inivit viam Sapientiſſimus Eccleſię Doctor: non iniverunt alii plurimi, qui ad os Infidelibus obſtruendum in aperto ſole ſtatuerunt fœdus, quod uni cum altero Sacroſancto Hiſtorico intercedit, vel uni cum altero Univerſali, & ab Apoſtolica Sede confirmato Concilio. Ita igitur, licet impos falli haberetur a Synodo Epiſtola Pontificia (quemadmodum innumeris argumentis frequentiſſimè Synodus eadem oſtendit) tamen arbitrati non ſunt Patres, opportunum eſſe, ad hanc Infallibilitatem confugere ad fauces infirmorum in fide Antiſtitum occludendas. Sed cum iidem magno in pretio haberent, & meritò quidem, Doctrinam Cyrilli, ac ſe jactarent illius contra Neſtorium Defenſores, conſonam eidem eſſe oſtenderunt Leonis Epiſtolam. Fide credenda jam erant, quæ in Literis Cyrilli continebantur, quia comprobata ab Epheſino Primo Concilio, directo ab Apoſtolica Sede, & ab eadem ampliſſimè confirmato. Divina pariter fides præbenda erat Leonis Epiſtolæ, a Petri Cathedra directæ pro credendi Forma ad Synodum Univerſalem. Hanc igitur conferendo cum aliis a Cyrillo datis Chalcedonenſes Patres ſcriptum unum Infallibile cum alio pariter Infallibili contulerunt, eo pacto, quo Evangelium Lucæ facto ipſo cum Marci narratione confertur. Sicut ergo Evangeliorum Collatores non proinde negant eorum Infallibilitatem, quam verbis nequaquam allegant: ita qui Pontificiam cum Cyrilli Epiſtolis comparaverunt, non inficiati ſunt Leonis Infallibilitatem, aliàs a ſe frequentiſſimè aſſertam.

136 Quod Chalcedonenſes Patres oſtenderint, eamdem eſſe Leonis, & Cyrilli doctrinam, ſolummodo ut Hæreticos in veritatis viam revocarent, & non quia putarent Pontificiam Auctoritatem aliena atteſtatione fulciendam eſſe, manifeſtiſſimè conſtat ex iis, quæ paulò ante contigerant. Cum enim e ſuo ſenſu Catholici Epiſcopi locuti ſunt, veram eſſe Leonis Fidem, & in Cælo a Petro dictatam illam Epiſtolam, inclamarunt, nihil de Cyrillo ſoliciti, quia probè noverant, certiſſimum ipſi Leoni aſſenſum neceſſariò adhibendum eſſe. Nunc autem in Cyrilli conſenſione vim faciunt, alienæ ſe infirmitati accommodantes.

Libet hic animum advertere ad ſtultas querelas Petri Suavis, qui de Norimbergenſi decreto locutus addit: *Ex quibus apparet, Edictum, quod flammam controverſiarum credebatur extincturum, eamdem violentius accendiſſe, eòque magis piorum hominum mentibus fixum, immotumque ſedit liberi Concilii deſiderium, cujus beneficio utriſque partibus ei ſe ſubmittentibus, a tot tantiſque malis liberatio expectaretur.* Ita ne verò *pars*

(1) *Pag.* 215. *&* 216.

utraque, Catholica videlicet, atque hujus Caput Pontifex Maximus, & Hæretica, *ſubiicere ſe* Concilio debuiſſet? At quid ſimile Eutyches, ac Dioſcorus, atque hi, de quibus nunc loquimur, Pręſules flagitarunt? An Chalcedonenſes Antiſtites obtemperare Leoni, *parti* ſcilicet uni, juxta Suavis nomenclaturam, recuſaverunt? (1)

CAPUT XXXI.

Epiſcopi omnes, non exceptis quibuſdam adhuc Hæreſi addictis, Leonis Epiſtolæ iterum plaudunt, & ab alio inſtrui recuſant.

137 ILlico ſubnectunt Acta iis, quæ huc uſque perpendimus, ea, quæ ſequuntur. *Magnificentiſſimi Judices, & ampliſſimus Senatus dixerunt: Poſt hæc omnia adhuc quis dubitat? Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Nemo dubitat.* Sive victas manus præbentes, ſive metu perculſi Hæretici ſuos Catholicorum clamoribus immiſcuerint, certè hinc evincitur cultus, quo Maximum ſunt Antiſtitem proſecuti. (2)

138 Obſequium idem patet ex Titulo *Domini, & Patris*, quo Præſul unus omnium nomine Leonem compellavit. *Atticus Reverendiſſimus Epiſcopus Nicopolitanæ civitatis* dixit: QUONIAM NUNC DOMINI NOSTRI, ET SANCTISSIMI PATRIS, & *Archiepiſcopi* LEONIS *adornantis Apoſtolicam Sedem lecta eſt Epiſtola.* Niſi Univerſa Synodus minorem ſe Romano Epiſcopo habuiſſet, reclamaſſet aliquis affirmans, eas *Domini, & Patris Noſtri* appellationes tribuendas Leoni non eſſe a Patribus conciliariter coactis. *Dominus* certè non uni tantùm imperat *Servo, ac Pater filio* ſcorſum ab aliis accepto, ſed omnibus etiam ſimul congregatis. (3)

139 Idem Atticus memor Præceptorum Leonis, qui, præter Eutychetem, Neſtorium quoque juſſerat iterum condemnari, *Oportet*, inquit, *& beatæ memoriæ Cyrilli Epiſtolam ſcriptam ad Neſtorium, in qua jubet, eum conſentire duodecim Capitulis, & hanc dari nobis, ut in tempore diſceptationis parati inveniamur. Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Si jubetis dari nobis inducias, petimus Patres ſimul perſcrutari.* An hic aliquis fortaſſe dicet, petitam fuiſſe perſcrutationem Patrum, quia in controverſiam revocanda eſſet explicata a Leone Veritas Fidei? Sed ſtatim Acta ſubiiciunt. *Magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices, & ampliſſimus Senatus dixerunt: Differatur audientia uſque ad quinque dies, ut inter eos convenias Veſtra Sanctitas ad Sanctiſſimum Archiepiſcopum Anatolium, & communiter de Fide tractetis, &, qui dubitant, doceantur. Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Nos ita credimus.* SICUT LEO, ITA CREDIMUS. *Noſtrum nullus dubitat: nos jam ſubſcripſimus.* Si nullus amplius dubitabat, atque *omnes, ſicut Leo, credebant*, ſeque *illius Epiſtolæ ſubſcripſiſſe* profitebantur omnes, nullum igitur de illius veritate Scrutinium, aut Examen inſtituendum erat. Quis ergo ſenſus inerat verbis illis: *Petimus, Patres ſimul perſcrutari?* Enimvero non Sanctorum Patrum ſcripta expendenda erant, ut pateret, utrum conſentanea eſſent Leonis Epiſtolæ, quæ jam omnium comprobatione celebrata erat. Sed ipſi Concilii Patres in unum convenire cupiebant, ET SIMUL PERSCRUTARI modum, & Græca verba eligere ad fidem definiendam, juxta Formam ſibi præſcriptam ab Epiſtola Pontificia: vel optabant coaleſcere in unum Patres omnes AD SIMUL PERSCRUTANDUM, an Illyriciani, & Palæſtini Epiſcopi omni dubitatione depoſita firmi in Catholica veritate, ac ſtabiles invenirentur. Atque hæc quidem ſecunda interpretatio magis congruit iis, quæ conſequuntur, verbis. Judices enim, ac Senatus arbitrati ſunt, nequaquam opportunum eſſe omnium conventum ad paucos erudiendos. *Magnificentiſſimi, ac glorioſiſſimi Judices, & Ampliſſimus Senatus dixerunt: Non eſt neceſſarium omnes vos convenire. Sed quia conveniens eſt omnibus dubitantibus perſuadere, Reverendiſſimus Archiepiſcopus Anatolius* ELIGAT DE HIS, QUI SUBSCRIPSERUNT, *quos putaverit idoneos eſſe ad docendum eos, qui dubitant.* Convenire igitur ſimul omnes optabant Epiſcopi ad alios alliciendos ad Leonis obſequium, non verò ad certamen inſtituendum de illius Epiſtolæ Veritate. (4)

140 At cur proponunt Judices Anatolium, & non Pontificios Legatos ad eligendos idoneos Hæreticorum Magiſtros? Fortaſſe quia Græcos magiſterio Græcorum aptos melius Anatolius ipſe cognitos habebat, & quia Latina Legatorum lingua vel comperta Palęſtinis illis, & Illyricianis Epiſcopis nequaquam erat, vel, cum plenè ipſius Latinæ dictionis, qua Pontificia Epiſtola ſcripta erat, vim non aſſequerentur, opportunius erat, ipſos a Græcis quibuſdam utriuſque Idiomatis optimè conſciis erudiri; quamvis deinde a Legatis ipſis de veritate informatos ſe fuiſſe profeſſi fuerint. Ceterùm

(1) *Pag.* 33. (2) *Pag.* 216. (3) *Pag.* 216. (4) *Pag.* 216.

rùm quod ad Lydium Pontificiæ Epiſtolæ lapidem explorandum eſſet purum ſynceræ Fidei aurum, evidenter patet ex eo, quod non alii Præceptores dubitantium eligendi eſſent, quàm nonnulli ex iis, qui, calamo quoque, neque ſolùm ore, probaverant Leonis Fidem. *Anatolius eligat de his, qui ſubſcripſerunt, quos putaverit idoneos eſſe ad docendum eos, qui dubitant.* (1)

141 Quid demum infertur ex eo, quod recuſantes alienam inſtructionem ex Illyrico, & Palæſtina Præſules inclamaverint: *Nos ita credimus; omnes ita credimus.* SICUT LEO, ITA CREDIMUS. *Nullus noſtrum dubitat.* NOS JAM SUBSCRIPSIMUS: atque hæc ultima verba nunc proferentes egregiè mentiti deinde ſint eorum nonnulli, qui in Quarta Actione ſubſcribere Leonis Epiſtolæ detrectarunt? Mihi quidem hinc manifeſtè videtur evinci, adeo pervulgatum apud Orthodoxos omnes fuiſſe, cenſendos eſſe Fidei perduelles illos, qui non crederent veriſſimam eſſe doctrinam Pontificis Maximi, ut, ne tales illi Antiſtites haberentur, ſimulaverint aſſenſum, quem eidem nequaquam ſcripto præſtiterant. (2)

Mutata profectò fuiſſe tempora, & impietatem in Occidente nimis prævaluiſſe fateri cogimur, ſi ullum veſtigium veritatis ineſt huic dicto Petri Suavis. *At Pontifici nihil juxta, ac Concilium erat formidabile, atque odioſum: in primis Ultramontanum, liberum, cui interfuturi eſſent ij, qui excuſſo Papalis obedientiæ jugo alios in ſuam ſententiam nullo negotio videbantur attracturi.* Maximi Pontificis obedientiam excuſſerat Dioſcorus Alexandrinus Patriarcha, & Secunda, ab eodem dementata, Generalis Synodus Epheſina. Neque tamen formidavit Leo in ſuam a Rebellibus ſententiam reliquos pertrahendos in alio Concilio, non ultra montes tantùm Italiæ finitimos, ſed ultra marc in ipſo ſinu Orientalis Imperii, atque ab Epiſcopis ferè omnibus Græcis, celebrando. (3)

CAPUT XXXII.

Optimè erga Dioſcorum affecti deprehenduntur Epiſcopi, qui de Veritate Leonis Epiſtolæ dubitaverant.

142 QUamvis Illyriciani, & Palæſtini Epiſcopi proteſtati fuiſſent, nullum ſuis in mentibus dubium ſupereſſe, ac ſe omnes in Leonis verba juraſſe, nihilominus hæſit apud alios perſuaſio, quod adhuc fluctuarent, & incertarum opinionum vento circumferrentur: ac proinde, velut in Fide dubii, infideles eſſent. Quod ita reliqui apud animum ſuum ſtatuerent, apparet, atque eminet ex eo, quod poſt ſupra relatas Exclamationes, quibus, *Noſtrum nullus dubitat*, affirmaverant, viſum fuit expedire, ut Anatolius eligeret *de his, qui ſubſcripſerunt, quos putaverit idoneos eſſe ad docendum eos, qui dubitant.* Si autem nondum in Fide confirmati erant poſt auditam Cyrilli, ideſt Sacroſancti Primi Epheſini Concilii doctrinam, cui refragari Catholicis omnibus vetitum erat; Hæreſis igitur manifeſtæ coarguuntur. Huc devenerunt, qui ultro complexi non ſunt Pontificiam Epiſtolam, ſed auſi ex illa in dubium aliquid revocare. Non aſſenſi Leonis Literis, ad ſuæ quoque mentis Tribunal in ea librandam Generalem, & ab Apoſtolica Sede confirmatam, Synodum appellaverunt. (4)

143 Sed venenum, quod ex certis notis ab aliis Præſulibus, a Judicibus, & Senatu arguebatur latere in cordibus Antiſtitum ex Palæſtina, & Illyrico, idem in apertum ex faucibus eorumdem erupit, cum omne veritatis magiſterium pertæſi elatis, ac verè ſeditioſis, vocibus in Dioſcori favorem inclamarunt. Aberat nefarius ille Vexillifer Eutychetis a Synodo, ad quam non judicandum, ut par erat, ſed cum cæteris judicaturum eumdem regredi flagrantiſſimis votis optabant illius in perfidia commilitones. Præſtat hic referre certamen initum inter illos, quorum aliqui Dioſcorum vehementer amabant, alii mirificè averſabantur. Igitur *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Pro Patribus petimus: Patres Synodo reddite.* CONSENTANEOS LEONI SYNODO: *Patres Synodo. Has voces Imperatori, hac preces Catholico, has preces Auguſtæ. Omnes peccavimus, omnibus indulgeatur. Clerici Conſtantinopolitani clamaverunt: Pauci clamant, non tota dicit Synodus. Orientales, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Ægyptium exilio.* (videlicet Dioſcorum Epiſcopum Alexandriæ, quæ Metropolis crat Ægypti) *Illyriciani, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Omnes peccavimus, omnium miſeremini: Has voces Catholico Imperatori: Eccleſiæ ſcinduntur. Clerici Conſtantinopolitani clamaverunt: Dioſcorum exilio, Hæreticum exilio. Dioſcorum Chriſtus damnavit. Illyriciani, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Omnes peccavimus, omnibus indulgete.* Dioſco-

(1) *Pag.* 217. (2) *Pag.* 216. (3) *Pag.* 53.

(4) *Pag.* 216. & 217.

SCORUM SYNODO, DIOSCORUM ECCLESIIS : *ſub vobis malum non fiat: ſub Imperio veſtro diſſidium non fiat. Clerici Conſtantinopolitani clamaverunt: Qui communicat Dioſcoro, Judæus eſt. Orientales, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Ægyptium exilio, Hæreticum exilio. Illyriciani, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Patres Synodo. Magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices, & ampliſſimus Senatus dixerunt: Quæ interlocuta ſunt, effectui mancipentur.* Hunc finem ſortita fuit Actio Secunda, & decretum eſt, ut ambigui in Fide ab Anatolio, & aliis, qui Leonis Epiſtolæ ſubſcripſerant, erudirentur, prout placuerat potiori parti Concilii, veluti colligebatur ex iis, quæ interlocutioibus prolata fuerant. Quis non exhorret audaciam Antiſtitum, nil aliud, quàm ſceleſtiſſimum illum Nebulonem ſpirantium? Ab ipſius quidem deteſtabili nomine primò abſtinuerunt, generatim inclamantes: *Patres Synodo reddite.* Sed majori deinde œſtro correpti, *Dioſcorum Synodo, Dioſcorum Eccleſiis*, intonuerunt. Et omnes ex æquo ſceleris reos fuiſſe mentiti, pro ſcelerum omnium Auctore veniam flagitaverunt, cui pauci ſolùm ultro ac ſponte adhæſerant, extortis aliorum ſubſcriptionibus idem fuerat per vim, & nefas in Latrociniali Epheſina Synodo abuſus. Qui tam æſtuanti perditiſſimi amoris impetu Anteſignano Hæreſis ſuffragabantur, conſortes illius nequitiæ, ac errorum etiam tunc ſe eſſe, palam oſtentabant. Quod hujuſmodi homines de Infallibilitate Pontificia ſuſpicati fuiſſent, ſtupore nullus deſigi poteſt. Enimvero ſi Hæretici Romanum Pontificem fateantur impotem falli, toto ſe ipſos profitentur cælo aberrantes, cum, quæcumque oriatur Hæreſis, illico ab Apoſtolica Sede damnetur. (1)

144 An verò non vocabimus ad trutinam verba illa, quibus, poſtquam Dioſcori fautores clamaſſent: *Pro Patribus petimus, Patres Synodo reddite*: addiderunt: CONSENTANEOS LEONI SYNODO? Hæc certè in Latinis Codicibus invenimus, licet in Græcis Concilii Actis deſiderentur. Si eas protulerunt Præſules, qui pro Dioſcoro ſupplicabant, innuerunt, ab ipſo quoque Dioſcoro tunc ſimulatum fuiſſe animum præparatum ad aſſentiendum Literis Pontificiis. At idem Tartareæ ſuperbiæ cornua contra Leonem erexerat, quem a ſuo in ſacris conſortio inſanus repulerat. Illuſtre hoc Argumentum eſt, quod & ipſe perduellium contumaciſſimus Dioſcorus diffiteri nequiret in ampliſſimo illo Eccleſiæ Univerſæ Theatro, ac Senatu Sacroſancto omnino Catholicum cenſeri non poſſe, qui non admittat ab Apoſtolica Sede prodeuntem Definitionem Fidei. (2)

Dioſcori Sectatores non detrectant Leonis Judicium? Novum ergo, & inauditum in Eccleſia Divina morem inducere moliebatur Petrus Suavis, ita ſcribens: *Tum rationes in medium adducunt* (ſcilicet Proteſtantes) *quibus evincitur, iniquum eſſe, ut Pontifex, aut qui ei jurejurando obſtricti ſunt, in Concilio Judicis partes agant.* Rationes illas, licet evanidas, & nullius momenti, Polanus comprobat, ut validas; ex iis enim *evinci* affirmat, æquam fuiſſe hanc Lutheranorum exclamationem: *Quomodo Pontificem cauſæ ſuæ Judicem admittant, qui hoc unum ſpectat, ut ipſorum doctrina, quam in omnibus Diplomatis ſuis vocat Hæreſim, aboleatur?* At Hæreſim appellaverat Leo doctrinam Eutychetis in decretalibus ſuis ad Flavianum Literis, & hoc unum enimvero ſpectabat, ut eadem penitus aboleretur, imò illam ipſe penitus aboleri jubebat. Neque tamen auſi hucuſque ſunt Eutychiani eum Judicem ſubterfugere. Pauci autem Ægyptii Antiſtites, & Monachi, de quibus exinde loquemur, in Sententiam contra ſe Romæ prius latam certè invecti non ſunt. Neque hæc unquam exceptio contra Romanum Tribunal, a quo omnis recenter exorta impietas condemnabatur, antiquis Eccleſiæ temporibus fuit audita. Liceret unicuique legitimum excutere Judicem, dummodo eidem rebellare auderet, ſi primâ ejuſdem ſententiâ perculſus profiteri poſſet, ſe in poſterum illius judicio non acquieturum. (3)

CAPUT XXXIII.

Apoſtolici Legati præcipiunt Synodo diſcuſſionem Supplicum Libellorum contra Dioſcorum, & jubent eumdem ad ſententiam in illum ferendam accerſiri. Univerſalis Epiſcopus appellatur Leo.

145 FErenda erat ſententia ex præſcripto Leonis, & ex aliarum Synodorum more, in Hæreticos, ac præcipuè in Dioſcorum Hæreſis Patronum, ipſoque penè perfidiæ Patre Eutychete flagrantiorem in ea latè vulganda. Nec expedire illam differri perſuadebant ſtulti clamores Antiſtitum, quibus in deliciis idem

(1) *Pag.* 217.

(2) *Pag.* 217. (3) *Pag.* 88.

idem Dioſcorus erat. Igitur initio Actionis Tertiæ *Paſchaſinus Epiſcopus Lilybæi Provinciæ Siciliæ agens vices Sanctiſſimi Epiſcopi Apoſtolicæ Sedis Senioris Urbis Romæ Leonis, per interpretem ſic dixit. Notum eſt nempe huic Deo amabili Concilio, & ad Beatum, &* APOSTOLICUM, ET CATHOLICUM PAPAM LEONEM *ſacras eſſe literas deſtinatas, quatenus huic Sancto Concilio ſe præſentare dignaretur. Sed quoniam neque antiqua hoc tenuit conſuetudo, neque generalis temporum neceſſitas permittere videbatur; noſtram parvitatem* HUIC SACROSANCTO CONCILIO PRO SE PRÆSIDERE PRÆCEPIT. *Ideoque* NECESSARIUM EST, *hæc, quæ in medium proferuntur per noſtram interlocutionem, diſceptari. Propter hoc igitur* PORRECTUS LIBELLUS *a Religioſiſſimo fratre noſtro, & Coepiſcopo Euſebio, ſuſceptus a Religioſiſſimo Archidiacono, & Primicerio Notariorum Aëtio* RECITETUR. *Et ſuſcipiens Aëtius Archidiaconus, & Primicerius Notariorum* RECITAVIT. Plura hic ſunt notatu digna. *Apoſtolicus* primò, & *Catholicus*, ideſt *Univerſalis*, Papa, nemine reclamante, dicitur Leo. cui proinde non incongruentem eſſe Appellationem *Epiſcopi Eccleſiæ Univerſalis* tacita confeſſione indicare videtur Synodus. *Catholicus* certè, ſive *Univerſalis*, Papa vim ſignificandi majorem præſefert, quàm alter loquendi modus, videlicet, *Epiſcopus Catholicæ*, ſive *Univerſalis, Eccleſiæ*: quem ſecundum frequentius adhibent Romani Pontifices, quia nullam ſpeciem habet excludendi peculiarium Epiſcopos Eccleſiarum, imò ad illos referri congruenter poteſt. At prima *Univerſalis*, vel *Catholici, Epiſcopi* appellatio, non addito *Eccleſiç* nomine, perperam intellecta, omnem, & unicum ipſi Romano vindicare poſſe videtur Epiſcopatum. Quia tamen abſurda hæc interpretatio alieniſſima eſt ab animo Titulum hujuſmodi præſeferentium, aliquando illo ſunt uſi Antiſtites Summi, quique de illis ſermonem inſtituebant. Et profectò illum protulit Paſchaſinus Legatus, a pluſquam ſexcentis Epiſcopis Chalcedone circumfuſus, ac *Univerſalem* tamen *Papam* abſque ullius querela Leonem appellans. Neque ineptiat Suavis dicens Græcos non aſſecutos fuiſſe Emphaſim hujuſce vocis; quis enim illis melius penetrabat ſignificationem nominis a Græca lingua petiti, in qua *Catholicus* idem omnino ſonat, quod in Latina *Univerſalis*? Neque reponat aliquis, Titulum hunc non extare in Græca hujus Actionis Tertiæ narratione. Ultro enim hoc fatemur, cum levia quædam diſcrimina in aliis quoque dictionibus intercedant: Verbi gratiâ in hoc ipſo contextu, ubi Acta Latina dicunt: *Agens vices Sanctiſſimi Epiſcopi Senioris Urbis Romæ Leonis*, Græca ſcribunt: *Archiepiſcopi*. Extra omnem controverſiam eſt, quod Legatus Leonem nuncupaverit *Catholicum Papam*, cum extet in Actis ipſis Latinis, quam linguam uſurpavit locutus in Synodo Paſchaſinus. Quod autem hæc vox, in ipſa Synodo certè adhibita, prætermiſſa deinde ſit, dum Græca geſtorum narratio ſcriberetur, nullam adimit vim producto a nobis in medium argumento. Imò illam auget; oſtendit enim viſam deinde fuiſſe Græcis nimis amplam hujuſmodi Appellationem, atque ideo non recenſitam in Actis. Sed quando Synodus habebatur, ac Divini Spiritus aura fovebat animos Præſulum optimorum, nullus contra illam hiſcere auſus fuit. Hoc autem præſtitiſſent plurimi, ſi abſurdus illis Titulus hujuſmodi viſus fuiſſet. Pervulgatæ ſunt moræ in aliis Conciliis ſumma cum animorum contentione injectæ, ſi mentio fiebat Appellationis alicujus, quæ minus congruenter aptari Sacro cuidam, aut Profano Principi videretur. (1)

Univerſalis dicitur Eccleſiæ Præſul, quem Suavis intra Romam, & Suburbicarias Eccleſias ſe continere præcepit, affirmans, penitus Ariſtocraticam primò fuiſſe gubernationem Eccleſiarum, *cum communi Presbyterij conſilio regerentur*: Inſpectionis deinde eminentiam ad Epiſcopum delatam: tum aliquid indultum Metropolitis: deinde *conſuetudine prærogativam præſidendi conceſſum Epiſcopis* Urbium, in quibus Præfecti reſidebant. *Ejuſmodi Præfecturæ*, inquit, *erant Romæ Civitatis Imperialis cum Civitatibus ſuburbicarijs: Alexandriæ Præfectura, quæ regebat Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim: & Antiochiæ, quæ complectebatur Syriam, aliaſque Orientis Provincias. Idem quoque ſervatum in alijs minoribus Præfecturis, quas Eparchias Græcè vocant. Hoc Regiminis genus a ſola conſuetudine introductum, approbatumque, quia utile reperiebatur, a primo Concilio Nicæno ſub Conſtantino fuit ſtabilitum, atque, ut continuaretur, Canone ſancitum*. Illius vim Canonis pejus Balſamone, ac Nilo Theſſalonicenſi Schiſmaticorum Signiferis interpretaris, qui Univerſum ex vi Nicæni Decreti Romano Antiſtiti Occidentem adminiſtrandum concedunt? Illius ſententiam alibi expoſuimus, atque idipſum in Polemica Nicænæ Synodi Hiſtoria uberius præſtitimus. Interim ex te quæro, quomodo *ſola* fuerit *conſuetudine* introductum Sacrum Romani in Antiſtites alios Imperium, ſi Chalcedonenſe Concilium affirmat, Uni-

ver-

(1) *Pag.* 221.

Digitized by Google

verſæ ſuæ Vineæ cuſtodiam a Chriſto in Petro commiſſam fuiſſe Leoni? Quomodo Univerſus Oriens Chalcedone congregatus Romani Epiſcopi Regimen, & Magiſterium fuerit veneratus, ſi eidem Nicæna Synodus tantummodo indulſiſſet, ut ex *recepta conſuetudine* Romam, & Suburbicarias Eccleſias moderaretur? (1)

146 Animadvertendum præterea eſt, non qualemcumque Primatum Ordinis, ſed veram Concilii Præfecturam, & Regimen exercendum, a Leone præſcriptum Legatis ſuis fuiſſe, ut oſtendunt ea verba: *Noſtram parvitatem huic Sancto Concilio pro ſe præſidere præcepit*. Ex hoc autem exercendo Regimine videtur argui Pontificia ſupra Synodum Generalem Præſtantia. Præſertim verò cum ſtatim illà uſus Paſchaſinus, non conſulens Patres, ſed ipſe unus decernens, præceperit agitari Dioſcori Cauſam: & id fieri, quod ipſe jubebat, *neceſſarium eſſe* palam edixerit. *Ideoque* NECESSARIUM EST, *hæc, quæ in medium proferuntur per noſtram interlocutionem, diſceptari. Propter hoc igitur* PORRECTUS LIBELLUS &c. RECITETUR. (2)

147 At hoc ſibi Legatus arrogavit, affirmaret Suavis. Sed non abſque inſigni temeritate diceret uſurpatum ab illo fuiſſe id, quod ſui muneris nequaquam eſſet, & contra quod iuſurgere ſexcenti ex Oriente Antiſtites potuiſſent, niſi ex jure, & æquo hic ex Occidente Præſul Poteſtatem ſupra Synodum exercuiſſet. Duo tantùm ab Urbe ſubmiſſi Epiſcopi, ac tertius Sacerdos nulli Diœceſi præfectus, præter Afros duos Latinum Ritum ſecutos, Concilio intererant, quibus quæ vires erant, niſi Divinæ, manantes ab Inſtitutione Chriſti Domini, qui Petro, & Succeſſoribus Petri, tradiderat tum ſparſæ, tum congregatæ Adminiſtrationem Eccleſiæ? Prævaluit certè, nullo penitus contranitente, Paſchaſini mandatum: & libellum *ſuſcipiens Aëtius Archidiaconus, & Primicerius Notariorum* RECITAVIT. (3)

148 Poſt lectum libellum, in quo querelæ de Prædatoria Synodo continebantur, *Paſchaſinus Epiſcopus dixit: Quoniam non videmus præſentem eſſe Dioſcorum Sanctiſſimum Epiſcopum Alexandriæ, egredientes Reverendi Clerici* INQUIRANT EUM, *ſi præ foribus Concilij invenitur*. Præcepit igitur rurſus, neque conſuluit Patres. Cum verò primò quæſitus, nec inventus fuiſſet, flagitavit Anatolius, ut iterum inquireretur. Conſilium autem, non Juſſionem adhibuit, quia Synodi Regimen ad ipſum minimè pertinebat. Hoc porrò diſcrimen inter modum loquendi adhibitum a Romanis Legatis, & ab Antiſtite Conſtantinopolis non debet animadverſionem effugere. *Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanæ Urbis novæ Romæ dixit:* SI COMPLACET VESTRÆ SANCTITATI, *aliquos ex Dei amantiſſimis fratribus, & Coepiſcopis noſtris deſtinare ad eum in domum, in qua manet, & commoneſacere eum, ut in hoc Sanctum Concilium adveniat*. Cum reſpondiſſet primò Dioſcorus, prohiberi ſe a Cuſtodibus, & exinde poſtulaſſet præſidium Judicum ac Senatus, ſecundò vocatus eſt, miſſis ad illum tribus Epiſcopis cum literis datis ab ipſa Synodo. Sed irrita hæc etiam Legatio fuit, quærente prius Dioſcoro, an ad Synodum conveniſſent Juvenalis, Thalaſſius, Euſebius, Baſilius, & Euſtathius, quorum ſcilicet gratia, & Auctoritate fulciendum ſe inani fiducia lactabatur: iterumque requirente præſentiam Judicum, ac Senatus. Huic petitioni Cecropius Epiſcopus ex Nuntiis unus reſpondit: *Quando quædam Regularia examinantur*, NEQUE JUDICES, NEQUE ALIQUOS ALIOS LAICOS INTERESSE OPORTET, *niſi tantummodo tuam Sanctitatem, quæ in propria accuſatur perſona*. Ex hoc quoque, ſicut ex aliis plurimis, evincitur loco, non niſi ad Antiſtites ſpectaſſe in Conciliis Eccleſiaſticarum tractationem Cauſarum, & jus ferendi ſuffragii. (4)

149 Ex his demum Dioſcori vocationibus, quæ fruſtraneæ fuerunt, obdurante Hæretico animum, ac verborum cum Nuntiis pugnam claudente hac ſuperbiſſima conteſtatione: *Semel dixi, quæ dixi, & ultra hæc compendioſius, quod dicam, non habeo*: aliud ſupereſt perpendendum. Tres tantùm Epiſcopi ad vocandum Dioſcorum Alexandriæ Patriarcham, primum videlicet Orientis Præſulem, miſſi ſunt. At, cum Quinta Synodus exoptavit, ſibi coram præſidere Vigilium Pontificem Maximum, Tres Patriarchæ (quotquot ſcilicet erant in Urbe Cæſarea) & Septemdecim Epiſcopi totius Concilii nomine ad illum ſupplicabundi acceſſerunt. (5)

(1) *Pag.* 243. (2) *Pag.* 221. (3) *Pag.* 221. (4) *Pag.* 223. & 227. (5) *Pag.* 228.

CAPUT XXXIV.

Iterum Legati ſua utuntur auctoritate jubentes Concilio, quo major patet Romanus Pontifex, nuncupatus rurſus frequenter Epiſcopus Univerſalis.

150 CUm ire ad Synodum Alexandrinus Epiſcopus perhorreſceret, cauſam illo abſente tractari neceſſe erat. Igitur alter ex Pontificiis Legatis *Lucentius Epiſcopus dixit*: LIBELLI, *qui adverſus Reverendiſſimum Epiſcopum Dioſcorum a diverſis nobis oblati ſunt, ſuſcepti ab Aëtio Archidiacono, & Primicerio Notariorum* RECENSEANTUR, *quatenus omnia hæc Sancta Synodus ſcire poſſit, quid contineant. Et ſuſcipiens Aëtius Archidiaconus, & Primicerius Notariorum libellum Theodori legit*. Et Lucentius ergo uſus Imperio fuit, neque Synodi placitum, ut Anatolius, qui Synodo non præerat, exploravit. Neque minus præcepit iterum Paſchaſinus, qui, cum Theodorus paratum ſe eſſe dixiſſet ad ea comprobanda, quorum Dioſcorum ſcripto accuſabat, adjecit: PERLECTUS LIBELLUS MONIMENTIS ECCLESIASTICIS SOCIETUR. (1)

151 Quatuor fuerunt Dioſcori Accuſatores, præter Euſebium Dorylęi Epiſcopum, Theodorus videlicet, & Iſchyrion Diaconi Alexandrini, Athanaſius ex eadem Civitate Sacerdos, & Sophronius, qui ſe ſolummodo nuncupat Chriſtianum. Supplices literæ ſingulorum inſcribuntur: *Sanctiſſimo, ac Dei Amantiſſimo*, & UNIVERSALI ARCHIEPISCOPO, ET PATRIARCHÆ MAGNÆ ROMÆ LEONI, ET SANCTÆ, ET UNIVERSALI CHALCEDONENSI SYNODO, immutato ſolùm titulo *Dei Amantiſſimo*, quem primus ſelegit, in alium *Beatiſſimo*, quem alii tres Leoni tribuerunt. Omnes autem *Univerſalem* illum appellant *Archiepiſcopum*: atque hoc *OEcumenici* nomen Leoni tributum a quatuor hiſce Inſcriptionibus extat etiam in Codicibus Græcis. Quid verò ab illo inferatur, jam expendimus Cap. 33. num. 145. Quo verò audaciæ portento eamdem *OEcumenici* appellationem ſibi quoque deinde vindicaverint Patriarchæ Conſtantinopolitani, ampliſſimè oſtendimus in alio Opere, quod inſcripſimus *Demonſtrata Impiorum Inſania* Libro 3. Signo 23. & aliquid de illa inferius ſtatuemus, anſâ nobis oblatâ ab hoc ipſo Chalcedonenſi Concilio. Interim conſtat, arriſiſſe Patribus Titulum hunc Antiſtiti Romano tributum, quia neque in illum invecti ſunt, neque ob illum adhibitum imminuta eſt miſeratio, & gratia erga Dioſcori Accuſatores bibulis auribus auditos a Synodo. (2)

152 Neque orta ulla controverſia fuit, eò quòd Leo unus, & abſens, honorificentiſſimis, ac multò pluribus nominibus, & primo quidem loco, quàm tota Sexcentorum triginta Epiſcoporum Synodus compellaretur. Hæc a Theodoro, Iſchyrione, ac Athanaſio *Sancta* ſolùm dicta fuit, & *Univerſalis*; a Sophronio autem ſolummodo *Sanctiſſima*: utque in Græco legitur ſolùm *Sancta*, non autem *Univerſalis*. Quæ de una voce, Deus immortalis! quàm diuturna, ac toties iterata certamina in aliis Conciliis exarſerunt? Et auctum Suavis dicit noſtra, & parentum noſtrorum ætate Romanum faſtigium? Enimvero in Vetuſtæ Monumentis Eccleſiæ videmus & nominum ampliſſimorum uſum, & Pontificiæ Juriſdictionis exercitium adeo frequens, palmare, atque ultro admiſſum ab Univerſa Eccleſia, in ipſis etiam Generalibus Conciliis conſpirante, ut incredibili admiratione ſuſpendar, intuitus aliorum temporum infœlicitatem. In dubium Suavis revocavit, quin potius mordicus pernegavit ea, quæ notoria olim erant, & pervulgata: ſicut hac, quam exequimur, Conciliorum Hiſtoria innumeris propemodum Argumentis Lectorum oculis ſubiicimus, ac præbemus quodammodo manibus contrectandum, non leve, ut hilari ſpe præcipimus, auſpice Divino Numine, pretium operæ relaturi. (3)

153 Ex eo demum, quod primo loco Leo in ſupplicibus libellis datis ad ipſum, ac Synodum, ſtatuatur, quis non videt inferri, Leonem non agnitum ſolummodo fuiſſe, ut illum, cui prima in Concilio Sedes tribuenda eſſet, ſed ut Univerſæ quoque Synodo antecellentem? Directæ ad Senatum Literæ, in quo æquale Patribus omnibus ſit jus, non inſcribuntur antiquiſſimo Senatorum, qui ſedet omnium primus. Sed ſi ad Regem, & ad illius Curiam Epiſtola dirigatur, Regium nomen præmittitur, & illuſtribus titulis honeſtatur; additur autem & Curiæ appellatio, ſed cum honoris minori ſignificatione. Hoc accidit in Chalcedonenſi Concilio, quod ſe Leoni poſthaberi æquiſſimo animo tulit.

(1) *Pag.* 228.

(2) *Pag.* 229. 231. 234. & 237.

(3) *Pag.* 229. 231. 234. & 237.

CAPUT XXXV.

Ex Criminibus Dioſcoro exprobratis in Concilio liquet, quàm projectè ſcelesti ſint illi, qui rebellare audent Apoſtolicæ Sedi.

154 IN compendium redigere decreveram crimina Portenti hujus ex omni vitiorum fæce conflati. Sed conſultius deinde putavi, ſeligere quædam ex ipſis Accuſatorum verbis, ne aliquam ipſis vim addere credi poſſim, utque omnia ex authenticis monumentis contexam ex hujuſce Operis inſtituto. Utinam non ſupereſſent ex Populis Alexandrino Patriarchæ ſubjectis, præſertim in vaſtiſſimo Abyſſinorum Imperio, plurimi etiam nunc Dioſcoro miſerum, & inſanum in modum addicti, ac proinde execrati Romanum Pontificem Dioſcori everſorem. Qui ergo medelam ægris eorumdem animis afferunt Verbi Divini prędicatione, intueantur, qua Fidei, ac morum Sanctitate præditus Dioſcorus fuit. Hæc de illo Theodorus: *Nulla adverſus me accuſatione per ſcripturam, vel ſine ſcriptura facta, ſed neque ſimplici querela, in principio Epiſcopatus ſui (quem neſcio quo ordine ſortitus eſt) ſtatim me Clericatu privavit &c. comminans & a magna illa Civitate fugare, propter nihil aliud, niſi ob id, quod familiaritatem, & benevolentiam ſanctæ memoriæ Cyrilli merebar. Intentio enim ejus talis erat, non ſolùm propinquos ejus ex illa Civitate exagitare, ſed vita privare, verùm etiam & familiares ipſius.* Qui adeo Sanctiſſimum Deceſſorem ſuum Cyrillum averſabatur, ab illius Fidei, ac Morum integritate alieniſſimus erat. Utque metum Sempiterni ſupplicii ex animo expungeret, Origeni adhæſerat, audaciſſimè, contra innumera Divinarum Literarum Oracula, opinato, finem aliquando habituras Inferorum pœnas. Ita certè proſequitur Theodorus: *Exercens inimicitias adverſus ejus* (Cyrilli) *Rectam Fidem, hæreticus conſtitutus*, & SEMPER, QUÆ ORIGENIS SUNT, SAPIENS: *& hic homo* NEQUE SANCTÆ TRINITATIS BLASPHEMIIS ABSTINENS, *neque homicidij expers, neque alienas parcens excindere arbores, neque incendia facere, neque domos deſtruere. Sed enim & turpiter ſemper vivens: quæ ſum paratus oſtendere.* Poſt hæc horribilia Crimina, & Epheſinum Latrocinium, ut oratio creſcat, addit Theodorus Excommunicationem a Dioſcoro latam in Pontificem Maximum; hæc enim erat facinus penitus novum, inauditæque audaciæ, ac aliorum plurimorum origo; nullum quippe Errorem in animum formidant inducere contemptores Apoſtolicæ Sedis, a qua ſacrum perpetuo fulmen in Hæreſes omnes torquetur. *Hic namque Sanctiſſimus, magis autem circa omnia ferociſſimus, in conſuetudine habens Leges prævaricari, nihil arbitrans, quod ab ipſo in s. m. Flavianum commiſſum eſt, inſuper* AD MALA MAJORA SE VERTIT, EXCOMMUNICATIONEM NAMQUE FACIENS CONTRA SANCTISSIMUM, ET BEATISSIMUM APOSTOLICÆ SEDIS MAGNÆ ROMÆ EPISCOPUM *ſuaſit ſubſcribere eis, qui cum ipſo de Ægypto exierunt, Sanctiſſimis Epiſcopis* PLUS MINUS NUMERO DECEM *(neque enim ampliores auſi ſunt exire cum ipſo, propter ea, quæ ab ipſo in Epheſo contra leges peracta ſunt) aliquoties comminans, aliquoties nolentes decipiens; unde* LACHRYMANTES, ATQUE GEMENTES NEFANDÆ ILLI CHARTÆ SUBSCRIPSERUNT. Magna tunc Epiſcoporum copia Alexandrino ſuberat Patriarchæ, ut proinde prodigium obſequii erga Petri Cathedram videri poſſit, quod a Decem ſolummodo Præſulibus execrabilem illam ſubſcriptionem vel per alloquium, vel per literas potuerit Dioſcorus extorquere, cum Epheſi plurimos impuliſſet ad Eutychianam Hæreſim confirmandam. Adeo vel ipſi Hæretici non rarò formidant Apoſtolici Solii majeſtatem. (1)

155 Cum Theodorus, aliique Accuſatores Libellos ſua manu ſubſcriptos exhibuiſſent, & adjeciſſet Theodorus: *Paratus ſum, adveniente Reverendiſſimo Epiſcopo Dioſcoro in hoc Sanctum veſtrum Concilium, meis adeſſe accuſationibus: Bonifacius Presbyter Romanæ Eccleſiæ, Vicarius & ipſe Beatiſſimi Papæ Leonis, dixit: Et proclamantis præſentis Iſchyrionis juſtum eſt recitari libellos. Romanus Epiſcopus Myrenſis Provinciæ dixit:* SECUNDÙM INTERLOCUTIONEM *Religioſiſſimi Presbyteri Bonifacij* OBLATI LIBELLI *ab Iſchyrione* RECENSEANTUR. *Et ſuſcipiens Aſclepiades Diaconus, & Notarius legit.* Tertius igitur quoque Pontificius Legatus interfatus eſt, ac potuiſſet etiam ipſe Concilio præcipere, ut præſtiterat Philippus in Synodo Prima Epheſina, licet Epiſcopatu non inclareſcens. Sed quia ſermonem temperaverat non edicens: *Legantur libelli*, at ſolùm, *Juſtum eſt recitari libellos*, Romanus addidit: *libelli recenſeantur*; non ſuam tamen, ſed Bonifacii prætendens auctoritatem: *Secundùm interlocutionem Religioſiſſimi Presbyteri Bonifacii oblati libelli ab Iſchyrione re-*

(1) *Pag.* 230.

recenſeantur. Tantum igitur abeſt a vero, quod ingrata Patribus accideret exercita a Legatis in Synodum Juriſdictio, ut ſi eâ parcius iidem uterentur, illam ipſis Epiſcopi ſtatim aſſererent. (1)

156 Ex Iſchyrionis libello hæc delibamus: *Neque enim quiſquam fuit expers illius* (Dioſcori) *crudelitatis, & inhumanitatis: Aliquorum enim vaſtata ſunt prædia, exciſione arborum perpetrata, aliorum verò domus deſtructæ ſunt, alij in exilium pulſi ſunt, alij verò mulctatione vexati ſunt &c. Quæ enim* CONTRA SANCTAM ET CONSUBSTANTIALEM TRINITATEM AB IPSO SÆPE CONTUMELIOSÈ DICTA SUNT, *omni nominatiſſimæ illius Civitatis Populo, necnon etiam Venerabili Clero, Reverendiſſimis quoque Monachis, nota ſunt*. Hunccine notorium Auguſtiſſimæ Trinitatis hoſtem etiam nunc aliqui conſectantur, qui ſe Chriſtianos haberi volunt? *Et frumentum, quod a piiſſimis noſtris Imperatoribus Eccleſiis Lybiæ propter ariditatem illius Provinciæ, & quia ibi omnino triticum non naſcitur, præſtitum eſt, in primis quidem ut incruenta ex ipſo Hoſtia offeratur &c. non permitteret ſuſcipere Sanctiſſimos Epiſcopos illius Provinciæ &c. Et ex hoc neque terribile, & incruentum Sacrificium celebratum eſt &c.* Ita Religionem in Lybia promovebat Dioſcorus, quem etiam nunc quædam Africæ Provinciæ veluti Sanctiſſimum Epiſcopum venerantur? *Cæterùm clariſſimæ memoriæ Periſteriæ negotium nullus ignoravit, maximè eorum, qui in hac regia urbe nova Roma habitare noſcuntur. Illa namque pro ſuæ animæ ſalute Teſtamentum condens juſſit multam quantitatem pecuniarum præſtari Monaſterijs, necnon etiam Xenodochijs, & prochijs* (ideſt pauperum Domiciliis) *& alijs pauperibus Ægyptiacæ Provinciæ. Quod moleſtè ferens idem Reverendiſſimus Vir ob id, quod in perſona ejus hæc minimè ſunt dimiſſa, fecit eaſdem pecunias pro eleemoſyna Scortis, & alijs Theatricis diſpertiri perſonis, ut neque incenſum ex oblatione illius clariſſimæ memoriæ Periſteriæ, quantum ad eum pertinuit, Deo offeratur. Sed illius quidem fœminæ manifeſtum propoſitum demonſtratum eſt; laſcivia verò prædicti Reverendi viri, & luxuria omni illi Provinciæ non ignorata eſt (impudicis mulieribus frequenter in Epiſcopio, & in balneo ejus apertè deliciantibus, præcipuè famoſiſſima Panſophia, quæ cognominatur Orine, de qua & numeroſus Alexandriæ populus frequentiſſimas voces emiſit tam ipſius, quàm amatoris ejus faciens mentionem) veſtro autem Angelico choro manifeſtabitur. Non ſolùm verò hæc, ſed etiam homicidia per occaſionem iſtius admirabilis Doctoris perpetrata ſunt.* Sed quid ab his Dioſcorus abſtineret, qui deſiturum aliquando (ut ipſe cum Origene inſaniens opinabatur) Tartarum non formidabat, niſi etiam omnino illi Fabula Manes erant? Ad illatas deinde ſibi ipſi injurias progreſſus Iſchyrion earum cauſam affert: *Obtinui enim dignus fieri & familiaritate & gratia ſanctæ memoriæ Archiepiſcopi Cyrilli, quod Reverendiſſimum Epiſcopum Dioſcorum contriſtabat. Quippe mox ut migravit Sanctæ, & Beatæ Memoriæ Cyrillus in Cælos, iſte (quod utinam nunquam contigiſſet) ſucceſſit, qui prohibuit me in Sancto, & venerabili Myſterio obſequium facere. Nihilominus etiam adverſus noſtras viliſſimas poſſeſſiones Monachos, & aliquos alios deſtinavit, & tradidit eas incendio, itaut & ipſa in iiſdem poſſeſſionibus ædificia, ex quibus nutrimenti mei haberem ſolatium, pauper conſtitutus, & ſolutus corpore, penitus ignis conſumeret: diverſæ quoque arbores ibi ſuccideréntur, atque ipſa vaſtaretur terra, & mihi ultra inutilis fieret, ut in reliquum mendicans nec victus neceſſarios haberem. Sed neque his contentus ſubmiſit adverſus miſerabilem me Eccleſiaſticorum catervam (ut verius autem dicam, Latronum) pariter cum Petro, & Arpocratione Diaconibus, & Mena Presbytero, ut me de humanis rebus auferrent, mandans, corpus meum mortuum ſibi deportari &c. In ipſis Paſchalibus diebus iterum me jubet per Arpocrationem Diaconum rapi &c. Immittit autem iterum & in eodem Xenodochio aliquos, qui me occiderent, ſicut & omnibus, qui in ipſo Xenodochio ſunt, manifeſtum eſt, in tantum, ut horrentes malitiam juvare me dignarentur, propter quod & vivo hactenus.* Rogavit deinde Synodum Iſchyrion, ut interrogarentur Teſtes, quos ex ipſo Dioſcori comitatu produxit, quorum, inquit, *quidam in honore promoti ſunt pro eo, quod illis homicidijs, quæ in Epheſo facta ſunt, miniſtraſſent, & hic cum ipſo ſunt.* Adeo manifeſta erant Dioſcori ſcelera, ut illa inficiari nequirent illius famuli, ejuſque pro miniſterio ſcelerum beneficiis affecti. (2)

Frendens enimvero Suavis has legit in Actis Chalcedonenſibus accuſationes Dioſcori, qui in Prædatoria Synodo Epheſina Leonis jugum excutiens exemplar ſtatuit Conciliorum, cui Suavis optaſſet cætera omnia conformari. (3)

(1) *Pag.* 231.

(2) *Pag.* 231. 232. & 234.

(3) *Pag.* 20. 29. 66. 70. 84. 92. 105. 109. 137. 305. 343. 407. 413. & *alibi frequenter.*

CAPUT XXXVI.

In ipſum Cæſarem inſurgit Dioſcorus contemptor Pontificis Maximi. Pœna ſuperbiſſimo capiti inflicta.

157 CUm Paſchaſinus deinde dixiſſet: ET LIBELLUS *præſentis Athanaſii, qui nobis oblatus eſt*, RECENSEATUR, hæc in illo, præter cætera, lecta ſunt. *Sanctæ, & Beatæ Memoriæ Cyrillus magnæ Alexandrinæ Civitatis quondam triginta duobus annis Archiepiſcopus irreprehenſibiliter, & cum recta fide vivens, mihi quidem Athanaſio, & clariſſimæ memoriæ Paulo Fratri meo Avunculus fuerat, meæ verò Matris Iſidoræ germanus. Hic moriturus teſtamentum condens honoravit eum, quicumque ille poſt eum fuiſſet ordinatus Archiepiſcopus, plurimis, & magnis Legatis de propria ſua ſubſtantia, conjurans eum in ſcriptis per venerabilia, & terribilia Myſteria, ut ipſius foveret genus, & in nullo eis laborem incuteret. Sed Reverendiſſimus Epiſcopus Dioſcorus, qui malo non ſolùm noſtro, ſed etiam totius illius Diœceſeos ſuccedens in Throno inimicitias exercens contra ejus rectam Fidem Hæreticus conſtitutus non ſolùm non fovet, ſed pro nihilo ducens ejus terribiles adjurationes contraria in nos operatur, omnes adverſus nos exquirens inſidias. Et in principio quidem Epiſcopatus mihi, & fratri meo adhuc tunc ſuperſtiti mortem minitans, a nominatiſſima Alexandria quadam nos intentione excluſit, ita ut perſecutionem paſſi exinde ad fæliciſſimam Conſtantinopolitanam Urbem perveniremus, ſperantes mereri auxilium. Sed intentio præfati Reverendiſſimi Viri talis erat, quatenus hîc teneremur, & affligeremur, tam ab iniquæ memoriæ Chryſaphio* (potentiſſimo Eunuchorum, ac Eutychetis amantiſſimo) *quàm &c. Mandavit per literas, ut nos quidem ab eis conſumeremur, ipſi verò noſtræ captionis gratiam ſe debere confiterentur &c. Sub cuſtodia habiti diverſis ſumus pœnis ſubjecti, quouſque omnia, quæ in mobilibus habebamus, daremus, itaut cum tormentis non ſufficeremus, quaſi pro remedio cogeremur graviſſimis uſuris multos Fœneratores inquirere; itaut noſter quidem Frater clariſſimæ memoriæ Paulus non ſuſtinens cruciatus, & injurias humanis rebus excederet &c. Super hæc autem, ut neque habitationem aliquam haberemus, noſtras domos præparavit Eccleſias fieri &c. Sed neque his contentus me Presbyterio privavit, & alienum ab Eccleſiaſtico fecit Collegio, nulla adverſum me facta accuſatione. Et agimus annum jam ſeptimum errantes de loco in locum, aliquando quidem, ut diximus, a Creditoribus fugientes, aliquando & ab ipſa neque in Eccleſiis, neque in Monaſterijs habitare permiſſi &c. Præcepit, neque publicum balneum exhiberi, neque panem tranſmitti, aut alium aliquem cibum ibidem venumdari, ad hoc unum reſpiciens, quatenus præ anguſtia, & fame periremus &c. Uſque ad mille quadringentas plus minus auri libras extenduntur, quas &c. accepit a Sororibus Sanctæ, & Beatæ Memoriæ Cyrilli anguſtians uſque ad ipſam animam, & obſidens, comminatus ipſam quoque mortem exegit auri pondo octoginta quinque &c. Nec Barbari aliquando adverſus ſubjectos ſibi talia commiſerunt, qualia iſte mirabilis Doctor, qui alijs prædicare debuit oblíviſci malitiam &c.* Odio certè pluſquam Vatiniano flagravit Dioſcorus in eos omnes, qui Sanctiſſimum Cyrillum ſanguine, vel amore attingebant, & pluſquam barbaræ in illos edidit exempla crudelitatis. Et Cyrilli Auctoritatem prætexere contra Theodoretum auſus fuit? Et Eutychetem a ſe foveri jactavit, ut longius recederet a Neſtorio impugnatore Cyrilli? Studio videlicet Fidei ferebatur Origeniſta nequiſſimus, & in Divinam Trinitatem blaſphemus? Et Religione fretus in Leonem Magnum exarſit hic Parricida Flaviani, ac Synodi prædo? Honorificentiſſimum Romanæ Cathedræ decus eſt, quod hujuſmodi hoſtem ſortita fuerit: perinde ac gloria eidem acceſſit ex amantiſſimo in illam obſequio Cyrilli, cui tribuunt præſtantiſſimæ laudi in Mænologio Græci, quod a Cæleſtino Romano Epiſcopo dignus habitus fuerit, qui ejus vice Primum Epheſinum Concilium moderaretur. (1)

158 Sophronius demum primò conqueſtus de rapta ſibi Uxore a Macario Alexandrino Curiali, pro qua ſibi reſtituenda Imperiale Decretum & Præfectorum Sententias Conſtantinopoli obtinuit, hæc de Dioſcoro ſubdit: Sed *Reverendiſſimus Epiſcopus Dioſcorus omnia impiè agens*, ARBITRATUSQUE SE SUPER OMNES ESSE, NEQUE IMPERIALIA DECRETA, NEQUE MAGNIFICAS CONCESSIT EXEQUI SENTENTIAS, SUAM MAGIS PROVINCIAM, QUÀM IMPERATORUM ESSE DICENS. *Quippe immitit adverſus me Iſidorum, nomen quidem habentem Diaconi, ſui verò furoris Miniſtrum, cum latrocinantium agmine tam ruſticorum, quàm quorumdam aliorum, ut me de rebus humanis facerent alienum. Executorem verò mihi ex ampliſſimo*

offi-

(1) *Pag.* 234.

officio delegatum ſine ulla actione abigerent, quod & factum eſt. Qui Diaconus ſecundùm præceptionem memorati Reverendiſsimi Epiſcopi Dioſcori non contentus iis, inſuper omnes meas abſtulit facultates, quas in navibus, & multis rebus aliis poſſidebam, ex quibus cum noſtris infantibus victum habebam. Ex inſperato enim iſta cognoſcens, aliquo mihi memorati inſaniam nuntiante, fugiens ſalvatus ſum. Quoniam igitur quæ perpetrata ſunt a Reverendiſsimo Epiſcopo Dioſcoro, neque a Barbaris aliquando ſunt commiſſa, ideo deprecor veſtram Angelicam Militiam, miſeremini mei, & præcipite per Dei providentiam hic comprehenſum Tyrannum mihi facere reſponſum. Præparatus enim ſum, oſtendere, Reverendiſſimum Epiſcopum Dioſcorum & adversus Sanctam, et Consubstantialem Trinitatem sæpius blasphemas emisisse voces, *necnon etiam adulteria perpetraſſe, & in ipſam devotionem peccaſſe. Nam & Sacra laureata cum pro fœlicitate Orbis Terræ & in Alexandrinam civitatem introiſſent, non recuſavit agere multas diſpergens pecunias per Agoraſtum, & Timotheum, & alios quoſdam, ut ea de civitate depelleret. Moleſtè enim ferebat, eò quòd omnino talis Orbis Terræ Dominus prædicaretur. Seipſum enim magis Ægyptiacæ Diœceſi imperare volebat, ſicut & geſta apud diverſos Judices confecta demonſtrant. Nam & Vir Spectabilis Tribunus, & Notarius Joannes teſtimonium perhibet. Et niſi quia ex Divina Providentia contigit, magnificentiſſimum, & glorioſiſſimum Theodorum Ægyptiacæ Provinciæ gubernare negotia ſortem Legum Patronum, olim a prædicto Tyranno magna Alexandrinorum civitas fuiſſet deleta. Quia enim non ego ſolus, ſed etiam multi ſunt alii experti inſaniam prædicti Reverendiſſimi Dioſcori, manifeſtum eſt: licet qui pertulerunt, ſive pro paupertate, ſive pro timore ejus Tyrannidis non ſunt auſi ad veſtram Sanctitatem pervenientes eum accuſare &c.* Cæteris abſque nota prætermiſſis ſolùm expendo, Præſules Apoſtolicæ Sedis contemptores ab omni etiam aliorum Principum jugo plerumque abhorrere. Superbia enim, quæ illos impellit ad Sacræ Monarchiæ jura infringenda, urget quoque ad everſionem Profanæ. Illuſtre certè inſanæ hujus arrogantiæ documentum extat in Dioſcoro, qui, ſpreto prius Leone Pontifice Maximo, ac deinde Cæſare, Ægypti Tyrannidem tentavit invadere. (1)

Niſi tempori parcerem, referrem hìc in medium phantaſmata, quibus Petro Suavi ſomnus illuſit, dum comminiſcitur Juriſdictionis Epiſcopalis originem, quam nullam initio fuiſſe affirmat, ſed ſolùm corrigendi munus: deinde paulatim Judicium Eccleſiaſticum a charitate profectum: auctam mox poteſtatem, attributo Seculari Judice, qui Epiſcopi ſententiam exequeretur: *magnam tandem factam acceſſionem, a qua cauſam exortam perdundæ veteris, qua Chriſtiani Præſules ſuos proſequebantur, reverentiæ, & obedientiæ.* Qui Dioſcori geſta delibat, utcumque Tyrannidem meritò execretur, eam tamen illius fuiſſe Quinto Seculo Poteſtatem apertiſſimè videt, qua majorem per annos deinde Mille profectò Epiſcopi nacti non ſunt, licet contrarium huic evidenti veritati mendacium Suavis vulgo Lectorum obtrudat. (2)

159 Non immorabimur in libranda Pœna, irrogata in hoc quoque mortalitatis theatro inſolentiſſimæ contumaciæ, qua in Magnum Leonem Dioſcorus inſurrexerat. Auſus in Sacrum Mortalium omnium Verticem inſilire, infra omnes mortales probroſiſſima immanium ſcelerum recenſione fuit abjectus.

CAPUT XXXVII.

In Dioſcorum tertiò fruſtra vocatum Sententiam ferunt Leonis nomine Pontificij Nuntij exorati a Synodo, quæ ſe Leone minorem agnoſcit.

160 Crimina, quorum abſentem Dioſcorum inſimulaverant, accerſito ad Synodum exprobrare ſecuri ſuæ cauſæ Accuſatores vehementer optabant, & ad illum præſentem manifeſtiſſimè coarguendum paratos ſe eſſe, Teſtibus quoque in medium vocatis, profeſſi fuerant. Requirebant præterea Canones Tertiam Rei compellationem; ideoque tres iterum Antiſtites cum Concilii Epiſtola miſſi ſunt, qui ad Conventum regreſſi Patribus abſurdiſſimas hominis voces retulerunt, incaſſum a Synodi Legatis admoniti de neceſſitate purgandi ſe a Criminibus illi objectis ab Euſebio, cęteriſque, quorum nomina eidem aperuerant. Sed horrore perculſus ob conſcientiam ſcelerum, hoc unum perpetuò repoſuit: *Quæ dixi, dixi, quibus addere aliquid non poſſum. Et tertiò hæc eadem dico, quod addere aliquid iis, quæ jam dicta ſunt, non habeo. Quid me compellitis alia dicere &c. Hæc eadem, quæ prius, dico: Quæ dixi, dixi, & hæc*

mihi

(1) *Pag.* 238.

(2) *Pag.* 368. & 370.

mihi ſufficiunt. Quæ porrò dixerat ſecundò vocatus, videlicet, quod accedere ad Synodum *a Magiſtrianis, a Scholaribus*, ac deinde ab ægrotatione prohiberetur: quod ſua non ſine præſentia, & ſuffragio Secularium Judicum eſſet cauſa diſcutienda, ſibique adeſſe deberent Juvenalis, aliique primarii Præſules: hæc, inquam, rejecta fuerant, ut alieniſſima a veritate, ac juſtitia, in Literis ad ipſum datis. Cum ergo contumacis propoſiti tenax recuſaret accedere, *Paſchaſinus Epiſcopus dixit: Cognovit Deo amabilis, & beatiſſima Synodus, quoniam Tertiò vocatus per Dei amantiſſimos Epiſcopos Francionem, Lucianum, & Joannem, Dioſcorus Epiſcopus ad reſpondendum ſuis accuſationibus, ſciens ſe eſſe obnoxium, venire contempſit. Quo igitur dignus eſt ita contemnens, Veſtra Sanctitas ore proprio faciat manifeſtum. Sancta Synodus dixit: Indignatione, quæ contra inobedientes a Sanctis Regulis conſtituta eſt.* Licet Sententiam omnium primus proferre poſſet Pontificius Legatus, prudentiſſimo tamen conſilio voluit a Græcis illam Epiſcopis in Græcum prius Antiſtitem intorqueri, ne calumniari unquam auderent Romanos Hæretici, quod nimis præcipites fuiſſent in opprimendo Dioſcoro. Cæterùm quod præcipuæ futuræ eſſent Legatorum partes in ferenda ſententia, manifeſtum eſt ex recenſito ſuperius Leonis Decreto, & præterea conſtabit ex ipſius Concilii obſequio, quo Legatos exoravit, ut Pontificio nomine fulmen in Sacrilegum Virum jacularentur. Rurſus igitur Synodum allocutus, *Paſchaſinus Epiſcopus dixit: Iterum rogamus Veſtram Beatitudinem. Ecce tertiò a Sanctis Fratribus, & Coepiſcopis noſtris vocatus & contemnens, & non veniens, quo dignus eſt? Quid placet Veſtræ Sanctitati, volumus diſcere? Sancta Synodus dixit: Quæ placita ſunt Canonibus. Paſchaſinus Epiſcopus dixit: Jubet Religioſitas Veſtra, ut Ultione Eccleſiaſtica contra eum utamur? Conſentitis? Sancta Synodus dixit: Omnes conſentimus, quæ Regulis ſunt placita, in eo fieri.* Quamvis honoris gratiâ quæſiviſſet Legatus, an Synodus *juberet* Cenſuris Eccleſiaſticis Dioſcorum illigari, Conſenſum tamen ſolummodo, non Juſſionem a ſe requiri manifeſtè oſtendit, altera interrogatione adjecta, videlicet: *Conſentitis?* Cumque Patres reſpondent, placere ſibi ſervari placitum Regularum, de illis loquuntur Regulis, quas Leo Pontifex Maximus contra obduratos Hæreticos allegaverat, cujus proinde voluntati ſe penitus ſubiiciunt. Sed cunctatus adhuc *Paſchaſinus Epiſcopus dixit: Jubet Religioſitas Veſtra, ut Eccleſiaſticâ ſententiâ adverſus eum, ut ſum interlocutus, utamur? Sancta Synodus dixit:* ETIAM CONSENTIMUS. Ferendæ igitur Sententiæ honorem ultro relinquit Generale Concilium Pontificiis Legatis Moderatoribus ſuis. (1)

At exclamaſſet Smalchaldicnſis Conventus a Suavi relatus, iniquum eſſe, quod ſententiam in Dioſcorum ferrent Legati Leonis, qui ejuſdem Dioſcori opinionem in Eutychete damnaverat. *Nullam in hoc fore libertatem, ſed omnia referenda ad Pontificis nutum, cujus voluntati rerum arbitrio permiſſo, cum ipſe non ſemel ipſorum Religionem damnarit, non poſſe ultra Concilium eſſe liberum.* (2)

161 Inſigne hic honor incrementum accipit ex modo loquendi, quo communi omnium nomine uſus eſt Julianus Epiſcopus Hypæpenſis. *Nunc* VESTRA SANCTITAS PRIMATUM (ſive, ut alii legunt) AUCTORITATEM TENET SANCTISSIMI LEONIS &c. *Petimus igitur Veſtram Sanctitatem, qui habes* (ſcilicet ipſe Paſchaſinus) *magis autem* QUI HABETIS (videlicet Lucentius quoque, ac Bonifacius) LOCUM SANCTISSIMI PAPÆ LEONIS, *promulgare in eum, & Regulis inſitam contra eum proferre Sententiam. Omnes enim, &* TOTA UNIVERSALIS SYNODUS CONCORS EFFICITUR VESTRÆ SANCTITATIS SENTENTIÆ. *Paſchaſinus Epiſcopus dixit: Iterum dico: Quid placet Beatitudini Veſtræ? Maximus Epiſcopus magnæ Antiochenæ civitatis dixit: Quod videtur Sanctitati Veſtræ, & nos concordes efficimur.* Nullus penitus reclamavit, cum Julianus, & Maximus profeſſi fuiſſent, ſe interpretes eſſe Univerſi Concilii. Fidem ergo Concilio æquiſſimè tribui poteſt Præſulum illorum ſententia, quæ majorem Leoni, quàm ipſi Synodo vindicat Auctoritatem. Quid enim ſignificant verba illa: *Nunc Veſtra Sanctitas Primatum*, ſive *Auctoritatem tenet Sanctiſſimi Leonis?* An non ipſum quoque Concilium ſua in Dioſcorum auctoritate pollebat? Cur ergo illam Leonis allegant, niſi quia ad augendas vires Sacri teli in ſceleratiſſimum hominem jaciendi, præſtantiorem ex gemina, Pontificia ſcilicet, & Conciliari, Auctoritate, opportunius erat in medium producere? Vel, ſi aliter malimus hæc verba explicare, profectò ſaltem oſtendunt, pertinere ad Legatos jus ferendæ Sententiæ Poteſtate illa, quam ipſis tribuerat Leo, non autem illa, quam cogerentur a Synodo poſtulare. (3)

Hoc auctoritatis pondus agnoſcit Synodus in Leone, cui Suburbicariarum Eccleſiarum Sacram adminiſtrationem, *& ſola* qui-

(1) *Pag*.240.241.242.243. (2) *Pag*.84.
(3) *Pag*. 243.

Digitized by Google

quidem *conſuetudine* introductam, Nicæna Synodus confirmavit, Auctore Suave. (1)

162 Afferimus nunc narrationem Sententiæ a Legatis in Dioſcorum latæ. *Paſchaſinus Epiſcopus Lilybætanus Provinciæ Siciliæ, & cum ipſo Lucentius Epiſcopus Eſculanenſis, & Bonifacius Presbyter magnæ Romanæ Eccleſiæ*, TENENTES LOCUM SANCTISSIMI ET BEATISSIMI ARCHIEPISCOPI APOSTOLICÆ SEDIS MAGNÆ, ET SENIORIS ROMÆ LEONIS, PRONUNTIAVERUNT. *Manifeſta facta ſunt, quæ a Dioſcoro quondam Alexandriæ magnæ civitatis Epiſcopo commiſſa ſunt adverſus Sanctarum Regularum ordinem, & Eccleſiaſticam diſciplinam &c. Hic enim (ut plurima intermittamus)* EUTYCHEM *ſimilia ſibi ſapientem, & regulariter a proprio damnatum Epiſcopo &c. præſumens ſibi Primatum*, IRREGULARITER IN COMMUNIONEM SUSCEPIT, *priuſquam conſideret in Epheſo cum Dei amantiſſimis Epiſcopis. Sed* ILLIS *quidem* APOSTOLICA SEDES VENIAM PRÆSTITIT, *de iis, quæ ibi non voluntariè ab eis geſta ſunt, qui & hactenus permanſerunt obedientes Sanctiſſimo Archiepiſcopo Leoni, & omni Sancto, & Univerſali Concilio. Hujus gratiâ & in ſua communione eos ſicut confideles ſuſcepit*. Quæ Paſchaſinus eloquitur, cenſenda ſunt totius Synodi Oracula, tum quia hæc præfata fuerat, aſſenſum a ſe illius verbis præſtari: tum quia illius dicta iterum deinde abſque ulla exceptione confirmavit. Ergo Univerſi Concilii Sententia eſt, quod condemnatus a Flaviano Eutyches a nullo alio Epiſcopo in communionem ſuſcipi poſſet, niſi ab illo, qui verè Primatum haberet, quem temerariè ſibi Dioſcorus arrogaverat, videlicet a Romano. Hic præterea Orientalium quoque Præſulum Judex declaratur; dicitur enim, aliis Epiſcopis cum Dioſcoro lapſis pepercisse Leonem, cui obtemperabant, & a quo veniam obſequentiſſimè flagitaverant. (2)

163 Nec prætermiſerim animadvertere, Univerſo quoque Concilio immane Dioſcori crimen viſum fuiſſe, quod vetuerit Epheſi legi Pontificiam Epiſtolam, & Patres omnes affirmaſſe, ex hujus defectu lectionis exortum fuiſſe ſcandalum, & ruinam orbis terrarum. Hæc enim verba in Sententia extant. *Super hæc verò neque Epiſtolam legi permiſit Beatiſſimi Papæ Leonis ſcriptam ad Sanctæ Memoriæ Flavianum &c.* QUA NON LECTA SCANDALUM, ET LÆSIONEM SANCTÆ ECCLESIÆ PER TOTUM ORBEM TERRÆ PERTULERUNT. (3)

164 At inſanam audaciam Excommunicationis in Leonem a Dioſcoro latæ, Synodus præfert omnibus criminibus, quæ jam in Sententia fuerant recenſita, videlicet Hæreſi, & Patrocinio Eutychetis Hæreſiarchæ, ac Epheſino Latrocinio, ſecum trahenti everſionem Eccleſiarum. *Sed quoniam* SECUNDIS EXCESSIBUS PRIOREM INIQUITATEM VALDE TRANSCENDIT: *præſumpſit enim & excommunicationem dictare adverſus Sanctiſſimum, & Beatiſſimum Archiepiſcopum Magnæ Romæ Leonem*. Cenſuit igitur Synodus, nihil Eccleſiæ Dei perniciosius eſſe, quàm rebellionem ab oculis ſubjecto ejuſdem Eccleſiæ Capite. (4)

165 Poſt indicata demum alia ſcelera incluſa ſupplicibus Accuſatorum libellis, quorum conſcientiâ fractus minimè obtemperavit Synodo ter illum ad judicium vocanti, Sententiam ita Pontificio nomine Legati proferunt. *Unde Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Archiepiſcopus Magnæ, & Senioris Romæ* LEO PER NOS, ET PER PRÆSENTEM SANCTAM SYNODUM *unà cum ter Beatiſſimo, & omni laude digno* BEATO PETRO APOSTOLO, QUI EST PETRA, ET CREPIDO CATHOLICÆ ECCLESIÆ, ET RECTÆ FIDEI FUNDAMENTUM, NUDAVIT EUM, *tam Epiſcopatus dignitate, quàm etiam & ab omni Sacerdotali alienavit miniſterio*. Notatu digniſſimum eſt, quod in ferenda ſententia uti Leo dicatur Legatis ſuis, & Univerſo Concilio, veluti Pontificiæ Auctoritatis Adminiſtro, & quodammodo Brachio Romani Capitis, Sacrum ab illo intorqueri fulmen præcipientis. *Leo per nos; & per præſentem Sanctam Synodum &c. nudavit eum tam Epiſcopatus dignitate &c.* Quemadmodum igitur profectò Legati, quorum Leo miniſterium adhibebat, ipſo Leone minores erant: ita ſe primas eidem partes concedere viſa eſt fateri Synodus Sacroſancta, quam non puduit Maximi Pontificis Adminiſtram vocari. (5)

Cum frequentiſſimè a plerifque Hiſtoriæ noſtræ particulis evincimus, Romanum Pontificem Generalibus Synodis antecellere, nihil contra Suavem attexim us, eò quòd res ipſa diſertiſſimè clamet contra furentem Scriptorem, qui nullum in ſingulos ipſos Antiſtites, extra Romæ Suburbicarias Eccleſias partem aliquam Chriſtiani gregis paſcentes, Jus indulget illi, quem Grex Univerſus in Generalibus Conciliis congregatus impoſitum ſibi Paſtorem agnoſcit. (6)

166 Præconia verò Apoſtolorum Principis, qui *Petra, & crepido*, cui Catholica Eccleſia innititur, & *Fidei Fundamentum* appellatur, oſtendunt, quænam Explicatio Divinis Chriſti Domini verbis dicentis Petro:

(1) *Pag.* 343. (2) *Pag.* 243. (3) *Pag.* 244. (4) *Pag.* 244. (5) *Pag.* 244. (6) *Pag.* 243.

tro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, ex Chalcedonenſis Sententia Concilii tribuenda ſit: videlicet quod ſupra ipſum Petrum, & non ſolùm ſupra Petri, & cæterorum Fidem, Eccleſia fundanda eſſet. Sed Petrus ipſe, ſuus a Chriſto Vicarius relinquendus, Fidei Fundamentum futurus eſſet. Qui diverſimode hunc locum Lutherus, & Calvinus interpretantur, flocci faciunt Chalcedonenſe Concilium.

167 Quia porrò Petrus cum Leone damnare Dioſcorum perhibetur, conſpirare dicitur cum Succeſſore ſuo Princeps Apoſtolici ordinis, & in Petro a Chriſto Domino Leonis dignitas permanare, non a Cæſaribus Romæ imperantibus. Innui pariter videtur mihi, certiſſimam eſſe Leonis Fidem: quo pacto Infallibilis erat Petri Doctrina, quem Chriſtus elegerat in rectæ Fidei Fundamentum.

CAPVT XXXVIII.

Leonis Sententiam confirmat Synodus, ac Dioſcoro vertens crimini temerarium auſum in Apoſtolicam Sedem, hujus Præſtantiam ſupra omnes Præſules, etiam conciliariter congregatos, multipliciter atteſtatur. Rurſus Univerſalis Eccleſiæ Papa dicitur Leo.

167 SUo inſiſtens mori Paſchaſinus Legatus juſſit, a Synodo ea de Dioſcoro decerni, quæ ſingulis arriderent, certus, nullum ab iis receſſurum, quæ omnes profeſſi fuerant, cum dixerant: *Quod videtur Sanctitati Veſtræ, & nos concordes efficimur*. Ut autem omnem calumniæ, forſan excitandæ a Dioſcori fautoribus, de violento in illum Romanorum impetu anſam præcideret, Legatus dixit: *Igitur Sancta hæc, & magna Synodus, quæ placent Regulis ſuper memorato Dioſcoro decernat*. Iverunt omnes in Legatorum ſententiam, & chorum duxit Anatolius, qui fuerat Dioſcori Apocriſarius, & præcipuo ejuſdem ſtudio ſuffectus Flaviano in Archiepiſcopatu Cæſareæ Urbis. Et ſuo quidem ſuffragio proteſtatus eſt, in omnibus conformare ſe Apoſtolicæ Sedi, adeoque omnibus illis aſſentiri, quæ magnifica de Petro, ac Leone Legati affirmaverant. *Anatolius Archiepiſcopus Regiæ Conſtantinopolitanæ novæ Romæ dixit: Hæc eadem*, APOSTOLICÆ SEDI PER OMNIA SAPIENS, *concors ſententiæ efficior ſuper damnatione Dioſcori &c.* (1)

168 Cæteri Patres ampliſſimis honoris titulis Leonem, ejuſque Nuntios proſecuti ſunt, ex quibus unum affero Maximum Antiochenum. *Maximus Epiſcopus magnæ Antiochenæ civitatis dixit: Optabam quidem, nullum ex fratribus, & conſacerdotibus meis talibus peccatis irruere, ut etiam Regulis ſubjaceret. Quoniam verò Dioſcorus &c. Ideo eum Eccleſiaſticæ Sententiæ ſubiicio: ſicut & Sanctiſſimus, & Reverendiſſimus Archiepiſcopus*, ET PATER NOSTER LEO *Regiæ Senioris Urbis Romæ per Vicarios ſuos Sanctiſſimos Epiſcopos Paſchaſinum, & Lucentium, & Religioſiſſimum Presbyterum ejuſdem magnæ Romæ Bonifacium, & Sanctiſſimus & Beatiſſimus Regiæ novæ Romæ Archiepiſcopus Anatolius interlocuti ſunt.* Non iis tantùm appellationibus, quæ communes ea tempeſtate pluribus Epiſcopis erant, ad revocandam illis in mentem, qua fulgere debent, Sanctitatem, ſed alia quoque ſingulari Leonem proſequitur, quem *Patrem noſtrum* nuncupat, nemine reclamante. Qui autem Præſulum omnium conflantium Generale Concilium dicitur *Pater*, eidem Synodo, quemadmodum Pater filiis, antefertur. Utque nullus opinetur, fortuitò Nomen hoc Maximo excidiſſe, idem illo non utitur, dum loquitur de Anatolio, quem alii quoque non pauci compellaverunt, veluti Ducem Græcorum Græcum Antiſtitem condemnantium, & prius Dioſcoro amicitiâ conjunctiſſimum. (2)

169 Poſt ſuffragia oretenus data expendendus in ſubſcriptionibus eſt Titulus *Univerſalis Papæ*, Leoni ſine ullius querela tributus a Legatis, qui omnium primi de more Sententiam calamo confirmaverunt. *Paſchaſinus Epiſcopus Eccleſiæ Lilybetanæ Provinciæ Siciliæ, vice Beatiſſimi*, atque APOSTOLICI UNIVERSALIS ECCLESIÆ PAPÆ *Urbis Romæ* LEONIS SANCTÆ SYNODO PRÆSIDENS *in Dioſcori damnatione conſenſu Univerſalis Concilii ſubſcripſi*. Præſidere præterea Concilio ſe affirmat, nec *Apoſtolici* agnomen omittit; addit autem *Urbem Romam*, quæ peculiaris eſt Maximi Pontificis Epiſcopatus, præter Generalem, quo dicitur *Univerſalis Eccleſiæ Papa*. Bonifacius autem præclarè locutus de Eccleſia Romana, inquit: *Cælius Bonifacius Presbyter, & Legatus Sanctæ Eccleſiæ antiquæ magnæ Romæ, & ipſe ſimiliter locum tenens Sanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis, ſimul cum honorabili, & Beatiſſima*, atque APOSTOLICA ECCLESIA PAPÆ LEONIS *in damnatione Dioſcori definiens ſubſcripſi*. (3)

170 Cer-

(1) *Pag.*243.& 244.(2)*Pag.*244.(3)*P.*259.

Digitized by Google

170 Certiores Synodus per Epiſtolam fecit Valentinianum & Marcianum Imperatores de Sententia in Dioſcorum lata, & præcipuas ejuſdem fuiſſe cauſas aſſeveravit tria defectionis ab Apoſtolica Sede argumenta. *Primum quidem, quia* EPISTOLAM *a Sanctiſſimo Archiepiſcopo ſenioris Romæ directam ad s. m. Flavianum quondam Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum* RECITARI PROHIBUIT *Reverendiſſimu Epiſcopis*. Niſi Leo exiſtimatus fuiſſet a Chalcedonenſi Concilio Preſes Eccleſiæ, certuſque Synodorum Præceptor, immane crimen viſum Patribus non fuiſſet vetita illius Epiſtolæ lectio. Ac certè ſi ab alio aliquo Præſule, v. g. ab Antiocheno, qui forſitan abfuiſſet, exaratam ad Synodum Epiſtolam Dioſcorus occultaſſet, nôn proinde ab Alexandrino ipſe ſolio nunc dejectus fuiſſet. Manifeſta hujuſce diſcriminis ratio eſt, quia cæteri Antiſtites non ſunt, aut cenſentur totius Eccleſiæ Rectores, ac Magiſtri, ſicut Romanus. (1)

172 Alterum ſignum perfidiæ, Dioſcori condemnationem provocantis, eſt, quod in Eccleſiaſtici honoris gradum & Monaſterii Præfecturam reſtituiſſet Eutychetem a Flaviano exauctoratum: *Et hęc* CUM *Sanctiſſimus & Beatiſſimus magnę Romę Archiepiſcopus* LEO *per eaſdem Literas convenientia decreviſſet, &* SCELESTAM EUTYCHIS IN SCRIPTIS OAMNASSET PERFIDIAM, *dicentis: Confiteor quidem ante adunationem ex duabus naturis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, poſt unitionem verò unam eſſe naturam.* Nulli ergò, præter Romanum, Epiſcopo licere affirmant, ſua communione donare illos, qui ab aliis anathemate percuſſi fuerunt. Ad ipſum autem Romanum, ut ad Erroris expertem Religionis Doctorem, pertinere docent Veræ Fidei declarationem, quam editam ab eo fuiſſe commemorant contra Recentis Hæreſiarchæ perfidiam. (2)

173 Evanidum demum telum inſanâ vecordiâ intortum a Dioſcoro contra Leonem Chalcedonenſes Patres putant eſſe Crimen majus Hæreſi ac Hæreſis patrocinio, omnique alio ſcelere, ac demum ejuſmodi eſſe nefas, cui nequeat indulgeri. *Et fortè ſuper tantis, ac talibus iniquitatibus* VENIAM ADIPISCI POTUISSET, *ſi per dignam pœnitentiam aſciſceret medicinam ab hoc Univerſali Concilio. Sed* QUONIAM SUPER ALIAS SUAS NEQUITIAS, *& adverſus ipſam Apoſtolicam Sedem latravit, &* EXCOMMUNICATIONIS LITERAS ADVERSUS SANCTISSIMUM, ET BEATISSIMUM PAPAM LEONEM FACERE CONATUS EST *&c.* Ipſo igitur Epheſino Latrocinio, in quo per vim, & nefas magnam Orientis Epiſcoporum partem ad ſubſcribendum Hæreſi Dioſcorus compulit, & Sanctiſſimum Flavianum pugnis, & calcibus a ſe contuſum propemodum extinxit, ac certè in mortem, paulò poſt obitam, impulit, execrabilior Concilio viſa fuit ſacrilega temeritas Dioſcori Romanum Epiſcopum allatrantis. At niſi idem Romæ Antiſtes etiam Præſes eſſet Univerſalis Eccleſiæ, multò graviora fuiſſent ſcelera, quibus ante ſe inquinaverat Alexandrinus Præſul, quàm Excommunicatio in alium, utcumque magnum, Antiſtitem lata. (3)

Enimverò ſi nulla in Univerſum Chriſtianum Orbem, ut Suavis perpetuò præſumit, Romano fuiſſet Præſuli Auctoritas, majus Hæreſi ſacrilegium eſſe non potuiſſet Excommunicatio lata in Epiſcopum Romæ, ac Suburbicariarum ſolummodo, ut Polanus blaſphemat, Eccleſiarum a Sacro Præſide totius Ægypti, Lybiæ, ac Pentapolis. (4)

CAPUT XXXIX.

Judices, ac Senatus ad compeſcendam Hæreticorum quorumdam Præſulum calumniam de Vetuſta Fide innovata a Leonis Epiſtola interrogant Patres de Conformitate Nicæni, & Conſtantinopolitani Concilij cum ejuſdem Epiſtolæ Doctrina. Huius examen inſtitutum fuiſſe a Concilio Chalcedonenſi affirmare Suavis abſque inſania nequivit. Rurſus Leo dicitur Major Synodis, & Infallibilis.

174 QUartam Synodi Actionem ingredimur, in qua diſcuſſam fuiſſe Leonis Epiſtolam Suavis affirmat, & petitas Patrum ſententias, eò quòd Concilium ambigeret, an illius Doctrina omni ex parte conformis eſſet Catholicæ Veritati. Ex hoc autem evinci putat, adeo non fuiſſe certos Chalcedonenſes Præſules de Pontificia Infallibilitate, ut argui quoque de erroribus in fide a ſe poſſe Romanum Antiſtitem e Cathedra docentem arbitrarentur. Duplex iniri valet ad retundendum hujuſmodi mendaciſſimum dictum via. Prima eſt illa, quam ſupra innuimus Capite Trigeſimo, oſtendentes, non illico cenſeri obnoxium errori ſcriptum aliquod ab iis, qui vindicandum illud ab aliorum impugnatione ſuſcipiunt. Vel Sacri enim unius Hiſtorici narratio cum alia ſæpe

(1) *Pag.*267. (2) *Pag.*267.

(3) *Pag.*267. (4) *Pag.*243.

ab altero exarata confertur in Libris de Conſenſu Evangeliſtarum; licet ſingulorum narrationes Infallibiles eſſe Fide Divina credamus. Ita quamvis ad refellendam temeritatem dicentium diſceſſiſſe Leonem a veritate in Synodis explicata, expenſa eſſet Epiſtola, non proinde ſubjecta erroris periculo exiſtimata fuiſſet: perinde ac dum in pluribus Synodis, ac præcipuè in Tridentina, exploratæ iterum ſunt, ad majorem iis lucem afferendam, Catholicæ Veritates jam in aliis antea Conciliis definitæ, non proinde fuerunt in dubium revocatæ. Alterâ nunc alacres progredimur Regiâ ſemitâ pernegantes, Examen ullum de Veritate Pontificiæ Doctrinæ ſuſceptum fuiſſe a Concilio. Adeo in manifeſta hoc luce ſtatuemus, ut a veſano livore orbatum oculis fuiſſe Suavem demonſtraturi ſimus, qui contrarium affirmans ſplendidè mentiri fuit auſus. Suffragiis quidem ſuis teſtati ſunt Epiſcopi, conſpirare Leonis Epiſtolam cum Doctrina Fidei, quam tradiderant tria Generalia eò uſque celebrata Concilia. Sed hoc præſtiterunt, ut compeſcerent Hæreticorum Calumniam, qui Fidem a Romano Pontifice innovari criminabantur. De illa porrò Epiſtola, ut quæ falli poſſet, aut decipere, Examen neque initum fuit a Concilio, neque potuit iniri, niſi Patres ſibi ipſis notam ſtolidæ temeritatis inurere voluiſſent. Ad hæc demonſtranda expendimus primò cauſam, ob quam conſonantiam Epiſtolæ cum aliis Conciliis optimi Antiſtites profeſſi ſunt. Eam fuiſſe, ut Hæreticorum fauces comprimerent, liquet ex Actis, quorum initio narratur Quartum hunc congreſſum habitum fuiſſe *XVI. Kal. Novembris*, & lecta fuiſſe illa, quæ decreta fuerant *Octavo Idus Octobris*, interque alia Judicum, ac Senatus poſtulationes de Cenſura ſimili illi, quæ lata fuerat in Dioſcorum, ferenda *in Juvenalem*, *Thalaſſium*, *Euſebium Ancyranum*, *Euſtathium*, *& Baſilium*, *qui poteſtatem habuerant*, *& Principes fuerant* ſcelesti Concilii Epheſini. Lectum pariter eſt id, quod in Secunda Actione *Sexto Idus Octobris* dixerant Judices, ac Senatus, videlicet: *Differatur auditio uſque ad dies quinque, ut inter hæc veſtra Sanctitas congregetur ad Sanctiſſimum Archiepiſcopum Anatolium, & de Fide communiter conſultetis, ut ij, qui dubitant, doceantur. Et poſt aliqua magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices, & Ampliſſimus Senatus dixerunt: Neceſſarium non eſt, omnes vos convenire. Sed quoniam conſequens eſt credere dubitantes, Reverendiſſimus Epiſcopus Anatolius* ELIGAT EX IIS, QUI SUBSCRIPSERUNT, *quos putaverit eſſe dignos, ut doceant dubitantes. Poſt reliqua: Magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices, & ampliſſimus Senatus dixerunt: Interlocutio, quæ præceſſit, tradatur effectui.* Cur hæc, quæ in aliis Actionibus contigerant, in hac Quarta lecta ſunt, niſi quia perſuaſio vigebat apud Judices, ac Senatum, de obdurato in hæreſi quorumdam animo refragantium Leonis Epiſtolæ, quos proinde inſtrui cupiebant ab iis, qui eidem Epiſtolæ ante ſubſcripſerant? Collatio igitur Pontificiæ cum Synodali Doctrina facta ſtatim fuit ſolùm ad lumen Hæreticis afferendum, in quorum gratiam Judices, & Senatus dixerunt: *Manifeſtatis ijs, quæ jampridem conſtituta ſunt, quod placuit Reverendo Concilio de Sancta Fide, ipſum nos doceat.* Et pauló poſt: *Quoniam Sacra Evangelia poſita a Reverentia Veſtra perſpicimus, ſinguli Reverendiſſimi Epiſcopi, qui convenerunt, doceant, ſi Expoſitio Trecentorum decem, & octo Sanctorum Patrum, qui olim in Nicæa collecti ſunt, & poſt hæc Centum quinquaginta, qui in Regia congregati ſunt civitate, conſonat Epiſtolæ Reverendiſſimi Papæ Leonis?* Igitur vice inſtructionis dubitantium in Fide, ideoque Infidelium, privatim faciendæ a Catholicis Epiſcopis, qui tales ſe oſtenderant ſubſcribendo Leonis Epiſtolæ, viſum fuit expedire, ut palam omnes teſtarentur conſenſum ejuſdem Epiſtolæ cum Nicæna, & Conſtantinopolitana Fide. Quis non videt, unicam hujus atteſtationis a Judicibus quæſitæ cauſam fuiſſe religioſum ſtudium alliciendi Hæreticos ad tramitem Veritatis? Sententiæ igitur affirmantium, unam eamdemque eſſe Leonis, & Conciliorum Fidem, nullatenus appellari poſſunt Examen Epiſtolæ Pontificiæ, tanquam erroris ſuſpectæ. (1)

175 At quod hujuſmodi Examen inſtitui non poſſet ab Epiſcopis, perinde ac ſi de veritate Doctrinæ in eadem contentæ dubitarent, evidenter conſtat ex iis, quæ ante Sententias ab iiſdem latas contigerant. Cum dixiſſent Judices, ac Senatus: *Quod placuit Reverendo Concilio de Sancta Fide, ipſum nos doceat: Paſchaſinus, & Lucentius Reverendiſſimi Epiſcopi, & Bonifacius Reverendiſſimus Presbyter, Vicarii Sedis Apoſtolicæ per virum Reverendiſſimum Paſchaſinum dixerunt: Sancta, & Beatiſſima Synodus Fidei Regulam, quæ apud Nicæam a Patribus eſt conſtituta, ſequitur, & tenet; ſed etiam & Centum quinquaginta apud Conſtantinopolim ſub Sanctę Recordationis Theodoſio Majore congregata Synodus ipſam Fidem confirmavit, cujus Symboli expoſitionem a Beatę Recordationis Viro Cyrillo apud Epheſum expoſi-*

(1) *Pag.* 268. 269. 270. 271. *&* 272.

Digitized by Google

poſitam (quando Neſtorius eſt pro ſua calliditate damnatus) ſimiliter ampleſtitur. Tertiò verò Beatiſſimi, atque Apostolici Viri Universalis Ecclesiæ Papæ Leonis, *Neſtorii & Eutychetis hæreſim damnantis*, directa scripta, quid vera Fides habeat, exposuerunt. *Similiter verò & Sancta Synodus hanc Fidem tenet, hanc ſequitur*, nihil amplius nec addere potest, nec minuere. *Qua expoſitione interpretata Græcè per Beronicianum devotum Secretarium Divini Conſiſtorii, Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt:* Omnes sic credimus, *sic baptizati ſumus, sic baptizamus. Sic credidimus, sic credimus.* Poſtquam omnes Epiſcopi elatis in cælum clamoribus affirmaverunt, eodem a ſe in pretio haberi, & perinde certam, ac Divinam exiſtimari Leonis Doctrinam, ac Trium Generalium Conciliorum, quo pacto deinde Examen de illa poterant inſtituere? Enimverò ſeipſos inſanę temeritatis inſimulaſſent ob plauſus eidem Epiſtolæ, veluti Cæleſtis veritatis compertæ, paulò ante datos. Ex illis clamoribus apparet, atque eminet, non minus infallibilem creditam fuiſſe Pontificiam, quàm Synodalem doctrinam. Non potuit igitur eadem Epiſtola quaſi errori ſubjecta, deinde ad tribunal vocari. (1)

176 Appellaverat Paſchaſinus Leonem *Univerſalis Eccleſiæ Papam*, & Epiſcopi ſubjecerant: *Omnes ſic credimus, ſic credidimus*. Chalcedonenſe igitur Concilium eamdem Pontifici Maximo tribuit Appellationem. Et dubitaret poſtmodum, ab Epiſcopo *Univerſalis Eccleſię* decipi Eccleſiam poſſe, dubia lance illius Epiſtolam ſuſpendendo? (2)

177 Legatus dixerat: *Leonis ſcripta, quid vera Fides habeat, expoſuerunt: ſimiliter verò & Sancta Synodus hanc Fidem tenet, hanc ſequitur: nihil amplius nec addere poteſt, nec minuere.* Huic Legati Sententiæ aſſenſi Antiſtites omnes ſucclamarunt: *Omnes ſic credimus, ſic credidimus*. Credebant ergo, & crediderant, nihil addi a Synodo Pontificiæ Expoſitioni Fidei, nihilque ab illa pariter minui poſſe. Manifeſtiſſimè igitur affirmaverant, eamdem Pontificiam Fidem eſſe Infallibilem; cæteroqui enim aliquid illi addi potuiſſet, aut aliquid ex illa detrahi. (3)

178 Hæc verba non ſolùm impotem falli Romanum Pontificem atteſtantur, ſed etiam ejuſdem eſſe munus affirmant, edocere Concilia, ipſiſque præcipere, ut confirment, & ſpargant per Chriſtianum Orbem veritatem Romæ definitam: eademque evidenter aſſerunt Romano Pontifici Præſtantiam ſupra Synodos Generales, coactas ipſius Auctoritati ſe ſubiicere.

179 Si verò latas ab Epiſcopis omnibus Sententias expendamus, ex iis quoque liquidò patebit, dictas ab illis tantummodo fuiſſe ad os Hæreticorum occludendum, non autem ad expendendum, veluti rem, quæ poſſet in controverſiam revocari, an Leonis Epiſtola Catholicam Doctrinam compleċteretur. Affirmant omnes, ſe jam illi Epistolæ consensisse, ac fidem subscripsisse. Ergo locus amplius non erat in illius veritatem inquirendi, deque illa dubitandi. Se ipſos certè præcipitis in ea ſubſcribenda temeritatis accuſaſſent, ſi poſt *ſubſcriptionem* adhuc animo pependiſſent ambigui, an repugnans ea eſſet Epiſtola Sacris, & a Petri Cathedra confirmatis Conciliis. Mentis inopes in ſe ipſis criminandis fuiſſent Antiſtites. At omni potius mente deſtitutos crediderim illos, qui hanc dementiam, & confeſſionem deceptæ prius Eccleſiæ, aſſeverando de Veritate Epiſtolæ, de qua poſtmodum dubitaverint, attribuunt huic ſumma veneratione digno Præſulum pluſquam Sexcentorum Conſeſſui. Inſaniunt igitur, qui Examen Epiſtolæ Pontificiæ inſtitutum dicunt a Chalcedonenſi Concilio. (4)

180 Cum a Judicibus ac Senatu interrogati fuiſſent Orientis Epiſcopi, qui Epiſtolæ illi ſubſcripſerant, primum occupavit locum Anatolius, arbitratus, non ferendam Sententiam a Legatis, qui exemplum Epiſtolæ attulerant, neque neceſſe proinde fuerat, eamdem ipſorum ſubſcriptione firmari. Ipſius tamen ſermonem ante alios excepit cum Sociis Paſchaſinus dicens: *Manifeſtum eſt*, nec poterit dubitari, *unam Fidem Beatiſſimi Papæ Sedis Apoſtolicæ Rectoris Leonis cum Trecentorum decem & octo apud Nicæam Patrum concordare &c.* Affirmans igitur, *dubitari non poſſe*, an conformis Veræ Fidei a Conciliis definitæ, adeoque Vera, eſſet Epiſtolæ Pontificiæ Doctrina, Pontificiam Infallibilitatem affirmavit. Patrum nullus inficiatus eſt illud, quod Legatus edixerat, imò idem omnes ampliſſimè confirmarunt, deque prius adjecta Leonis Epiſtolæ ſubſcriptione ſua gloriati ſunt omnes, præter Illyricanos, & Palæſtinos, de quibus mox differemus. (5)

Et per ſummam inſaniam Sectarii apud Suavem affirmant, evertenda Decreta Leonis Decimi contra Lutherum; *Eam* enim *condemnationem Prophetarum, & Apoſtolorum Teſtimoniis oppugnari:* cum Chalcedonenſes Patres veluti Notorium aſſumant, *dubitari non poſſe* de Pontificiæ veritate doctrinæ? (6) H 2 Illis

(1) *Pag.* 271. (2) *Pag.* 271.
(3) *Pag.* 271.

(4) *Pag.* 271. *& ſeq.* (5) *Pag.* 271. (6) *Pag.* 71.

Illis interim occurramus, qui Leonis verba in Epiſtola ad Theodoretum, Sexageſima tertia inter ipſius Literas, proferre hìc audent in medium, perinde ác ſi *Examini* ſubjectam fuiſſe a Chalcedonenſi Concilio hanc ſuam ad Flavianum Epiſtolam Sanctiſſimus Pontifex ſateretur. Ea verò ſunt hujuſmodi. *Nam ne aliarum Sedium ad eam, quam cæteris omnium Dominus ſtatuit præſidere, conſenſus aſſentatio videretur, aut alia quælibet ſubrepere poſſet adverſa ſuſpicio, inventi prius ſunt, qui de judiciis noſtris ambigerent. Et dum* NONNULLI, DISSENSIONUM INCITATI AUCTORE, *ad contradictionis bella proſiliunt, ad majus bonum, malum ejus Auctore totius bonitatis diſpenſante, perventum eſt*. Et paulò poſt: *Ipſa quoque veritas & clarius reniteſcit, & fortius retinetur, dum, quæ Fides prius docuerat, hæc poſtea Examinatio confirmaret.*

Quid tum? *Examinationem*, inquiunt, appellat Leo diſcuſſionem Epiſtolæ ſuæ Chalcedone initam. At primò interrogamus, quoſnam *inventos fuiſſe* dicat Leo, *qui de ſuis judiciјs ambigerent?* Enimverò non Univerſæ Synodi Patres, aut potiorem eorumdem partem, ſed paucos Hæreticos ex Illyrico ac Palæſtina. Pernegas? At poſtquam affirmavit Leo: *Inventi prius ſunt, qui de judiciјs noſtris ambigerent*: ſtatim ſubdit: *& dum* NONNULLI, DISSENSIONUM INCITATI AUCTORE, *ad contradictionis bella proſiliunt*. Nonnulli ergo ſolummodo, de quibus verba ſuperius fecimus, repugnare ſunt auſi Pontificiæ Doctrinæ: & ij quidem mali Dæmonis, qui *Diſſenſionum eſt Auctor*, furiis impulſi. Qui porrò fuerunt hujuſmodi homines, niſi Fidei perduelles? Quæcumque iſtorum animis fuerit oborta ſuſpicio, imò quodcumque ipſi contrarium Apoſtolicæ Definitioni judicium tulerint, nihil officit Infallibili Romani Magiſterii Veritati.

Sed enim deinde Leo *Examinationis*, & *Examinis* vocabula uſurpat, deque toto Concilio loquitur, inquiens: *Quæ Fides prius docuerat, hæc poſtea Examinatio confirmaret*. Ac paulò poſt: *Et ad majorem Dei gloriam proficit finis Examinis*.

Quis porrò negat, latas a Patribus fuiſſe Sententias de conformitate Doctrinæ Pontificiæ cum trium declarationibus Synodorum? At hoc non arguit, dubios eos ullatenus fuiſſe de veritate prodeunte ab Apoſtolorum Principis Cathedra. Nec dubitare potuiſſe, niſi ſibi ipſis ſtolidè contradicerent, liquidò demonſtravimus. Quod igitur nuncupatur *Examen*, aliud non fuit, niſi Confirmatio Atteſtationis prius factæ de illa Epiſtola e cælo a Petro ad mortales directa. Si latiori uſurpatione vocabuli dicitur *Examinatio* Teſtimonium hoc iteratò tributum rei prius declaratæ, profectò non eſt *Examen* ejuſmodi, quod præſumat, Errori ulli obnoxiam inveniri potuiſſe Epiſtolam illam. *Examen* quoque dici poteſt inquiſitio, qua in Conciliis iterum expenduntur Articuli in aliis antea Synodis declarati: *Examen* appellari poſſunt Quæſtiones de certiſſimis Fidei Arcanis a Theologis habitæ: *Examen* comparationes unius cum alio ex Divinis Hiſtoricis ab Auguſtino, & aliis inſtitutæ. Quemadmodum igitur neque de Narrationis Evangelicæ Veritate dubitare potuit Auguſtinus, neque Theologi de Divinis Arcanis certa Fide ſancitis, neque poſterior Synodus de Articulis, qui prius fuerint ab aliis Conciliis definiti, quamvis *Examinationi* rurſus hæc omnia ſubiici videantur: ita ſermonem non inſtituit Leo de ſtrictiori *Examinis* acceptione, qua præſumi ſolet Errata inveniri poſſe in eo, quod dubia lance ſuſpenditur.

Hanc eſſe Maximi Pontificis mentem apertiſſimè conſtat ex innumeris locis aliarum illius Epiſtolarum, præſertim quibus Concilio præcipit Confirmationem Epiſtolæ a ſe ad Flavianum datæ, atque omnem vetat de ſuæ Doctrinæ Veritate diſcuſſionem: cui Præcepto niſi crederet obtemperaſſe Synodi Patres, enimvero illos minimè commendaret, neque de illorum tranſgreſſione gloriaretur, incipiens ita Theodoretum alloqui: *Gloriamur in Domino cum Propheta canentes: Adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit Cælum, & terram, qui nullum nos in noſtris fratribus detrimentum ſuſtinere permiſit*: & ſubiiciens narrationi hujus *Examinis* latiſſimè accepti: *Exulta igitur, chariſſime Frater, & in unico Dei Filio victor exulta. Vicit per nos ille, cujus carnis veritas negabatur; vicit per nos, & pro nobis ille, cui vicimus, per quem ſecunda eſt poſt adventum Domini hæc orta feſtivitas.* Et paulò poſt, Auctorem Chalcedonenſis Definitionis ſe fuiſſe profeſſus, inquit: *Solis juſtitiæ jubar denſis per Orientem Neſtorii nebulis impeditum purè ab Occidente reſplenduit*.

Neque pigeat nos aliam abigere a puro veritatis cælo caliginem ab illis excitatam, qui Euſebii Mediolanenſis Epiſtolam allegant, inſertam poſt Quinquageſimam Secundam Magni Leonis, ex ea inferri affirmantes, diſcuſſam in Provinciali Synodo fuiſſe illam, quam Leo ſcripſerat ad Flavianum, nec ante Examen ſuſceptam. Sed prima ipſa Euſebii verba oſtendunt, confirmatam jam a Chalcedonenſi Concilio fuiſſe

Leonis Epiſtolam, ut proinde ſi de hujus doctrina Mediolanenſis Cœtus dubitaſſet, incertus fuiſſet de Articulis decretoria jam Eccleſiæ Definitione firmatis. *Reverſis, Domino annuente, fratribus noſtris, quos ad Orientem Fidei cauſa ſollicitè provida Beatitudo Veſtra direxerat, decurſiſque Literis, quas per eos Tua Sanctitas deſtinavit, omni exultatione in Chriſto relevatos ſum, quòd effectum commiſſæ ſibi Legationis eoſdem reportaſſe veſtra pagina deſignavit.* At reverſi certè non ſunt ad Urbem Legati, niſi abſoluto Concilio, cujus Fides ſi Mediolani fuiſſet in dubium revocata, Euſebius, & ſocii cenſendi fuiſſent Hæretici. Illa igitur, quæ conſequuntur, verba nullatenus agunt de *Examine* inito ab ambigentibus de veritate Oraculorum, quæ ab Apoſtolica Sede prodiverant. Recenſeamus eadem, ut pateat, quàm abſurda illis interpretatio tribuatur ab iis, qui vim in eiſdem faciunt. *Requiſita eſt, recitataque Epiſtola, quam Fidei aſſertionibus plenè digeſtam ad Orientem dudum Sanctitas Veſtra tranſmiſerat, quæ ad nos ex Veſtra admonitione, Sancto Fratre, & Coepiſcopo noſtro Cyriaco mutnante, pervenit. Claruit, eam plenam Fidei ſimplicitate fulgere, Prophetarum etiam aſſertionibus, Evangelicis auctoritatibus, & Apoſtolicæ doctrinæ teſtimoniis, nitore quodam lucis ad veritatis ſplendorem radiare, omnibuſque ſenſibus convenire, quos Beatus Ambroſius de Incarnationis Dominicæ Myſterio ſuis Libris Sancto Spiritu excitatus inſeruit. Et quia omnia Majorum Fidei nobis antiquitus traditæ tota puritate conveniunt, Domine Sancte & Beatiſſime Pater, placuit omnibus, quorum ſubſcriptio ſubter annexa nomina poterit declarare, eos, qui impiè de Incarnationis Dominicæ Sacramento ſentiunt, quamvis intellectus ſui pravitate a Catholicæ Fidei veritate recedentes ſeipſos dignos abjectione fecerint, ſuo etiam conſenſu, Auctoritatis Veſtræ præcedente Sententia, damnatione congrua perſequendos.* LITERARUM ERGO VESTRARUM FORMAM SECUTI *modum præſcriptæ ordinationis nos ſervaſſe bis per fratrem, & Coepiſcopum Cyriacum miſſit oſtendimus, ſupereſſe, ut, annuente Domino, perpetuò retinentes hoc futuris memorabile ſeculis relinquatis, ut ab hoc tempore præſenti extincta impiæ Sectæ contumacia videatur, ut novis purgationibus in æternum proſtrata ſuccumberet. Incolumem Beatitudinem Tuam Summa Divinitas adornet, atque cuſtodiat, Domine Sancte, & Beatiſſime Pater.* Ubi hic *Examinis* habiti mentio? Ubi excitata ſuſpicio Erroris alicujus, qui Pontificiæ ſubeſſe poſſet Epiſtolæ? Lectam illam ſolummodo fuiſſe video, & inventam Catholicæ veritatis Magiſtram. Et quia ea erat hujuſmodi (ut certè futura erat, cum a Cathedra Petri prodiiſſet) idcirco ejus *Formam ſecuta eſt* Synodus Mediolanenſis, quæ Leonem præferens Chalcedonenſi Concilio, hujus non meminit, perinde ac ſi nihil contra Eutychetem præſtitiſſet, & A PURGATIONIBUS ab uno Leone adhibitis ſperat IMPIÆ SECTÆ CONTUMACIAM IN ÆTERNUM PROSTRATAM SUCCUBITURAM. At nos oblivio non capiat ejuſdem Chalcedonenſis Concilii, contra quod pugnant, qui ſolùm adoriri videntur Apoſtolicam Sedem. Leonis enimvero Epiſtola jam erat a Chalcedonenſibus Patribus confirmata, cum lecta fuit in Cœtu Mediolanenſi, qui proinde vel non auſus eſt *Examini* ſubiicere Leonis Epiſtolam, vel Definitiones Generalis Concilii ſuum ad tribunal vocavit.

Qui hæc expiſcantur inania argumenta, cur alia meliori cauſæ conducentia non intuentur? Ut ſpecimen aliquod demus ex Epiſtola Leonis Quinquageſima ſecunda ad hunc Mediolanenſem Congreſſum, cur non expendunt *Juſſionem*, qua Chalcedonenſi Concilio ſe præſcripſiſſe, quid credendum eſſet, Leo profitetur? *Et meritò nos cognoſcimus, Fratribus, & Coepiſcopis noſtris Orientalibus* INTIMASSE, *quod ſecundùm Evangelicam, & Apoſtolicam Traditionem de Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti una eſſet omnium noſtrum, & indiſcreta confeſſio, neque ullis eorum diſputationibus detineri &c.* Et infra *de SENSU Eutychetis* cenſuram ferens ait. *Quæ* DIABOLICORUM SENSUUM PRODIGIOSA COMMENTA *Sancta nunc Synodus*, HUMILITATIS NOSTRÆ SCRIPTIS, *Auctoritate Domini mei Beatiſſimi Petri Apoſtoli, & merito roboratis, Religioſa unanimitate conſentiens &c.* Cur ex antecedenti Epiſtola Ravennij, & aliorum Gallorum Antiſtitum Nationalem Synodum conſtituentium, non depromunt obſequentiſſimam proteſtationem, qua Leonis Epiſtolam, *ut ipſum Fidei Symbolum*, cordi ſuo inſcriptam, & a ſingulis memoriæ mandatam fuiſſe dicunt? *Quæ Apoſtolatus Veſtri ſcripta*, ITA UT SYMBOLUM FIDEI, *quiſquis Redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis aſcripſit, & tenaci, quò ad confundendos Hæreticorum errores paratior ſit, memoriæ commendavit.* Et paulò poſt, non commemorato Chalcedonenſi, paulò ante celebrato, Concilio, ab una Apoſtolica Sede manaſſe dicunt Definitionem Catholicæ veritatis. *Gratulantes, quod tantæ Sanctitatis, tantæ Fidei, tantæque Doctrinæ Apoſtolicæ Sedis,* UNDE RELIGIONIS NOSTRÆ, *propitio Chriſto*, FONS, ET ORIGO MANAVIT, *Antiſtitem dederit.*

Sed

Sed ex noſtri Operis inſtituto alias non expendimus Epiſtolas, quàm in Antiquam Conciliorum Collectionem relatas. Ad has, quas nunc attigimus, delibandas, illi nos compulerunt, qui ex allatis Reſponſionibus fortaſſe coniicient, quàm facile negotium nobis futurum ſit cætera in ipſos tela retorquere, quibus Polemicam hanc Hiſtoriam invadendi conſilium ineant.

CAPUT XXXX.

Illyriciani, & Palæſtini Epiſcopi ſua dubia circa Leonis Epiſtolam refundunt in ignoratam a ſe Latinam linguam, ſed re ipſa reſiliunt ab Hæreſi, ſeque Pontifici Maximo veræ Fidei Magiſtro ſubiiciunt. Juvenalis, Thalaſſius, aliique tres Antiſtites Epheſinæ cum Dioſcoro conſpirationis frequenter accuſati, ac tunc excluſi a Synodo, ad eamdem revocantur, & Catholici cenſentur, eò quòd Leonis, certiſſimi Veræ Fidei Magiſtri, Epiſtolæ ſubſcripſerint.

181 POſtquam plerique Antiſtitum ſubſcriptam a ſe fuiſſe Leonis Epiſtolam honorificentiſſimè collaudatam profeſſi ſunt, cum loquendum iis eſſet, qui Diœceſes Illyrici moderabantur (ad quos cum Palæſtinis erudiendos eas ſerri ſententias Judices, ac Senatus optaverant) iidem *Ex charta dictaverunt notis per Sozontem Epiſcopum Philippenſium: Nos Sanctorum Patrum Trecentorum decem, & octo Fidem, quæ eſt ſalus noſtra, & ſervamus, & cum ipſa vitam noſtram complere oramus: necnon & Centum quinquaginta Fides nullo modo antedictæ Fidei diſſonat, quam & ſervantes exequimur, & omnia, quæ acta ſunt, & decreta in prima Epheſina Synodo, cujus Præſides fuerunt Beatiſſimus Cæleſtinus Apoſtolicæ Sedis Præſul, & Beatiſſimus Cyrillus Epiſcopus magnæ Civitatis Alexandriæ: & ſummè Orthodoxum eſſe* SANCTISSIMUM PATREM NOSTRUM (utqu. additur in Græco Textu, ET SACRORUM PRINCIPEM) LEONEM *perfectiſſimè novimus. Factum eſt autem nobis certum de Epiſtola miſſa ab ipſius Beatitudine a Sanctiſſimis Epiſcopis Paſchaſino, & Lucentio, qui locum continent Apoſtolicæ Sedis, qui nobis dilucidaverunt, quæ Linguæ obſcuritas ſecernere ſubnotabat*. Et paulò poſt: *Omnes antedicti Reverendiſſimi Epiſcopi dixerunt: Omnes de Illyrico eamdem vocem dedimus, cui omnes conſentimus*. Fruſtra notas adiicimus apertæ huic narrationi ex Actis petitæ; de horum quippe Antiſtitum dubitationibus quò ad Articulos manifeſtè jam definitos, abunde ſupra diſſeruimus. Quod autem a ſuis contumacibus dubiis circa Fidem, adeoque ab hæreſi, nunc reſipiſcant, dilucidè conſtat ex obſequio, quod præſtant Leoni *Sacrorum Principi*, & *Patri* Univerſi Concilii. In hoc ultimo verbo latentem Emphaſim alibi in lucem eduximus. Neque nulla deliteſcit in aliis, quibus *Sacrorum*, adeoque Eccleſiæ, & Conciliorum (quæ Sacra profectò ſunt) *Princeps* appellatur. Et a Legatis quidem Pontificiis, potius quàm ab Anatolio, & aliis voluerant probæ mentis Antiſtites erudiri. (1)

182 Simillima his tulere ſuffragia Præſules Palæſtinæ per Anianum Epiſcopum Capitoliadis, qui pariter de veritate, quam tunc alacres profitebantur, informatos ſe fuiſſe dicunt a Pontificiis Legatis.

183 Ex aliorum, qui nunquam de Leonis doctrina dubitaverant, atteſtationibus delibamus illam Polycronii Epiſcopi Epiphaniæ Ciliciæ, celebrantis certiſſimam non ſolùm Romanorum Pontificum, ſed ipſius etiam Eccleſiæ Romanæ Fidem, quam a Gentium Apoſtolo laudatam perpetuò Romæ viguiſſe, diſertè affirmat. Ex hoc autem patet, quantum prodeſſe arbitraretur proximitatem Apoſtolicæ Cathedræ, nulli errori ſubjectæ: *Communis fideliũ Pater* BEATUS PAULUS, *qui nos omnes per Evangelium genuit*, TESTATUR DE FIDE ROMANORUM, QUOD IN TOTO MUNDO ANNUNCIETUR, QUAM FIDEM JAM INDE A PRINCIPIO SANCTA ILLA ECCLESIA SERVAVIT: *quam elocutus eſt nunc, & ſemper Sanctiſſimus Archiepiſcopus Leo, conſonantem Fidei Sanctorum Patrum, qui Nicææ convenerunt, & omnium Orthodoxorum. Hanc jam olim tenuimus Fidem, ac tenemus, in qua & baptizati ſumus, & baptizamus*. (2)

184 Ferè ducenti Epiſcopi ſententiam tulerant, ac eorum plerique illam non breviſſima fuerant oratione complexi, ideoque cum in longum abiret res minimè neceſſaria, poſtquam victas dederant Hæretici manus, *Magnificentiſſimi Judices, & Ampliſſimus Senatus dixerunt: Et ſi reliqui omnes Reverendiſſimi Epiſcopi, qui non ſpecialiter ſunt confeſſi, conſentiunt dictis eorum, qui jam confeſſi ſunt, Sanctorum Patrum, propria voce doceant. Confeſſio* igitur tantùm a Præſulibus, non *Examen* Leonis Epiſtolæ petebatur. (3)

185 Poſt

(1) *Pag.*281. (2) *Pag.*283. 1.*Cor.*4.5. *Rom.*1.6. (3) *Pag.*281.

185 Poſt hanc Judicum, & Senatus interrogationem, *Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Omnes acquieſcimus, omnes conſentimus, omnes ſimiliter credimus, omnes eadem ſapimus: ſic ſapimus, ſic credimus. Patres ad Synodum:* Qui subscripserunt, ad Synodum. *Ipſi etiam quinque Epiſcopi Fidei ſubſcripſerunt.* Sicut Leo, sic sapiunt. Illi, quos ad Synodum revocari optabant, Juvenalis, Thalaſſius, aliique tres erant Antiſtites ab ea excluſi, eò quòd Epheſi cum Dioſcoro primas egiſſent partes in Latrocinali Concilio. Eadem proinde pœnâ, qua fuerat affectus Dioſcorus, mulctandi videbantur Judicibus, ac Senatui. Sed ut ea indulgeretur, in medium proferunt Patres ſubſcriptionem ab eiſdem adjectam Epiſtolæ Pontificiæ. Certum igitur Argumentum Rectę ipſorum Fidei eſſe cenſent obſequium ab ipſis præſtitum Apoſtolicæ Cathedræ, quam non minus errandi periculi immunem crediderunt, quàm Nicænum, & alia Concilia, quæ inconcuſſam auctoritatem acceperunt ab ipſius Romanæ Sedis Confirmatione. (1)

186 Licet Judices, ac Senatus, Imperatoris placitum de quinque illis Antiſtitibus quæſiviſſent, Religioſiſſimus tamen Marcianus eorum Cauſam remiſit ad Synodum, quæ ad lydium lapidem Epiſtolæ Pontificiæ ſyncera eorumdem Fide explorata illos ad Judicum ſubſellia revocavit. *Judices, & ampliſſimus Senatus dixerunt: Piiſſimus noſter Imperator addiſcens veſtras preces Sententiæ veſtræ permiſit de Juvenale deliberare, & de Thalaſſio, & de Euſebio, & de Baſilio, & de Euſtathio Reverendiſſimis Epiſcopis, quæ vobis placuerint. Ergo veſtra Religioſitas cognoſcens, quia Deo de his, quæ fiunt, dabit rationem, quid fieri de ipſis debeat, cogitet. Anatolius Reverendiſſimus Epiſcopus Conſtantinopolis dixit: Petimus, eos intrare. Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Rogamus eos intrare. Qui ſimiliter credunt, ad Synodum. Qui eadem ſapiunt, Synodo:* Qui subscripserunt Epistolæ Leonis, ad Synodum. *Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi Judices, & ampliſſimus Senatus dixerunt: Intrent. Et poſtquam intraverunt præfati Reverendiſſimi Epiſcopi iterum clamaverunt: Unus Deus, qui hoc fecit.* Si ſolerter hæc expendantur, manifeſtus patebit Pontificiæ triumphus Auctoritatis in hujuſmodi exclamationibus: *Sicut Leo, ſic ſapiunt. Qui ſubſcripſerunt Epiſtolę Leonis, ad Synodum.* Neque de conſenſu ab illis quinque Præſulibus præſtito Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, ac Epheſinæ Fidei quidpiam inquiritur, licet ambigi poſſet, an in ea conſtantes illi eſſent Præſules, qui eamdem Epheſi, magna ſaltem ex parte, ſubverterant. Subſcriptio tantummodo Leonis Epiſtolæ addita perpenditur, eò quòd Signum ineluctabile Catholicæ profeſſionis a Chalcedonenſi Concilio exiſtimetur animus obſequens Romano Fidei Magiſtro. Omnes quippe Hæreſes a Synodis profligatas profectò deteſtantur illi, qui ſe ſubiiciunt Apoſtolicæ Cathedræ Magiſterio. Quod ita cenſerent Chalcedonenſes Patres, liquet eò, quòd unicam cum Leone conformitatem libraverint ad rectam Fidem Juvenali, & ejus ſociis vindicandam. Non ſolùm igitur æquè certam habuerunt Pontificiam, & Synodalem Auctoritatem, ſed multò plus tribuiſſe videntur Pontifici Maximo, quàm Generalibus eò uſque celebratis Conciliis: ſimulque eidem Sacrorum Principi aſſeruiſſe Jus veræ Fidei, abſque ullo erroris diſcrimine, declarandæ. (2)

Perinde ac dum perpetuò ex Hiſtoria inferimus Pontificiam Pręſtantiam ſupra Concilia, nihil contra Suavem ſubiicimus, qui Romanum Regimen anguſtiſſimis finibus ſtatuens ſemper a fortiori debellatur per ampliſſimum, quod a nobis ſtatuitur in Univerſam Eccleſiam in Synodis conſpirantem: ita nihil contra eumdem dignamur evincere ex aſſerta frequentiſſimè Pontificiæ Cathedræ Infallibilitate; ex ea enim ultrò emicat intentio Polani, qui nihil metuere videtur Lutheranis ſuis a Leonis Decimi Condemnatione, ac identidem eos poſtulantes inducit, ut *Pars utraque*, Pontifex videlicet, & Lutheri factio, libero ſe Concilio ſubiiciat. *Quæ ſuperioribus annis facta ſunt in Concilio, vim legis non obtineant, ſed ab initio repetantur omnia, quando juſtum non ſit, duobus litigantibus, quod ab uno fit, altero legitima de cauſa abſente, firmum, ratumque eſſe: præſertim cum perſpicuum ſit, non nuper modò, ſed annis etiam ſuperioribus promulgata in Concilio Decreta Sacris Literis planè contraria.* Et alibi Henrici Octavi Angliæ Regis, *quem prudentiæ laudatum a pluribus*, ait, *eò quòd Romanæ Sedis exuiſſet obſequium*, ore loquens inquit. *Concilium dici Generale, quòd omnibus in genere Chriſtianis liceat ſuas ibi promere ſententias. At ejus generis non eſſe, in quo ſolùm audiantur ij, qui decreverint utique Pontificis partibus adhærere, atque ubi ijdem Actores ſint, Rei, Judices, & Patroni.* Et rurſus Proteſtantes generatim inducens, *Æquum eſſe*, ait, *ut in Concilio ab una parte ſtet Pontifex cum ſectatoribus ſuis ſive Germanis, ſive aliis; alteram verò partem*

(1) *Pag.* 281.

(2) *Pag.* 289.

tem conſtituant Proteſtantes: Tum de modo procedendi, atque ordine arbitrium ſit penes Cæſarem, Reges, ac Principes, ſed ipſa Controverſia ex puro puto Dei verbo dijudicetur. Et paulò poſt ſubdit. *Contra Papam inſtitutam eſſe litem; eòque, cum Litigator ſit, Judicem eſſe non debere.* In has inſanias non ſunt devoluti Eutychiani, qui perinde vociferari potuiſſent, *Partem, & Litigatorem* eſſe Leonem, qui eorum doctrinam Hæreſis notâ perſtrinxerat, & conqueri, quod Suburbicarius Antiſtes in Orientales inveheretur. Et ullam tamen ex hujuſmodi blaſphemiis effutire perhorruerunt. (1)

CAPUT XXXXI.

Tredecim Ægyptii Epiſcopi a Synodo Hæretici conclamantur, quia non recipiunt Pontificiam Epiſtolam, quam ſolam a ſe vulgandam pro defendenda Fide fuiſſe Patres profitentur, quæque non ideo veritati conſona credenda eſt, quia vera doceat, ſed quia prodeat a Magiſtro errare inſcio. Paſchaſinus Legatus patet Arbiter Synodi.

187 PRidie certi Epiſcopi Ægyptiacæ regionis (dixerunt Judices ac Senatus) *petitiones porrexerunt diviniſſimo, & piiſſimo Imperatori Domino noſtro propriam Fidem exponentes, & placuit pietati ejus, ante veſtram Sanctam Synodum. eas recitari &c. Ut intraverunt Hieracus, Sabinus &c. Conſtantinus, devotiſſimus Secretarius Sacri Conſiſtorii recitavit* ſupplicem eorum libellum Valentiniano & Marciano directum, in quo profitebantur eam ſuam eſſe Fidem, quam a Sancto Marco, Petro Alexandrino, Athanaſio, Theophilo, & Cyrillo acceperant, quamque a Nicæna Synodo fuerant edocti. Sed lecto libello *Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Dogma Eutychis quare non anathematizaverunt? Cum impoſtura petitiones porrexerunt.* Epistolæ Leonis subscribant, *anathematizantes Eutychen, & dogmata ejus:* consentiant Epistolæ Leonis. *Eludere nos volunt, & diſcedere.* Fruſtra igitur Marcum, Athanaſium, & Nicænum Concilium jactant, qui non obtemperant Romano Pontifici, certiſſimo Marci, Athanaſii, ac Nicænæ Synodi Interpreti. (2)

188 Seligere præſtat nonnulla ex iis, quæ miſeris his Ægyptiis Epiſcopis exprobrata ſunt a Concilio; ſpirant enim mirificum erga Romanam Sedem obſequium. *Diogenes Reverendiſſimus Epiſcopus Cizici dixit: Synodus propter Eutychen facta eſt, non propter aliud aliquid.* Romanus Archiepiscopus propter ipsum scripsit: videlicet Legem, & Formam Concilio præſcribens de ipſo damnando, ut ſupra, referendo verba Pontificiæ Epiſtolæ demonſtravimus. *Paſchaſinus & Lucentius, Reverendiſſimi Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter, Vicarij Sedis Apoſtolicæ, per Paſchaſinum Epiſcopum dixerunt: Dicant, ſi conſentiunt Epiſtolæ Apoſtolicæ Sedis, & ſi Anathema dicunt Eutycheti: Cecropius Reverendiſſimus Epiſcopus Sebaſtopolis dixit:* Subscribant Epistolæ Beatissimi Papæ Leonis, *& Eutychen anathematizent, & dogma ejus. Hieracus Reverendiſſimus Epiſcopus Ægypti, & cæteri Reverendiſſimi Epiſcopi Ægypti per eumdem Hieracum dixerunt: Si quis præter iſta, quæ a nobis in petitionibus porrecta ſunt, ſapit, ſive Eutyches, ſive alter aliquis, anathema ſit. De Epiſtola autem Sanctiſſimi, & Deo amiciſſimi Archiepiſcopi Romani Leonis ſciunt omnes Sanctiſſimi Patres noſtri, quia in omnibus expectamus ſententiam Beatiſſimi noſtri Archiepiſcopi, & petimus veſtram clementiam expectare Præſidis noſtri ſententiam, quia eum in omnibus ſequemur.* Prætexuerunt deinde Nicænam Synodum, a qua vetitum fuiſſe dixerunt Ægyptiis Epiſcopis quidquam decernere inconſulto Antiſtite Alexandrino. Sed, *Mentiuntur*, dixit Euſebius Epiſcopus Dorylæi; Nullus enim prohiberi poteſt, quin omnium Præſulum Principi, Pontifici Maximo, ſeſe conformet. Florentius idcirco Sardium, ac Photius Tyri preſsè illos iterum interrogarunt, an Pontificiam Epiſtolam amplecterentur? &, non eos eſſe idoneos Alexandrino Epiſcopo eligendo, Univerſa Synodus dixit: *Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Manifeſtè anathematizate dogma Eutychis.* Qui non subscribit Epistolæ, cui omnis Sancta Synodus consentit, hæreticus est. *Anathema Dioſcoro, & amantibus eum. Si non rectè ſapiunt, quomodo poſſunt eligere Epiſcopum?* Hæreticus igitur a Chalcedonenſi Concilio inclamatur quicumque Pontificis Maximi Definitioni non acquieſcit. Iteratæ ſunt hujuſmodi ab Univerſa Synodo exclamationes, poſtquam Legatorum interlocutio Græcè reddita fuit, qua, Sociorum etiam nomine, dixerat Paſchaſinus: *Tot annorum Epiſcopi in Eccleſia ſeneſcentes uſque ad hoc tempus Fidem rectam, & Catholicam ignorant, & expectant adhuc alienam ſententiam? Omnes Re-*

(1) *Pag.* 76.92.137.138.414.
(2) *Pag.* 286.290.

Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: QUI NON CONSENTIT EPISTOLÆ SANCTISSIMI ARCHIEPISCOPI LEONIS, HÆRETICUS EST. Non profuit Ægyptiis Antiſtitibus Anathema jactum in Eutychetem, cum Synodus in exigenda ſubſcriptione Pontificiæ Epiſtolæ, veluti Fidei Symbolo, conſtantiſſimè perſeveraverit. *Reverendiſſimi Epiſcopi Ægyptij clamaverunt: Anathema Eutychi, & credentibus ei. Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt, & dixerunt:* SUBSCRIBANT EPISTOLÆ LEONIS. QUI NON EI SUBSCRIBIT, HÆRETICUS EST. An non igitur Leonis Epiſtola proponitur omnibus a Concilio velut unica Lex, & norma credendi? Fruſtra Nicæna, aliarumque Synodorum veritas ab Ægyptiis Epiſcopis adoratur: fruſtra execrationibus impetitur recentis hæreſis Auctor, contra quem Chalcedonenſis Cœtus in unum coaluit. Niſi Pontifici Romano, Fidei Præceptori, ſe ſubdant, Hæretici conclamantur. Cum Conciliorum Definitiones ſæpe ſenſum obſcurum habeant,ac proinde Vivâ, & Perpetuâ, quæ ſoli Romano ineſt Pontifici, Regulâ, eum ſenſum declarante, prorſus indigeant, atque hunc ſenſum Nicænæ Synodi Epiſtola Leonis declaraſſet, hinc oritur, quod, publicata jam per Decretales Literas hujuſmodi Explanatione,acquieſcẽdum eidem erat ab iis Epiſcopis, qui eam detrectantes meritò a Synodo Hæreſis notâ perſtringuntur. (1)

189 Quis præterea non videt, apertè hìc profiteri Chalcedonenſes Patres, nihil aliud a ſe geſtum fuiſſe pro Catholica Fide propugnanda, niſi quod ſubſcripſerint Epiſtolæ, in qua Conciliorum, Univerſæque Præceptor Eccleſiæ Leo ſynceram Evangelii Doctrinam declaraverat? Enimvero Synodus non edixit Ægyptiis Præſulibus, ut ipſiuſmet Synodi, Fidem explanantis, Auctoritati ſeſe ſubiiciant, ſed præcepit ſolùm venerationem Epiſtolæ a Maximo Pontifice exaratæ. Illi ergo & Præſtantiam ſupra Synodos, & nulli errori obnoxiæ certitudinem vindicat Veritatis.

Et eam quidem Leonis Epiſtolam ultro exceperat Synodus, exclamans *in Cælo ſcriptam a Petro*; cum contra in Tridentino Concilio frequentiſſimi congreſſus habiti ſint de veritatibus a Leone Decimo jam definitis. Prodigio ſimile videri poteſt id, quod Suavis ipſe commemorat; agens enim de Juſtificatione ait: *Illud quidem certum eſt, ſuper his capitibus centum habitas Congregationes partim ex Theologis, partim e Præſulibus, atque ab initio Septembris ad exitum uſque Novembris nullum diem abiiſſe, quo Cardinalis*(loquitur de Cervino)*non admoverit manum iis,quæ prius ſcripta eſſent, emendandis, & immutandis.* Et alibi ſermonem inſtituens de Paulo Tertio Pontifice Maximo inquit. *Statuit reſcribere Legatis, ut juxta id, quod ipſi propoſuerant, in agendo progrederentur, hoc ſtudiosè tenentes, ne aut in materia Fidei novis difficultatibus januam aperirent, aut rem aliquam inter Catholicos controverſam definirent.* Et imminutam contra vetuſtum Eccleſiæ morem Tridenti fuiſſe Libertatem, toties conqueritur, ineptène dicam, an ſtultè? (2)

190 Incaſſum Ægyptii ad excutiendum Romanum jugum clamaverunt: *Extra voluntatem Archiepiſcopi noſtri non poſſumus ſubſcribere.* Illis enim Catholici Epiſcopi Achillæam Religionis haſtam intentarunt: AUT CONSENTIANT EPISTOLÆ, AUT REGULAREM DAMNATIONEM SUSCIPIANT, ET COGNOSCANT, QUIA EXCOMMUNICATI SUNT. Hinc probabili conjectura inferimus, emanaſſe Regulam, idest Eccleſiaſticum Canonem (de quo fortaſſe veluti notorio, & manante ab Inſtitutione Divina, non innuitur, a quo nam Concilio conditus ſit) ut Excommunicatio latæ ſententiæ in illos irrueret, qui prodeuntem a Vaticano Definitionem credendarum rerum minimè venerarentur. Hunc, inquam, Canonem prodiiſſe opinamur, quia non adiguntur rebelles ad ſubſcriptionem minis ferendæ quamprimùm in illos Excommunicationis, poſtquam publicata fuiſſet Formula Fidei; ſed jubentur cognoſcere, ſe jam cenſurâ implicitos eſſe: *Cognoſcant, quia excommunicati ſunt.* (3)

191 Ægyptiorum præterea jugulum bicipiti alio telo petivit Photius Epiſcopus Tyri, hoc uſus dilemmate, quod in ſuum Univerſa Synodus adoptavit: *Quomodo conantur ordinationem facere, non eadem ſapientes huic Sanctæ, & Univerſali Synodo? Si enim recta ſapiunt, oſtendant propriam intentionem, qualis eſt circa Fidem, &* SUSCIPIANT EPISTOLAM SANCTISSIMI ARCHIEPISCOPI LEONIS. SI AUTEM NOLUNT, EXCOMMUNICATI SUNT. *Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt:* HÆC OMNES DICIMUS: OMNES ITA SENTIMUS. Quamvis hìc ipſius Concilii Auctoritas allegari videatur, cum Photius dicat: *Quomodo conantur ordinationem facere, non eadem ſapientes huic Sanctæ, & Univerſali Synodo*; nihilominus tota vis exigendi Ægyptiorum aſſenſum refunditur in Leonem, cujus Epiſtolam Synodus ipſa obſequentiſſimè amplexa erat. Quapropter non dicitur: *Suſcipiant Concilii Definitionem*, ſed SUSCIPIANT EPISTOLAM SANCTISSI-

(1) *Pag.* 291.

(2) *Pag.*237.& 163. (3) *Pag.*292.

mi Archiepiscopi Leonis: quia nihil aliud præſtiterat Synodus, neque aliud illi pro ſancienda Fide præſtandum fuerat, quàm ut ſuſceptam a ſe Pontificiam Epiſtolam omnibus ultro excipiendam indiceret, perque Chriſtianum Orbem latè vulgaret. (1)

192 Fruſtra cæterorum ad pedes acciderunt, ſibique inferendæ mortis periculum exaggerarunt Ægyptii, niſi electionem Alexandrini Antiſtitis præſtolarentur. *Jactaverunt ſe in terram, & dixerunt: Clemenses eſtis: miſeremini noſtri &c. Morimur, per veſtigia veſtra: Miſeremini noſtri. Moriamur a vobis, & non illic. Fiat hìc Archiepiſcopus, & ſubſcribimus, & conſentimus. Miſeremini canorum noſtrorum. Detur hìc Archiepiſcopus. Novit Dei amantiſſimus Archiepiſcopus Anatolius, quia talis conſuetudo in Ægyptiaca regione obtinuit, ut omnes Epiſcopi obediant Archiepiſcopo Alexandriæ. Non quia non obtemperamus Synodo, ſed occidemur in Patria. Miſeremini noſtri: poteſtatem habetis: ſubditi ſumus, non recuſamus. Melius eſt nos mori a Domino Mundi, & a veſtra Magnificentia, & ab hac Sancta Synodo, quàm illic. Propter Deum miſeremini iſtorum canorum: parcite decem hominibus, parcite.* Quem miſeratione non affeciſſent hujuſmodi voces, & obedientiæ ſponſio? Et tamen *Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Iſti hæretici ſunt*. At cur hæreſis inſimulantur? Profeſſi fuerant Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam Primi, ea in Urbe celebrati, Sanctiſſimi Concilii Fidem. *Anathema* dixerant *Eutychi, & credentibus ei*: quibus verbis Dioſcorum Eutychetis Anteſignanum complexi fuerant. Eumdem Dioſcorum juſtè dejectum a ſolio fatebantur, cum Electionem alterius Alexandrini Antiſtitis flagitarent. Omnia ergo comprobabant, ad quæ ſtatuenda Chalcedonenſe Concilium fuerat congregatum. Non pernegabant veram eſſe Epiſtolæ Pontificiæ Doctrinam, imò illam a ſe ſubſcribendam poſt novi Præſulis inaugurationem ſpondebant, jamque implicitè illius veritati teſtimonium tulerant Condemnatione Eutychetis, & ſociorum, qui fuerant a Leone damnati. Et *omnes* tamen *Epiſcopi clamaverunt*: Isti hæretici sunt. Non aliam hujus exclamationis cauſam fuiſſe reor, niſi quia pronis ultro animis ad ſubſcriptionem Pontificiæ Epiſtolæ non ferebantur. Nullius enim alterius Epiſcopi aſſenſus expectandus eſt ad præſtandum obſequium Epiſcoporum omnium Principi: Neque Pontificia Doctrina ex Cathedra Petri prolata ſuſcipienda eſt, quia vera docet, ſed vera credi debet, eo ipſo quod ſit Pontificia. (2)

(1) *Pag.*292. (2) *Pag.*292. & 293.

193 Quemadmodum aliqua dicuntur a Deo *prohibita, quia mala*, videlicet, quia ante prohibitionem ipſam prohiberi merentur, & habent, (ut Scholaſticorum verbo utar) intrinſecam Prohibenditatem; alia verò ſunt ſolummodo *mala, quia prohibita*: ita quædam antequam vera eſſe noſcantur, debent omnino vera cenſeri ob Atteſtantis Infallibilem Auctoritatem, & alias res circumſtantes; ſed alia ſolummodo poſtquam Veritatis comperta ſunt, vera eſſe creduntur. Hoc diſcrimen v. g. interceſſit inter Leonis Literas, & Cyrilli. Primam enim Veritati conformem exiſtimare tenebatur Synodus Chalcedonenſis, etiam antequam illam expenderet, alias autem Epheſina ſolùm poſt expenſionem. Idcirco Cyrillus ſuam tantummodo ſententiam proferens hortatus fuerat Neſtorium, & Joannem Antiochenum ad Catholicam de Divinæ Incarnationis Myſterio Fidem; ſed nullatenus auſus erat Leges Concilio præſcribere de ſuis Epiſtolis excipiendis, veluti Normâ credendi. At Leo, quam Epiſtolam dederat ad Flavianum, ſuſcipi jubet ab Epheſino Secundo, ac deinde a Chalcedonenſi Concilio, veluti Fidei Formam, juxta quam in Eutychetem, ac iterum in Neſtorium definiendum eſſet, qui a ſe damnati condemnandi etiam eſſent a Synodis: atque hæ ne diſputare quidem poſſent, nedum decernere, contra res Romæ ſancitas. Quod adeo ſanctè ſtatutum fuiſſe a Pontifice Maximo Chalcedonenſes Patres crediderunt, ut vix audita lectione celeberrimæ illius Epiſtolæ, nullo penitus inſtituto ejuſdem Examine exclamaverint: *Omnes ita credimus. Orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit*. Petrus per Leonem ita locutus est. Ac ſæpius profeſſi fuerint, *neceſſe eſſe*, ut omnes eidem ſeſe conforment. Ex his autem manifeſtiſſimè liquet, non eum a Concilio habitum fuiſſe Leonem, qui ſemel tantùm vera docuiſſet Eccleſiam, ſed etiam talem, qui ex Apoſtolico Munere, quod exercebat, ſortitus divinitus fuiſſet Privilegium verè ſemper Doctrinæ pabulum ſuis ovibus ſuggerendi. (3)

194 Licet rejectæ a Concilio fuiſſent Ægyptiorum preces, Primus tamen Pontificius Legatus, miſertus infirmorum in Fide, moram illis permittendam cenſuit, & Judices ac Senatus, non expectatâ Synodi ſententiâ, ratum habendum dixerunt Paſchaſini Judicium, putantes jus omne Concilii ab unico illius Præſide repræſentari. Hoc autem illuſtre videtur documentum ſummæ, qua Synodo Legatus præerat, auctoritatis. *Paſchaſinus Reverendiſſimus Epiſcopus*

(3) *Pag.*215.

copus Vicarius Sedis Apoſtolicæ dixit: Si præceperit gloria veſtra, & jubetis illis aliquid præſtari humanitatis, Fidejuſſoribus datis non exeant de iſta civitate, quamdiu Alexandria Epiſcopum accipiat. Magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices, & ampliſſimus Senatus dixerunt: SANCTISSIMI PASCHASINI SIT FIRMUM JUDICIUM; *unde permanentes in proprio habitu Reverendiſſimi Epiſcopi Ægyptiorum, aut dent Fidejuſſores, ſi hoc illis eſt poſſibile: aut per Sacramentum eis credatur, quia expectant ordinationem futuri Epiſcopi magnæ Civitatis Alexandriæ.* (1)

Indulgentia Paſchaſini Legati mihi in mentem revocat illam, quam cum Lutheranis exercere Paulus Pontifex paratus erat, de qua nihilominus indignabundus more ſuo loquitur Petrus Suavis. Cum retuliſſet, dixiſſe Cardinalem Contarenum in Ratisbonenſi Conventu, *datam ſibi poteſtatem Concordiæ cum Proteſtantibus ineundæ, modò Religionis Principia admittant, nempe Sedis Apoſtolicæ Primatum a Chriſto inſtitutum, & Sacramentorum ſecundùm Ritus Eccleſiæ Romanæ adminiſtrationem, & alia Leonis Diplomate determinata; in cæteris verò omnibus Germanis ſatisfacere ſe paratum:* exclamat. *Proteſtantes inde certiſſimum habuere documentum, neque in Concilio, neque alibi Papæ Miniſtris intervenientibus de tolerabili aliqua conditione impetranda quidquam ſibi eſſe ſperandum.* At quid magis rationi conſentaneum a Contareno proponi potuit, quid ſponderi indulgentius, quàm ea omnia, quæ cum Religionis Principiis in Leonis Decimi Conſtitutione declaratis nequaquam pugnarent? Hæc certè obtuliſſe non legimus Leonem Magnum Eutychianis. An *tolerabilis*, quam optabat Suavis, *conditio* ea erat, ut Religionis Principia ſubverterentur? Subſcribi ſuæ ad Flavianum Epiſtolæ Leo Magnus præcepit, nihil deſpondens, præter miſericordiam reſipiſcentibus indulgendam. Neque tamen ab ullo culpatus fuit, perinde ac ſi iniquis conditionibus cum iiſdem egiſſet. (2)

Tom.II.
(1) *Pag.*293. (2) *Pag.*102.

CAPUT XXXXII.

Eutychiani Monachi manifeſtæ Hæreſis a Concilio coarguuntur, eò quòd Leonis Epiſtolam, veluti certam Fidei Regulam, venerari detrectant: iidem majori veſania in Synodum Chalcedonenſem, quàm in Romanum Pontificem invehuntur.

195 GRadus ad alia factus eſt, nullo e Synodo contra hæc loqui auſo; licet tanto æſtu, & contentione animorum contra hos prius Epiſcopos vociferati omnes fuiſſent. Arbitrium igitur omne Concilii ſitum eſſe in Legatorum poteſtate facto ipſo demonſtraverunt. Inducti poſtea ſunt Eutychiani Monachi, quorum ſupplex ad Marcianum libellus cum lectus fuiſſet, Diogenes Cyzici Epiſcopus intuitus inter alios Barſumam, qui ſuum tamen ſupplici libello nomen non appoſuerat, dixit: *Barſumas, qui inter illos intravit, occidit Beatum Flavianum. Ipſe inſtabat, & dicebat: Occide. Et non eſt poſitus in petitionibus. Quare introivit? Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Omnem Syriam Barſumas evertit: duxit ſuper nos mille Monachos &c. Homicidam Barſumam mittite foras: Homicidam in arenam: anathema Barſumæ: Barſumam in exilium.* Hinc conſtat, quales hi fuerint Cœnobitæ, qui refragari ſunt auſi Epiſtolæ Pontificiæ. At ſuum apertè virus evomuerunt, cum in alio ad Synodum libello hæc de Dioſcoro locuti ſunt: *Nunc autem ad vos venientes petimus veſtram Sanctitatem*, UT OMNIA CONSEQUENTER PROCEDANT: (Concilium inſimulantes, quod eò uſque contra Juſtitiam, & Eccleſiaſticas Regulas proceſſiſſet) *& ad hoc Concilium conveniant Sanctiſſimus Archiepiſcopus* DIOSCORUS (quem videlicet Synodus exauctoraverat, & extorrem egerat) *& qui cum ipſo ſunt Sanctiſſimi Epiſcopi. Et cum legerentur, omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Anathema Dioſcoro. Dioſcorum Chriſtus depoſuit. Iſtos mitte foras. Tolle injuriam a Synodo, tolle notam a Synodo. Fauſtus Reverendiſſimus, & qui cum ipſo Reverendiſſimi Archimandritæ dixerunt: Tolle injuriam a Monaſterijs. Irrationabilis eſt facta damnatio &c. Præcipite venire eumdem Sanctiſſimum Archiepiſcopum Dioſcorum &c. Si contra hæc, quæ nos tam conſequenter requirimus, veſtra nitatur Reverentia &c.* VES-

TES NOSTRAS EXCUTIMUS, *& extra communicationem veſtram noſmetipſos efficiemus*. Quid audacius dici potuit contra Sacroſanctum, numeroſiſſimumque Concilium? Sed obſtinato animo hæreſi, veluti Zoophyta ſcopulis, infixi erant infœlices Aſcetæ, contra quos Catholici Monachi alias Synodo preces porrexerunt. Harum finis hic eſt: *De Spelunca, ubi ipſi efferati habitant, & quotidie blaſphemant Salvatorem omnium Chriſtum, diſponi a nobis præcipiat Chriſtianiſſimum veſtrum Imperium*. Hoc audito Dorotheus Hæreticorum Anteſignanus Eutychetis patrocinium dementiſſima temeritate urgere inſtitit, dicens: *Orthodoxus eſt is homo, & ſit ei calumnia*. Ne ulterius progrederetur inſania, *Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi dixerunt*: SUBSCRIBIS EPISTOLÆ, AUT NON? *Dorotheus Reverendiſſimus Monachus dixit: Ego in Baptiſma credo, Epiſtolæ autem non ſubſcribo*. Ac tenaciſſimi quidem impii propoſiti fuerunt tam ipſe, quàm Caroſius, cæterique rebellium Duces inſipientem ſecum gregem trahentes, quibus menſis unius induciæ conceſſæ ſunt, ut a perfidia reſilirent. Obduratus iſtorum animus nihil deterit id, quod in diurno ſole ſtatuimus, videlicet quod pervulgata eſſet apud Vetuſtam Eccleſiam Infallibilitas Pontificia. Notoriam quippe illam fuiſſe dicimus apud Catholicos, non autem apud Fidei perduelles. Quamvis hi quoque non raro ad Petri Cathedram, antequam ab illa condemnarentur, appellaverint ab ipſis Conciliis, velut ad Erroris expertem. In hac ipſa veſana Monachorum contentione magis proſtituta viſa eſt audacia contra Chalcedonenſem, cui aderant, Synodum, quàm contra abſentem Apoſtolicam Sedem. De Epiſtola quippe Pontificia ſolùm Dorotheus omnium nomine dixit: *Ego in Baptiſma credo; Epiſtolæ autem non ſubſcribo*. Nullum omnino aliud contra eamdem verbum erupit ab ore inſanientium, qui Concilium injuſtitiæ criminati fuerant in Eutychete, ac Dioſcoro condemnando, minati Patribus Excommunicationem, & pulverem a ſe contra illos, quaſi Ethnicos, excutiendum Apoſtolico ritu. Vel ipſi ergo Hæretici Generalia Concilia poſthabent Pontifici Maximo, cui minorem ſolùm a ſe Fidem adhiberi prædicant, quàm Baptiſmati: *Ego in Baptiſma credo, Epiſtolæ autem non ſubſcribo*. (1)

Horum indolem cernere eſt in Lutheranis apud Suavem, qui tamen Dorotheo audaciores, atque Barſuma non ſolùm *irrationabilem* fuiſſe putant Romæ, ac Tridenti *factam damnationem* Lutheri, ſed cum Nuntiis Hæretici Principis, *perſpicuum* eſſe, dicunt, *non nuper modò, ſed annis etiam ſuperioribus promulgata in Concilio decreta Sacris Literis planè contraria*. (2)

(1) *Pag*.296.& 300.

(2) *Pag*.414.

CAPUT XXXXIII.

In Controverſia de Photio Epiſcopo Tyri, & Euſtathio Berythi Synodus diffingit Anatolii Decreta, & adhæret Sententiæ Legatorum prohibentium Sacerdotio perfungi eos, qui ab Epiſcopatu meritò deiiciuntur. Abolentur Pragmaticæ, ideſt Leges præſcribi Conſtantinopoli de rebus Eccleſiaſticis conſuetæ.

196 IN fine Actionis Quartæ Photius Antiſtes Tyri legi petivit preces a ſe directas Imperatori, in quibus de Euſtathio conquerebatur. *Sanctiſſimæ Tyriorum Eccleſiæ* EX PRISCIS, ET IMMEMORABILIBUS TEMPORIBUS A SANCTIS CANONIBUS CERTA DEFINITA SUNT JURA *tam in Eccleſiaſtica adminiſtratione, tum in Ordinationibus. Ejuſmodi Jura Euſtathius Reverendiſſimus Epiſcopus Berytiorum civitatis, cum nonnullorum pro tempore ſtudia habuiſſet, violare conatus eſt, Sacra faciens Reſcripta ſub Theodoſio divæ memoriæ, quibus voluit certarum Civitatum ſibi ordinationes aſſerens, quædam Jura prædictæ Eccleſiæ in ſe transferre. Tantâ autem memoratus Sanctiſſimus Epiſcopus ad circumſcribendum Eccleſiæ Jura inſtantiâ uſus eſt, ut Synodicum ad me curaverit mitti depoſitionem comminans, niſi tali chartæ ſubſignarem: cui cum non ex propoſito, ſed metu minarum, quæ ei inerant, ſubſignaſſem, impoſitam mihi neceſſitatem ſubſcriptione ſignificavi. Scripſi enim, quod juſſus ſubſcripſi, cum ſcirem, nihil hoc mihi præjudicare &c.* Neque profana ſolùm Reſcripta Theodoſii minoris Euſtathio favebant, ſed Synodicæ quoque Literæ Anatolii, de quo tamen apertè conqueri veritus Photius ſolùm generatim dicit: *Si quis horum gratiâ a quibuſdam Epiſcopis aſſenſus factus ſit* AD EVERTENDAM VETUSTATEM, ET SACRAS REGULAS, *nullam vim habeat, nullo mihi facto præjudicio ex ea, quæ a me in Synodico facta eſt, quemadmodum dixi, ſubſignatione*. Enumerans deinde Eccleſias ſibi ademptas *Photius Epiſcopus Tyri dixit*: *Ce-*

Digitized by Google

Cæpit Byblon, Botryn, Tripolim, Orthoſiadem, Arcat, Anturadon: ac precor, ut benignitas veſtra jubeat eas Sedi Tyri reſtitui. Ad hæc Euſtathius, qui, probroſa adulatione Anatolii gratiam venatus, plurimùm illi fidebat (perinde ac in Conciliabulo quoque Epheſino fuerat unus ex Dioſcori primipilis) Synodum Conſtantinopoli habitam ſub eodem Anatolio prætexuit, & Maximum Antiochenum ad ſuas partes allicere tentavit dicens: *Concilium Reverendiſſimorum Epiſcoporum factum eſt Conſtantinopoli, ac data Definitio eſt, cui etiam Maximus Reverendiſſimus Epiſcopus Antiochiæ ſubſcripſit. Maximus Reverendiſsimus Epiſcopus Antiochiæ dixit: Charta mihi allata eſt, quæ habebat ſubſcriptionem Reverendiſſimi Archiepiſcopi Anatolii, quem ego ſequens ſubſcripſi. Glorioſiſſimi Judices dixerunt: Aderat igitur Reverentia tua Synodo, quæ ſub Sanctiſsimo Archiepiſcopo Anatolio hæc definiebat, & geſtis conſenſit? Maximus Reverendiſsimus Epiſcopus Antiochiæ dixit: Eram Conſtantinopoli; cum verò Concilium de hoc haberetur, non adfui; ſed mihi allata eſt charta, & ſubſcripſi.* Extortam igitur a nimia ſua conniventia ſubſcriptionem illam fuiſſe Maximus affirmavit. Euſtathius autem ſibi Metropolitani Jura tributa dixit a Cæſare, ac Synodo, & inſigni audacia contulit Anatolii decreta cum illis Apoſtolicæ Sedis: *Calumniatus eſt me; neque enim ego Religioſiſſimo Imperatori preces obtuli, ut Berytum Metropolim faceret. Conſuetudo autem Imperatoris eſt facere Metropoles. Nec verò ego Civitates diviſi, ſed Sancta diviſit Synodus. Quemadmodum & nunc cum pauci Conſtantinopoli conveniſſent, miſſa eſt Epiſtola almi Archiepiſcopi Leonis iis, qui ubique eſſent, Metropolitis, & ſubſcripta eſt. Sic tunc quæ viſa erant præſentibus Sanctiſſimis Epiſcopis allata ſunt, & ſubſcripta.* Primùm in hoc ultimo libet immorari. Magnifica Euſtathii comparatio adeo ſpreta eſt a Synodo, quæ Leonis Epiſtolam ſumma veneratione proſequebatur, ut Anatolii Decreta infregerit, atque ipſe ſui multiplicis facti rationem reddere coactus, plurimùm in ſe purgando laboraverit; Synodus autem omnia infecta eſſe decreverit. (1)

197 Proſecutus igitur narrationem Photius inquit: *A me ordinatio facta eſt* (contemnente videlicet novam Beryti Metropolim ab Anatolii Synodo conſtitutam) *eum, juxta veterum ordinem, qui de Provincia ſunt, mihi adeſſent, atque inde primùm miſſa eſt mihi abſenti Excommunicatio, ac manſi excommunicatus centum viginti duos dies. Ac duos rurſum ordinavi Epiſcopos. Eos depoſuit, Presbyteroſque fecit. Magnificentiſsimi, & glorioſiſſimi Judices dixerunt: Quis miſit? Photius Reverendiſſimus Epiſcopus dixit: Neſcio: inde miſſa eſt.* Perſtringi ſe, quamvis minimè compellatum, Anatolius cernens invidiam Photio creare adortus eſt, ut Canonum tranſgreſſori; nihil tamen habens, quod eidem ſingillatim improperaret: *Quædam egit nullo more, atque ordine: Hic indignata Synodus, & juxta Regulas commota Excommunicationem ei miſit.* De ſe quæſtionem inſtituendam non formidabat tumidus hic Cæſareæ urbis Antiſtes, cauſam anathematis ſe duce a Synodo lati afferre non valens, aut dedignatus. Sed *Judices dixerunt: Dicat Sancta Synodus, licuerit ne Sanctiſſimo Archiepiſcopo Anatolio, abſenti Reverendiſſimo Epiſcopo Photio Excommunicationem mittere, ac jubere, ut ei certæ Eccleſiæ in Provincia auferrentur: & an Synodum appellare oporteat Conventum Epiſcoporum, qui in Regia civitate diverſantur? Tryphon Reverendiſſimus Epiſcopus Chij dixit: Synodus appellatur, & conveniunt, & laborantes aliqua oppreſſione ſua jura nanciſcuntur. Atticus Reverendiſſimus Epiſcopus Zelorum dixit: At abſentem nemo damnat. Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi acclamarunt:* NEMO ABSENTEM CONDEMNAT. At condemnaverat Anatolius abſentem Photium. Improbatum igitur ab Univerſa Synodo fuit id, quod præſtiterat Conſtantinopolis Præſul. Quæ verò decernebat Romanus, ſive ad Fidem, ſive ad diſciplinam ſpectarent, non ſummo ſolùm cultu Concilium, ſed etiam plauſibus excipiebat, reiiciens illos, quos repulerat Leo, ac reſtituens in priſtinum honoris gradum Theodoretum, quia ab Apoſtolica Sede reſtitutum. (2)

198 Nequidquam ſuam cauſam propugnare conatus eſt Anatolius, dicens: *Tenuit pridem conſuetudo, ut, qui in magna hac civitate morantur, Sanctiſſimi Epiſcopi, cum eos temporis occaſio vocat, de emergentibus quibuſdam Eccleſiaſticis cauſis conveniant, ac ſingula definiant, reſponſoque eos dignentur, qui precantur aliquid. Nihil ergo a me factum eſt, quod novitati ſit affine. Photius Reverendiſsimus Epiſcopus dixit: Nihil aliud poſtulo, niſi ut faciatis, ut Regulæ ſtent: utque ij, qui a me legitimè ordinati ſunt, poſtea verò ejecti, & facti Presbyteri, reſtituantur: ac ut ego Eccleſias meas recipiam. Sancta Synodus acclamavit.* HOC JUSTUM POSTULATUM; REGULÆ TENEANT. *Juſta petitio Photii Reverendiſſimi Epiſcopi.* Iterum igitur in Anatolium Univerſa Synodus inſurrexit ejus

acta

(1) *Pag.* 304. & 306.

(2) *Pag.* 306.

acta reſcindens. Et ambivit deinde ſupra omnium Orientalium Præſulum capita inſilire tumidus hic Antiſtes, & æquales propemodum Pontifici Maximo ſortiri prærogativas? Quibus artibus, aut verius Dolis, in Epiſcoporum ſe animos inſinuaverit, ſuo loco palàm opportunè fiet, atque oſtendetur, multò minus, quàm ipſe deinde jactaverit, indultum illi ab aliis fuiſſe, atque hoc ipſum ab Eccleſiæ Hierarcha ſublatum. Interim obiter animadverto, quàm projectè mendax fuerit Photius alter Conſtantinopolitani Patriarchatus Invaſor, qui in Libello de Synodis dixit, Chalcedonenſi unà cum Leonis Legatis Anatolium præſediſſe. Siccine præerat, qui ſua deſtrui Decreta frendens audivit? Sed fruſtra immoramur in impugnanda veſania Photii, qui, abuſus præſumptâ ignorantiâ poſterorum, ſcribendam Polemicam Conciliorum Hiſtoriam non formidavit. (1)

De finibus Diœceſum, ac Metropoleon tanta in hac Synodo contentio fuit? Et audet Suavis affirmare, *Omnes olim Eccleſias Chriſtianorum unius Eccleſiæ loco, & Epiſcopatus omnes pro uno reputatos, cujus partem ſinguli tenebant, non tanquam ſibi propriam, ac peculiarem, ſed ita ut in univerſum ab omnibus regeretur; ſingulis tamen in ea Eccleſia regenda potiſſimùm occupatis, quæ ipſorum curæ ſpeciatim eſſet demandata?* Si res ita ſe habuit, cur Euſtathius vetuſtum hunc morem Photio non improperavit? Cur Anatolius perſtringi ſe videns, ſuumque decretum favens Euſtathio diffingi, in antiquam non petivit omnia conſuetudinem revocari? (2)

199 Cum lectus deinde fuiſſet Nicænus Canon præſcribens, ut unus tantùm ſit Metropolita in unaquaque Provincia, *Sancta Synodus dixit: Unum juxta Regulas Sanctorum Patrum volumus eſſe Metropolitam: Petimus, ut Regulæ Sanctorum Patrum teneant.* Quoniam autem everſio Canonum orta erat ab Imperatorum Reſcriptis, quæ *Sacræ*, aut *Pragmaticæ Literæ* dicebantur, atque iis aſſenſus fuerat Anatolius, præcipuus Auctor ſecundi Metropolitæ additi Provinciæ Primæ Phœnices, Atticus Nicopolis in Epiro Antiſtes: *Supplicamus*, inquit, *ut etiam nunc virtus Regularum in omnia, & in omnes Provincias valeat: ceſſantibus omnibus Pragmaticis, quæ ex concurſatione, & ambitione fiunt, quæque everterunt ea, quæ ſpiritualiter, & ſecundùm Deum a Sanctis Patribus ſancita ſunt.* Quamvis, a Cæſaribus uſurpata, in hoc lædi Auctoritas videretur, tamen Judices, ac Senatus, qui cum primùm hæc agitari cœpit controverſia, dixerant: *Sacratiſſimo Domino Orbis placuit, non juxta Sacras Literas, aut Pragmaticos typos res Sanctiſſimorum Epiſcoporum procedere, ſed juxta Regulas a Sanctis Patribus latas. Omni igitur ceſſante e Sacris Pragmaticis definitione, Canones de hoc Capitulo editi legantur:* nunc iſta ſubjecerunt: *Juxta Regulas Trecentorum decem, & octo Sanctorum Patrum, & juſtam ſententiam totius Sanctæ Synodi, Photius Reverendiſſimus Tyriorum Metropolis omnem poteſtatem ordinandi in univerſis civitatibus Primæ Phœnices Provinciæ habebit: Euſtathius verò Reverendiſſimus Epiſcopus* E SACRO PRAGMATICO TYPO NIHIL AMPLIUS SIBI VINDICET, QUÀM RELIQUI EPISCOPI EJUSDEM PROVINCIÆ. *Et an his conſentiat, Sancta Synodus edoceat. Sancta Synodus acclamavit:* HOC JUSTUM JUDICIUM, HOC DEI JUDICIUM, HÆC JUSTA SENTENTIA. Expendenda primùm hic eſt Imperatoris Marciani religio, ſe ſpoliari permittens iis, quæ ſui Deceſſores invaſerant, ne ulla ex parte læderentur Eccleſiæ jura. Secundò notandum obſequium erga Sacroſancti Nicæni Concilii Sanctiones, quas ſi, ut Cæſar, ita veritus Anatolius fuiſſet, illius animum ambitus Primæ in Oriente Sedis deinde non occupaſſet. Cultus autem Nicænæ Synodo præſtitus redundat in Cathedram Petri, quę illam ampliſſimè confirmaverat. (3)

200 Juſtæ quidem a Synodo habitæ fuerant Photii petitiones, & generatim approbatæ, ſed nihil ſpeciatim decretum de initiatis ab illo Epiſcopis, quos Anatolius Infulis exutos in Euſtathii gratiam ſimplici juſſerat Sacerdotio fungi. De iis igitur a Judicibus, & Senatu interrogata *Sancta Synodus dixit: Epiſcopos eos eſſe cenſemus: juſtum eſt, eos recipere Epiſcopatum, & civitates, tanquam ordinatos a Metropolita. Ordinatio Patris Photii teneat. Sebaſtianus Reverendiſſimus Epiſcopus Berrhœæ Thraciæ dixit: Hoc omnes deprecamur, ut reddatur iis dignitas, & Epiſcopatus, & ſedes, & honor, tamquam ordinatis a Metropolita. Magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices dixerunt: De his finaliter decernere, ac definire, Sanctæ eſt Synodi.* Nihil ergo de his hucuſque decretum fuerat, aut definitum, ſed comprobatæ ſolummodo Photii preces, ut æquitati conſentaneæ. Præſtolabatur Synodus Legatorum Decretum, de quibus pro imperlo locutis hæc habent Acta. *Paſchaſinus, & Lucentius Reverendiſſimi Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter, Vicarii Apoſtolicæ Sedis Romæ dixerunt: Epiſcopum in gradum Presbyteri redigere,* SACRILEGIUM EST. *Si verò* & *can-*

(1) *Pag.*306. (2) *Pag.*147.

(3) *Pag.*305. 307. & 308.

& cauſa quædam juſta illos ab actu Epiſcopatus amovet, nec Presbyteri locnm retinere debent. Si autem citra aliquod crimen amoti ſunt dignitate, AD EPISCOPALEM DIGNITATEM REVERTENTUR. Anatolium igitur prolapſum *in ſacrilegium* fuiſſe dixerunt, qnia, *citra crimen amotos illos a Dignitate*, jam dixerat Synodus Univerſa. Neque ſolùm Legati affirmant, *juſtum eſſe*, quemadmodum alii dixerant, ut ad Sacrum Thronum reverterentur, ſed imperando ſanciverant: *Ad Epiſcopalem dignitatem revertentur.* An non Synodo Leges Apoſtolici Legati præſcribunt? (1)

201 Sua diffingi Decreta videns Anatolius, neque tamen contra niti auſns, latam a Pontificiis Nuntiis Sententiam comprobavit; id tamen ſolùm aperiens, qnod juſtum videbatur ſibi, neque quidquam ſtatuens: *Siquidem ex rationabilibus quibuſdam cauſis damnantur, jure nec in Presbyteri honore eſſe merentur; ſin abſque aliqua rationabili cauſa in inferiorem gradum detracti ſunt*, JUSTUM EST, *eos, ſiquidem non obnoxii cognoſcantur, Epiſcopatus recipere dignitatem, & Sacerdotium*. Idem Maximus, Juvenalis, & reliqui omnes cenſuerunt, eadem uſi moderatione verborum, ideoque affirmantes, obtemperandum eſſe Legatorum Decreto. (2)

202 Abrogatæ tandem ſolenni formula ſunt Pragmaticæ Literæ, ideoque Eccleſiæ, cui Romanus Pontifex præeſt, jura in integrum reſtituta, ita deprecante Cecropio Epiſcopo Sebaſtopolis: *Ne poteſtas veſtra accuſationem, & querimonias a quacumque perſona accipiat, & fatigetur, neve nos conteramur, petimus, ut ſine contradictione ceſſent ea Pragmatica, quæ in detrimentum Canonum a quibuſdam facta ſunt in omni Provincia: Canones autem per omnia teneant; ſic enim & Fides cuſtoditur, & unaquæque Eccleſia tutum ſtatum habebit: ac ne liceat aliquos præter Canones ordinare. Magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices dixerunt: Si tota Sanctiſſima Synodus conſentit petitioni Cecropii Reverendiſſimi Epiſcopi, doceat. Sancta Synodus acclamavit*: OMNES EADEM DICIMUS. UNIVERSA PRAGMATICA CESSABUNT. REGULÆ TENEANT: *& hoc a vobis fiat. Magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judioes dixerunt*: EX SENTENTIA SANCTÆ SYNODI IN ALIIS QUOQUE OMNIBUS PROVINCIIS REGULÆ TENEANT. *Sancta Synodus acclamavit: Multos annos Imperatoris, multos annos Auguſtæ, multos annos Judicum. Hoc juſtum Judicium: juſti juſtè judicarunt*: Qui honoris gratiâ judicaſſe dicuntur, Synodi tantùm Judicio præclara Chriſtiani animi demiſſione ſe ſubjecerunt; ipſam enim Synodum Judices interrogaverant de abolendis, necne, Pragmaticis Literis. Quot ab hoc uno decreto emolumenta parta ſunt Eccleſiæ Divinæ? Debiti quidem fuerunt religioſiſſimis Principibus Synodi plauſus. Ita Concilia procedunt, & in melius revocant ſacrarum adminiſtrationem rerum, nec ulla illis mora obiicitur a Seculari Poteſtate, cum obſequentiſſimè Synodi parent Moderatori ſuo Pontifici Maximo. (3)

Itane verò Cæſares, aut Cæſarei Miniſtri omnia olim in Conciliis moderabantur, Petre Suavis, *relictâ tantùm Patrum ſuffragiis principalis controverſiæ, quæ Synodo cauſam dederat, definitione? Atque hanc formam in Conciliis, quorum Acta adhuc extant, cernere eſt. Id videre eſt in Concilio Primo Epheſino coram Comite Candidiano ad præſidendum ab Imperatore miſſo, & clarius in Generali Chalcedonenſi coram Martiano, & Judicibus ab eo deſignatis*. Principalis ne fuit Controverſia, quæ Synodo Chalcedonenſi cauſam dedit, altercatio inter Photium, & Euſtathium de gemina unius Provinciæ Metropoli? Confluxerunt Chalcedonem Patres præcipuè ad Pragmaticas Literas enervandas? Minores has fuiſſe quæſtiones quis ignorat, neque ab illis, ſed ab hæreſi Eutychetis, datam fuiſſe Synodo cauſam? Et illas tamen, utcumque minimas, Controverſias, & Cæſaream auctoritatem attingentes, Cæſarei Miniſtri Epiſcopis dijudicandas reliquerunt. Strenuè igitur mentitus fnit more ſuo Petrus Suavis, atque in re, quam omnes mediocri eruditione tincti comperire nullo negotio poſſent, dummodo partem aliquam Actorum hujus celeberrimæ Synodi delibarent. (4)

CAPUT XXXXIV.

Formula Fidei, cui ſubſcripturi eſſent Ægyptii, aliique ad Catholicam Eccleſiam accedentes, ſcripta a Patribus, & propoſita Concilio, reiicitur a Legatis, jubentibus, omnes conſentire Leonis Epiſtolæ.

203 HUcnſque afflante ſemper Divini Spiritus aura fœliciſſimè Synodus velificata fuerat, navis clavum flectentibus Pontificiis Legatis, quibus negotium nullus faceſſiverat. In Prima ſolùm Actione execrati audaciam Dioſcori, qui ſedem inter Judices occupaverat,

(1) *Pag.* 308. (2) *Pag.* 308.

(3) *Pag.* 309. (4) *Pag.* 148.

Digitized by Google

verat, dixerant: *Aut ille egrediatur, aut nos eximus.* Sed, cum impleta illico fuerint Pontificia de nequiſſimo illo Vexillifero perfidiæ mandata, ſerenatus eſt animus Legatorum. In hac verò, quam explorare adorimur, Actione Quinta, non ſolùm egreſſum a Templo, in quo Synodus habebatur, ſed etiam reditum ad urbem Romam prima vice Nuntii minati ſunt: & minas geminarunt ſub finem Concilii ob ſubreptitium Canonem, quem Anatolius a decepta Synodo extorſit. Bis igitur tantummodo commoti animo Legati ſe diſceſſui paratos dixerunt: neque hoc frequenter contigit, ut neſcio quis fabulatur. Violatus in hoc ipſo duplici rerum articulo non eſt honor Apoſtolicæ Sedis, ad quam in ſecunda illa diſcrepantia a Legatorum ſententia appellatum obſequentiſſimè fuiſſe a Synodo, ſuo loco ſpectabimus. In hac autem, quam narrare aggredimur, adeo læſa non eſt Pontificia Dignitas, ut non ſine Divino conſilio permiſſum fuiſſe certamen aliquod crediderim, ex quo multiplex Vaticano palma oriretur. Coortam contentionem animorum nullus prudens mirari poteſt, cum veriſſimè Magnus Nazianzenus affirmaverit: neque viſum a ſe Cœtum Antiſtitum ullum ſine pugnis ingenii, ac voluntatum, neque porrò, ut ipſe quidem opinabatur, ab aliis videndum in poſterum. Ex hoc ipſo primùm infertur, auctore Gregorio Theologo, frequentia Concilia Eccleſiæ non commodare: cumque habentur, perneceſſarium membris, abſque dubio certaturis, eſſe Capitis Regimen. Atque hinc ulterius liquet, neceſſarium pariter eſſe ad optimum Eccleſię Magiſterium, & Gubernationem, fixum aliquod, ac perpetuò apertum Tribunal, a quo præcipuè damnentur Hæreſes quotidie gliſcentes, quandoquidem eædem nequeunt excindi a frequenter habendis Conciliis. (1)

Adoleſcere errores, & plura in dies Hæreticæ Hydræ ſubnaſci capita optabat Petrus Suavis, qui a *ſolis Conciliis* ſolutas perpetuò fuiſſe Fidei Controverſias affirmavit, atque hoc unum eſſe illarum remedium decrevit. (2)

204 Hæc prę fati revocamus in Lectorum memoriam id, quod ſupra narravimus Capite 39. num. 175. exclamatum videlicet a Synodo fuiſſe: *Omnes ſic credimus, ſic credidimus*; cum prius dixiſſet Paſchaſinus Legatus: BEATISSIMI, ATQUE APOSTOLICI VIRI UNIVERSALIS ECCLESIÆ PAPÆ LEONIS, *Neſtorij, & Eutychetis Hæreſim damnantis*, DIRECTA SCRIPTA, QUID VERA FIDES HABEAT, EXPOSUERUNT. *Similiter verò & Sancta Synodus hanc Fidem tenet, hanc ſequitur:* NIHIL AMPLIUS NEC ADDERE POTEST, NEC MINUERE. Concilium igitur plaudens Legatorum ſententiæ affirmaverat, vetitum ſibi eſſe manum admovere condendæ Fidei Definitioni; quamvis hanc Legati non prohibuiſſent, dummodo Pontificiæ penitus Epiſtolæ in ea ſcribenda ſe Synodus conformaret. Hæc enim vis illis verbis inerat: *nihil amplius nec addere poteſt, nec minuere*: & ipſa Synodus alienum ſemper animum exhibuerat ab edendæ Definitionis conſilio. Poſtmodum autem cum Ægyptii Antiſtites ſubſcribere Leonis Epiſtolæ ſubterfugerent, antequam novus Alexandrinus Præſul renuntiaretur, atque hæc electio differenda eſſet, viſum quibuſdam fuit expedire, Formulam Fidei a Concilio proponi eiſdem Ægyptiis, aliiſque poſtea daturis nomen Eccleſiæ Catholicæ. Condita igitur eſt hæc Fidei forma, *& Aſclepiades Diaconus magni nominis Sanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ recitavit Definitionem, quam non placuit iis geſtis inſerere. Et poſt lectionem dubitantibus aliquibus, Joannes Reverendiſſimus Epiſcopus Germaniciæ tranſiens in medio dixit: Non bene habet definitio, ſed debet integrè fieri.* Cum inſerta non fuerit Actis Definitio iſthæc, arduum videtur expiſcari, quonam pacto eadem ſe haberet. Sed ex iis, quæ deinde recenſentur, ſatis conſtat, Catholicam ab illa Doctrinam, ſed nequaquam integrè, explicatam fuiſſe. Ideo jure Joannes Epiſcopus inſtitit: *Debet integrè fieri*. Errores Neſtorii apertè, & copiosè a Definitione impugnabantur, ut mox oſtendemus; contra Eutychetem autem ſolùm innuebatur, erraſſe illos, qui dicebant de Chriſto Domino: *Quod ex duabus naturis eſt, ſuſcipio, duas non ſuſcipio*. Hæc verba Definitioni appoſita fuiſſe colligitur ex quadam Judicum interlocutione. Damnabatur igitur Hæreſis, negans humanam, & Divinam in Reparatore noſtro naturam. Diſcrimen hoc in uberrimè Neſtorio, parcè autem Eutychete perſtringendo, oriri potuit ex odio, quo cuncti tunc mortales, & ipſi etiam Ægyptii, Neſtorium proſequebantur. Et obſequium erga Deiparam, cujus in laudes Definitio effundebatur, animos alliciebat. Contra verò cum Epiſcopi ex Ægypto non malè erga Eutychetem eſſent affecti, & Monachi, de quibus verba ſuperius fecimus, mirificè Portentum illud amarent, viſum fuit cautum humanæ prudentiæ conſilium, paucis omnino verbis illius errores innuere, & ipſi quoque parcere Hæreſiarchæ nomini. Suſpicari etiam fortaſſe licet, aliquid ab Anatolio fuiſſe datum honori Dioſcori, cujus fuerat

(1) *Pag.* 53. (2) *Pag.* 2.

rat Apocriſarius, quamvis alioqui Anatolius idem Defenſor eſſet Catholicæ Religionis. Integra igitur Definitio nequaquam erat, licet veritati cohærens, quia deficiebat in explicanda, & reiicienda perfidia Eutychetis, atque Dioſcori. Ex hoc primùm inferimus, non propugnari pro dignitatè ſynceram Fidem, cum Pontificii Legati non adſunt Conventibus Patrum. Non interfuerant autem huic Cœtui, in quo Græci quidam cum Anatolio coiverant ad formandum Græcum exemplum Definitionis, Univerſæ deinde Synodo proponendæ. (1)

205 Poſtquam Joannes Germaniciæ Antiſtes proteſtatus eſt: *Non benè habet Definitio, ſed debet integrè fieri. Anatolius Deo amantiſſimus Archiepiſcopus nominatiſſimæ Conſtantinopolis ad Sanctam Synodum dixit: Placet vobis Definitio? Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi, præter Romanos, & aliquos Orientales, clamaverunt: Definitio omnibus placet. Hæc Fides Patrum. Qui præter iſta ſapit, Hæreticus eſt. Qui aliter ſapit, anathema ſit. Neſtorianos mitte foras. Hæc Definitio omnibus placet. Qui non anathematizat Neſtorium, exeat a Synodò. Anatolius Deo amiciſſimus Archiepiſcopus Regiæ Urbis Conſtantinopolis dixit: Heri omnibus Definitio Fidei placuit? Prædicti Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Definitio omnibus placuit: aliter non credimus. Anathema illi, qui aliter credit. Iſta Fides Patrum. Definitio Deo placuit. Iſta Fides Orthodoxorum. Fides fraudem non patitur. Sancta Maria Theotocos ſcribatur:* IN SYMBOLO SIC ADDATUR. Plurima hic animadvertenda ſunt: primò quidem ardor in Neſtorium, cujus errores pesſumdatos fuiſſe diximus a Definitione, quæ proinde plurimorum amorem laceſſiverat. Cumque inter cætera exclamatum ſit: *Neſtorianos mitte foras*: liquet, ſuſpicatos fuiſſe illos, qui Definitioni favebant, non alienos a Neſtorio Joannem, alioſque Orientales eidem Definitioni obſiſtentes. Hæc autem ſuſpicio cadere non poterat, neque profectò cecidit, ſupra Romanos, quorum Fidem erroris immunem toties Synodus celebraverat, eò quòd Infallibili Magiſtro Leoni adhærerent. In Epiſtola præterea ejuſdem Leonis non minus Neſtorius, quàm Eutyches proſcribebatur: & utrumque deteſtari juſſa fuerat Synodus a Pontifice Maximo. Illi proinde obtemperaverat in devovendo diris Neſtorio. (2)

206 Secundò notandum eſt Anatolii artificium, qui ad Patres in ſententia continendos illis in mentem revocavit aſſenſum ab illis pridie præſtitum Definitioni: *Heri omnibus Definitio Fidei placuit?* Quemadmodum igitur conſenſum ab illis extuderat, amplificando ſpem alliciendi omnes ad ſubſcribendum eidem, ſi parcente quodammodo manu Eutycheti, ac Dioſcoro vulnus infligeretur: ita nunc latam ab illis ſententiam obiiciens eorumdem animo conatur eos in eadem defigere. Quod conſecutus hoc fuerit, nihil hucuſque officit Legatorum dignitati, quia, licet iidem Definitionem non comprobaſſent, nondum tamen contra illam reclamaverant.

207 Tertiò nullus horrore concuti debet, quòd tam frequens acclamatio fuerit, & omnium, *præter Romanos, & aliquos Orientales*. Vera enim erat Definitionis Doctrina, licet non integra. Verba porrò illa: *Qui præter iſta ſapit, Hæreticus eſt. Qui aliter ſapit, anathema ſit: Neſtorianos mitte foras. Qui non anathematizat Neſtorium, exeat a Synodo*: congruentiſſimè interpretari poſſumus, loqui ſolùm de Neſtoriana blaſphemia, quam cum abunde proſcidiſſent, affirmare poterant: *Qui præter iſta ſapit, Hæreticus eſt: Qui aliter ſapit, anathema ſit.* Eamdem autem cenſuram, & fulmen, non intorqueri in eos, qui copioſius, & majori cum declaratione Eutychetem inſectarentur, patet ex eo, quod nullum de Eutychianis verbum protulerit Synodus, quæ conclamaverat: *Neſtorianos mitte foras. Qui non anathematizat Neſtorium, exeat a Synodo.* (3)

208 Quartò Exclamationes hujuſmodi, quomodocumque demum eas interpretemur, nihil imminuunt vim argumentorum, quæ non rarò eruimus ex aliis Patrum clamoribus. Multiplex enim diſcrimen inter hos, atque illos intercedit. Hi enim non fuerunt communes omnium, cum, præter Romanos, Orientales aliqui conticuerint, & eorum unus apertè fuerit refragatus. Neque in iiſdem Patres perſtitere; ſed poſt primum æſtum a propoſito reſilientes, animum adjecerunt novæ Definitioni formandæ. Pugnantes præterea fuerunt cum iterata proteſtatione, qua, Fidei Formam a Synodo non condendam, aſſeveraverant, ſed ſolùm jurandum in verba Leonis. Demum cum Exclamationes hæ Legatorum comprobatione caruerint, quorum Regimini ſubjectam ſe eſſe frequentiſſimè Synodus profeſſa erat, nullum iiſdem pondus ineſt ex ipſius etiam Synodi confeſſione. Quos magno in pretio clamores habuimus, & a quibus eduximus argumenta, communes omnium erant, conſtantes, non repugnantes aliis, non everſi deinde ore, vel facto, ac demum a Synodi Moderatoribus, Legatis videlicet Pontificiis, approbati.

(1) *Pag.* 271. 310. & 313. (2) *Pag.* 311.

(3) *Pag.* 311.

CAPUT XXXXV.

Declaratur, licere nova Symbolo inſeri verba. Legati minantur aliam in Occidente, contra Chalcedonenſem, Synodum celebrandam. Pontificia Auctoritas in ipſo æſtu certaminis multipliciter triumphat, & major oſtenditur Synodis, & Errori exempta.

209 EA demum verba enimverò ad trutinam revocanda ſunt: *Sancta Maria Theotocos ſcribatur: In Symbolo ſic addatur*. Quamvis minimè religioſa,& obſequentia videri poſſent cetera Præſulum pronuntiata, prope eſſet, ut cum Vate illo exclamarem: Scelera ipſa, nefaſque, hac mercede placent: placerent ſcilicet, utcumque contumaces, clamores, dummodo hunc finem ſortiti. Chalcedonenſes igitur ferè omnes Epiſcopi elatis in Cælum vocibus flagitarunt nova Symbolo inſeri verba. Et audent in præſentia Schiſmatici affirmare, interdictum ab Epheſinis Patribus fuiſſe celebrandis exinde Synodis, etiam Generalibus, & Rectori Synodorum Pontifici Maximo, ne recens ullum verbum Nicæno Symbolo adiiceretur? Et inquiunt, ob violatum hoc decretum, adjectâ particulâ illâ *Filioque*, lapſum fuiſſe Occidentis Patriarcham a Suprema Univerſi Chriſtiani Orbis Sacra Præfectura? An melius ipſi ſententiam Epheſinorum Canonum aſſequuntur, quàm Chalcedonenſe paulò poſt celebratum Concilium? At, dicent, verba illa, *Sancta Maria Theotocos eſt*, inſerta Symbolo non fuerunt. Utique. Sed ne pueriliter verbis ludant afferentes, ut Dialectici loquuntur, non cauſam pro cauſa. Vera prætermiſſæ per hæc verba Explicationis cauſa fuit, quia ſatis ſuperque declarata contra Neſtorium erat Catholica veritas Maternitatis Divinæ. Quod autem cauſa,ob quam omiſſa fuit Explicatio illa, non fuerit Epheſinum Decretum, a quo illam prohiberi opinarentur, patet ex eo, quod nullus Decretum hujuſmodi allegaverit. Præterea cum deinde Chalcedonenſe Concilium verbis, & facto ipſo, demonſtraverit,licere novam Fidei declarationem, ſimul oſtendit, delirare affirmantes, a Synodo Prima Epheſina injectas eſſe compedes Synodis aliis in poſterum celebrandis, ac Synodorum Moderatori. Ad hæc, Schiſmatici perinde jactant vetitam Epheſi fuiſſe novam Explicationem Fidei, ac Recentium verborum Symbolo inſertionem. At novam Explicationem habemus a Chalcedonenſi Concilio. Splendidè igitur ineptiunt, dum ſomniata iſta Epheſinorum Canonum prævaricatione ſubverſum eunt ſacrum Romani Antiſtitis Principatum, & aureum moliuntur ſupra omnes Thronum Præſuli Conſtantinopolitano.Cum gliſcerent non in Oriente ſolùm, ſed etiam in Occidente controverſiæ, vertente Septimo reparatæ Salutis Seculo, de Divini Spiritus Proceſſione, licuit ad Errorem opprimendum explicare in Symbolo, quod procederet etiam a Filio: ſicuti licuerat Nicænæ & Conſtantinopolitanæ Synodo, pluribus inſertis verbis Apoſtolorum Symbolo, Hæreſes Arii, Eunomii, ac Macedonii labefactare. Divinitus permiſſos fuiſſe crediderim Chalcedonenſes illos, alioqui ſpirantes nonnihil temeritatis, clamores, ut hac, profutura venturis ſeculis, coronide conſecrarentur: *Sancta Maria Theotocos ſcribatur: in Symbolo ſic addatur*. (1).

210. Suum obeuntes munus ad compeſcendas voces, animoſque Præſulum ſibi nimis tribuentium, *Paſchaſinus & Lucentius Reverendiſſimi Epiſcopi, & Boniſacius Presbyter, Vicarij Sedis Apoſtolicæ Romæ dixerunt*: SI NON CONSENTIUNT EPISTOLÆ APOSTOLICI, ET BEATISSIMI VIRI PAPÆ LEONIS, *jubete, nobis Reſcripta dari, ut revertamur*, ET IBI SYNODUS CELEBRETUR. Qui Epiſtolæ conſentire jubentur,Ægyptii ſunt Epiſcopi, ac Eutychiani Monachi, in quorum gratiam ſcriptam non ſine artificio fuiſſe Definitionem, ſupra ſtatuimus. Magnanimum Legatorum pectus, objectum prætumido Epiſcoporum ferè omnium torrenti, manifeſtè præfefert Apoſtolicam firmitatem.Cum diſertis verbis edicant, aliam Romæ, contra Chalcedonenſem, Synodum celebrandam, (niſi ea Leoni obtemperaret, jubendo ſubſcribi ab omnibus Epiſtolæ Pontificiæ) apertiſſimè aſſerunt Romano Antiſtiti Præſtantiam ſupra Generalia Concilia, & Infallibilitatem in Fidei Arcanis declarandis, quia, ſi hac careret, adigi nequirent omnea ad ejus Epiſtolam ſuſcipiendam. (2).

211 Prodigio ſimile videri poteſt, quod in illa exultantium animorum tempeſtate nullus contra hæc hiſcere auſus fuerit. Non ſolùm igitur Legati aſſeverarunt,licere Romano Præſuli, Conciliis antecellenti, fallique impoti, aliam cogere in Occidente Synodum contra numeroſiſſimam illam,quæ in Oriente celebrabatur; ſed has ipſas veritates Univerſum Concilium ſilentio comprobavit, & in eo quidem rerum articulo, quo alio-

(1) *Pag*. 311. (2) *Pag*. 311.

alioqui nimis animosè, & incoaditè loquebatur.

212 Cum Præſules audito illo Legatorum tonitru conticeſcerent, *Magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices dixerunt: Si placet, ab Orientalibus Reverendiſſimis Epiſcopis ſex, & ab Aſiana Regiane tres, & ab Illyrico tres, & a Pontica tres, & à Thracia tres, præſentibus etiam Sanctiſſimo Archiepiſcopo Anatolio, & Reverendiſſimis Romanis, conveniamus intro in Oratorio Sanctæ Martyris, & omnibus ab iiſdem conſequenter examinatis, quæ placuerint de Sancta Fide, manifeſta nobis fiant*. Litem dirimere conantur Judices, & iterum proponunt id, quod opportunum putaverant in Actione Quarta, cum ad inſtruendos Epiſcopos dubios in Fide dixerant: *Quoniam conſequens eſt credere dubitantes, Reverendiſſimus Epiſcopus Anatolius* ELIGAT EX IIS, QUI SUBSCRIPSERUNT, *quos putaverit eſſe dignos, ut doceant dubitantes*. Cum eligendi autem eſſent ex iis, qui Leonis Epiſtolam ſubſcriptione firmaverant, profectò Inſtructio oretenus facienda, & Forma Fidei eamdem profeſſuris exhibenda, Normam acceptura erat ab Epiſtola Pontificia. Illa igitur via ſedandi certaminis, quæ indicebatur in præſens, victoriam Legatis adjudicat, cum immutanda eſſet Definitio, & ex Regula Leonis Epiſtolæ locupletanda, contra id, quod ferè omnes Patres optaverant. Quod in enumeratione Præſulum Romani ultimo loco ſtatuantur; miretur nemo; primo enim loco ponuntur minores Epiſcopi ex Oriente, aliiſque Regionibus, tum Anatolius major illis jam recenſitis, ac demum creſcente oratione Romani. Aliquando in Actis Apoſtolorum poſt Barnabam, aliosque, ultimo loco nominatur Paulus. Vis ineſt iis, quæ frequentius, ac ferè ſemper contingunt. Initio autem Actionum primi ſemper ſcribuntur Pontificii Legati. (1)

213 Qui nihil repoſuerant Epiſcopi poſt Legatorum interlocutionem, aliquid reſpondent Judicibus, & acrius vociferantur contra Joannem Germaniciæ Antiſtitem, tuentes Definitionem, & in Neſtorium vehementius invecti. Ex hoc autem confirmantur ea, quæ ſupra diſſeruimus, videlicet quod eadem Definitio Neſtorium profligaret, ac mitis eſſet in Eutychetem, de quo nulla fit in Exclamationibus mentio. *Prædicti Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Omnibus Definitio placuit. Has voces Imperatori. Iſta Definitio Orthodoxorum eſt. Et iterum Joanne Reverendiſſimo Epiſcopo Germaniciæ veniente ad glorioſiſſimos Judices Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Neſtorianos mitte foras, inimicos Dei mitte foras. Qui ſunt, vix apparent. Univerſus Mundus Orthodoxus eſt. Heri Definitio omnibus placuit. Imperator Orthodoxus eſt. Auguſta Orthodoxa eſt: Auguſta Neſtorium expulit. Judices Orthodoxi ſunt. Multi anni Imperatori. Hæc Definitio omnibus placuit. Multi anni Judicibus. Petimus, ut Definitio ſubſcribatur coram Evangeliis. Omnibus placuit: jubete ſubſcribi Definitionem. Contra Fidem fraus non fiat. Qui non ſubſcribit Definitioni, hæreticus eſt. Sancta Maria Theotocos eſt. Qui non ſic ſapit, hæreticus eſt. Orthodoxi Judices Fidem cuſtodite, Orthodoxorum Imperatorum Orthodoxi Judices. A Definitione nullus abſcedit. Spiritus Sanctus Definitionem dictavit. Definitio Orthodoxa eſt. Definitio modò ſubſcribatur. Qui non ſubſcribit, Hæreticus eſt. Hæreticos foras mitte. Virga Maria Theotocos eſt. Hæreticum mitte foras. Maria Theotocos Definitioni addita eſt. Neſtorianos mitte foras. Chriſtus Deus eſt*. Servamus ad amuſſim, ut initio hujus Operis proteſtati ſumus, Hiſtoriæ leges, videlicet, *ne quid falſi dicere audeat, ne quid veri non audeat*. Idcirco nihil ex his clamoribus diſſimulavimus, licet parum honorifici videantur Pontificiis Legatis, qui contra Definitionem paulò ante locuti fuerant. Sed in Occidentalibus quoque Conciliis, ſi quando iis Pontifex Maximus non interfuit, velitatio aliqua contigit contra Præſides, a quorum ſententiis fuit ad ipſum Pontificem appellatum. In hoc autem Concilio ideo permiſſum ſibi putarunt Epiſcopi diſceſſum a Legatorum decreto, quia Leonem, cujus Epiſtolæ ſubſcripſerant, comprobatorem eſſe credebant præparatę Definitionis, ut mox oſtendemus. Animum interim inteudo fervori huic contra Neſtorium, jam proculcatum in alio Concilio, ac tepiditati contra Eutychetem, in quem præcipuè fuerat hæc Synodus convocata. Quis tunc dubitabat, *Sanctam Mariam Theotocam eſſe, ac Chriſtum Deum?* Adeo Deum eſſe Chriſtum Dominum Eutyches opinabatur, ut Humanam ab illo Naturam penitus ſuſtuliſſet. Et clamores tamen illo fine clauduntur, *Chriſtus Deus eſt*. *Theotocos* verò frequenter inculcatur, & hæreſis cenſura ſemper cadit ſupra illos, qui Neſtorium non execrantur, numquam ſupra Eutychetis fautores. *Neſtorianos mitte foras. Auguſta Neſtorium expulit. Qui non ſubſcribit Definitioni, hæreticus eſt. Sancta Maria Theotocos eſt. Qui non ſic ſapit, hæreticus eſt. Virgo Maria Theotocos eſt. Hæreticum mitte foras. Maria Theotocos Definitioni addita eſt. Neſtorianos mitte foras. Chriſtus* Deus

(1) *Pag.* 311. & 270.

Deus eſt. Quis non animo ſolùm, ſed ipſis etiam, ut ita dicam, manibus non contrectat, Definitionem integram non fuiſſe, cum de Eutychete, ac Dioſcoro non loqueretur, ac eorum Hæreſim vix duobus verbis perſtringeret? Et illam tamen ſubſcribi plerique Patrum ardentiſſimis, ac verè immanibus, votis optabant. Si hoc præſtitiſſent, Eutychetis perfidiam non penitus profligaſſent, vixque ullum operæ pretium a Synodo retuliſſet Eccleſia Divina. Tantum igitur abeſt, ut in ullo nobis officiant inconditæ Exclamationes, ut potius ab illis manifeſtè innoteſcat Neceſſitas Pontificię in Conciliis Præfecturæ, ſine qua, & ſine obſequio Legatis præſtito, exoriuntur fluctus, ac vortices opinionum, cum ſummo cælandæ periculo veritatis. (1)

Et horret Suavis Conciliorum Regimen Legatis Romani Pontificis attributum, ac ſuos Heterodoxos inducit affirmantes: *Se illud pro legitimo Concilio non habere, in quo præſideat Papa Paulus, ubi per ipſius Legatos omnia proponuntur, in quo Judices ipſi jurejurando et obligantur?* Neque ſolùm refert eorum verba, ſed *evincentia* dicit ipſa illorum argumenta. *Tum rationes in medium adducunt, ex quibus evincitur, iniquum eſſe, ut Pontifex, aut qui ei jurejurando obſtricti ſunt, in Concilio Judicis partes agant.*

CAPUT XLVI.

Prævalet Juſſio Legatorum, & ad Regulam Epiſtolæ S. Leonis, qui Superior Synodis, & Infallibilis præſumitur, reformatur Definitio Fidei a Concilio Chalcedonenſi, quod manifeſtè declarat fieri poſſe novam Explicationem Catholicæ veritatis contra id, quod Schiſmatici aſſirmant, falsò obtendentes Epheſinam prohibitionem.

214 JUdicum prudentia ſuaviter inducens Epiſcopos in tramitem ſtatuendarum rerum, ita eſt interlocuta. *Dioſcorus dicebat, propter hoc ſe damnaſſe Flavianum, quia duas Naturas ajebat eſſe. Definitio autem ex duabus habet Naturis.* Hæc ſolùm contra Dioſcorum, & Eutychetem verba Definitioni inerant, quibus decernebatur, ex duabus Naturis, Divina ſcilicet, & Humana, Chriſtum Servatorem noſtrum conſtitui. Ex hac porrò veritate, quam Scriptores Definitionis confeſſi erant, ſperabant Judices inducendos ipſos eſſe ad eamdem uberius ex directione Pontificiæ Epiſtolæ explicandam. Sed Anatolius, Hæreſis notam a, quondam ſuo, Dioſcoro excutiens dixit: *Propter Fidem non eſt damnatus Dioſcorus, ſed quia* EXCOMMUNICATIONEM FECIT DOMINO ARCHIEPISCOPO LEONI, *& tertiò vocatus eſt, & non venit: & ideo damnatus eſt.* Abſonum in primis eſt a vero, quod una ex cauſis Dioſcori condemnationis non fuerit Hæreſis, & Hæreſiarchæ Patrocinium. Sic enim habet Legatorum ſententia, cui Synodus Univerſa conſenſit: HIC ENIM EUTYCHEM SIMILIA SIBI, hoc eſt hæretica, SAPIENTEM, *& regulariter a proprio damnatum Epiſcopo, ideſt Sanctiſſimo Patre noſtro, & Archiepiſcopo quondam Flaviano* (a quo non niſi ob Hæreſim damnatus Eutyches fuerat) IRREGULARITER IN COMMUNIONEM SUSCEPIT, ſuſcipiens videlicet Patrocinium Hæreſiarchæ, quod poſtea exercuit audacius in Synodo Prædatoria, in qua ſcriptam in Eutychetem *legi non permiſit Epiſtolam Beatiſſimi Papæ Leonis:* QUA NON LECTA SCANDALUM, ET LÆSIONEM SANCTÆ DEI ECCLESIÆ PER TOTUM ORBEM TERRÆ PERTULERUNT. Igitur ob Hæreſim quoque cum ſumma Eccleſiæ pernicie aſſertam, & propugnatam, Sacræ fulmen Excommunicationis irruerat in Dioſcorum. At præclarum Romanæ Cathedræ decus eſt, quod in ipſa contumacia contra Pontificios Legatos fateatur Anatolius Conſtantinopolitanus Antiſtes, ſuffeciſſe inſanam temeritatem Preſulis Alexandrini contra Leonem Pontificem Maximum ad eumdem Dioſcorum a Cœtu credentium exterminandum. (2)

215 Ne tergiverſari ulterius poſſent Epiſcopi, hac illis interrogatione Judices inſtiterunt: EPISTOLAM SANCTISSIMI LEONIS SUSCIPITIS? *Prædicti Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt.* ETIAM: SUSCIPIMUS, ET SUBSCRIPSIMUS. *Magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices dixerunt: Ergo, quæ in ea inſeruntur, inſerantur Definitioni.* Ergo Catholicę teſſera Religionis eſt ſuſceptio Epiſtolæ Pontificiæ de ſententia utriuſque, Profani videlicet, & Sacri Fori; neque enim ſolùm a Secularibus Judicibus interrogati ſunt Patres de illius Epiſtolæ ſuſceptione, ut certò innoteſceret, eos in Orthodoxa Fide perſtare; ſed etiam iidem Patres de Epiſtola a ſe ſuſcepta, & ſubſcripta gloriati ſunt, veluti de manifeſto argumento ſuæ in defendenda veritate conſtantiæ. (3)

216 Urgebant optimè Judices, ut, quandoquidem Antiſtites non ore ſolùm, ſed & calamo ſe Leonis diſcipulos profitebantur, inſe-

(1) *Pag.* 311.

(2) *Pag.* 312. 243. & 244. (3) *Pag.* 312.

inſererent Definitioni ea, quæ contra recentem Hæreſim decernebat Epiſtola Pontificia. At illi, arbitrati, ſuum erga Leonem obſequium, & ſynceram confeſſionem patere ſatis ex nomine ſingulorum Epiſtolæ, addito, clamaverunt: *Altera Definitio non fit: nihil deeſt Definitioni. Euſebius Reverendiſſimus Epiſcopus Doryläi dixit: Alia Definitio non fit. Prædicti Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Epiſtolam Definitio firmavit.* ARCHIEPISCOPUS LEO, UT CREDIMUS, SIC CREDIT. DEFINITIO SUBSCRIBATUR. *Definitio habet omnia. Definitio Fidem habet.* LEO EADEM DIXIT, QUÆ ET CYRILLUS. CÆLESTINUS, QUÆ CYRILLUS DIXIT, FIRMAVIT: XYSTUS FIRMAVIT, QUÆ CYRILLUS DIXIT. *Unum baptiſma, unus Dominus, una Fides. Tolle fraudem a Definitione.* Idcirco igitur opinabantur Antiſtites, nequaquam ſe aſtringi ad immutandam, aut augendam Definitionem, quia in ea ſatis explicata fuiſſe putabant illa, quæ Leonis Epiſtola complectebatur. Ne quiſpiam igitur Chalcedonenſibus Patribus tribuat animum in his clamoribus Pontifici Maximo non obſequentem, cum ipſi hanc a ſe calumniam amoliantur, exclamantes: *Epiſtolam Definitio firmavit: Archiepiſcopus Leo, ut credimus, ſic credit.* (1)

217 Clypeum adhibemus ad hoſtium tela retundenda? Haſtam in eoſdem intorqueamus, quam nobis hæc Præſulum verba ſuppeditant: LEO EADEM DIXIT, QUÆ ET CYRILLUS. CÆLESTINUS, QUÆ CYRILLUS DIXIT, FIRMAVIT. XYSTUS FIRMAVIT, QUÆ CYRILLUS DIXIT. Teſtimonium conformitatis cum Cyrillo Leoni ferunt ad refellendam Eutychianorum inſaniam, qui, Fidem innovari, contra Cyrilli Doctrinam Epheſi ſancitam, a Pontificia Epiſtola, mentiebantur, ut ſupra expendimus. At ipſius Cyrilli decretorum, ideſt Epheſini Primi Concilii Definitionum robur amplificant ex Confirmatione Cæleſtini, atque Xyſti Romanorum Pontificum. Hos ergo Generali Synodo Majores & Infallibiles eſſe, pronuntiant.

Vim argumentationis Suavis non aſſequeretur? Livor igitur illum mentis oculis viduaſſet. Manifeſtè conſtat ex Actis Epheſinis, ut alio in Libro demonſtravimus, ab Univerſo Concilio ſuæ auctoritatis ſuffragium Epiſtolis Cyrilli ad Neſtorium, & Joannem Antiochenum (de quibus in præſentia Chalcedonenſes Patres loquuntur) adjectum fuiſſe. Cum igitur firmata dicunt a Cæleſtino, ac Xyſto ea, quæ Cyrillus docuit, ſermonem inſtituunt de illis, quæ docuerat Sacroſancta Synodus Epheſina. Ut hæc oſtendant ineluctabilia, inculcant firmitatem, quam ab Apoſtolicæ Cathedræ comprobatione acceperunt. Ad illam igitur recurrunt, ut ad ultimum, & omnino irrefragabile Tribunal, a quo certius, quàm ab ipſis Conciliis; prodeat Oraculum veritatis. Niſi hoc ita ſe haberet, hæſiſſent in ipſa Synodo Epheſina, exclamantes: *Concilium Epheſinum firmavit, quæ Cyrillus dixit.* At confugiunt ad geminos Romanos Pontifices, a quibus idem Epheſinum Concilium fuit ampliſſimè confirmatum. His ergo vindicant Præſtantiam ſupra Concilia, & errandi periculo minimè obnoxiæ in edocenda Eccleſia certitudinem veritatis.

218 Poſtrema hæc illatio duplici ratione dilucidè ſtabilitur. Prima eſt, quia Chalcedonenſe Concilium ſuſceperat demonſtrandum, Catholicam eſſe Definitionem, quam adornaverat. Hujus autem veritatis comprobationem ultimò reſolvit in auctoritatem Cæleſtini, atque Xyſti. Ineptum autem, ac futile hoc argumentum fuiſſet, ſi putaſſet Synodus, Cæleſtinum, ac Xyſtum errori ſubjectos eſſe.

219 Generatim præterea evincitur eadem Chalcedonenſium Patrum de Pontificia Infallibilitate Sententia ex eo, quod præſumant indigere Concilia Conſenſu Pontificum Maximorum, cum Cyrilli, hoc eſt Epheſinæ Primæ Synodi, Decreta ſtabiliant Confirmatione Cæleſtini, atque Xyſti. Si autem Generalibus Conciliis a Romano Antiſtite non comprobatis indubia firmitas deeſt, hæc ipſis Pontificibus deeſſe nequit. Alioqui enim incerta eſſent omnia, omnique vento Doctrinæ circumferretur Eccleſia. Hoc autem divinitus permiſſum fuiſſe, credi non poteſt. Infallibilitatem igitur Chriſtus Deus noſter attribuit Vicario ſuo, juſſo confirmare fratres in Fide, quam in Petro ſpopondit numquam defecturam.

220 Cum æſtus altercationis Præſulum animos agitaret, Judices dixerunt: *Suggerentur Diviniſſimo, & piiſſimo Domino noſtro Imperatori clamores iſti.* Marcianus autem, qui jam Chalcedonem venerat, exhibuit illico Epiſcopis optionem, ut vel aliqui ex ipſis cum Romanis Legatis convenirent, a quibus *de Fide rectè, & irreprehenſibiliter conſtituatur, quibus omnes conſentiant, & nihil dubium relinquatur: vel, ſi vobis hoc non placet, ſinguli Fidem ſuam per ſuum Metropolitam manifeſtam conſtituant, ut nulla ſimiliter dubietas, aut diſcordia relinquatur. Si autem neque hoc veſtra velit Sanctitas, cognoſcat, quia* IN PARTIBUS OCCIDENTALIBUS HABET FIERI SYNODUS *eò, quòd Religioſitas veſtra hìc noluit de vera, & Orthodoxa Fide*

indu-

(1) *Pag.* 312.

indubitanter definire. Aſſenſus igitur eſt plus Imperator Sententiæ Legatorum, qui, Definitionem integram non eſſe, cenſuerunt, adeoque pluris illos fecit, quàm pleroſque Patrum contrarium affirmantes. Illud quoque confirmavit, quod iidem Legati edixerant, videlicet, quod ſi reliqui obdurarent animum ad non immutandam Definitionem, habenda eſſet alia Synodus in Occidente, ſicut Pontificio nomine Legati ſtatuerant. Leoni ergo Marcianus adjudicavit poteſtatem abrumpendi Concilium Generale, & alterum aperiendi ad medelam afferendam Eccleſiæ laboranti, cui non ſatis conſuleret altera Synodus jam congregata. Hoc autem præſtare nequaquam poſſet Romanus Pontifex, niſi eiſdem Generalibus Synodis antecelleret. (1)

Et arcana rimatur Petrus Suavis in facultate attributa ſuis Legatis a Martino Quinto *prorogandi*, *diſſolvendi*, & transferendi quocumque ipſis commodum videretur Papienſe Concilium? *Quo*, inquit, *arcano omnem deliberationem Curiæ Romanæ ſtudiis adverſam facile erat interturbare*; ideoque *decreviſſe Paulum Tertium hujuſmodi exemplum ſibi proponere ad imitandum*. At quod hoc erat Imperii Secretum, cujus artem a Martino fortaſſe Quinto primùm excogitatam haurire ſolùm ab illo poſſet Paulus Tridentinæ Synodi convocator? Innatum erat hoc Jus prorogandi, diſſolvendi, & transferendi Concilia Supremo Eccleſiæ Moderatori: quo ſe jure pollere Leonis nomine profeſſi ſunt in Chalcedonenſi Sexcentorum triginta Patrum Senatu Apoſtolici Nuntii: neque hoc Antiſtitum ullus in controverſiam revocavit, & Marcianus Cæſar illi ſe acquieſcere palam edixit. (2)

221 Neque poſt hæc Imperatoris dicta Epiſcopi animum deſponderunt, qui ſolùm nihil reponere auſi fuerant Legatorum verbis. Poſt Cæſarea verò, a Beroniciano Secretario relata, *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Multi anni Imperatori. Aut Definitio perſiſtat, aut diſcedimus. Multi anni Imperatoribus. Cecropius Reverendiſſimus Epiſcopus Sebaſtopolis dixit: Petimus recitari Definitionem, & ij, qui contradicunt, & non ſubſcribunt, ipſi ambulent, quia nos conſentimus bene decretis, & in nullo contradicimus. Reverendiſſimi Epiſcopi Illyrici dixerunt: Qui contradicunt, manifeſti fiant. Qui contradicunt, Neſtoriani ſunt. Qui contradicunt, Romam ambulent.* Inſignis eſt Illyricorum Præſulum temeritas, Neſtorianæ alios Hæreſis inſimulantium, cum ipſi paulò ante fuiſſent de Eutychiana vehementer, unà cum Palæſtinis, ſuſpecti. Paucorum verò hæc immoderatio animi fuit, ideoque penitus contemnenda. Et Neſtorianiſmi calumnia illos afficere credenda eſt Orientales, qui cum Joanne Germaniciæ Antiſtite Definitioni refragabantur. Quod enim cadat ſupra Legatos, credi non poteſt; ipſi enim, præferentes Leonis Epiſtolam, æquè Neſtorium proſciderant, ac Eutychetem. Quò major autem eſt quorumdam audacia, eò illuſtrior erit triumphus, cum eamdem mox compreſſam, immutata Definitione, intuebimur. (3)

222 Ultimò Judices aggrediuntur, & expugnant Synodum peremptoria interrogatione, videlicet: *Dioſcorus dicebat: Quod ex duabus naturis eſt, ſuſcipio, duas non ſuſcipio. Sanctiſſimus autem Archiepiſcopus Leo duas naturas dicit eſſe in Chriſto unitas inconfuſè, inconvertibiliter, & indiviſibiliter in uno Unigenito Filio Salvatore noſtro. Quem igitur ſequimini? Sanctiſſimum Leonem, aut Dioſcorum? Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Ut Leo, ſic credimus. Qui contradicunt, Eutychianiſtæ ſunt. Leo rectè expoſuit.* Hac primùm vice obſtrepera hæc Actio in Eutychetem infremuit: *Qui contradicunt*, ſcilicet Leoni, *Eutychianiſtæ ſunt*. At multò prius contra Eutychetem fuerat conclamandum. Profitentur autem Patres, non niſi Hæreticos repugnare poſſe Pontifici Maximo, certiſſimo veritatis Magiſtro. Se proinde credere, *ut docuerat Leo*. (4)

223 *Magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices dixerunt: Ergo addite Definitioni:* SECUNDÙM JUDICIUM SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI LEONIS *duas eſſe naturas in Chriſto inconvertibiliter, inſeparabiliter, & inconfuſè. Et rogati ab omnibus glorioſiſſimi Judices intraverunt in Oratorio Sanctiſſimæ Martyris Euphemiæ &c.* Leonis igitur Auctoritas adeo compoſuit pluſquam decumanos illius diei fluctus, ut non ſolùm nihil contra conſilium immutandæ Definitionis repoſuerint Patres, ſed etiam ab iiſdem *omnibus rogati Judices* fuerint, ut intereſſe vellent ſelectis Antiſtitibus, novam daturis formam Definitioni ex Regula Epiſtolæ Pontificiæ. (5)

224 Neque nobis excidere debet Titulus ille SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI, Leoni a Synodo tribuendi in publica Fidei Proteſtatione ex Judicum Secularium Sententia. Ex hoc enim arguitur, profanis etiam hominibus manifeſtum fuiſſe, quod Romanus Pontifex præſit Epiſcopis omnibus in Concilio congregatis, veluti *Filiis Pater*. Nullum in hoc, aliiſque Synodis conſueviſſe appellari *Patrem* invenimus, niſi Romanum Pontifi-

(1) *Pag.* 312. (2) *Pag.* 122.

(3) *Pag.* 312. (4) *Pag.* 313. (5) *Pag.* 313.

tificem, ex iis certè, qui adhuc degerent inter mortales; nam de Cyrillo, Flaviano, aliiſque jam Cælo donatis, ac proinde in Senatu Beatorum protegentibus militantem Eccleſiam, diverſa ratio eſt.

225 Expedit narrationem contexere authenticis verbis, quæ ſemper profectò ſunt adamantes, licet plerumque rudes videri poſſint Lectoribus Latii candorem amantibus. Sic igitur Acta proſequuntur. *Et poſtquam tractaverunt de Sancta Fide, & exierunt & ſederunt omnes, Magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices dixerunt: Dignetur Sancta Synodus fidem continens cum taciturnitate audire, quæ decreta ſunt in præſentia noſtra a congregatis Sanctiſſimis Patribus, qui & Definitionem Fidei interpretati ſunt.* Quam *Interpretationem* lenito vocabulo appellant, amplificatio erat, & additio ex præſcripto Leonis Epiſtolæ. Lecta autem fuit ab Aëtio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Archidiacono hæc Definitio, in qua primò Chalcedonenſis Synodus profitetur, a ſe renovari trium aliarum Synodorum Fidem, ideoque inſerit Apoſtolorum Symbolum Nicææ atque Conſtantinopoli contra Hæreticos uberius explicatum. Deinde recenſens novos Errores circa ſumptæ a Verbo Divino humanæ carnis Myſterium, *Contra illos*, inquit, *qui purum hominem eſſe genitum ex Sancta Virgine Maria impudenter delirant, Epiſtolas Synodicas Beatiſſimi Cyrilli Alexandrinæ Eccleſiæ Præſulis ad Neſtorium, & Orientales* (hæc illa eſt eadem, quæ data fuit ad Joannem Antiochenum, & quoſdam Orientales, tunc unà cum Joanne faventes Neſtorio) *congruenter habentes ſuſcepit ad convincendas Neſtorii vanitates, & ad interpretationem eorum, qui ſalutaris Symboli pio zelo noſſe deſiderant intellectum. Quibus etiam* ET EPISTOLAM MAGNÆ, ET SENIORIS URBIS ROMÆ PRÆSULIS BEATISSIMI, ET SANCTISSIMI ARCHIEPISCOPI LEONIS, *quæ ſcripta eſt ad Sanctæ memoriæ Archiepiſcopum Flavianum, ad perimendam Eutychis malam intelligentiam, utpote* MAGNI ILLIUS PETRI CONFESSIONI CONGRUENTEM, ET COMMUNEM QUANDAM COLUMNAM EXISTENTEM ADVERSUS PERVERSÈ SENTIENTES, *ad confirmationem Rectorum Dogmatum congruenter aptavit*. Addita igitur Definitioni eſt mentio Epiſtolæ Pontificiæ, de qua prius ſermo non fuerat, ut liquet e ſuperiùs expenſa Judicum Interlocutione, ideoque obtemperatum eſt Legatorum Decreto. (1)

226 Neque qualiſcumque, ſed honorificentiſſima facta eſt Leonis Epiſtolę commemoratio, multòque illuſtrior, quàm Epiſtolarum Cyrilli, quæ in ſuas acceptæ fuerant a Sacro Concilio Epheſino; hæ ſiquidem ſolùm appellantur CONGRUENTER HABENTES, & illa Leonis dicitur, ET CONGRUA MAGNI PETRI CONFESSIONI, ET COMMUNIS QUÆDAM COLUMNA ADVERSUS PERVERSÈ SENTIENTES. Major igitur in primis honor habetur Pontifici Maximo, quàm Synodo Univerſali.

227 Sed conſpiratio illa cum Petri Confeſſione revocat in memoriam, quod Leo eſſet ejuſdem Petri Succeſſor, & æquè immunis ab errandi, aut decipiendi periculo: quodque ut olim ignea Columna tuti dux itineris illuxit Hebræis, ita qui Romani Epiſcopi ductum ſequuntur, certum ad Immortalem Patriam iter inſtituunt.

228 Inſigne Leonis decus eſt hujuſmodì atteſtatio Concilii Generalis. Multò autem præclarius, quòd iiſdem Leonis verbis uſa fuerit Synodus in explicanda contra Neſtorium, ac Eutychetem Catholica Fide. Illius Epiſtola extat in hujus ipſius Concilii Actione Secunda pag. 204. Verba autem, quæ Chalcedonenſes Patres ab eodem, ut a Magiſtro Diſcipuli, mutuantur, non piget hìc exſcribere, cum ſint dilucida, & magnifica explicatio Hæreſum omnium, quæ contra indutum humanitatem Verbum Divinum Tartareo Neſtorii, Eutychetis, eorumque, qui eiſdem adhæſerant, miniſterio eò uſque eruperant. *His namque, qui in duos Filios Diſpenſationis Divinæ Myſterium diſcerpere nituntur* (Neſtoriani hi erant) *repugnat, & illos, qui paſſibilem Deitatem Unigeniti auſi ſunt dicere* (hìc de Eutychianis eſt ſermo) *a Sacro Cœtu expellit: & his, qui in duabus Chriſti naturis temperamentum, aut confuſionem opinantur, reſiſtit: & eos, qui cæleſtem, aut alterius alicujus eſſe ſubſtantiæ, quam de nobis aſſumpſit, Servi formam delirantes dicunt, abigit: & qui duas quidem ante unitionem Naturas Domini fabulantur, unam verò poſt unitionem confingunt* (variæ erant Sectæ Eutychetis Interpretum) *condemnat. Sequentes igitur Sanctos Patres* (ſcilicet Leonem, & Cyrillum, alioſque Eccleſiæ Doctores (a quorum omnium Sententia idem unanimiter cenſentium Romani Pontifices diſcedere nequeunt, cum ad vera definienda divinitus adigantur) *unum eumdemque confiteri Filium, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum conſonanter omnes docemus, eumdemque perfectum in Deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum, eumdem ex anima rationali, & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundùm Deitatem, conſubſtantialem nobis eumdem ſecundùm humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato: ante ſecula quidem de*

(1) *Pag.* 313. & 316.

Pa-

Patre genitum ſecundùm Deitatem, in noviſſimis autem diebus eumdem propter nos, & propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine Dei Genitrice ſecundùm humanitatem, unum eumdemque Chriſtum, Filium, Dominum, Unigenitum in (ſive, ut alii legunt, *ex*) *duabus Naturis inconfuſè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agnoſcendum: nuſquam ſublata differentia Naturarum propter unitionem, magiſque ſalva proprietate utriuſque Naturæ, & in unam Perſonam, atque Subſiſtentiam concurrente: non in duas Perſonas partitum, aut diviſum* (iterum Neſtorius proſcinditur) *ſed unum, eumdemque Filium, & Unigenitum, Deum Verbum, Dominum Jeſum Chriſtum, ſicut ante Prophetæ de eo, & ipſe nos Jeſus Chriſtus erudivit, & Patrum nobis Symbolum tradidit*. An non veriſſimè Synodus affirmaverat, e celo a Petro dictatam Leoni hanc Fidei expoſitionem fuiſſe? Quàm magnum inter hanc diſcrimen, ac illam, quâ duobus tantummodo verbis Definitio prius exarata dicebat, CHRISTUM EX DUABUS ESSE NATURIS, ut liquet ex Judicum interlocutione? Adeo copioſius Divinâ Synodi Sapientiâ redundant, cum ſequuntur Magiſterium Pontificis Maximi, quàm cum ſine illo edocere Eccleſiam de Divinis Arcanis moliuntur. (1)

Quot huic Definitioni verba ſunt inſerta, Petre Suavis, quæ in Sacris nequaquam Literis explicitè continentur, & neceſſaria tamen ſunt ad extinguendam Hæreſim Eutychetis? In quo Divinæ Paginæ loco habemus explicitè, *Duas in Chriſto Naturas unitas eſſe inconfuſè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter?* Et refers, nec unquam damnas, Lutheranorum poſtulationes exigentium, ut *puro puto Dei verbo præeunte omnes de doctrina Controverſiæ explorentur, ac definiantur?* (2)

229 Adiiciunt deinde Patres Excommunicationem in illos, qui alteram (hoc eſt diverſam, aut contrariam, ut oſtendimus agentes de ſimili Decreto Synodi Epheſinæ) Fidem proferre audent, aut conſcribere, aut proponere Catholicam Eccleſiam adeuntibus. Illa igitur, quæ contra Neſtorium, ac Eutychetem ſanciverat Leo, ſancta, & integra eſſe perpetuò volunt. Et hoc quidem non illi tantùm, qui Definitionem ſcripſerant, proteſtantur, ſed id ipſum univerſa Synodus, nullo penitus diſcrepante, confirmat. *Poſt lectionem verò Definitionis omnes Religioſiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Hæc Fides Patrum. Metropolitani modò ſubſcribant: præſentibus ipſis Judicibus modò ſubſcribant. Quæ benè definita ſunt, dilationem non ſuſcipiant. Hæc Fides Apoſtolorum: huic omnes conſentimus: omnes ita ſapimus*. (3)

CAPUT XLVII.

Marcianus Imperator Latinè primùm in honorem Leonis, & ejus Legatorum, ac deinde Græcè Synodum alloquitur, & Religionis Magiſtrum, ac Synodis præcellentem, veneratur Romanum Pontificem, ſummis in Cælum plauſibus a Concilio elatus. Fidei Definitio a Synodo ſubſcribitur, jurante in verba Leonis Univerſalis Eccleſiæ Papæ.

230 MArciani religioſiſſimi Cæſaris ad Synodum acceſſum ſic Acta deſcribunt. *Conveniente in Sanctiſſima Eccleſia Sanctæ, & bonæ victricis Martyris Euphemiæ, Sancta & Univerſali Synodo, quæ ſecundùm Divinam Sanctionem in Chalcedonenſium civitate congregata eſt; ideſt Paſchaſino, & Lucentio Reverendiſſimis Epiſcopis, & Bonifacio Reverendiſſimo Presbytero, locum tenentibus Sanctiſſimi, & Deo amiciſſimi Archiepiſcopi Senioris Romæ Leonis, & Anatolio &c. Adveniens in eadem Sanctiſſima Eccleſia Diviniſſimus, & piiſſimus Dominus noſter Marcianus perpetuus Auguſtus, præſente ex Divino zelo, ac fervore Fidei etiam piiſſima, & Chriſtianiſſima Regina Auguſta Pulcheria &c. allocutus eſt, quæ ſubſequuntur*, PRIMÙM LATINÈ, *poſtmodum Græcè*. Cur Græcus Imperator in Concilio Sexcentorum ac Triginta Patrum, quorum tres tantummodo Romani, & Afri duo erant Latinum Ritum ſecuti, horum prius linguam uſurpavit, niſi quia Legati majorem Univerſalibus Synodis Romanum Pontificem repræſentabant? (4)

231 Quia non omnes fortaſſe noſtri hujus qualiſcumque Operis Lectores juvabit conſulere Conciliorum Corpus; omnibus autem, opinor, perlegere arridebit Religioſiſſimi Cæſaris Orationem, integram eam hic afferimus, quamvis non tota de noſtro argumento loquatur. Sic igitur habet. *Ubi primùm Divino judicio ad Imperium ſumus electi, inter tantas neceſſitates Reipublicæ nulla nos magis cauſa conſtrinxit, quàm ut Orthodoxa, & vera Fides Chriſtiana, quæ ſancta, atque pura eſt, indubitata omnium animis inſideret. Conſtat autem, avaritiâ, vel pravis ſtudiis quorumdam* (Auri ergo fames tunc

(1) *Pag.* 316. & 312.
(2) *Pag.* 70. 88. 107. 317. & *alibi paſſim*.

(3) *Pag.* 317. (4) *Pag.* 317. & 320.

Digitized by Google

tunc Hæreſes excitabat, quas nunc plerumque parit Laſcivia; licet eas ipſa etiam alat inhians Eccleſiæ bonis Avaritia) *per media tempora nonnullis diverſa ſentientibus, & pro voluntate ſua, non prout veritas, atque Doctrina Patrum poſtulat, populos ſeducentibus, in errorem quamplurimos eſſe deductos. Qua de re Sanctam Synodum hoc videlicet propoſito fieri ſtuduimus, & vobis laborem indixiſſe videmur* (hoc autem præſtitit executus voluntatem Leonis Pontificis Maximi, qui Literis ad Theodoſium Juniorem, & ad ipſum Marcianum datis, pro celebrando Concilio enixè contenderat) *quatenus omni errore, atque caligine deterſa, prout ſe Divinitas hominibus manifeſtare voluit, & Doctrina Patrum oſtendit, Religio noſtra, quæ pura,atque ſancta eſt, univerſorum mentibus inſinuata, ſuæ virtutis luce fulgeſcat: nec in poſterum quiſquam audeat de Nativitate Domini, & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti aliter diſputare, quàm Apoſtolica prædicatio, & inſtituta Trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, eidem convenientia, poſteritati tradidiſſe noſcuntur:* SICUT ETIAM SANCTI LEONIS PAPÆ URBIS ROMÆ, QUI SEDEM APOSTOLICAM GUBERNAT, *miſſa ad ſanctæ memoriæ Flavianum Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum* SCRIPTA TESTANTUR. *Remotis itaque ſtudiis, ablatis patrociniis* (quæ plurima, & validiſſima in ipſis Aulæ Cæſareæ Principibus Neſtorio fuerant, ac Eutycheti) *ceſſante avaritia, cunctis veritas innoteſcat. Nos enim ad Fidem confirmandam* (Imperialibus decretis, prohibentibus quempiam contraniti Synodali Definitioni) NON AD POTENTIAM ALIQUAM EXERCENDAM, *exemplo Religioſi Principis Conſtantini, Synodo intereſſe voluimus, ne vel ulterius populi pravis ſuaſionibus ſeparentur. Facilè enim ſimplicitas quorumdam hactenus nonnullorum ingeniis,atque ſuperflua verboſitate decepta eſt, & conſtat diverſorum pravis inſinuationibus diſſenſiones, & Hæreſes natas. Studium autem noſtrum eſt, ut omnis populus per veram, & ſanctam doctrinam unum ſentiens, in eamdem Religionem redeat, & veram Fidem Catholicam colat, quam ſecundùm inſtitutiones Patrum* (Nicænorum videlicet, ac Leonis, a quibus petendam Fidei Normam ſuperius dixerat) *exponere concordantibus æquè animis Religio veſtra feſtinet:* (iterum ſcilicet coram Auguſtis legendo Definitionem jam comprobatam) *quatenus ſicut a Nicæna Synodo uſque ad proximum tempus, erroribus amputatis, vera Fides cunctis innotuit:* (præter Hæreticos, ad lucem quibus afferendam alia duo Generalia Concilia cogi neceſſe fuerat) *ita & nunc per hanc Sanctam Synodum remotis caliginibus, quæ in his paucis annis, ſicut ſuperius dictum eſt, pravitate atque avaritia quorumdam emerſiſſe videntur, perpetuò, quæ ſtatuta fuerint, conſerventur. Erit autem Divinæ Majeſtatis,id,quod ſancto animo fieri deſideramus, in æternum firmiter cuſtodire.* Præter breviſſimas notas piæ ac prudenti orationi inſertas, aliquantulum nunc immoremur in Imperiali obſequio erga *Sanctum Leonem Papam*; ſic enim compellatur a Cæſare, qui Flavianum ſanctæ memoriæ ſolummodo nuncupat *Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum*. Quod verò pondus ineſt Comparationi Epiſtolæ Pontificiæ in Catholica Fide certiſſimè declaranda cum Nicæno Concilio ipſis Evangeliis, quò ad Fidei Dogmatum Infallibilem declarationem, comparato? De aliis, utcumque Sacroſanctis, Conſtantinopoli, & Epheſi habitis Synodis, ſermonem non inſtituit Imperator, cui ſatis eſt, in medium afferre Leonem ad Hæreticos profligandos. Cenſuit igitur, perinde obſtrictos fuiſſe Chalcedonenſes Patres ad conſectandam Explicationem veræ Fidei traditam a Leone, ac illam, quæ a Nicæno Concilio permanaverat. At profectò hæc non fuiſſet Cæſarea ſententia, niſi omnibus innotuiſſet,utpote in Eccleſia tunc pervulgatum, quod errare impos ſit e Cathedra docens Pontifex Maximus: quodque illi, ut Superiori ſuo, parere Generales Synodi teneantur. (1)

Et Marcianum compellare audet Suavis, qui Chalcedonenſi Concilio præfuerit, qui *tamquam Præſes imperaverit, quid eſſet tractandum, qui ordo ſervandus,cui loquendum, cui tacendum eſſet*, cum idem proteſtetur, *non ad potentiam aliquam exercendam* ſe intereſſe Synodo voluiſſe, ac Patres obteſtetur, *ut ipſorum Religio Catholicam Fidem concordantibus animis feſtinet exponere?* (2)

232 Poſt Latinam Cæſaris Allocutionem, & inſignem honorem a Marciano habitum Pontifici Maximo, in plauſus effuſa eſt Synodus, non præſtolata Græcum Imperatoris Alloquium. *Et poſt Regis verba omnes clamaverunt: Multi anni Imperatori, multi anni Auguſtæ. Orthodoxis multos annos. Unus filius Conſtantinus. Marciano novo Conſtantino. Marciani amatoris Chriſti Regnum in ſecula permaneat, digni Orthodoxæ Fidei amatoris. Sit ab iis procul invidia.* Uſque adeo igitur nullis invidiæ aculeis attacti ſunt Patres, eò quòd paucis Latinis poſthabita fuerit numeroſiſſima corona Græcorum Antiſtitum, ut potius confirmaſſe videantur acclamationibus ſuis Pontificium Jus antecellendi Conciliis, & Univerſam Eccleſiam,

(1) *Pag.*321. (2) *Pag.*148.

Digitized by Google

ſiam, ea certitudine, qua hoc præſtiterat Nicæna Synodus, erudiendi. (1)

233 Cum Græcè deinde Marcianus peroraſſet, aliique plauſus *novo Conſtantino* dati fuiſſent, relecta poſtmodum coram Cæſare Definitione Fidei, illam omnium primi de more ſubſcribere aggreſſi ſunt Pontificii Legati, illis uſi verbis: *Paſchaſinus Epiſcopus, Vicarius Domini mei Beatiſſimi, atque* APOSTOLICI UNIVERSALIS ECCLESIÆ PAPÆ *urbis Romæ* LEONIS, SYNODO PRÆSIDENS *ſtatui, conſenſi, & ſubſcripſi. Lucentius Epiſcopus civitatis Eccleſiæ Erculanæ (aliàs Aſculanæ) Vicarius Domini mei Beatiſſimi, atque* APOSTOLICI VIRI UNIVERSALIS ECCLESIÆ PAPÆ *urbis Romæ* LEONIS *in Synodo Græcè relecta ſubſcripſi. Bonifacius Presbyter urbis Romæ, Vicarius Domini mei Beatiſſimi, atque* APOSTOLICI VIRI UNIVERSALIS ECCLESIÆ PAPÆ *urbis Romæ* LEONIS *cum Univerſa Synodo conſenſi, & ſubſcripſi.* Primas huic quoque non Epiſcopo, ut ſemper, concedens Cæſareæ urbis Præſul ita ſubſequitur: *Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolis novæ Romæ definiens ſubſcripſi*: ac poſt illum reliqui omnes. Profectò Lectorum in oculos, & animos incurrerunt ea Legatorum verba: UNIVERSALIS ECCLESIÆ PAPÆ, Leoni coram Cæſare, Anatolio, & Patribus omnibus, nemine reclamante, attributa: & illa, quibus, ſe SYNODO PRÆSIDERE, Paſchaſinus affirmavit. Iterum igitur aſſertus eſt Romano Pontifici Titulus *Epiſcopi Eccleſiæ Univerſalis*. Ad Synodum autem acceſſiſſe Imperatorem, ut ſplendorem illi, veluti Corona, conferret, non ut ejuſdem Caput, aut qualecumque membrum eſſet, liquidò patuit. (2)

234 Poſt ſubſcriptionem *Imperator ad Sanctam Synodum dixit: Dicat Sancta Synodus, ſi ſecundùm omnium Sanctorum Epiſcoporum conſenſionem Definitio nunc relecta prolata eſt? Omnes conclamaverunt: Omnes ſic credimus &c. omnes conſentientes ſubſcripſimus &c. Marciano novo Conſtantino, novo Paulo, novo David &c. Auguſtæ multos annos &c. Neſtorium, & Eutychem tu perſecuta es &c. Marcianus novus Conſtantinus, Pulcheria nova Helena &c. Neſtorio, & Eutychi Anathema: Anathema & Dioſcoro &c.* NESTORIO, ET EUTYCHI, ET DIOSCORO ANATHEMA: *Trinitas hos tres damnavit: Trinitas hos tres ejecit.* At prius Neſtorii tantummodo nomen diſertè fuerat Synodus execrata. Tanti fuit, paruiſſe Pontificiis Legatis in Definitione juxta Leonis Epiſtolam refingenda, ut nunc ſacra in illos quoque arma intorqueantur, contra quos præcipuè Chalcedonenſe Concilium coaluerat. (3)

235 Tres deinde Canones a Cæſare propoſiti fuerunt examini Synodi, quorum nullus pertinebat ad Privilegia Præſulis Conſtantinopolitani, ſed agebant omnes de Monachis, & Clericis. Poſtea Metropolis decus adjectum Chalcedoni fuit ob Synodum ea in urbe celebratam. Ac tandem iteratos quinquies effuſiſſimos plauſus hoc Epiſcopi fine clauſerunt: SUPPLICAMUS, DIMITTE NOS. Ex his, non leviter ariolando, ſed ſolidè conjectando, conficimus, nullam fuiſſe Marciano ſolicitudinem de Privilegiis Conſtantinopolitanæ Sedis, quorum cupidus ſi fuiſſet, ea propoſuiſſet unà cum aliis Decretis Concilio diſcutienda. Ex precibus autem Epiſcoporum, abſolvi Synodum poſt declaratam Fidem, damnatas Hæreſes, & conditos in hac Sexta Actione Canones, flagrantiſſimè optantium, conſtat, nec ipſorum animis curam ullam de amplificandis honoribus Bizantini Præſulis inhæſiſſe. Non fruſtra hæc expendimus, quæ viam nobis aperiunt ad ſtatuendum deinde plurimis, iiſque manifeſtiſſimis, Argumentis, intruſum, ſubreptitium, ab Anatolii ambitu extortum, & a non percipientibus ejus vim Epiſcopis ſubſcriptum fuiſſe Canonem alium de Sacro Imperialis Urbis Throno omnibus aliis Orientalibus præferendo, ac Romano propemodum exæquando. (4)

Diſceſſit e Synodo Marcianus nullo prorſus quò ad Fidei Dogmata verbo prolato. Et iniqua Lutheranis apud Suavem conditio videtur, quod *Pontifices Cæſari, ſicut & cæteris Regibus, locum in deliberationibus forſan concederent, poteſtatem verò decernendi nullam facerent, ſed ſibi ſoli reſervarent?* (5)

CAPVT XLVIII.

In plurium Controverſiis Epiſcoporum præclarè fulget Suprema in Univerſam Eccleſiam, & Major Synodis, Leonis Auctoritas.

236 SEptima Synodi Actio verſata eſt in Sacri Regiminis terminis Antiocheno, & Hieroſolymitano Antiſtiti ſtatuendis: cumq; prior Maximus duas ad ſe Phænicias, & Arabiam, ad Juvenalem autem tres Palæſtinas pertinere dixiſſet, atque hoc ipſum Juvenalis confirmaſſet, ſuâ hoc ſententiâ roborarunt Pontificii Legati, quæſtionem de hiſce finibus in poſterum haberi vetantes. *Paſchaſinus,*

(1) *Pag.* 321. (2) *Pag.* 323. (3) *Pag.* 335. 336.

(4) *Pag.* 338. (5) *Pag.* 28.

Digitized by Google

nut, & Lucentius Reverendiſſimi Epiſcopi,& Bonifacius Presbyter, tenentes locum Apoſtolicæ Sedis veteris Romæ per Paſchaſinum Reverendiſſimum Epiſcopum dixerunt:Hæc concordantibus fratribus noſtris, Maximo Reverendiſſimo Antiochenſium civitatis Epiſcopo, & Juvenale Reverendiſſimo Hieroſolymorum Epiſcopo, pro bono pacis dicta noſcuntur, hoc eſt, ut Antiochenſium Eccleſia duas Phœnicias, & Arabiam habeat, Hieroſolymorum verò tres Palæſtinas poſſideat. Ad hoc autem & NOSTRÆ HUMILITATIS INTERLOCUTIONE FIRMENTUR, *ut nulla in poſterum de hac cauſa prædictis Eccleſiis contentio relinquatur*. Iverunt omnes in Legatorum ſententiam. (1)

237 In quatuor Antiſtites,Theodoretum Cyri, Sophronium Conſtantiæ, Joannem Germaniciæ, Amphilochium Sidæ, Actio Octava inſurrexit, juſſos anathematizare Neſtorium, quem elatis cum tota Synodo vocibus paulò ante fuerant execrati,ac præterea contra illum Definitioni ſubſcripſerant, velut etiam Epiſtolæ Pontificiæ,a qua Neſtorius idem evertebatur. Undecumque tamen ſuſpicio de illorum Fide fuiſſet oborta, ſingillatim ab illis hoc Catholicæ Religionis teſtimonium Patres requiſiverunt. Theodoretus autem conatus quidem primò fuit oſtendere,non eum ſe eſſe, de quo æqua ſubnaſci dubitatio poſſet; ſed cum ob ipſam dilationem magis in illum fremitus invaleſceret, dixit: *Anathema Neſtorio, & ei, qui non dicit Dei Genitricem Virginem Mariam, & qui in duos Filios partitur unum Filium unigenitum. Ego autem & Fidei Definitioni ſubſcripſi,&* EPISTOLÆ SANCTISSIMI, ET DEO AMANTISSIMI ARCHIEPISCOPI DOMINI LEONIS, *& ſic ſapio. Et poſt omnia hæc dixit: Salvete. Glorioſiſſimi Judices dixerunt: Omnis jam dubitatio de Theodoreto Reverendiſſimo Epiſcopo eſt ſoluta, quippe & Neſtorium coram nobis anathematizavit*, ET A SANCTISSIMO, ET DEI AMANTISSIMO ARCHIEPISCOPO SENIORIS URBIS ROMÆ LEONE SUSCEPTUS EST *&c. &* EPISTOLÆ *memorati Sanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis* SUBSCRIPSIT. Non ſolùm ergo Theodoretus vir ingenioſiſſimus, & ſapientiſſimus (ut præclara illius monumenta teſtantur) certum Fidei Magiſtrum a ſe habitum fuiſſe Romanum Pontificem gloriatus eſt; at Seculares quoque Judices nihil contra illum movendum eſſe putaverunt, eò quòd ſuam in Sedem fuiſſet a Leone reſtitutus. (2)

238 Ob hanc quidem Pontificiam ſententiam locum inter Judices Theodoretus receperat ab ipſa Actione Prima: cumque difflatæ jam eſſent nebulæ,quæ illius iterum famam inumbraverant, ita profecuti ſunt Judices: *Deeſt igitur, ut ſententia proferatur a Reverentia veſtra, ut Eccleſiam ſuam recipiat, ſicut &* SANCTISSIMUS LEO ARCHIEPISCOPUS JUDICAVIT. *Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt:Theodoretus dignus eſt Sede. Eccleſiæ Orthodoxum. Eccleſia Paſtorem recipiat.* ORTHODOXUM DOCTOREM ECCLESIA RECIPIAT. *Theodoretus dignus eſt Sede. Archiepiſcopo Leoni multos annos.* POST DEUM LEO JUDICAVIT. *Populus Orthodoxum recipiat dignum ſua Sede. Theodoreto Catholico Doctori reddatur Eccleſia*. Pudore ſuffundi viſa eſt Synodus, eò quòd in examen vocaſſet illum,quem Pontifex Maximus abſolviſſet; quamvis hujus auctoritas nullatenus detereretur ex eo, quod, cum recentia indicia ſuſpicionem excitaſſent de Theodoreti animo ad Neſtorii patrocinium iterum verſo, hæc purgari Synodus voluiſſet. Hoc autem præſtito, ampliſſimè Patres oſtenderunt, quanto apud illos in pretio eſſet Judicium Leonis, cujus commemoratio tam inſignes ab illis plauſus expreſſit, ut, quem paulò ante inſimulaverant Hæreſis, exclamantes; *Iſte Hæreticus eſt, iſte Neſtorianus eſt: Hæreticum foras mitte*: eumdem nunc appellent *Catholicum Doctorem. Orthodoxum Doctorem Eccleſia recipiat: Theodoreto Catholico Doctori reddatur Eccleſia*. Quem prius cum Ario, & Neſtorio exterminaverant, ut Eccleſiæ perduellem, nunc eumdem cum Athanaſio propemodum, & Baſilio inferant choro ejuſdem Eccleſiæ Magiſtrorum. (3)

Plauſit Leoni Synodus poſtquam ſuam commemoravit Theodoretus Appellationem ad Apoſtolicam Sedem: *Archiepiſcopo Leoni multos annos. Poſt Deum Leo judicavit*. Comprobavit ergo Chalcedonenſe Concilium tranſmarinas, quas improbare cogitur Petrus Suavis, Appellationes, dum Romano Antiſtiti Suburbicarias tantùm relinquit Eccleſias: nec a lata ſolùm ab uno, aut altero Præſule Sententia, ſed a numeroſiſſimo, ac, licet Sacrilego, Univerſali certè Orientalis Eccleſiæ Conventu.

239 An hunc honorem Theodoreto habitum dices ſolummodo quia Neſtorium anathematizavit? At idem præſtiterunt Sophronius, Joannes, & Amphilochius; neque tamen ullo eos plauſu fuit Synodus proſecuta, ut in hujus Actionis fine videre eſt. Quid, quod acclamatio illa Leoni, inſerta laudibus Theodoreti, palam facit, a Pontificia præſertim Sententia huic favente ejuſdem præconia proficiſci. Liquet demum, præſumi veluti notorium a Chalcedonenſi Con-

(1) *Pag*. 339. (2) *Pag*. 343.

(3) *Pag*. 343.

Concilio, quod jus habeat Pontifex Maximus de omnibus Epiſcopis ferendi ſententiam, eamque abrogandi, quæ lata fuerit a Synodis Generalibus; Secunda enim Univerſalis Epheſina Theodoreto Epiſcopatum ademerat.

240 Poſt communes omnium voces egregio Antiſtiti ſuffragantium Pontificii Legati commemorarunt ſupplices Libellos ad Leonem primùm, & ad ſeipſos iterum ab eodem directos, quibus facultas appellandi ad Apoſtolicam Sedem, ejuſque Nuntios confirmabatur: atque omnes factum comprobavere, ſua ſubſcriptione aſſenſi Sententiæ Legatorum. *Paſchaſinus, & Lucentius Reverendiſſimi Epiſcopi &c. dixerunt: Sanctiſſimum, & Venerabilem Epiſcopum Theodoretum Sanctiſſimus, & Beatiſſimus* UNIVERSÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS URBIS ROMÆ LEO *dudum in communionem ſuſcepit ita, ſicut Litteræ ab eo ad noſtram humilitatem directæ teſtantur. Si igitur Fidem Catholicam, ſicut promittit, & ſecundùm prædictum Beatum Epiſcopum ſubſcriptionem in proprio Libello direxit, & noſtræ inſuper humilitati, alio dato Libello, monſtravit, quoniam & Neſtorium, & Eutychem non ſolùm ſcripto, ſed & ſub præſentia totius Conſeſſus ore proprio anathematizavit, hoc judicio Sanctiſſima, & Venerandiſſima Synodus, inſuper verò & noſtra humilitas reddi ei Eccleſiam propriam definivit.* Recentes a Theodoreto ſuſpiciones Legati amoliuntur, ob quas licuerat Synodo illum iterum in jus vocare, quamvis Romæ prius abſolutum. Curſim iterum animum intendimus Titulo illi *Univerſæ Eccleſiæ Epiſcopi*, toties a Legatis in ampliſſima Synodo Leoni attributo. Prodigium eſſet, quod reclamaſſet nemo, ſi tunc ullus Orthodoxus dubitaſſet, an Romano Antiſtiti conveniret. Neque ipſę Occidentales Synodi formidant ſua dubia in medium proferre, ſi quando Præſulum mentibus obverſantur. (1)

241 Diſcuſſa fuit Cauſa Ibæ Edeſſeni Epiſcopi in Actione Nona, illo prius conqueſto de Uranio Himerorum Antiſtite, qui Clericos impuliſſet ad ſe accuſandum, & exinde addente: *Jubete igitur, omnia, quæ per abſentiam meam in Epheſo ſub Dioſcoro geſta ſunt, evacuari, & juſtitiam mihi ſervari, qui in nullo culpabilis ſum, & reddi mihi Epiſcopatum pariter, & Eccleſiam.* Tum jubentibus Legatis Apoſtolicis lectum eſt Concilium habitum a Photio Tyriorum Antiſtite, qui, ſimul cum Euſtathio Berytiorum, inſontem declaraverat Ibam: ipſique ejus Accuſatores, Samuel, Maras, Cyrus, Eulogius, Edeſſeni Presbyteri, ſua ſubſcriptione addita Tyriæ Synodo, profeſſi fuerant, rata a ſe haberi ea, quæ in honorem Ibæ decreta fuerant. Abſoluta lectione *Paſchaſinus, & reliqui Reverendiſſimi Epiſcopi per Boniſacium Presbyterum Apoſtolicæ Sedis dixerunt: Sanctiſſimi Epiſcopi, qui decreto proprio inculpabilem, & ab omni accuſatione liberum Ibam Reverendiſſimum declararunt* (intererant hi Concilio Chalcedonenſi) *ſi propriam ſententiam recognoſcant, edicant. Photius Reverendiſſimus Epiſcopus Tyri dixit: Etiam: noſtrum eſt judicatum. Euſtatius Reverendiſſimus Epiſcopus Beryti dixit: Mea eſt & dictatio.* Atque hunc ſortita finem fuit Actio Nona, in qua locutus fuit Præſulum nemo, præter Legatos Synodi Moderatores, & ab illis nominatim interrogatos Epiſcopos. (2)

242 Initio Actionis Decimæ *Eutyches*, inquit Ibas, *adverſus me pro Fide quædam falſa confinxit, nec me in Synodum,* videlicet Epheſinam Secundam, *introire permiſit: per quadraginta manſiones per diverſos ad invicem ſuccedentes ordines direxit me: viginti amplius mutavi carceres &c. Si videtur ergo &c. quæ ſine judicio in abſentia mea adverſum me acta ſunt, infringere, in veſtra erit poteſtate &c. Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Abſentem nemo condemnat.* At cum alii deinde Chalcedonenſem ipſam Synodum Accuſatores Ibæ adiviſſent, & eorum unus Theophilus Diaconus ita fuiſſet interrogatus: *Scriptas probationes de re aliqua præſtare potes? Theophilus Diaconus dixit: Habeo monimenta, quæ ſuper eo geſta ſunt in Beryto, & quæ in Epheſo.* Relecta igitur fuit Berytenſis Synodus, & Libellus porrectus a Samuele, & aliis Edeſſæ Presbyteris Ibam immanium criminum accuſantibus, quę tamen a ſe idem multiplici ratione propulſavit. Lecta pariter fuit Atteſtatio Cleri Edeſſeni crimen retorquentis in Accuſatores Ibæ, quod pariter iidem ſibi intuliſſe videri poterant, cum, ut paulò ante notavimus, alteri Tyriæ Synodo Ibam abſolventi ſubſcripſiſſent. Videnda igitur ſolùm ſupererant Acta Epheſina. Sed contra hæc Pontificii Legati inclamarunt, profeſſi, ne ipſum quidem Concilii nomen tribuendum ſcelesto illi Conventui, quem Univerſæ Præſes Eccleſiæ Leo damnaverat. *Paſchaſinus, & Lucentius, & Julianus Reverendiſſimi Epiſcopi, & Boniſacius Reverendiſſimus Presbyter, Vicarii Sedis Apoſtolicæ per Paſchaſinum dixerunt: Synodus proferri non poteſt, in qua illa delicta relecta ſunt, & ob hoc ad lectionem videntur eſſe ſuperflua ea, quæ ibi ſunt acta. Si ergo & a Beatiſſimo, & Apoſto-*

(1) *Pag.* 343.

(2) *Pag.* 345. & 348.

TOLICO ROMANÆ URBIS EPISCOPO OMNIA, QUÆ IBI GESTA SUNT, VANA SUNT HABITA, *claret, quia & Sanctiſſimus Epiſcopus Antiochenæ Civitatis extra hæc eſt*, QUEM POST HÆC BEATISSIMUS EPISCOPUS IN PRORRIA COMMUNIONE SUSCEPIT. *Neceſſarium eſt enim, ut rurſus eumdem tranquilliſſimum, & Chriſtianiſſimum Principem adeamus, quatenus illud Concilium Sacra, & pia lege neque nominari præcipiat.* Ne miretur quiſpiam, quod Controverſiæ de Iba Antiochenus Antiſtes Maximus inſeratur, licet nihil ille cum Iba commune haberet, niſi quod in Secunda Synodo Epheſina de utroque eſt actum: comprobata videlicet fuit electio Maximi ad Epiſcopatum Antiochenum, ac dejectus ab Edeſſeno Ibas. Non abs re igitur Paſchaſinus præcavet, ſarta tecta ſervanda eſſe Maximi jura, licet Cœtus ille Satanicus ipſo etiam Concilii nomine orbandus ſit. Idcirco nullum exinde præjudicium oriri poteſt Ibæ, ſicut emolumentum nullum Maximo naſceretur, niſi receptus in ſuam communionem, & in Sacro Throno confirmatus a Leone fuiſſet. Hic iterum obiter aſtruitur Pontificia Præſtantia ſupra Concilia, dum jus Maximi ad Antiochenas Infulas non Generali, a qua receptus eſt, Synodo, ſed Pontificiæ Sententiæ tribuitur. De Auctoritate autem Apoſtolicæ Sedis in Orientales Epiſcopos admittendos, aut repellendos, adeoque de totius Eccleſiæ Regimine, ab hoc quoque experimento manifeſtiſſimè liquet. (1)

Qua vi, quo faſcino reliquos Orbis Antiſtites dementante Suburbicarius tuus ille Præſul, Petre Suavis, eò magnitudinis evaſit, ut Conciliis Generalibus ab ipſa Orientali Eccleſia præferretur, ejuſque gubernationi ſe tum ſinguli ſeorſum accepti, tum omnes in Sacris Congreſſibus conſpirantes Epiſcopi ſubiicerent? Enimverò niſi hoc Romanum Jus ab Inſtitutione Divina profluere cæteri comperiſſent, admirabilius nihil ſpectaſſet poſt conditam rerum univerſitatem hominum genus, quàm ultroneum hoc obſequlum exhibitum Sacerdoti, qui nullo armorum impetu nullis finibus circumſcriptum Imperium occupaſſet.

(1) *Pag.* 348. 349. & 368.

CAPUT XLIX.

In Cauſa Maximi Antiocheni, & aliorum Præſulum apparet, atque eminet Pontificium Jus ſupra Generalia Concilia, Romanæ Cathedræ Infallibilitas, & nulla facultas Conſtantinopolitani Antiſtitis ad excipiendas Appellationes Orientalium non pertinentium ad ſuam Provinciam.

843 HOc de Leone Conciliis antecellente judicium non Legati ſolummodo, ſed & alii tulerunt Antiſtites, anſâ arreptâ ex ipſo quoque abolendo Epheſinæ Secundæ Synodi nomine. Specimen cæterorum ſumamus ab Anatolii ſuffragio. *Anatolius Reverendiſſimus Archiepiſcopus Conſtantinopolis novæ Romæ dixit: Hinc deſtructionem ea, quæ in Epheſo nuper geſta ſunt, habuerunt, ex quo maximè poſt hæc optimè ſunt, & Deo amabiliter emendata. Igitur definimus, nihil horum valere, quæ in illa, quæ Synodus dicitur, ſunt confecta, niſi circa Sanctiſſimum Maximum magnæ Antiochenæ Civitatis Epiſcopum:* QUONIAM ET SANCTISSIMUS LEO ROMANUS ARCHIEPISCOPUS IN COMMUNIONEM EUM RECIPIENS, PRÆESSE EUM ANTIOCHENSIUM JUDICAVIT ECCLESIÆ: QUAM FORMAM SEQUENS ET IPSE APPROBAVI, ET PRÆSENS OMNE SANCTUM CONCILIUM. *Deprecamur autem piiſſimum, & Chriſti amantiſſimum noſtrum Imperatorem, quatenus & pia lege ſanciat, neque Synodum illam, quæ poſt Primam in Epheſò facta eſt, nominari, neque quidquam, quod in ea actum eſt, tenere.* Abrogatis igitur cæteris omnibus Actis Epheſini Congreſſus ſolùm eximitur Maximus ob judicium de illo latum a Romano Archiepiſcopo: cumque hæc *Forma approbata* dicatur *ab omni præſenti Sancto Concilio* Chalcedonenſi, Univerſo eidem Sacro Concilio aſcribitur ab Anatolio Sententia de Præſtantia Romani Pontificis ſupra Synodos Generales. (2)

Cuinam Religioſorum hominum Sodalitio tribueret Suavis hoc incrementum honoris, quo ab Orientalibus Antiſtitibus afficitur Romanus Præſul, qui paulò ante, ut ſomniat Polanus, Suburbicarias tantùm Eccleſias animorum Paſtor moderabatur? Baſilianiſne Aſcetis acceptam referet Leonis Magni amplitudinem, periodo ac a Ciſtercienſibus, & Cluniacenſibus manare putat

poſt

(2) *Pag.* 368.

poſt Undecimum Seculum Pontificiæ Auctoritatis augmentum? Obſequentiſſimos fuiſſe Petri Cathedræ cultores Baſilii filios, ac Benedicti, aliorumque Sacrarum Familiarum Inſtitutorum nullus negat. Sed alium habuit fontem Pontificia Præſtantia, culta ab Anatolio, omnique Univerſali Synodo Chalcedonenſi, antequam Sacri Ordines *a Pontificibus Romanis impetrarent, ut in tutelam Divi Petri admitterentur, & ſub ſcuto Auctoritatis Pontificiæ immediatè deliteſcerent*. Verba ſunt Petri Suavis, qui poſt narratam fabulam Ariſtocratici olim Eccleſiarum Regiminis ait. *Hæc adminiſtrationis forma in Eccleſiis Orientalibus ſemper obſervata, hac occaſione in Eccleſia Latina mutationem paſſa eſt*, evaſit ſcilicet, ut ipſe delirat, Monarchica poſt exortos Cluniacenſes, ac Ciſtercienſes, cum tamen ſeptem ferè ante cunas illuſtrium horum Ordinum Seculis ſacram Apoſtolicæ Sedis Monarchiam habita Chalcedone Synodus nobis ingenti vi argumentorum repræſentet. (1)

244 Quamvis proculcatio Epheſini Conventus redundaret in dedecus tot Antiſtitum, qui Dioſcoro ibidem adhæſerant, ac tunc Intererant Chalcedonenſi, nihilominus omnes penitus obſequenter inſtiterunt veſtigiis Legatorum: cumque poſt conſpirantia plurium ſuffragia Cecropius Epiſcopus Sebaſtopolis dixiſſet: *Illud Concilium dicere non debemus: Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*: OMNES HÆC EADEM DICIMUS. (2)

245 Ita demum Controverſiæ de Iba in Actis finis imponitur. *Igitur non amplius relectis iis, quæ in Epheſo geſta ſunt, magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices dixerunt: Quid placet ei de Iba Reverendiſſimo Epiſcopo Sancta Synodus doceat*. Delibare juvat ſententiam Anatolii, quia obſequium erga Romanam Cathedram in ſimili ſuffragio præſtitum a Maximo, aliiſque, incrementum ſumit a prætumido ingenio Anatolii, quem ab immodico ambitu in præceps actum quamprimùm ſpectabimus. Igitur *Anatolius Reverendiſſimus Archiepiſcopus Conſtantinopolis novæ Romæ dixit: Dei amantiſſimorum Epiſcoporum, qui cauſam judicaverunt, fides, ac lectio omnium horum, quæ ſunt ſubſecuta, demonſtrant innoxium Ibam Reverendiſſimum ab accuſationibus, quæ illatæ ſunt in eum. Unde omnem in præſenti de eo ſuſpicionem abjicio, quoniam conſentit, & ſubſcribit ei, quæ de Fide ſententia data eſt a Sancto Concilio, &* EPISTOLÆ SANCTISSIMI ARCHIEPISCOPI ROMÆ LEONIS, *& dignum eum judico Epiſcopatu, & habere curam ejus Eccleſiæ, in qua pridem exiſtebat. De Nonno autem Reverendiſſimo Epiſcopo formam dabit Maximus Reverendiſſimus Antiochenus Epiſcopus*. Ad omnem de Iba ſuſpicionem abiiciendam ſatis eſſe videbatur conſenſus ab illo præſtitus Definitioni Fidei a Chalcedonenſi Concilio paulò ante formatæ. Additur autem ab Anatolio ſubſcriptio adjecta ab Iba Epiſtolæ Pontificiæ, cum certiſſimum Argumentum Catholicæ veritatis profluat ex eo, quod quis Romanæ ſe Infallibilis Cathedræ diſcipulum profiteatur. In eo quoque, quod de Nonno Anatolius attingit, de more ſequitur ſententiam Legatorum, qui dixerant: *De Sanctiſſimo igitur Epiſcopo Nonno, qui pro eo* (videlicet Iba) *paulò ante factus eſt, exiſtimationis erit Venerabilis Epiſcopi Antiochenæ Eccleſiæ, quid oporteat de eo ſtatui*. Nullo penitus contra Ibam obſtrepente, *Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Omnes eadem dicimus*: ſcilicet reſtituendum eidem Epiſcopatum. *Neſtorium modò anathematizat. Ibas Reverendiſſimus Epiſcopus dixit: Et jam in ſcripto anathematizavi Neſtorium, ejuſque Dogma, & nunc anathematizo eum decies millies. Quod enim ſemel cum ſatisfactione fit, ſi fiat decies millies, non contriſtat. Anathema & ipſi Neſtorio, & Eutychi, & unam dicenti naturam. Et omnem eum, qui non ſapit, ſicut hæc Sancta Synodus, anathematizo*. Nolim, ex animo Lectorum effluere Decreta hæc Præſulum omnium Ibæ faventium, ejuſque vividam Catholicæ Fidei confeſſionem, ne deinde Quintam Synodum expendentes mirentur, ingratas primùm accidiſſe Vigilio Pontifici Maximo querelas de hoc Præſule iterum excitatas. (3)

246 Decimam inter, & conſequentem Synodi Actionem ponitur brevis de Domno Antiocheno tractatio, & inducitur ita loquens Maximus ejus in Sacro Antiochiæ Solio Succeſſor: *Deprecor magnificentiſſimos, & glorioſiſſimos Judices, & Sanctam hanc, & Univerſalem Synodum, ut humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Antiochiæ Epiſcopus, dignemini, & ſtatuere ei certos ſumptus de Eccleſia, quæ ſub me eſt. Paſchaſinus, & Lucentius Reverendiſſimi Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter Vicarius Sedis Apoſtolicæ, per Paſchaſinum Reverendiſſimum Epiſcopum dixerunt: Sanctus, & Beatiſſimus Papa, qui Epiſcopatum Sancti, ac Venerabilis Maximi Epiſcopi Antiochenæ Eccleſiæ confirmavit, juſto ſatis judicio ejus meritum approbaſſe videtur; ſiquidem memoratus Reverendiſſimus Epiſcopus Maximus ſuo arbitrio Domno voluerit eſſe conſultum, ut ſumptus ei de ſua Eccleſia, miſerationis intui-*

(1) *Pag*. 243. (2) *Pag*. 369.

(3) *Pag*. 369. 370. & 372.

tuitu, prout æſtimaverit, largiatur, ut contentus alimoniis, quieſcat in poſterum. Pontificiam ergo ſententiam ſecutus fuerat Maximus, & eidem a Legatis recenſitæ inhæſerunt omnes. (1)

247 Ut nullo negotio abſoluta ſtatim fuit Cauſa Domni Antiocheni, ita diuturna diſcuſſione indiguit Controverſia inter Baſſianum, & Stephanum, quorum uterque ſibi vindicabat Epheſinum Epiſcopatum. Agitata hæc fuit in Actione Undecima, & ſoluta in conſequenti. Non eſt hujus loci commemorare Baſſiani querelas, ac Stephani reſponſiones, cum ad noſtrum Argumentum nequaquam pertineant. Ea ſolùm referimus, quæ Juriſdictionem attingunt Romani Pontificis ſupra Orientis Antiſtites. Romano præ cæteris Judicio nititur Stephanus de Baſſiano dicens: *Quandoquidem ipſe ſuperintravit in Sanctam Eccleſiam cum gladiis, & arenariis, & aliis quibuſdam, & ſedit in ſede. Et pro hoc expulſus eſt a Sanctis Patribus, &* A SANCTISSIMO REGIÆ CIVITATIS ROMÆ LEONE, *& a Beatiſſimo ſanctæ memoriæ Flaviano &c. ſuperintravit ibi, hodie quatuor anni ſunt*: ET ROMANUS EPISCOPUS EUM DEPOSUIT, *& Alexandrinus eum damnavit. Videat veſtra magnificentia Epiſtolam ſcriptam a Beatiſſimo Papa Leone*. Ac multò poſt. ALLATÆ SUNT ETIAM LIAERÆ A BEATISSIMO, ET SANCTISSIMO PAPA ROMANO *quatenus eſſe non oporteret Epiſcopum, & manifeſtæ ſunt Literæ*. Decernebat igitur Leo, quid præſtandum eſſet, cum Orientis Præſules altercabantur. Et adeo quidem prævaluit Leonis Decretum, ut fruſtra pro ſe Baſſianus quoſdam Canones allegaverit, quorum intuitu *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt. Juſtitia Baſſianum vocat: Regulæ valeant*. Utrique tamen abrogatus fuit Epiſcopatus in Actione Duodecima, in qua *Paſchaſinus Reverendiſſimus Epiſcopus obtinens locum Apoſtolicæ Sedis, dixit: Baſſianus, vel Stephanus Epiſcopi, ſicut cognitio manifeſtavit, non bono ordine uterque Epheſiorum Eccleſiam detinuiſſe noſcuntur. Hac ergo gratia, ſi omnis Sanctiſſima Synodus conſentit, hic remotis alter regulariter ordinetur*. Ferè omnes id ipſum cenſuerunt, & in dandis ſuffragiis erigere ſuperbiæ cornua incæpit Anatolius Conſtantinopolitanus, qui ante Romanos Legatos locutus eſt. Sed nihil ex hac uſurpatione prioris in Judicio ferendo loci lucrari poſſunt Adverſarii Romanæ gloriæ, tum quia per injuriam ſe primus intruſit: tum quia Quæſtio non erat de Fidei Arcanis, quæ ſemper omnium Primi ſanciverunt Pontificii Nuntii, ſed de ſingularibus Perſonis, quarum innocentiam, vel crimen, ſibi magis compertum, ut minus ab Epheſina Urbe diſtanti, Anatolius præſumebat. Ac præterea Lis inter Baſſianum, ac Stephanum Conſtantinopoli quoque pependerat. Quamvis autem nefas non eſſet opinari ſubreptitiam Sententiam latam Romæ contra Baſſianum, nihilominus tanto deinde in pretio fuit habitum Leonis Decretum, ut, poſthabito Synodali hoc Chalcedonenſi Judicio, Stephanus ab Epheſino Throno dejectus non fuerit, ejuſque nomen reperiatur inter illos, qui in Actione Sextadecima inter Judices conſidebant, & addito quidem Epheſini Epiſcopatus titulo. *Congregatis etiam Paſchaſino, & Lucentio Reverendiſſimis Epiſcopis, & Bonifacio Reverendiſſimo Presbytero, habentibus locum Sanctiſsimi Archiepiſcopi Senioris Romæ Leonis, & Anatolio Reverendiſsimo Archiepiſcopo magni nominis Conſtantinopolis* (qui de more poſtponitur Pontificiis Legatis, vel ſimplici Sacerdotio inclytis) *& Maximo Antiochiæ, & Juvenali Hieroſolymorum, & Quintillo Heraclææ, & Thalaſsio Cæſareæ Cappadociæ, &* STEPHANO REVERENDISSIMO EPISCOPO EPHESI, *& Luciano Byziæ &c.* (2)

248 In Actione Tertiadecima cum Eunomius Nicomedienſis conqueſtus fuiſſet de Anaſtaſio Nicæno dicens: *Confundit, & conturbat in Bithyniorum Provincia abſque conſuetudine formas & Eccleſiaſticas, & Imperiales, quæ hactenus tenuiſſe noſcuntur in Eccleſiis, invadendo Jura, quæ nobis pietatis veſtræ legibus, & Eccleſiaſticis ſanctionibus ſunt collata, quæ nullus aliquando Præceſſorum ejus Epiſcoporum jubere, aut movere tentavit*. Poſt multa ab utroque in medium allata, *Sancta Synodus clamavit. Canones teneant; Canonibus ſatisfiat*. Hoc ipſum iterum unanimes Patres inculcarunt, cum hæc Quæſtio aliam excitaſſet de Privilegiis Eccleſię Conſtantinopolitanæ. *Aëtius Archidiaconus ſplendidiſsimæ Conſtantinopolis dixit: Suggerimus veſtræ magnificentiæ rogantes, ut nullum præjudicium Conſtantinopolitanæ Sanctiſsimæ Sedi fiat ex his, quæ nunc proferuntur a Sanctiſsimis Archiepiſcopis, vel quæ moventur inter Dei amantiſsimum Epiſcopum Nicomedienſium Eunomium, & Dei amantiſſimum Epiſcopum Nicænum Anaſtaſium, aut quæ inter eos ordinantur. Sanctiſſima enim Conſtantinopolitana Sedes aut ordinationem ipſa facit in Baſilinopoli cum reliquis, aut eam permiſit fieri, ſicut literis, quæ ſiunt, vel factæ ſunt ſæpius, oſtendere poſſumus. Et rogamus, ut Epiſtolæ proponantur. Sancta Synodus clamavit*: CANONES TENEANT: CANONI-

(1) *Pag.* 373.

(2) *Pag.* 378. 379. 380. 383. *&* 418.

NONIBUS SATISFIAT. Non fruſtra hæc afferimus, ac vim facimus in verbis illis, ab Univerſa Synodo iteratis. *Canones teneant, Canonibus ſatisfiat*. Licet peculiare nihil in hoc habuerint Pontificii Legati, tamen hæc plurimùm verba conducunt ad id, quod conſequenti Capite ſtatuemus de violentia, & dolis Anatolii Synodum circumvenientis, ut ſuæ indebitas extorqueret Eccleſiæ prærogativas. Quis in animum inducat, fieri potuiſſe, ut ſciens, ac volens Chalcedonenſe Concilium Nicænos everterit Canones in Actione Quintadecima, cum in hac exclamaverit: *Canones teneant* (loquebatur autem de Quarto Nicæno agente de Ordinationibus Epiſcoporum, lecto in Synodo a Beroniciano Secretario) *Canonibus ſatisfiat?* Et adeo quidem ab horum læſione Canonum Synodus abhorrebat, ut poſtulante Aetio lectionem Literarum, ex quibus pateret Conſtantinopolitana conſuetudo inaugurandi, aut permittendi Conſecrationem Baſilinopolis Epiſcoporum, Synodus noluerit hujuſmodi Literas audire; ſed iis, qualeſcumque demum eſſent, contemptis exclamaverit: *Canones teneant: Canonibus ſatisfiat*. (1)

249 Poſt hæc verba interlocuti ſunt Judices, ex quorum ſermone colligitur, certis limitibus, & controverſis quidem, circumſcriptam fuiſſe Sacram Cæſareæ Urbis Antiſtitis Juriſdictionem, quam deinde Anatolius ampliſſimè prolatari per ſummam temeritatem ambivit. *Glorioſiſſimi Judices dixerunt: Auctoritatem quidem Metropolitani inter Eccleſias Provinciæ Bithyniæ Nicomedienſis Reverendiſſimus habebit Epiſcopus, Nicæno habente honorem Metropolitani tantummodo, ſubjacente autem, ad exemplum aliorum Epiſcoporum Provinciæ, Nicomedienſi. Hoc enim viſum eſt etiam Sancto Concilio*. QUÆCUMQUE AUTEM SEDI CONSTANTINOPOLITANÆ SANCTISSIMÆ ECCLESIÆ DE ORDINATIONIBUS PROVINCIÆ COMPETUNT, HÆC SUO ORDINE CORAM SANCTO CONCILIO ORDINABUNTUR. Hæc ideo ipſi quoque Judices decreverunt, quia id ipſum *viſum jam erat Sancto Concilio*; ad turbas enim compeſcendas Seculares quoque, ſi neceſſitas hoc poſtulaſſet, Poteſtas acceſſiſſet. *Coram Sancto autem Concilio examinanda erant, quæ de Ordinationibus Provinciæ competerent Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ*. Incerta igitur erant hæc Jura, nec niſi ad unius, vel alterius Provinciæ fines protendi poterant. (2)

250 Actio Quartadecima expendit preces a Sabiniano Perrhænorum Epiſcopo porrectas Leoni, qui ſuis in Nuntiis præſidebat Synodo Chalcedonenſi, aliiſque poſt Leonem Præſulibus. Et Reſcriptum Procli Conſtantinopolitani Antiſtitis hæc inter cætera dicentis de Athanaſio, qui ſe quoque Perrhæ ferebat Epiſcopum. *Non igitur tua Religioſitas* (alloquitur Domnum Antiochenum) *arbitretur, quia* TAMQUAM AD INJURIAM SEDIS ANTIOCHENÆ MAXIMÆ CIVITATIS HUC VENIT *memoratus Dei amantiſſimus Epiſcopus, ſed metuens quoſdam, ſicut ait, ſeditionibus gaudentes, & paſſioni propriæ militantes, dedit ad tempus locum iræ; nam alioquin patientiam, & manſuetudinem, & juſtitiam tuæ Religioſitatis prædicare non ceſſat: nec ut accuſet* (*abſit hoc*) *ſed ut ſupplicet, honeſtiorem in ſe compoſitionem effici* (ſive ut Græca ſcribunt Acta: UT HÆC PRO SE INTERCESSIO *ad animum verecundiâ permovendum* ESSET GRAVIS). *Itaque illi commeatu præſentibus literis dato &c. Unde & præſentibus eum literis conſolantes confidere juſſimus ego, atque Sanctiſſimus Epiſcopus, & Conſacerdos noſter Cyrillus, quod, propter charitatem, quæ continetur in nobis, habens reverentiam ſcribentibus, harum Literarum gerulum modis omnibus adjuvabis*. An non ex hac Sanctiſſimi Procli Epiſtola conſtat, non licuiſſe Athanaſio provocare ad S. Proclum Cæſareæ, aut Alexandrinæ Urbis Præſulem Sanctum Cyrillum, qui ſolùm commendatitias Literas dabant illius Judici Domno? Et conditi tamen multò ante fuerant Primæ Conſtantinopolitanæ Synodi Canones, quibus nonnulli jactabant, Cæſareæ urbis Eccleſiam conſtitutam fuiſſe Primam in Oriente, ac Secundam poſt Romanam. Hoc ipſum quamprimùm molientem intuebimur Anatolium, ad cujus arrogantem violentiam oſtendendam divinitus contigiſſe crediderim, ut in præcedenti Actione modeſtiſſima hæc Sancti Procli Epiſtola legeretur. Et Controverſia quidem inter Sabinianum, & Athanaſium ſoluta fuit ab Antiocheno Concilio, quod lectum eſt in Chalcedonenſi, in quo poſt eam lectionem, & interlocutionem Judicum Sabiniano faventem juxta Decreta Synodi Antiochenæ, *Sancta Synodus dixit*: NIHIL JUSTIUS, NIHIL INTEGRIUS: *hoc juſtum Judicium, hæc juſta Sententia*. Decrevit igitur, non pertinere ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam Judicium de Perrhænorum Epiſcopis. (3)

CA-

(1) *Pag*.386.390.& 388. (2) *Pag*.390.

(3) *Pag*. 39. & 409.

Digitized by Google

CAPUT L.

Conduntur a Synodo Canones, quorum primus de ſervandis Regulis Patrum conſtitutis a cæteris Conciliis, deſtruit alium de Conſtantinopolitana Sede aliis Orientalibus præferenda. Intruſus hic eſt, & ſubreptitius.

251 Cum ſemper Conciliũ Chalcedonenſe cujuslibet Actionis initio recenſeat nomina eorum, qui in Synodo conſidebant, hanc ſolummodo Quintamdecimam auſpicatur ab ipſis Canonibus, nihil prius enarrando, ſed tantùm iiſdem conſequentem Titulum præfigendo: *Definitiones Eccleſiaſticæ editæ a Sancta, & Generali Synodo Chalcedone congregata*. Inſuetus hic mos non inſtituendi narrationem, nec referendi eos, qui conveniunt, & interloquuntur, ſuſpicionem meritò parit, quod hæc Actio non fuerit celebrata prout jus, & æquum poſtulabat. Et profectò niſi omnes, ultimi certè Canones lecti ſunt abſentibus Pontificiis Legatis, ipſiſque Secularibus Judicibus, ut conſtat ex eorumdem Legatorum querelis, quæ inſeruntur Actioni conſequenti. Ex ipſo igitur exordio apparere incipiunt veſtigia veritatis alterius, deinde comprobandæ, videlicet, quod intruſua, ac ſubreptitius fuerit Canon ille, quem non conditum coram ſe Apoſtolici deinde Nuntii rejecerunt, quando ipſis præſentibus relectus fuit. (1)

252 Vix porrò quidquam mirabilius ex omnibus Eccleſiæ monumentis reperitur Canone Primo hujuſce Concilii cum uno ex ultimis comparato. Uſque adeo primus hic pugnat cum altero, ut incredibile portentum videatur, quod uterque ab una eademque Synodo ſancitua fuerit. Mirum eſſet, quod in una Actione Primum condidiſſent, in alia alterum. Prodigioſum, quod ſtatuentes Patres emendare Primum per Secundum, non profiterentur deinde ſuum hoc conſilium, & afferrent cauſas, ob quas Primum evertere in animum induxiſſent. At omnem ſuperat admirationem, & fidem, quod in una eademque Actione Canon uterque fuerit ſtabilitus, cum Primus a conſequenti deſtruatur, quodque ſperare potuerit ambitio Anatolii, poſtremi Canonis architecti, quod hæc inter illos repugnantia animadvertenda non eſſet. Subterfugere illa quidem potuit oculos Antiſtitum, qui Synodo intererant, & quibus Secundus Canon propoſitus non eſt integer, ut manifeſtis argumentis conficiemus. Et illa quidem pars adempta fuit, in qua præcipuè Primus ſubruebatur. At a poſteris, quibus integrum ſecundum hunc Canonem Theodorus Balſamon, aliique Schiſmatici Scriptores exhibuerunt, non eſſe notandam pugnam cum Primo, puerilis enimvero ſpes fuit, ac deridenda. Hæc ſunt Primi Canonis verba. REGULAS SANCTORUM PATRUM PER SINGULA NUNC USQUE CONCILIA CONSTITUTAS PROPRIUM ROBUR OBTINERE DECREVIMUS. Decernunt igitur, ſuum ſupereſſe robur, ac vires Regulæ quoque illi, quam Sancti Trecenti decem & octo Patres conſtituerant in Sacroſancto Nicæno Concilio de non ſubvertendis finibus Juriſdictionis ſingulis Patriarchis, ac Metropolitis a vetuſtis temporibus attributæ. Cujus quidem Vetuſtatis ea fuit in ipſis religio, ut licet Hieroſolymæ, quæ tunc Ælia dicebatur, Epiſcopo ampliorem honoris Titulum voluerint addere, proteſtati tamen ſint, non proinde a ſe lædi antiquum Jus Metropolitani Cæſareenſis, cui inpoſterum quoque ſubiiciendus erat Hieroſolymitanus Præſul, licet illuſtriori appellatione inſignitus. Sed Antiſtitum Alexandrini, & Antiocheni ampliſſimos fines, quos Primus protendebat in univerſam Lybiam, Ægyptum, & Pentapolim, in omnem ferè *Secundus* Orientem, Chalcedonenſis hic Canon coarctabat. Quo pacto igitur, *ubique ſecuturos ſe Sanctorum Patrum Decreta*, affirmare poſſunt, cum eadem ſubvertant? (2)

Antequam ulterius in hac de Conſtantinopolitani in Oriente Primatus Controverſia progrediamur, innuere præſtat, quod ſi Leo, vel Romanorum alius Pontificum prætergreſſus fuiſſet fines a Nicęno Decreto ſibi præſcriptos, exercens Auctoritatem non ſolùm in Romæ Suburbicarias Eccleſias, ſed etiam in Synodos Orientales, conqueſti de hac Eccleſiaſticæ Hierarchiæ mutatione fuiſſent Patres Chalcedonenſes, cumque dixerunt: *Regulas Sanctorum Patrum per ſingula nunc uſque Concilia conſtitutas proprium robur obtinere decrevimus*: ſuas quoque vires reſtitui ſtatuiſſent Regulæ illi Nicenæ, ſi ea tribuenda eidem fuiſſet ſtulta, quam Suavis affert, interpretatio. (3)

253 Quod ſubreptitius, & intruſus ab Anatolii ambitu ſit hic Canon, ex eò liquet, quod non extet in manuſcriptis Græcis Codicibus a Romana Conciliorum Editione conſultis, nec etiam in Latinis pervulgatis, nec in aliis Dionyſii Exigui Collectionibus.

Tom.II. M Nota-

(1) *Pag.* 409.

(2) *Pag.* 409. *Pag.* 21. *Conc. Nic.* (3) *Pag.* 243.

Notatur hoc in Actis, quæ tamen Canonem illum non prætermittunt, ſed ſumma cum fide illum deſumunt ex Balſamone, Zonara, aliiſque Schiſmati addictis Auctoribus, qui certè omnem illi vim tribuere conniſi fuerunt. Eo etiam nomine in Actis refertur, quia licet inter alios Quintædecimæ, quam expendimus, Actionis non reperiatur, lectus tamen eſt in conſequenti, in qua Cæſareæ Urbis Præſul illius Confirmationem extorſit ab Epiſcopis. His autem vel integrum Canonem non exhibuit, vel ejus iidem robur minimè perceperunt, ut ſuo loco a nobis manifeſtè demonſtrandum, non ineptè minamur, ſed religioſè ſpondemus. Aliâ igitur viâ de illius ſubreptione conſtabit, quia, ſive in hac, ſive in conſequenti Actione conditus fuerit, ejuſdem tamen Conditores nequaquam ſunt illius ſententiam, vires, & nervos affecuti. (1)

CAPUT LI.

Ex abſurdo initio Canonis inſtituentis Conſtantinopolitanum in Oriente Primatum evertitur Primatus idem, & unius Romani Antiſtitis ſupra Univerſam Eccleſiam Auctoritas confirmatur.

254 HÆc ſunt celeberrimi Canonis verba, qui Vigeſimus octavus a Balſamone inter Chalcedonenſes recenſetur. SANCTORUM PATRUM DECRETA UBIQUE SEQUENTES, & *Canonem, qui nuper lectus eſt, Centum, & quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes*, EADEM QUOQUE ET NOS DECERNIMUS, AC STATUIMUS *de Privilegiis Sanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis novæ Romæ. Etenim Antiquæ Romæ Throno, quòd Urbs illa imperaret, jure Patres Privilegia tribuerunt, eadem conſideratione moti Centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi Sanctiſſimo novæ Romæ Throno* ÆQUALIA *Privilegia tribuerunt, rectè judicantes, Urbem, quæ & Imperio, & Senatu ordinata ſit, &* ÆQUALIBUS *cum Antiquiſſima Roma Privilegiis fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus, ac illam, extolli, ac magnificari*, SECUNDAM *poſt illam exiſtentem, ut & Ponticæ, & Aſianæ, & Thraciæ Diœceſis Metropolitani ſoli: præterea Epiſcopi prædictarum Diœceſum, quæ ſunt inter Barbaros, a prædicto Throno Sanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ordinentur, unoquoque ſcilicet prædictarum Diœceſum Metropolitano cum Provinciæ Epiſcopis Provinciæ Epiſcopos ordinante, quemadmodum Divinis Canonibus eſt traditum: ordinari autem, ſicut dictum eſt, prædictarum Diœceſum Metropolitanos a Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, convenientibus de more factis Electionibus, & ad ipſum allatis.* Quid abſonum magis Exordio illo poteſt excogitari, quo *ubique ſecuturos ſe Sanctorum Patrum Decreta* profitentur, cum tamen Nicænorum Decreta Patrum infringere molirentur, plurimum honoris, & poteſtatis detrahentes Alexandrino Præſuli, & Antiocheno, cum eorum ditioni ſubtractas Provincias Conſtantinopolitano ſubiicerent? Satis ergo non fuit Anatolio, quod Canon hic Duodetrigeſimus repugnaret Primo, ut jam oſtendimus; ſed hunc ipſum contexuit verbis ſeſe mutuò deſtruentibus. Palmare hic exemplum habemus tenebrarum, quas offundit animo ambitio, quæ ſi cœca ſemper fuit, Anatolium profectò nocte obruit pluſquam Cimmeria. (2)

Non minus caligat animus malignantium, quos inter eminet Petrus Suavis ex nequitia penitus, & livore conflatus. Plura locuturi de Anatolio præfamur, ea omnia, quæ contra illum afferentur, in Suavem quoque pugnare, qui oblitus Inſtitutionis Divinæ, ex qua Romani Pontificatus Antecellentia proficiſcitur, eam attribuit imperantis Urbis amplitudini, ob quam ſuæ quoque Cathedræ decus augeri Anatolius ambivit, cum in Primatum poſt Sedem Romanam animum intendit. (3)

255 Ad quos igitur Patres reſpexit ſuperbus Antiſtes, aggreſſus evertere Nicænorum Decreta? Inſulſus fortaſſe aliquis Anatolii patronus dicet, ad Centum ſolummodo quinquaginta Patres, qui Conſtantinopolitanum Primum Concilium celebraverant, ea verba referri. At in primis generatim dicunt Chalcedonenſes ab Anatolio decepti, ſe inhæſuros antiquis Sanctorum Patrum inſtitutis. Et in Primo Canone dixerant: *Sanctorum Patrum Regulas*; non per unum tantùm, ſed *per ſingula nunc uſque Concilia conſtitutas proprium robur obtinere decrevimus*. Idcirco ſpondere videntur, nihil ſaltem a ſe decernendum contrarium Canonibus eò uſque editis a Sanctis Patribus, a quorum albo ne ipſi quidem Schiſmatici affirmarent expungendos eſſe Nicænos, quorum memoriam ſolenni cultu quotannis recolunt.

256 Quid, quod ne ipſorum quidem veſtigiis penitus inſtiterunt, qui in Conſtan-

(1) *Pag.* 414.

(2) *Pag.* 414. (3) *Pag.* 243.

ſtantinopolitana Prima Synodo alium condidiſſe non abſimilem Canonem ferebantur. Ab iis certè primò prævaricati plurimùm ſunt, licet deinde, quaſi eos nimis audacis extra chorum ſaltus pœniteret, ad eadem premenda veſtigia regreſſi fuerint. Hæc certè verba tribuebantur Synodo Regię Urbis: *Conſtantinopolitanæ Civitatis Epiſcopum habere oportet Primatus honorem poſt Romanum, propterea quod ſit nova Roma*. Manifeſtè ergo poſthabent Romano Conſtantinopolitanum, cui SECUNDAM ſolummodo deferunt Sedem. Ulterius Nectario (tunc præſidenti Synodo Byzantinę poſt abitum Gregorii Nazianzeni) progreſſus Anatolius ÆQUALEM ſibi adjudicari ſategit. Quædam hic inſerimus ex iis, quæ in alio notavimus Opere, cui Titulum præfiximus: *Demonſtrata Impiorum Inſania*. Quis enim vetat, pictas a ſe tabulas (ut appoſito exemplo utar) in Conclavi prius appenſas, deinde in Aula repræſentare? (1)

257 Et ut ad miſeram Anatolius gloriam mendacio graſſaretur, Privilegiorum Æqualitatem cum Romana jam decretam ſuæ Sedi fuiſſe pronuntiat a Patribus alterius Synodi, per ea verba: *Centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi Sanctiſſimo novæ Romæ Throno Æqualia Privilegia tribuerunt*. Quis deformatum a nobis hunc, Romæ abominatum, Canonem fuiſſe non crederet, niſi nobis illum præ ceteris in Schiſmaticorum exercitu Primipilus Balſamon exhiberet? (2)

258 Cum in Secunda Synodo, ad quam ſe refert Quarta, ne verbum quidem indicet, ÆQUALIA fore Sacra Novæ,& Antiquæ Romæ Privilegia, optimo affirmare jure poſſumus, nihil de Privilegiorum Æqualitate ſancitum fuiſſe in Concilio Chalcedonenſi. Eatenus enim illa decreta eſt in Quarta Synodo, quatenus tantùm ſtatuta dicitur in Secunda, quam ubique ſecuturam ſe Quarta profeſſa fuit. Nihil autem de hujuſmodi Æqualitate ſtabilitum fuerat in Secunda. Nullum igitur eidem a Quarta ſuffragium acceſſit. Diſertiſſimè dicitur in Canone Chalcedonenſi: *Eadem quoque & nos decernimus, ac ſtatuimus de Privilegijs Sanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis novæ Romæ*: videlicet *eadem* cum illis, quæ *decreta fuerant a Centum quinquaginta Dei amantiſſimis Epiſcopis*, qui prima vice convenerant in Urbe Cæſarea. (3)

259 At riſum tenere quis poſſet, niſi ab hoc infauſto Decreto tantum deinde ſuiſſet incendium excitatum, cui extinguendo pa-

Tom.II.

(1) *Pag.*87.*Conc.Conſtant.*
(2) *Pag.*414. (3) *Pag.*414.

res non fuerunt plurimorum lacrymæ ſeculorum? Quis, inquam, cæteroqui riſum comprimeret, attonitis oculis conſequentia verba percurrens, quibus modò appellata Conſtantinopolitana *Æqualis* Romanæ, *Secunda* poſt illam eſſe jubetur Sedes? *Extolli, ac magni fieri Secundam poſt illam exiſtentem*? An non qui hæc literis tradidere,ſecum ipſi puerilem in modum pugnarunt? (4)

260 Conferendo igitur invicem verba utriuſque Canonis, Conſtantinopolitani videlicet, & Chalcedonenſis ad illum reſpicientis, multipliciter oſtenſa eſt abſurditas, falſitas, & repugnantia, quæ in Secundum irrepſit: & evidenter demonſtratum, nihil aliud ex utroque Decreto erui poſſe, niſi ut Conſtantinopolitana Sedes *Secunda* ſit poſt Romanam.

CAPUT LII.

Non a Patribus intuitis amplitudinem Urbis imperantis, ſed ab Inſtitutione Chriſti Domini fluxiſſe Privilegia Romanæ Cathedræ, contra intruſi Canonis verba, demonſtratur.

261 POſtquam a mentis dejectum ſtatu fuiſſe Anatolium, dum Canonem illum moliretur, oſtendimus, nulla ejuſdem verbis ineſſe poteſt auctoritas, ut horrore perſundamur, eò quòd a Patribus captis admiratione Urbis Cæſareæ manaſſe dicat Privilegia Romani Antiſtitis: perinde ac ſi non idcirco a Divina Chriſti Domini Inſtitutione profluxiſſent: *Etenim Antiquæ Romæ Throno, quòd Urbs illa imperaret, jure Patres Privilegia tribuerunt*. Nihil certè ſapientes viros percellet Decretum hoc, abſurdis perpetuò, ac pugnantibus verbis, ſententiiſque contextum. Quinam fuerint hi Patres Romanæ in Sacris gloriæ Amplificatores, inquiro? An qui Pontificatum gerente Petro,aliiſque primis Pontificibus in unum coiverint? Tunc certè Supremam Univerſæ Adminiſtrationem Eccleſiæ a Romano exercitam fuiſſe oſtendimus in alio Volumine. Utque hoc curſim delibem, conveniſſe quidem, dum Tyranni Eccleſiam inſectarentur, plurimos Sinueſſæ Præſules perhibetur; ſed exclamaſſe in Cauſa Marcellini Pontificis Maximi ſeipſum Synodo ſubiicientis: *Tu teipſum judica,nam Prima Sedes a nemine judicatur*. An inter Patres (ut hoc quoque innuam) recenſetur hic a Chalcedonenſibus Aurelia-

M 2 nus

(4) *Pag.*414.

nus Ethnicus Imperator, qui Ædes Antiocheni Præſulis, ſibi per vim aſſertas a Paulo Samoſateno, illi adjudicavit, cui eas addixiſſet Romanus Pontifex? Hocne Romano Privilegium, ut ſcilicet omnium eſſet Judex Epiſcoporum, inſanus aliquis affirmabit, ab Idolorum cultore Cæſare tributum fuiſſe, ne fateri cogatur, uſque adeo pervulgatum in Eccleſia fuiſſe, quod Privilegium idem a Divina Chriſti Domini Inſtitutione profluxerit, ut ne ipſum quidem Ethnicum Imperatorem lateret notoria hæc perſuaſio Chriſtianorum? Quemadmodum igitur licet declaraverit Aurelianus, pertinere ad Romanum de cæteris Epiſcopis ferre ſententiam; profectò tamen hoc ipſi Jus non contulit Idololatra Cæſar: ita licet Chriſtiani Imperatores, & Generalia Concilia ſimiles Declarationes ediderint, non tamen ulla Romanorum Antiſtiti Sacra Jura tribuerunt; ſed collata a Reparatore noſtro fuiſſe noverunt, ac teſtificatione ſua comprobarunt.(1)

262 An Patres Romanæ Auctores prærogativæ fuiſſe dicuntur illi, qui Nicææ Primum Generale Concilium celebraverant, atque illi coronidem impoſuerant Sardicæ? Sed ab iis præſumpta quidem fuit Suprema Romanæ Cathedræ in Univerſam Eccleſiam Auctoritas, & multipliciter declarata, veluti exorta ab Inſtitutione Divina; non autem decreta primùm ab iiſdem Nicænis Patribus, & Sardicenſibus: ut luculenter oſtendimus in alio Volumine de Fidei Signis Libro 3. Signo 34.

262 Neque verò ad augendam tunc Romanę amplitudinem Sedis urgeri Patres potuerunt a ſplendore Urbis Cæſareæ; nam, deſtitutâ veteri Româ, Novam, ut eſſet Imperii Sedes, Conſtantinus elegerat. Enimverò ſi a Præſulibus amplificanda fuit Romana gloria, hoc ab ipſis præſtandum fuit in Generalibus Synodis. At hæ haberi cœperunt, poſtquam alibi Cæſares imperabant. Igitur Profanum Imperium nequivit adigere Patres ad Romanam cæteris Eccleſiis anteferendam. Quæ verò, eum celebrari cœperunt Univerſalia Concilia, conferri Romano Antiſtiti poterant Prærogativæ, quarum ipſe uſum a primis Eccleſiæ temporibus non habuiſſet? An ut ad omnes totius Orbis Epiſcopos Literas daret, Legeſque iiſdem præſcriberet? At præceptis redundantes Epiſtolas dederat Clemens, aliique ex primis Pontificibus plurimi. An ut, ſi neceſſitas poſtularet, in alios Præſules Cenſuras ferret? Sed Anathema intorſerat Victor in omnes Aſiæ Minoris Epiſcopos. An ut Controverſias dirimeret velut Eccleſiæ Præceptor? At pro ſolvendis quibuſdam de Paſchate Quæſtionibus Romam confugerat Polycarpus Joannis Apoſtoli auditor. An ut naſcentes Hæreſes condemnaret? At quis, præter Succeſſorem Petri, eas Declaratione ſua profligavit, cum exortæ plurimæ fuiſſent, ac tot enumerare potuerit Irenæus, qui Secundo Seculo floruit, &, ad Romanæ Magiſterium Eccleſiæ *propter Potentiorem Principalitatem omnes congregandas*, dicit, *Eccleſias*?

263 An profecta dicent Romæ Antiſtitis Privilegia ab iis, qui ſecunda vice Generalem Synodum conſtituentes convenerunt Conſtantinopoli? At illi pariter, præſumentes manifeſtiſſimum eſſe Romanum Primatum, ſolummodo feruntur edidiſſe Decretum, ut Secundus inter Epiſcopos eſſet Conſtantinopolitanus. Regnante tunc autem in Oriente Theodoſio ſeniore, quem veluti patrem Valentinianus venerabatur, vix ullus fulgor Cæſareus Veteri Romæ affundebatur.

264 Ad Epheſinos reſpicere ſe, nullatenus indicant Chalcedonenſes. Et illi quidem, cum pluſquam ſexaginta nobis ſuggerant argumenta cognitæ ab ipſis Romani Pontificis Præfecturę in univerſam Chriſtianam Rempublicam (quæ altero Libro in aciem direximus) nunquam innuunt, illam ortam a Patribus intuentibus Majeſtatem Urbis imperantis. Affirmant autem aliquando, aut certè ſemper (veluti præjactum, ac notiſſimum omnibus) ſumunt, quod originem habuerit a verbis Chriſti Domini, ſuum Petro Ovile commendantis.

265 Eadem fuit omnium ſententia Conciliorum, quæ confirmarunt quidem ſuffragatione ſua Romanæ Sedis Præſtantiam, non tamen illam primò erexerunt, ſed erectam a Servatore noſtro profeſſa ſunt. Non inficior, ab ipſo etiam Imperiali faſtigio impulſum fuiſſe Petrum ad ſtatuendam Romæ Cathedram, ſive Divinum de hoc conſilium apertè illi fuerit revelatum, ſive occulto ſuaviter afflantis animum Spiritus motu ſuggeſtum. Atque ideo gentium Reginam Urbem electam præ cæteris fuiſſe, ut ex illa per omnes facilius terras funderetur Sanctiſſima Fides. Nihil tamen alioqui neceſſe eſt, unam eamdemque Urbem Sacri ſimul, & Profani Regiminis eſſe Regiam. Imò, eadem Fide jam propagata, magis opportunum fuit, liberam Sacerdotum Principi nobilem, ex qua Sacra populis jura daret, Urbem relinqui. Falsò ergo affirmatum fuit, ab Imperialis Urbis claritate adactos fuiſſe Patres ad conferendas Romano Antiſtiti Supremas Prærogativas. Sed niſi Sophiſmate (ut

(1) *Pag.* 414.

(ut iterum hoc inculcem) vel a Logicæ Tyronibus deridendo, uſi fuiſſent, afferendo *Non Cauſam pro Cauſa*, omni fundamento deſtituendam ſuiſſe compererant Babylonicam ſubſtructionem, qua erigere ad gloriæ cælum nitebantur Novæ Cathedram Romæ; ideoque eamdem illo ſulcire conati ſunt.

CAPUT LIII.

Ex Facto, & Verbis ipſiuſmet Synodi Chalcedonenſis, dum Fidem contra Hæreticos declarabat, oſtenditur, non potuiſſe deinde decerni, ut Conſtantinopolitanus Præſul eſſet Æqualis Romano, & Oecumenicus.

266 PLurima ex hucuſque allatis argumentis repetenda hic eſſent, ſi pro dignitate tractandum eſſet id, quod in Capitis Titulo propoſuimus. Frequentiſſimè enim expreſſum, aut indicatum, aut præſumptum vidimus a Patribus Chalcedonenſibus, quod Leonis tunc Eccleſiam regentis Pontificis Maximi Dignitas oriretur a Petro, in quo Chriſtus Dominus Regale Sacerdotium inſtituit. Quia verò cordatos, & memores Lectores alloquimur, parcimus a pleriſque iterum afferendis. Pauca ſolummodo quædam ex jam intortis, unumque, aut alterum ex intorquendis telis, ab hujuſce Synodi pharetra depromptis, ſeligentes decernimus, incredibile omnino dictu videri, quod hujuſce, de quo loquimur, miſerè ſuperbi Canonis Conditores non ſolùm omnium aliorum Univerſalium Cœtuum Sententiam de Pontificia Poteſtate manante a Petro ex Inſtitutione Divina, ſed ſuam etiam ipſam Declarationem everterint. Dicent enim in literis ad Leonem, non a Patribus captis admiratione Cæſareæ Urbis, ſed a Chriſto Domino *ſuæ Vineæ Cuſtodiam* traditam eidem Leoni ſuiſſe, ita de Dioſcoro locuti: CONTRA IPSUM, CUI VINEÆ CUSTODIA A SALVATORE COMMISSA EST, *extendit Inſaniam, ideſt contra Tuam quoque Apoſtolicam Sanctitatem*. (1)

De Leone ipſo tunc imperante Synodus loquitur, Petre Suavis, ex quo efficitur, cognitum ab eadem Synodo ſuiſſe Jus Petro ſuccedendi in iis omnibus, qui Romanum poſt Petrum ſuſciperent Epiſcopatum. His non una tantùm Chriſti Vineæ pars, videlicet Urbs, & Suburbicariæ Eccleſiæ, ſed Vinea univerſi, Tota ſcilicet Eccleſia, *commiſſa dicitur a Salvatore*. Qui adeo manifeſtis Argumentis a Sexcentis triginta Chalcedonenſibus Patribus malignæ Reus veſaniæ deprehenderis, ſemel tantùm non ineptè vaticinatus es, cum ſcripſiſti: *Habeo perſuaſiſſimum, & Scripti hujus famam in obſcuro fore poſitam, & brevi intermorituram*. (2)

267 Atque idem, quod Petro, jus declarandæ Fidei eſſe Leoni profeſſi, exclamaverant poſt lectas Pontificias Literas, quas veluti certiſſimam credendi legem fuerant exoſculati: PETRUS PER LEONEM ITA LOCUTUS EST. (3)

268 De Synodo, Leoni obtemperante in condemnatione Dioſcori, dixerant: LEO CUM S. PETRO PER SYNODUM NUDAVIT DIOSCORUM. (4)

269 Ut autem leviter attingamus, quæ ſolidè mox exequemur, in Synodica ad ipſum Leonem, ſcripta poſt hunc Canonem, repugnantem initio, ac fini Concilii, eumdem appellabunt FIDEI CUSTODEM, ET S. PETRI INTERPRETEM. Leonis Filios nuncupabunt ſe conciliariter coactos: *Summitas tua* FILNS, *quod decet, adimpleat*. Veluti ſuum Caput eumdem Leonem venerabuntur: Quibus, ſcilicet Epiſcopis hujuſce Synodi, *Tu*, UT MEMBRIS CAPUT, PRÆERAS: ipſamque Romanam CAPUT OMNIUM ECCLESIARUM diſertè dicent. Cum ergo *Pater* profectò *Filijs* præſtet, & *Caput cæteris Membris*, non ſolùm ſingulis Præſulibus ſeorſum acceptis, ſed omnibus etiam, Univerſale Concilium ſimul inſtituentibus, Leonem anteferent. Hoc autem enimvero non præſtitiſſent impulſi a ſplendore Urbis imperantis, niſi coacti ſuiſſent ab Inſtitutione Divina. (5)

270 Et neceſſariam Pontificis, ut Synodo prælati, nullique in declaranda Fide Errori obnoxii, Confirmationem faſſi, adiicient Literis ad illum datis poſt hunc egregium Canonem: *Omnem vobis geſtorum vim inſinuavimus &c.* AD EORUM, QUÆ A NOBIS GESTA SUNT, FIRMITATEM. (6)

271 Quonam pacto cohærent hæc, quæ omnium comprobatione ſtabilita ſunt, dum Hæretici condemnabantur, videlicet dum certè Concilium animabat Divini Spiritus aura, cum Canone ſcripto ab Anatolio ambitibnis æſtu incenſo?

272 An exæquari quiſpiam abſque inſania poteſt illi, qui Univerſæ, in Synodis etiam Generalibus congregatæ, anteferatur Eccleſiæ? An duo præterea eſſe queunt Univerſales Unius Eccleſiæ Præſides? *At* UNIVERSALIS ECCLESIÆ PAPAM, VEL PATRIARCHAM,

CHAM,

(1) *Pag.* 440.

(2) *Pag.* 301. (3) *Pag.* 215. (4) *Pag.* 244. (5) *Pag.* 438. *& ſeq.* (6) *Pag.* 442.

CHAM, VEL EPIACOPUM in ſingulis ferè Chalcedonenſis Concilii Actionibus vidimus compellari Leonem. Ergo Concilii ejuſdem Auctoritaa nos urget ad hujuſmodi titulum Anatolio denegandum.

273 Mitto alia plurima, quæ in alio Volumine de Signia Fidei in hoc ipſum argumentum attulimus a pagina 267. uſque ad paginam 296. Editionis Primæ, ubi ſtatuimus, Portentum eſſe, quod Univerſalem ſe nuncupet Patriarcha Conſtantinopolitanua. Agimus de Origine illius Ecelefiæ, ſubjectæ Metropolitæ Hsracleotæ per annoa ſupra Trecentoa: ac nullo peculiari honore inſignitæ a Concilio Nicæno: & nullum Dignitatia incrementum adeptæ etiam poſt conſecratam eam Urbsm a Conſtantino ſub ipſia Hæreticis, & ſuperbiſſimis Cæſaribus Conſtantio, ac Valente. Inducimua Sanctiſſimoa Pontificea Gregorium Magnum, Innocentium Primum, & Gelaſium Primum, qui argumentia ineluctabilibus damnant derivantea a ſplendore Urbia imperantis Patriarchale Nomen, & primum ſedendi locum, nedum Oecumenici Tituli amplitudinem. Oſtendimus, non ſolùm a S. Leone Magno improbatum fuiſſe Canonem illum (quod etiam hìc demonſtrabimus) ſed etlam eumdem Verbia, & Facto ſe Unicum exhibuiſſe Univerſalia Eccleſiæ Epiſcopum? Hujus Pontificii Juris exercitium comprobamus per Obedientiam eidem præſtitam ab omnibua Præſulibus etiam Orientis, ipſoque cum Imperatoribua Anatolio Conſtantinopolitano. Subiicimus oculis idem jus exercitum ab omnibua aliia Romanis Pontificibus: & Patriarchas poſt hoc Chalcedonenſe Decretum, perinde ac antea, Romano Antiſtiti obſequium præſtantes. Palam facimus, eoſdem in ipſo Oriente non exercuiſſe jus extra Provinciaa ſibi præfinitas, ideoque faſſos nullum ſibi tributum jua ad veram *Oecumenici* appellationem. Narramua, ſemel tantùm Æqualia Sedia umbratilem honorem quæſitum fuiſſe ab Epiphanio Patriarcha, ſed retuſam illius audaciam a S. Joanne Pontifice Maximo. Omne hoſtibus effugium præcludentes (quoniam diverſas ineunt vias ad tutelam ſuperbiſſimi nominia) ſtatuimus, ante Sexcenteſimum Chriſti annum Patriarchas Cæſareæ urbis dici non potuiſſe Univerſales ob permiſſam a Romanis Pontificibus inſeri Symbolo particulam *Filioque*, quia nondum fuerat inſerta. Evidenter probamus ibidem (ut infra quoque præſtabimus) nullas ab Epheſina Synodo Legea de non inſerendia aliis Symbolo verbia præſcriptas eſſe, aut præſcribi potuiſſe Pontifici Maximo, & celebrandis ejus Auctoritate Conciliis. Multipliciter demonſtramus ex ipſorum etiam confeſſione Græcorum, ab illiua Particulæ Adjectione nullum Conſtantinopolitano Præſuli Jua exortum fuiſſe ad *Oecumenici* Nomenclaturam. Dilucidè præterea ratiocinando conficimus, niti non poſſe Antiſtites Conſtantinopolis Decreto Chalcedonenſi abrogato a Romanis Pontificibua ante ſomniatum eorumdem lapſum, nec Epheſino, cum ex ipſo non uſu rei, ſcilicet Univerſalis Eccleſiæ Regiminis, amiſerint Jua ad uſum Nominia *Oecumenici*; ut proinde, licet Romani e gradu excidiſſent, (quod tamen contingere, contra Divinam Promiſſionem, nequivit) non tamen illis ſucceſſiſſent Conſtantinopolitani. Hos, evincimus, nunquam in ipſomet Oriente cognitos fuiſſe re ipſa Epiſcopoa Oecumenicos; imò nec ipſum Primum in Conciliia Seſſionis locum annuentibua aliia conſtanter illis tributum ante Annum 1215. quo confirmatus hic honor Imperialis Urbis Antiſtiti fuit ab Innocentio Tertio in Lateranenſi Concilio.

274 Sed hunc Canonem expendentes ſuperſedemus ab ulteriori impugnatione *Oecumenici* Tituli, cum ad illum nulla penitus ex ipſiua Canonis verbia umbra juris naſcatur, imò ad illum invadendum aditus obſtruatur, quia qui *Secundus* eſſe jubetur poſt Romanum, eſſe nequit Epiſcopus *Univerſalis*. Quid, quod ne ipſa quidem *Patriarchæ* uſurpanda Appellatio oritur ex Decreto, quod Conſtsntinopolitanum Præſulem nuncupat *Archiepiſcopum*. Si autem ex Canone ipſo non profluunt ad tumida Vocabula, Remque illia reſpondentem, Jura, an hæc ex Inſtitutione Divina proficiſci dementiſſimus aliquia mortalium affirmabit?

CAPUT LIV.

Detegitur aſtus Anatolii. Aſſeruntur Proteſtationes Romanorum Legatorum contra intruſum Canonem de Conſtantinopolitano in Oriente Primatu, qui multipliciter iterum ſubruitur.

275 CUm diutius præter morem, abrupto Hiſtoriæ curſu, pugnæ immorati ſimus, nunc antequam Sextamdecimam Actionem ingrediamur, in qua famoſi hujus Canonis arrogantia a Romanis Legatia damnata fuit, animadvertere juvat artificium, quo duos alios in fine Actionia præcedentis firmari Canones curavit Anatolius, quos libenter

a Le-

Digitized by Google

a Legatis credidit excipiendos. Unus erat de non revocandis ad Presbyteri gradum Epiſcopis. *Epiſcopum in Presbyteri gradum deducere ſacrilegium eſt. Si qua autem juſta cauſa illos ab Epiſcopali actione removet, nec Presbyteri debent locum obtinere. Sin autem abſque ullo crimine dignitate moti ſunt, ad Epiſcopalem dignitatem redibunt. Anatolius Religioſiſſimus Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus dixit: Ii, qui dicuntur ab Epiſcopali dignitate ad Presbyteri ordinem deſcendiſſe, ſi juſtis quidem de cauſis condemnantur, jure nec Presbyteri honore digni ſunt. Sin autem ſine aliqua probabili cauſa ad inferiorem gradum depreſſi ſunt, jure, ſiquidem nulli ſunt culpæ affines, Epiſcopatus auctoritatem, & Sacerdotium recipient.* Decretum hoc editum jam fuerat in fine Actionis Quartæ, deſumpta occaſione ex temerario auſu ipſius Anatolii, qui redigi juſſerat in ſimplicium Ordinem Sacerdotum eos, quos Photius Tyri Antiſtes Epiſcopos conſecraverat, ut oſtendimus Capite Quadrageſimotertio a numero 196. uſque ad 202. Neque primus ipſe Anatolius Sententiam contra ſe tulerat, ſed *Paſchaſinus, & Lucentius Reverendiſſimi Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter, Vicarij Apoſtolicæ Sedis Romæ dixerunt: Epiſcopum in gradum Presbyteri redigere,* SACRILEGIUM EST; *Si verò, & cauſa quædam juſta illos ab actu Epiſcopatus removet, nec Presbyteri locum* RETINERE DEBENT. *Si autem citra aliquod crimen amoti ſunt dignitate, ad Epiſcopalem* REVERTENTUR. Ita pro imperio Legati edixerant, & Univerſa hoc Synodus comprobaverat. Coactus ergo fuerat, quamvis iniquo animo, Anatolius aſſentiri, ſuæ ut Leges diffingerentur, ac poſt Legatos ea dixerat, quæ in hoc Undetrigeſimo Canone referuntur. Quorſum ergo ipſius, & non Legatorum, aut Univerſæ Synodi verba allegantur? Quis non videt ſuperbiſſimum hominis ingenium ita ſcribi Canonem jubentis a Conſtantinopolitanis Notariis? Multa lucraturum ſe hoc artificio ſperavit. Ac primò quidem hoc omnibus grato Canone fulciendum illum, qui de ſuo Primatu ſtatutus ante hunc fuerat. Præterea credituros poſteros, qui Canonem legerent, non invitum Anatolium ad hæc ſancienda deſcendiſſe, cum Auctor ipſe Canonis videretur. Tertiò ſe ferè Arbitrum Concilii exiſtimandum, cum ſua ſolummodo ſententia in Canonibus perpetuò extaret. Et conſecuta quidem fuit ipſius verſutia, ut nullus contra hanc audaciam reclamaret, cum defeſſa jam Synodus eſſet, & omnes Antiſtites reditum ſuas ad Eccleſias anhelarent; Legatos autem multò major de alio Canone abrogando urgeret ſolicitudo. Non expenderunt igitur quibuſnam hic verbis contextus eſſet, nec ullus, quod noverim, huc uſque hunc Anatolii aſtum introſpexit, & ludibrio traduxit. Imò ex hoc Canone, proponentis Anatolii auctoritatem præferente, anſam fortaſſe arripuit Photius in Libello de ſeptem Synodis affirmandi, eumdem cum Romanis Legatis Anatolium Chalcedonenſi Concilio præſediſſe. Supervacanea eſt palmaris hujuſce mendacii confutatio, quod proferens Photius enimverò putavit interitura, nec legenda unquam a poſteris hujus Acta Concilii: perinde ac pleraque ex iis periere Volumina, quorum Synopſim ſuam idem in Bibliothecam redegit; nam quicumque percurrunt Acta Concilii, Præfecturam illius nullam fuiſſe exercitam ab Anatolio perinde vident, ac ungues, digitoſque ſuos. Hic ipſe Canon conditus fuit a Synodo ſubvertente contrarium Anatolii Decretum, ut oſtendimus Capite Quadrageſimotertio. (1)

276 Nec ſine artificio Trigeſimus Canon additus fuit de Epiſcopis Ægypti, quibus indulgebatur mora uſque ad Alexandrini Electionem Antiſtitis, poſt quam ſubſcribere Leonis Epiſtolæ parati erant. *Quoniam Reverendiſſimi Epiſcopi Ægypti*, NON UT CATHOLICÆ FIDEI ADVERSANTES, SANCTISSIMI ARCHIEPISCOPI LEONIS EPISTOLÆ SUBSCRIBERE DISTULERUNT, *ſed dicentes, in Ægyptiaca Diœceſi hanc eſſe conſuetudinem &c.* Fruſtra Canonibus perpetuò valituris addebatur Decretum pro peculiari caſu tunc ſolùm emergente, quodque Decretum jam ante fuerat in Actione Quarta ſtabilitum Auctore Sententiæ Paſchaſino Pontificio Legato, qui dixerat: *Fidejuſſoribus datis non exeant de iſta Civitate, quamdiu Alexandria Epiſcopum accipiat.* Et Judices, ac Senatus arbitrati Univerſam a ſuo Præſide Synodum repræſentari, non expectato aliorum Judicio, imò ſpreto contrario Præſulum ſenſu, exclamaverant: SANCTISSIMI PASCHASINI SIT FIRMUM JUDICIUM. Hoc tamen Canone cæteros coronari Anatolius exoptavit, in quo perhonorifica Leonis mentio continebatur, inani ſpe lactatus, quod hujus luce obruendæ eſſent alterius tenebræ ſibi faventis. Sed hoc non conſequutus Romanæ interim gloriæ velificatus eſt. Ex hujus enim Canonis verbis Hæreſis perſtringuntur, qui animum obdurant ad Pontificiam ex Cathedra doctrinam non excipiendam: *Non ut Catholicæ Fidei adverſantes Sanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis Epiſtolæ ſubſcribere diſtulerunt.* Adverſarentur ergo Catho-

licæ

(1) *Pag. 415. & 305.*

licæ Fidei, ſi omnino ſubſcribere detrectarent. (1)

277 Jam verò Sextamdecimam, & ultimam Actionem adortis ſe nobis exhibent ſapientiſſima Legatorum verba, quorum Princeps Paſchaſinus Judices allocutus hæc inter cætera de Imperatoribus dixit: *Major autem eorum tranquillitati cura eſt, in quibus poſt hæc providere dignati ſunt, ne qua rurſus contentio inter Sacerdotes Dei, aut* SCHISMA, AUT ALIQUOD NASCATUR SCANDALUM. *Heſterna enim die, poſtquam Poteſtas veſtra ſurrexit, & humilitas noſtra veſtigia veſtra ſecuta eſt, quædam geſta facta dicuntur, quæ nos & præter Canones Eccleſiaſticos, & diſciplinam æſtimamus effecta. Poſcimus ergo, ut veſtra magnificentia relegi hæc præcipiat, ut omnis Fraternitas inſpiciat, utrum juſta, an injuſta ſint ea, quæ geſta ſunt.* Canon igitur augens honorem Conſtantinopolitani Antiſtitis editus fuerat abſentibus Pontificiis Legatis, Cæſareiſque Judicibus: atque idem aptus erat parere *Schiſmata, & ſcandala*; nam & Alexandrinus Præſul, & Antiochenus conqueri jure poterant de ademptis ſibi a Conſtantinopolitano Provinciis, & amplificatum decus Præſulis Cæſareæ Urbis addere huic cornua poterat ad rebellandum Univerſæ Eccleſiæ Hierarchæ. Hoc autem nimium quantum contigiſſe conſequentia deinde ſecula ſpectaverunt, ideoque Prophetici penè luminis gloriam Paſchaſino vindicarunt. Neque alia certè de cauſa Byzantinum in Oriente Primatum tamdiu Romani Pontifices improbarunt, cum cæteroqui nihil ipſorum intereſſet, quod Prima in Conciliis poſt ſuos Nuntios Sedes Alexandrino potius, quàm Conſtantinopolitano tribueretur; niſi quia major ſuberat cauſa formidinis, ne Ceſareæ Urbis Archiepiſcopus Imperiali gratiâ ad nimis audendum abuteretur. (2)

278 Atque hic locus videtur, a ſcandalis, quæ Legatus in poſterum formidabat, arreptâ anſâ ſeriò animadvertendi id, quod alibi innuimus, videlicet, apertum fuiſſe aditum Anatolio ad Synodum circumveniendam, quia vacabat Sedes Alexandrina, & paulò ante fuerat a Dioſcoro Eutychianæ Signifero Hæreſis dedecorata. Ægyptii Epiſcopi, qui Alexandrinæ ſplendorem Cathedræ tutari debuiſſent, a Synodo aberant, vixque ſuæ conſuluerant incolumitati magnum perpeſſi condemnationis diſcrimen; quia Pontificiam ſubſcribere Epiſtolam differebant. Maximus Antiochenus, receptus a Latrocinali Synodo Epheſina, nihil altum ſpirabat; licet Leonis auctoritate confirmatus. Magni ſpiritus inerant Juvenali Hieroſolymitano; ſed ille nomine tenus Primas erat, ideoque nihil illi per hunc Canonem detrahebatur: faverat Epheſi Dioſcoro: fortaſſe gaudebat deprimi Antiochenum, cui priorem Epheſi locum præripuerat, & ipſius ambitio ſolùm ad Palæſtinæ Primatum aſpirabat, ad quem adipiſcendum non deſuerat illi Anatolii patrocinium. Libenter igitur hujus amplitudini ſuffragabatur, ac proinde maximè opportunum huic fuit ſuperbi voti compotem fieri. Lectus igitur ſuit Canon de incrementis honoris Conſtantinopolitanæ Cathedræ pridie conditus, & Epiſcoporum ſubſcriptiones, quæ non hunc ſolummodo, ſed omnes ſimul Triginta, tot enim ſanciti fuerant, iis tantummodo ſingulorum verbis firmabant: *definiens ſubſcripſi*. Opinatos autem fuiſſe Antiſtites multò minus a ſe tribui Anatolio, quàm quod in Canone continetur, a nobis mox demonſtrandum ſperamus. (3)

279 Perpendamus interim, quid huic lectioni Pontificii Legati ſubjecerint. *Lucentius Reverendiſſimus Epiſcopus Sedis Apoſtolicæ Vicarius dixit: Primò gloria veſtra* (Judices alloquitur) *perpendat, qua circumventione cum Sanctis Epiſcopis geſtum ſit, ut* NON CONSCRIPTIS CANONIBUS, *quorum mentionem fecerant, ſubſcribere ſint coacti*. Tumultuario igitur impetu ſuum nomen appinxerant paginæ, in qua exarandi erant Canones curſim lecti. Moræ enim intolerantes erant, & in ipſa Sexta Actione a Marciano enixis precibus diſcedendi facultatem efflagitaverant: *Supplicamus, dimitte nos: pie Imperator, dimitte nos*. Pronum igitur fuit Anatolio plura ſcripto complecti, quàm quę lecta Epiſcopis fuerant. Neque temerè ſic ariolamur, ſed ſolidiſſimè mox ratiocinando conficiemus. At, certè nunc integrum Canonem relectum fuiſſe, dices, & neminem reclamaſſe? Ut hoc ultro demus, num proinde nunc quoque ad illius vim Præſules jam eidem aſſenſi animum intenderunt? Reſponderunt quidem, ſe coactos non fuiſſe ad ſubſcribendum: *Et interpretata voce per Beronicianum devotum Secretarium Divini Conſiſtorij Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Nemo coactus eſt*. Sed non pernegarunt id, de quo Legatus conqueſtus erat, videlicet, quod *non conſcriptis Canonibus ſubſcripſiſſent*. (4)

280 Sed utcumque iſta ſe habuerint (neque enim hoc argumento indigemus, qui plurimis abundamus ad ſuperbiſſimum Canonem infringendum) *Lucentius Reverendiſſimus Epiſcopus Vicarius Sedis Apoſtolicæ dixit:*

(1) *Pag.* 420. *& ſeq.* (2) *Pag.* 419.

(3) *Pag.* 420. *& ſeq.* (4) *Pag.* 426. 338. *&* 426.

dixit: Accedit ad cumulum, quod TRECENTORUM DECEM, ET OCTO CONSTITUTIONIBUS POSTPOSITIS, *Centum quinquaginta*, QUI IN SYNODICIS CANONIBUS NON HABENTUR, *mentionem tantùm feciſſe noſcantur, quæ dicunt ante Octoginta prope annos conſtituta fuiſſe*. Validiſſimum telum eſt hoc contra temeritatem Anatolii. Summo ſemper cultu proſecuta Nicænos Canones fuit Eccleſia; ideoque illis non ſine inſigni auſu prælati fuerant Conſtantinopolitani, qui nec extabant in Synodicis Decretis Romam miſſis, neque fuerant Romanorum Pontificum auctoritate confirmati, a qua tantùm Secunda Synodus obtinuerat, ut, quò ad Fidei Declarationem, Univerſalis, & ineluctabilis haberetur; quemadmodum altero hujus Hiſtoriæ Libro palam fecimus. Idcirco eum Byzantini Epiſcopi Canonem illum Romam mittere, deſperantes illius comprobationem, perhorruiſſent, & auditâ illius editi famâ eum diſertis verbis Apoſtolica Sedes improbaſſet, ſpernendus omnino & ineditus cenſendus erat. Contra verò Nicænis, cùm eo Canone pugnantibus, Decretis, a Petri Cathedra receptis, ſuum etiam tunc inerat robur, & pondus. (1)

281 Pulcherrimo deinde Lucentius Dilemmate Conſtantinopolitanos aggreditur. SI ERGO HIS TEMPORIBUS HOC BENEFICIO USI SUNT, QUID NUNC REQUIRUNT? SI NUNQUAM USI SUNT, QUARE REQUIRUNT? loquitur de Canone ſtatuente Sacrum in Oriente Cæſareæ Urbis Antiſtitis Primatum, qui editus ferebatur ante annos ferè Octoginta in Secunda Synodo. Inquit ergo: Si Byzantini Præſules beneficium ſibi a Decreto illo collatum per ſexdecim luſtra uſurparunt, fruſtra eſt in præſentia requirere, ut illud ſanciatur, cujus poſſeſſione fruuntur. Si autem eodem uti beneficio non ſunt auſi, ut profectò non fuerant, quare in præſens requirunt illud iterum decerni, quod perperam, & injuſtè ſtatutum primò fuiſſe confeſſi ſunt omnes, qui Sacrum per annos octoginta Imperialis Urbis regimen exercuerunt? (2)

282 Nullum bicipiti huic telo clypeum prætendere Anatolius potuit, ideoque illi jugulum præbuit. Ad alia igitur illius aſſeclæ digreſſi ſunt Romanæ per ea gloriæ ſuffragati. *Qua voce*, ſcilicet utrinque feriente Lucentii argumentatione, *per Conſtantinum devotum Secretarium Divini Conſiſtorij Græcè interpretata Aetius Archidiaconus Sanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ dixit*: SI DE HOC CAPITULO ALIQUOD MANDATUM ACCEPERUNT, PROFERANT. Lenocina-

(1) *Pag.* 426. (2) *Pag.* 427.

bantur ſibi Anatolii fautores, nihil a Leone præceptum fuiſſe Legatis ſuis contra hoc incrementum honoris Conſtantinopolitanæ Sedi indulgendum. Si autem quò ad hoc ſuo arbitrio pollere Synodum Pontifex Maximus permiſiſſet, ſperabant, Canonem non infringendum. Quis latentem hìc confeſſionem non intuetur Pontificiæ Præſtantiæ ſupra Concilium? Eatenus certè huic licere Aetius indicat nova Decreta moliri, quatenus a Moderatore, ac Magiſtro ſuo Romano Pontifice minimè prohibeatur. (3)

At a Decreto, inquies, Synodus non reſilivit, quamvis audiverit, illud ſibi a Leone vetari. Pernego, auditum fuiſſe, quod hoc expreſsè vetaretur. Imò in eo, quod ſolum Patres decreverunt, ſequi ſe Leonis ductum ſunt opinati, nam Euſebius Dorylæus dixit: SPONTE SUBSCRIPSI, QUONIAM ET HANC REGULAM SANCTISSIMO PAPÆ IN URBE ROMA EGO RELEGI *præſentibus Clericis Conſtantinopolitanis*, EAMQUE SUSCEPIT. De Leonis demum, quam ab illo ſupplices poſtularunt, Confirmatione diffiſi non ſunt. (4)

283 Poſt interrogationem Aetii *Bonifacius Presbyter Sedis Apoſtolicæ Vicarius dixit: Beatiſſimus, & Apoſtolicus Papa inter cætera hoc nobis mandavit. Et ex chartula recitavit: Sanctorum quoque Patrum Conſtitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari, vel imminui: ſervantes omnimodis Perſonæ noſtræ in vobis, quos vice noſtra transmiſimus, Dignitatem, ac ſi qui fortè Civitatum ſuarum ſplendore confiſi, aliquid ſibi tentaverint uſurpandum, hoc, qua dignum eſt conſtantia, retundatis*. Generatim novi Juris uſurpationem interdicit, adeoque ipſam quoque complectitur Conſtantinopolim. Sed id, quod ad hujus Urbis Antiſtitem ſpectare declaratum fuit, novum non eſſe, Patres ſunt opinati, ideoque ſe a Pontificia Juſſione diſcedere non putaverunt: Nemo certè exclamavit: Has compedes Generali Concilio non iniiciendas; ideoque faſſi ſunt omnes, præcipi a Romano poſſe omnibus Epiſcopis Synodaliter congregatis. (5)

284 Cum Judices dixiſſent: *Utraque pars Canones proponat, Paſchaſinus Reverendiſſimus Epiſcopus Vicarius Sedis Apoſtolicæ recitavit: Trecentorum decem, & octo Sanctorum Patrum Canon Sextus*: *Quod* ECCLESIA ROMANA SEMPER HABUIT PRIMATUM; *Teneat autem & Ægyptus, ut Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo: Similiter autem & qui in Antiochia &c.* Non immoramur in hoc Canone explicando, cum id præſtiterimus ſatis in alio Volumine de

(3) *Pag.* 427. (4) *Pag.* 429. (5) *Pag.* 427.

Signis Fidei, Libro 3. Signo 34. & abunde id exequuti ſimus in altero hujus Hiſtoriç Libro, in quo demonſtravimus, ampliſſimam hanc eſſe teſtificationem, quod Patriarchalis omnis Poteſtas a Romana conceſſione originem duxerit, & Romana Conſuetudo Eccleſiis omnibus Leges præſcripſerit. Hìc ſolùm retorquemus oculos ad verba illa: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*; quæ ſunt in Græca quoque Paſchaſini dictorum Verſione; ac licet in ſubjecto deinde Nicæno eodem Canone, lecto ab Aetio Conſtantinopolitano Archidiacono, deſiderentur; extare tamen illa in Exordio Canonis non negat Aetius, qui in compendium quò ad alia quoque Canonem redigit, ut videre eſt, ipſius lectionem cum alia Paſchaſini Legati conferendo. Sed integram utramque Lectionem exſcribere parcimus, cum vim in eo non faciamus, quod extra omnem controverſiam eſt, ſcilicet in Confeſſione Romani Primatus. (1)

285 Lectum exinde fuit Synodicum Primi Conſtantinopolitani Concilii, ideſt Secundæ Synodi Generalis, in quo per ſummum aſtum permiſcetur Fidei Declaratio cum Canone augente illius Sedis Dignitatem, cum tamen, ſi conditus hic fuit, editus certè fuerit multò poſt Fidei contra Hereticos Declarationem, ut ſuo loco ſtatuimus. Sed non minori cum inſipientia inſeritur Nicænorum Canonum commemoratio, & ſervari jubentur, dum facto ipſo evertuntur. Hæc ſolùm ex relecto Chalcedone Synodico illo delibamus: *Non recuſari Fidem, neque Regulas Trecentorum decem, & octo Patrum, qui in Nicæa Bithyniæ convenerunt*. Stare igitur debent Nicænæ Regulæ, inter quas illa eſt de non coarctandis finibus Juriſdictionis ad Alexandrinum, & Antiochenum Patriarcham ſpectantibus. *Et anathematizentur omnes Hæreſes, & propriè Eunomianorum &c. Epiſcopi autem ſuper Diœceſim, quæ trans finem ſunt Eccleſiarum, non tranſcendant, neque confundant Eccleſias, ſed, ſecundùm Regulas, Alexandriæ quidem Epiſcopus ea ſolùm, quæ ſunt in Ægypto, diſponat &c. ſervatis autem Primatibus ſecundùm Canones Nicænos Antiochenæ Eccleſiæ &c.* En iterum Nicæni Canones farti, & integri decernuntur eſſe, contra quos deinde ſubiicitur: *Epiſcopum tamen Conſtantinopolitanum habere Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum; propterea quod ſit nova Roma*. Plurimùm quidem audent hæc ſtatuentes, non tamen quantum illis Anatolius attribuit; nihil enim innuunt de Privilegiorum cum Romano *Æqualitate*, *Secundæ* poſt illum Sedis honore contenti: neque ullatenus affirmant, Veteris Romæ Cathedram ſupra reliquas a Patribus, & non a Chriſto Domino elatam fuiſſe, dum Novam Veteri proximam eſſe cupiunt, quam nil vetat longo eſſe proximam intervallo, cum hujus ab humana, illius a Divina Inſtitutione oriantur prærogativæ. (2)

Hìc obiter indicamus, a novis honoribus Conſtantinopolitano Præſuli indultis alterius mendacii Suavem coargui, qui loquutus de Nicæno Decreto ſubdit: *Hæc adminiſtrationis forma in Eccleſiis Orientalibus ſemper obſervata*; cum tamen conſtet, aliquid a Synodo Chalcedonenſi ſubtractum fuiſſe Alexandrino Epiſcopo, & Antiocheno ex ea ditione, quam illis Nicæna tribuerat, iiſdemque prælatum Conſtantinopolitanum, qui penitus inglorius fuerat in Nicæna; quamquam hoc deinde Decretum Leo Pontifex improbaverit. (3)

CAPUT LV.

Ex Chalcedonenſium Præſulum Subſcriptionibus manifeſtiſſimè liquet, nihil aliud ipſos decreviſſe, niſi ut certæ quædam Provinciæ Conſtantinopolitano Archiepiſcopo ſubiicerentur, ideoque dolosè ab Anatolio inſertam fuiſſe Canoni Privilegiorum Æqualitatem cum Romano, & honorem Primæ in Oriente Sedis.

286 AD diluendum id, cujus vehemens erat ſuſpicio, videlicet, quod Epiſcopi adacti ab Anatolio fuiſſent ad Cæſareæ decus Eccleſię amplificandum, *Glorioſiſſimi Judices dixerunt: Hi, qui relecto tomo ſubſcripſerunt Aſiani, & Ponti Sanctiſſimi Epiſcopi dicant, ſi voluntate propria, vel impoſita ſibi aliqua neceſſitate coacti ſubſcripſerunt*. Reſponderunt illi quidem, ſe minimè fuiſſe compulſos, ſed plerique diſertè coarctarunt aſſenſum ultro, ac ſponte a ſe præſtitum ad ſolam voluntatem non repugnantem Primatui Conſtantinopolitani Prçſulis ſupra Epiſcopos Aſiæ Minoris, & Ponti. *Et tranſeuntibus in medio Ponticis, & Aſianis Epiſcopis, qui ſubſcripſerunt, Diogenes Reverendiſſimus Epiſcopus Cyzici dixit: Coram Deo cum voluntate ſubſcripſi. Florentius Epiſcopus Sardium Lydiæ dixit: Nulla mihi illata eſt neceſſitas, ſed ſponte ſubſcripſi. Romanus Epiſco-*

(1) *Pag.* 427.

(2) *Pag.* 428. (3) *Pag.* 245.

copus Myrorum dixit: Non ſum coactus. Ego gratum babeo ſub Sede Conſtantinopolitana eſſe, quoniam & ipſe me bonoravit, & ipſe me ordinavit: mibi juſtum videtur, & voluntate ſubſcripsi. Recto ſingulos ordine aſſerimus, prout unus alterum conſecutus proteſtatus in Synodo eſt. Primis quidem duobus, & aliis, qui poſt plurium declarationem generatim dixerunt: *ſponte ſubſcripsimus*: interpres adeſſe poſſet Anatolius, affirmans, comprobata ab ipſis fuiſſe omnia, quæ in Canone nunc continentur. Sed tunc in eodem non extitiſſe omnia, quæ extant in præſentia, & præcipuè Privilegiorum cum Romano Æqualitatem, infertur ex eo, quod nullus omnino rem adeo inſignem a ſe fuiſſe admiſſam profiteatur. Cnm Sententiæ ſunt pro aliis rebus quæſitæ, v. g. pro excipienda Leonis Epiſtola, pro ſtatuenda ejuſdem conformitate cum Generalium doctrina Conciliorum, pro damnando Dioſcoro: ſemper Id, quod majoris erat ponderis, in ſubſcriptionibus Antiſtites expreſſerunt. Idipſum igitur etiam nunc præſtitiſſent quò ad Privilegiorum Æqualitatem, ſi hæc a Canone fuiſſet ſancita. Ad ſui ergo ſuperbi voti Confirmationem detorquere Anatolius nequit eorum verba, qui generatim, *ſponte ſe ſubſtripſiſſe*, atteſtantur. Imò congruentiſſimè ratiocinando confecimus, nihil aliud ab iis intellectum fuiſſe, niſi id, quod cæteri apertè protulerunt. (1)

287 Quid verò cx illa Romani Myræ Antiſtitis Proteſtatione colligitur, aſſeverantis, *gratum ſe babere ſub Sede Conſtantinopolitana eſſe*, QUONIAM ET IPSE ILLUM HONORAVIT, ET ORDINAVIT? An non ab hac limitatione manifeſtè apparet, nihil aliud a Canone tunc fuiſſe ſtatutum, niſi ut certæ quædam Provinciæ, v. g. Lyciæ, ſpectantis ad Aſiam, Conſtantinopolitano Archiepiſcopo ſubiicerentur? Neque novi quidpiam decerni Romanus putavit, cum ſe ipſum Epiſcopatu inauguratum dicat a Præſule Urbis Cæſareæ. (2)

288 Nihil quò ad Privilegiornm Æqualitatem Anatolio ſuffragantur Calogerus Epiſcopus Honoriadis, & Antiochus Sinopæ, qui ſe referunt ad Centum quinquaginta Secundæ Synodi Patres. *Secundùm Sententiam Sanctorum Patrum Centum quinquaginta, voluntate propria non coactus ſubſcripsi*, inquit Primus, ac Secundus addit: *Sponte ſubſcripsi ſequens Metropolitã meum, & Regulam Centum quinquaginta*. Utcumque enim Secunda Synodns voluiſſet Conſtantinopolitanam eſſe Secundam poſt Romanam Eccleſiam, non tamen, ut ſupra oſtendimus, adeo in ſublime jaculata fuerat votis audacibus, ut de indulgendis Æqualibus cum Romana Privilegiis ſomniaret. (3)

289 Sed hic ipſe honor Secundæ Sedis, qui gratis præſumebatur collatus a Secundo Concilio, excluditur a reliquis, nihil de illo innuentibus, ac declarantibus certam ſolùm a ſe ſupra quoſdam Antiſtites Præſtantiam Conſtantinopolitano permitti. *Seleucus Epiſcopus Amaſiæ dixit*: ANTE ME TRES SUNT AB HAC SEDE ORDINATI EPISCOPI, ET INVENIENS HANC CONSEQUENTIAM *& ego ſequutus ſum: Et nunc propria voluntate feci ſub hac Sede eſſe volens*, QUIA ET PROVIDETUR MIHI. Quid apertius ad evincendum nihil novi molitos Antiſtites, cum ipſum Jus quarumdam Provinciarum Metropolitas conſecrandi (quod unicum Conſtantinopolitano tribuebatur) jam facto non ſemel, ſed quater exercuiſſet? Sive quia nimis Alexandria, & Antiochia, quò fuiſſet eundum, a quibuſdam Provinciis diſtarent: ſive quia jucundius quibuſdam accideret in Urbe Cæſarea inaugurari. Certè Seleucus ingenuè fatetur, hoc ſibi opportunius eſſe: *quia & providetur mibi*. Eadem ferè *Petrus Epiſcopus Gangrorum dixit*: ANTE ME TRES SUNT ORDINATI *a Sede Regiæ Civitatis, & ego poſt tantos similiter: & ob boc* CONSENSI HIS, QUÆ CONSUETUDO HABUIT, *& ſponte ſubſcripsi*. Hunc inter, ac Seleucum loquutus fuerat Eleutherius Chalcedonenſis, qui, ſe referens ad illa, quæ Seleucus contraxerat ad facultatem quoſdam Metropolitanos initiandi, ait: *Sciens quia & per Canones, &* PER CONSUETUDINEM PRÆCEDENTEM *babet bæc jura Conſtantinopolitana Sedes, cum voluntate ſubſcripsi*. Manifeſtum eſt vel irrepſiſſe errorem in Sententiam, quæ conſequitur, Nunechil Epiſcopi Laodiceæ, vel aptam, & congruentem noſtræ, interpretationem illi tribuendam eſſe. Ea verò ſic habet: *Gloria Sedis Conſtantinopolitanæ gloria noſtra eſt. Hujus enim bonoris nos ſumus quoque participes, quoniam ſolicitudines noſtras ſuſcepit, & diligimus, ut uniuſcujuſque Provinciæ Metropolis a Sede bac ordinetur; unde & ſponte ſubſcripsi*. Nihil hæc verba Conſtantinopolitano, præter conſecrandi Metropolitas facultatem, attribuunt. Sed ſi ad quaſcumque Metropolitanas Urbes protenderentur, nihil Alexandrino, & Antiocheno Patriarchæ relinqueretur. Hoc autem nec Anatolius ipſe fuit auſus optare. De iis ergo ſolùm principibus Urbibus loquitur, quæ in certis, Byzantino deſtinatis, Provinciis eminebant. Mariniann Epiſcopus Synnadorum, Primatum quoque fuiſſe conceſſum Se-

(1) *Pag.* 428. (2) *Pag.* 428.

(3) *Pag.* 428. & 429.

di Cæſareæ Urbis,opinatur. Sed Primatus plurimi erant, nec ipſe affirmat Alexandrino v. g. Conſtantinopolitanum anteferendum: CUM SINT ET PRIORES MEI A SEDE CONSTANTINOPOLITANA SANCTÆ ECCLESIÆ ORDINATI, *& ego ipſe quoque per eam, ſponte ſubſcripſi, quoniam & Canones Primatum præbent Conſtantinopolitanæ Sanctiſſimæ Sedi.* (1)

290 Prudenter Pergamius Antiochiæ Piſidiæ ſuſpicionem excitat ſubreptionis in iis, quæ petebantur, & Eccleſiarum perturbationis, ac, ſolùm ab Epiſcopis Aſiæ, ac Ponti, colendum eſſe veluti Patrem Antiſtitem Regiæ Urbis, affirmat: *Ex propria voluntate ſubſcripſi, & in omnibus Sanctiſſimum Archiepiſcopum Regiæ Civitatis novæ Romæ in honore, & cura ſicut Patrem præcipuum habere nos convenit. Hoc ſolùm rogo, ut ſi qua, aut per eorum Sanctitatis ignorantiam, aut per ſubreptionem inveniuntur agi, pro ejus gloria, vel pace Eccleſiarum, & ejus ad Deum coram omnibus comprobatione, hæc tanquam coram Patre diſcutiantur, atque ſerventur.* Critonianus Epiſcopus Aphrodiſiadis de conſuetudine conſecrationis quorumdam Metropolitarum atteſtatur, & ad hanc coarctat Sanctorum Patrum Decreta: *Ex propria voluntate ſubſcripſi ſequens intentionem Sanctorum Patrum, & debitor hujus Sedis exiſtens,* QUONIAM ET EGO ORDINATUS SUM, ET PRIORES MEI, *& omne patrocinium Eccleſia noſtra conſecuta eſt.* (2)

CAPUT LVI.

Evidens Demonſtratio alieniſſimi Chalcedonenſium Patrum animi a decernenda Æqualitate cum Romano, & Univerſalitate Præſulis Conſtantinopolitani.

291 PArcere potuiſſemus quorumdam verbis afferendis, ſed ſupereſſe nullum voluimus non expenſum, ut liqueret, excludi per ea, quæ proferunt, illa, quæ conticeſcunt; ideoque Privilegiorum cum Romano Æqualitatem vindicari Conſtantinopolitano non poſſe a Canone, cui Chalcedonenſes Epiſcopi ſubſcripſerunt. Jam verò ad hoc ipſum oſtendendum afferimus Argumentum, cui nullam, vel apparentem, Schiſmatici ſolutionem afferent, utcumque in unum conſpirent omnes ad illam inveniendam. *Euſebius Epiſcopus Dorylæi dixit: Sponte ſubſcripſi,* QUONIAM ET HANC REGULAM SANCTISSIMO PAPÆ IN URBE ROMA EGO RELEGI PRÆSENTIBUS CLERICIS CONSTANTINOPOLITANIS, EAMQUE SUSCEPIT. Illud ergo ſolummodo continebatur in Canone, cui ſubſcripſerat Euſebius Dorylæi egregius Eutychetis Impugnator, quod oſtenſum ab eodem fuerat in Urbe Roma Leoni Pontifici Maximo, & ab hoc fuerat receptum, veluti æquitati conſentaneum. Quis autem opinari poſſit, aliud extitiſſe in exemplo Regulæ illius oſtenſæ ab Euſebio Leoni, quàm facultatem indultam Antiſtiti Conſtantinopolis conſecrandi Metropolitas quarumdam certarum Provinciarum, nimis Alexandriâ, Antiochiâque diſtantium? An Conſtantinopolitanum in Oriente Primatum comprobare potuiſſet Leo, qui in eumdem, ſibi ab Anatolio temerariè arrogatum, ſemper Apoſtolico ſpiritu exarſit? An Æqualitatem Privilegiorum cum Romano concedere Leo potuit Urbis Cæſareæ Præſuli, quem exæquari Alexandrino deinde noluit, & Antiocheno? Quod hæc audacia tentamenta, quæ deinde, quaſi a Chalcedonenſi Concilio decreta, in Canonem irrepſerunt, antea Leoni non innotuerint, meridiana luce clarius videtur mihi. Cum igitur profiteatur Euſebius, nil aliud a ſe, cæteriſque (neque enim diverſus Euſebio propoſitus fuit Canon ab illo, qui aliis Epiſcopis eſt exhibitus) ſubſcriptum fuiſſe, quàm illud, quod ante non improbaverat Leo, manifeſtiſſimum eſt, ſubreptitium eſſe Canonem, qui nunc circumfertur. Nec abeant non expenſa verba illa; *præſentibus Clericis Conſtantinopolitanis;* quos Teſtes Euſebius appellat, & quorum aliqui, cum eo Romam profecti, tunc abſque dubio intererant Synodo Chalcedonenſi. Hi porrò Anatolio addictiſſimi, quos non ſemel clamantes audivimus pro afferendis Regiæ Privilegiis Eccleſiæ, tunc enimvero inficiati fuiſſent Euſebii dicta, niſi eos manifeſta veritas ad ſilentium compuliſſet. Liquet igitur, exaratum fuiſſe nihil in Canone, Antiſtitum ſubſcriptione firmato, quod moleſtum Leoni poſſet accidere. Idcirco quæ ingratiſſima eidem poſtea in medium prolata ſunt, originem habuerunt ab aſtu, & circumventione Anatolii. (3)

292 Cum Euſebius Dorylæi lethalem ſuperbi Gigantis fronti lapidem infixerit, quid ultra inſultemus lapſo ad humum, & omnino extincto? Non tamen omittendus eſt alter Euſebius Epiſcopus Ancyræ Galatiæ, qui Præſulum ultimus Sententiam dixit, ipſumque unicum quoſdam inaugurandi Metropolitas Privilegium in controverſiam Conſtantinopolitano revocavit; ideo-

(1) *Pag.* 428. & 429. (2) *Pag.* 429.

(3) *Pag.* 429.

ideoque multò magis excluſit reliqua, ad quæ anhelabat ambitus Anatolii: *Ego meum dictnrus ſum verbum*, inquit Euſebius Ancyranus, *nullum in commune præjudicium faciens. Quoniam penitus deſiſto a deſiderio Ordinationis, rebus oſtendi. Petrus etenim Epiſcopus, qui modò teſtatut eſt, de Gangris eſt Epiſcopus*. ANTE HUNC ENIM, QUI FUIT, EGO OROINAVI: *Omnis enim Civitas ad me venit in Ancyra decreta portantes. Reſpondi eis dicens: Ego non ſum ex iis, qui ordinare deſiderant. Commemorabant verò mibi priores, qui fuerant ordinati ab Epiſcopo Ancyranorum, duos, aut tres. Ego dixi: Quæcumque mibi dicatis, ego meipſum judicio non ſubmitto. Poſt bæc veniunt rogantes beatum Proclum*. Conſuetudo igitur inoleverat, ut Gangrorum Epiſcopi ab Ancyrano, non a Conſtantinopolitano conſecrarentur, & ad hunc, videlicet ad Sanctum Proclum, tunc ſolùm confugerunt Gangræ cives, cum rejecti ſunt ab Euſebio. Ita deinde narrationem proſequuntur Acta. *Et cum diceret*, ſcilicet Euſebius, *Philippus Reverendiſſimus Presbyter Conſtantinopolitanæ Sanctæ Eccleſiæ dixit: Religioſitas tua ſcripſit de Callinico, & poſt Sanctitatem tuam Petrum ordinavit Beatus Proclus. Euſebius Epiſcopus Ancyræ dixit: Direxit Beatus Proclus ad me ſcripta: Ordinavi eum. Hoc totum allegatio non eſt, ſed meæ voluntatis probatio, ut poſt bæc inſeram, quod peto, vel id, quod contradico. Profectus ſum in Gangra, inthronizavi Epiſcopum. Sic evenit, ut moreretur intra paucos dies. Rurſus* OMNES OE CIVITATE ADEUNTES ROGABANT, UT FIERET ALTER EPISCOPUS: *Dixi bæc ipſa vobis, & nunc reſpondeo; Ego non deſidero ordinare. Reſpicientes meum in bis rebus faſtidium venerunt Conſtantinopolim, & deduxerunt Domnum Petrum, qui nunc confeſſus eſt. Hoc ergo ſit pro meæ teſtimonio voluntatis: & quod ego ordinare non cupio*. Si mos invaluiſſet, ut Gangrorum Epiſcopi a Conſtantinopolitano Sacris initiarentur, enim vero notum hoc fuiſſet Gangræ civibus, qui ad Ancyranum iterum non acceſſiſſent. Orat exinde Synodum Euſebius, ne quidpiam ſolvatur in poſterum pro Antiſtitum Conſecratione; atque hinc fortaſſe poteſt excitari ſuſpicio, quod Avaritia quoque fomitem præbuerit Conſtantinopolitani Præſulis Ambitioni, exoptanti plurimos Epiſcopos ſacris honoribus inſignire. Sic ergo ingenuè dixit Euſebius; *Rogo autem, ut Civitates pro Ordinationibus non ſolvant. Si enim non in Civitatibus ipſis bi, qui eliguntur a Civitate, ordinantur, a Synodo Provinciæ comprobati, ſolvuntur ſubſtantiæ. Et hoc probatum habeo, qui pro eo, qui ante me fuit, multa reddidi debita. Philippus Presbyter dixit: Ex Regulo boc interemptum eſt. Hæc Legibus, & Regulis interempta ſunt. Altaria munda ſunt. Euſebius Epiſcopus Ancyræ dixit; Propter Deum, opinio clara eſt Sanctiſſimi Epiſcopi Anatolii, ſed nullus immortalis exiſtit*. Licet honorificè de Conſtantinopolitano locutus fuiſſet Euſebius, tamen hunc perſtringens *Anatolius dixit; A quo ordinatus es ipſe?* Euſebius dixit; *Hic malo meo repertus ſum, & ordinatus a Beato Proclo. Thalaſſius Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ dixit: Pergimus ad Domnum Anatolium Archiepiſcopum, & ordinamus* (ſive, ut alii legunt) *& ſtatuimus illud*. Thalaſſius crgo, qui in Epheſino Conciliabulo fuerat unus ex præcipuis Dioſcori aſſeclis controverſiam abrupit, nec ſine impetu traxit alios ad ſtatuendum, ut Metropolitanorum quorumdam Conſecratio Cæſareæ Urbis Epiſcopo decerneretur. (1)

293 Hic interlocuti ſunt Judices conſilium ſuggerentes, quo tamen èxpoſito poſtularunt, ut Synodus ipſa ſententiam ferret. *Glorioſiſſimi Judices dixerunt: Ex bis, quæ geſta ſunt, & ab unoquoque depoſita, perpendimus*, OMNEM *quidem* PRIMATUM, ET HONOREM PRÆCIPUUM SECUNDÙM CANONES ANTIQUÆ ROMÆ DEO AMANTISSIMO ARCHIEPISCOPO CONSERVARI. *Oportere autem Sanctiſſimum Archiepiſcopum Regiæ Conſtantinopolis novæ Romæ eiſdem Primatibus bonoris, & ipſum dignum eſſe*, & POTESTATEM HABERE ORDINARE METROPOLITAS IN ASIANA, ET PONTICA, ET THRACIA DIOECESIBUS, SECUNDÙM HUNC MODUM, *ut decreto facto a Clericis uniuſcujuſque Metropolis &c*. Explicant exinde modum Electionis faciendæ, ac ſubiiciunt; *Uniuſcujuſque tamen civitatis Sanctiſſimos Epiſcopos ordinari ab omnibus, aut pluribus Reverendiſſimis Epiſcopis poteſtatem babente Metropolitano ſecundùm Patrum Regulas definitam*, ETIAM NIHIL COMMUNICANTE IN ILLORUM ORDINATIONIBUS SANCTISSIMO ARCHIEPISCOPO REGIÆ CONSTANTINOPOLIS. *H·c a nobis inſpecta ſunt. Quæ autem ſibi videntur, Sanctum, & Univerſale Concilium docere dignetur. Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Hæc juſta ſententia, bæc omnes dicimus, bæc omnibus placent, boc juſtum decretum. Quæ conſtituta ſunt, valeant. Hæc juſta ſententia. Omnia ordinatè directa ſunt. Supplicamus, dimitte nos. Per ſalutem Imperatorum dimitte nos. Omnes in bic ſententia permanemus, omnes eadem dicimus*. (2)

Triumphabunt hic, opinor, Patroni Conſtantinopolitanæ Sedis, cui ſupremos

poſt

(1) *Pag.* 429. & 430. (2) *Pag.* 430.

poſt Romanam honores adjudicatos tandem aliquando fuiſſe dicent in fine Synodi, utcumque eò uſque ſancita ſolùm fuiſſet conſecratio quorumdam Metropolitanorum. Quid verò ad hæc reponemus? An proteſtatos contra iſta Romanos Legatos, qui eadem, quæcumque demum fuerint, infirmarunt? Ita profectò contigit, ut mox videbimus. Interim tamen, ut ut ſtatuta hæc fuerint ab Epiſcopis ulteriorem moram non ferentibus, *perque Imperatorum ſalutem* Judices adjurantibus, ut ſibi diſcedendi facultatem tribuerent, quod tandem ex his verbis Conſtantinopolitano Archiepiſcopo incrementum honoris acceſſit? Cedere in primis Romano jubetur, cui, non qualiſcumque, *ſed omnis Primatus & honor præcipuus ſecundùm Canones conſervandus eſt*. Neque hìc ulla fit commemoratio abſonæ illius, & abſurdiſſimæ cauſæ allatæ in præcedenti Actione, videlicet, quod Patres Romanæ Sedi contulerint Privilegia, eo quòd Urbs illa imperaret; ſed ſolùm Canones generatim allegantur, profeſſi, eas Romano deberi Prærogativas, quæ profluxerant ex Inſtitutione Divina, ut non ſemel demonſtravimus. (1)

294 Quis deinde Primatus aſſeritur Præſuli Cæſareæ Urbis? Romano, inquies, Æqualis. Itane verò? At hanc declarationem Æqualitatis in ſuggeſtione Judicum ab Epiſcopis comprobata nequaquam invenio. Dicunt quidem, *oportere novæ Romæ Archiepiſcopum eiſdem Primatibus honoris & ipſum dignum eſſe* (ſive, ut melius ex Græco vertitur, *ejuſdem Primatus honore frui*) ſed ſtatim explicatur, in quo ſitus eſſe debeat Primatus iſte, per hæc verba: *Et poteſtatem habere* (ſive, ut additur ex Græco textu, *& ipſum ſua auctoritate poteſtatem habere*) *ordinare Metropolitas in Aſiana, & Pontica, & Thracia Diœceſibus ſecundùm hunc modum &c.* Coarctatur ergo Primatus Conſtantinopolitanus ad hanc Poteſtatem ordinandi Metropolitas illos. An idcirco decernitur Æqualitas Romanum inter, & Byzantinum Antiſtitem? An ſolam Metropolitas quoſdam conſecrandi facultatem Romanus habet? An illi deeſt altera excipiendi omnium ad ſe provocantium Appellationes, cognita a Concilio Nicæno, vel Sardicenſi, atque hoc ipſo Chalcedonenſi? An caret Jure damnandi Hæreſes omnes, declarandi Fidem, imperandi Generalibus Synodis, toties præſumpto, & admiſſo ab hac ipſa Chalcedonenſi, ut centies præbuimus manibus quodammodo contrectandum? An aliæ plurimæ ſubtrahuntur dotes hucuſque tam apertè

(1) *Pag.* 430.

Romano aſſertæ? An hæ per illa Judicum verba Conſtantinopolitano quoque indulgentur? Quo igitur pacto eidem omnimoda Privilegiorum Æqualitas vindicatur? Profectò ſolummodo ipſe quoque dicitur futurus *Primas*, ſicut Romanus, quò ad Poteſtatem illos Metropolitas inaugurandi. Primates certè ſunt omnes illi, quibus Metropolitani ſubiiciuntur. At hoc pacto Æquales dici quoque poterunt Alexandrinus, Antiochenus, & in præſentia tot Occidentis Primates. Utque aliud a Patriarchatus nomine exemplum ſumamus, Æqualis Romano dici poterit v. g. Alexandrinus, quia ſicut Romanus Occidentis Patriarcha cenſetur, ita ille Patriarcha eſt Ægypti, Lybiæ, ac Pentapolis. Quemadmodum igitur, licet quò ad hoc conveniant, non tamen omnino ſunt Æquales, quia, præter Patriarchalem Dignitatem, Romano ineſt altera Summi Pontificatus, quo Univerſam moderatur Eccleſiam: ita licet *idem*, quo Romanus potitur, *Primatus honor* Conſtantinopolitano Archiepiſcopo deferatur, quò ad conſecrandi Metropolitas facultatem; non tamen Æqualia in cæteris ipſi Privilegia conferuntur, neque alter ipſi Summus Pontificatus tribuitur, Eccleſiam Bicipitem conſtituendo. (2)

295 Romano tantummodo Conſtantinopolitanum per hæc verba exæquari negamus? Quid, quod per eadem neque Alexandrino præfertur, aut Antiocheno, quibus jam inerant *iidem Primatus honores, & poteſtas plurimos Metropolitas conſecrandi*, quæ ſola nunc Conſtantinopolitano communicatur, illum cæteroqui quò ad omnia Romano ſubjectum relinquendo, prout eidem ſuberant alii duo Preſules, Patriarchali præterea nomine inclyti, quo Cæſareæ Urbis Archiepiſcopus non honeſtatur a Synodo Chalcedonenſi.

Non inficior in Epiſtola Synodi deinde ſcripta ad Leonem contineri preces, ut Summus Pontifex confirmare dignaretur Regiæ Urbis Antiſtiti Primatum ſupra cæteros Præſules Orientis, quaſi eidem ab hoc Concilio conceſſum. Sed pernegò, honorem hunc Conſtantinopolitano decerni per ea, quæ nunc expendimus, verba: in quibus præterea nulla fit mentio Secundæ Synodi, cujus auctoritate nititur Epiſtola Chalcedonenſium Patrum deinde ad Leonem data. Et in precibus, quas Epiſtola complectitur, amplificandis fortaſſe prævalere potuit arbitrium Anatolii. Enimvero in Actis non invenitur declaratio Primatus hujus, quem a Synodo fuiſſe decretum Epiſtola eadem narrat.

296 Ipſa

(2) *Pag.* 430.

296 Ipſa demum Epiſcopos conſecrandi facultas relinquitur Metropolitis, *etiam nihil communicante in illorum Ordinationibus Sanctiſſimo Archiepiſcopo Regiæ Conſtantinopolis.* An ullos intra fines compeſcitur Juriſdictio Romani, qui Patriarchas, Metropolitas, Epiſcopos elegit frequenter, Sacris interdixit, a gradu dejecit, ut Supremus Univerſæ, abſque ullo poteſtatis limite, Adminiſtrator Eccleſiæ? (1)

297 Quamvis multò minus Conſtantinopolitano tributum fuerit, quàm ſomnient, qui verborum pondera æqua lance non librant, id ipſum tamen, quod eidem fuit indultum, Legatis diſplicuit, juſſis a Leone, nihil quò ad hoc innovare; idcoque *Lucentius Reverendiſſimus Epiſcopus, Vicarius Sedis Apoſtolicæ dixit: Sedes Apoſtolica nobis præſentibus humiliari non debet.* (ſive, ut alii legunt, PRÆCEPIT *nobis præſentibus omnia fieri*) *Et ideo quæcumque in præjudicium Canonum, vel Regularum heſterna die geſta ſunt nobis abſentibus, ſublimitatem veſtram petimus, ut circumduci jubeatis: ſin aliàs,* CONTRADICTIO NOSTRA HIS GESTIS INHÆREAT, *ut noverimus, quid* APOSTOLICO VIRO UNIVERSALIS ECCLESIÆ PAPÆ (ſive, ut habet Græcus textus, & TOTIUS ECCLESIÆ PRÆCIPUO EPISCOPO) *referre debeamus; ut ipſe aut de ſuæ Sedis injuria, aut de Canonum everſione* POSSIT FERRE SENTENTIAM. Corruit igitur, qualiſcumque fuerit conditus a Præſulibus Canon, cui Romani Legati Moderatores Synodi contradicunt, cum Synodus ipſa proteſtata toties fuerit, obtemperandum a ſe eſſe Pontifici Maximo, adeoque illius in Concilio gerentibus vices. Affirmat Lucentius, *humiliandam non eſſe Apoſtolicam Sedem*, ideſt, non eſſe permittendum, ut contra illius voluntatem quidpiam decernatur. Judices autem alloquitur, ut prudens Patribus conſilium ſuggerant ſeſe in officio continendi: aut ſi victas illi manus æquitati non præbeant, Judicum ſaltem auctoritas caveat, ne ſuo muneri Notarii deſint, hanc Legatorum Proteſtationem Actis non inſerentes. Opportunè quoque Lucentius Leonem appellans, eumdem, ut ferè ſemper, decorat Titulo UNIVERSALIS ECCLESIÆ PAPÆ, ad revocandam in Epiſcoporum animos Poteſtatem, quam Romanus Antiſtes habet in totam Eccleſiam, ſive ſparſam per Orbem terræ, ſive in Generalibus Synodis congregatam. Hanc quidem Appellationem hic Græca Verſio nequaquam affert, ſed eâ uſum Lucentium fuiſſe dubitari non poteſt, cum extet in textu Latino, qua Legatus lingua loquebatur. Ipſa etiam nomenclatura *Totius Eccleſiæ præcipui Epiſcopi*, adhibita a translatione Græca, ſufficit ad evertendam, quam inſanis Anatolius votis exoptabat, Æqualitatem. (2)

298 Geſtiret ſaltem Suavis, quòd Legatis Synodus non paruerit; nam *Joannes Reverendiſſimus Epiſcopus Sebaſtiæ dixit: Omnes in Sententia veſtræ magnificentiæ permanemus. Illuſtriſſimi Judices dixerunt: Quod interlocuti ſumus, tota Synodus approbavit.* Atque hæc ſunt ultima Actorum verba. Unicum audio Joannem, qui aliorum mentem interpretatur, at certè conſueti cæterorum clamores deſiderantur. Quod autem Judices dicant, Interlocutionem ſuam fuiſſe a tota Synodo comprobatam, conſonat quidem veritati quò ad aſſenſum eorum ſententiæ a Patribus præſtitum, antequam contra illam Lucentius proteſtaretur, at nullatenus probat, iteratum eumdem conſenſum fuiſſe poſt Legati Proteſtationem. Sed, utcumque ultro admittamus, obtemperatum a Synodo Nuntiis haudquaquam fuiſſe, tamen non ſequitur, debito cultu fraudatum in fine Concilii fuiſſe Pontificem Maximum, quem ſummo ſemper obſequio Chalcedonenſes Patres fuerant proſecuti. Eatenus enim in hoc a Legatorum verbis diſceſſerunt, quatenus putarunt, ab illis rigidam nimis, neque congruentem, Interpretationem dari Voluntati Leonis. Fidem adhibebant Euſebio Dorylæi, qui dixerat: SPONTE SUBSCRIPSI, QUONIAM ET HANC REGULAM SANCTISSIMO PAPÆ IN URBE ROMA EGO RELEGI *præſentibus Clericis Conſtantinopolitanis, eamque ſuſcepit.* Quemadmodum igitur, qui certum ſe eſſe credit de Regia Conceſſione, rebellare ſe minimè putat, ſi contrariæ de Regis animo Interpretationi Regalis Nuntii ſe non conformat: ita Synodus opinata fuit, ſequi ſe poſſe Judicium, quod credidit ab ore Pontificis Maximi permanaſſe. Spe præterea Concilium lactabatur Confirmationis ab Apoſtolica Sede obtinendæ; ideoque, cum moram ulterius ferre Patres nequirent, diuturnum ſubire noluerunt certamen cum Anatolio, ac Judicibus, honori Cæſareæ Urbis Archiepiſcopi velificantibus. Et hac quidem ſpe roborandi ſui Decreti ab Aſſenſu Pontificio inductam fuiſſe Synodum ad ulterius non altercandum, liquet ex Epiſtola Synodali ad Leonem ſic habente: *Indicamus verò, quia & alia quædam pro rerum ipſarum ordinata quiete, & propter Eccleſiaſticorum ſtatutorum definivimus firmitatem, ſcientes,* QUIA ET VESTRA SANCTITAS ADDISCENS ET PROBATURA, ET CONFIRMATURA EST EADEM. *Eam namque*

CON-

(1) *Pag.* 431.

(2) *Pag.* 431.

CONSUETUDINEM, *quæ ex longo jam tempore permanſit, quam habuit Conſtantinopolitanorum Sancta Dei Eccleſia* AD ORDINANDUM METROPOLITANOS PROVINCIARUM TAM ASIANÆ, QUÀM PONTICÆ, ET THRACIÆ, ET NUNC SYNODALI DECRETO FIRMAVIMUS, *&c.* Non ſolùm igitur certa ſpe Synodus præſumebat Confirmationem, quam deinde obſequentiſſimè flagitavit, ſed etiam affirmant Patres, ejuſdem a ſe ſcientiam fuiſſe præhabitam: *ſcientes, quia & Veſtra Sanctitas addiſcens & probatura, & confirmatura eſt eadem.* Hæc autem ſcientia profectò nitebatur Atteſtatione, quam perpendimus, Euſebii Dorylæi. A Pontificiis ergo Decretis reſilire ſe Concilium non Judicavit. Hanc in longum Diſputationem produximus, ut Græcorum, ſtudioſiſſimè a nobis quæſito, emolumento conſulamus, quibus incredibilem perniciem attulit ſuperbus hic Canon, a Schiſmatis Vexilliferis perpetuò jactatus. Neque illum librando ab Operis noſtri Argumento digreſſi ſumus, cum Præſtantiam ſupra omnes Epiſcopos Romano, cui nullus poſſit exæquari, vindicaverimus. (1)

Neque nihil contra Suavem lucrati ſumus; cum enim tanto conatu propius ad Romanum accedere Conſtantinopolitanus Præſul ambiverit, manifeſtè liquet, maximo etiam tunc, neque ſolùm poſt exortos Ciſtercienſes, in pretio fuiſſe Romanum.

CAPUT LVII.

Obiter refellitur Doſitheus Patriarcha Hieroſolymitanus Canones Conſtantinopolitanum, & Chalcedonenſem, contra Sedem Apoſtolicam allegans.

POſt impugnatum, & everſum ferè centies, & frequenter in poſterum evertendum Petrum Suavem Polanum, præſtat hic attexere reſponſionem alteri hoſti infenſiſſimo Cathedræ Principis Apoſtolorum, Doſitheo nimirum, qui evoluto proximè Seculo ſua inſigni nequitia Hieroſolymitanam Sedem dedecoravit. Aliorum ipſe Schiſmaticorum virulenta Volumina tres in Tomos digeſta Typis in Moldavia ſubjecit: cumque nihil aliud moliretur, quàm Sectarios ſuos ſemper magis a Vaticano abalienare, infamem tamen illam Librorum congeriem per effrontem, & veſanam ironiam inſcripſit *Tomum Primum Reconciliationis, alterum Pacis, Tertium Gaudii.* Nihil in his continetur, quod abunde diſflatum in anteceſſum non fuiſſet ab Orthodoxis Controverſiarum Scriptoribus. Ferè omnia Adverſariorum, quos latrantes inducit, Argumenta profluunt ab immanibus calumniis contra Eccleſiæ Moderatores. Unum ſolummodo eſt, in quo diluendo moram aliquam trahere poſſem, cum Polemicam Pontificiam Concilii Chalcedonenſis Hiſtoriam ſcribendam ſuſceperim, niſi jam illud multiplici ludibrio traduxiſſem; triumphum enim ſibi adjudicat glorioſus miles Doſitheus eò, quòd in Vigeſimo octavo hujuſce Synodi Canone narretur indultum fuiſſe Primatum Romano Pontifici a Concilio Nicæno, & non a Jure Divino illum conferentis Reparatoris noſtri. Inſultat autem reſponſioni ab aliis allatæ affirmantibus non fuiſſe legitimè conditum Canonem illum, cum abeſſent a Congreſſu Pontificii Legati, qui deinde contra eumdem reclamaverint, eumque deinde rejecerit Apoſtolica Sedes. Irridet Doſitheus reclamationem hujuſmodi, atque ſtandum, inquit, omnino eſſe Synodicæ Declarationi. Recentior quidam Auctor animadvertit ex Patribus triginta ſupra ſexcentos ferè ducentos tantùm inveniri, qui ſuum edito Canoni nomen addiderint, ideoque nullo ille ſit habendus in pretio, quia conditus non fuerit a majori Concilii parte: ac deinde poſt auditum Paſchaſinum Legatum exclamantem: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum,* puduerit audaciæ ſuæ ipſoſmet Canonis conditores, qui a Sententia receſſerint. Hæc ille, atque aptè quidem. Sed nos nequaquam una ſolummodo, vel altera reſponſione jam occurrimus temeritati Doſithei. Videri poſſunt, quæ Tomo Primo in Opere inſcripto: *Demonſtrata Impiorum Inſania* Libro Tertio Signo 22. §. 3. & ſeqq., contra jactantes hos Canones Secundi, & Quarti Concilii, evicimus manifeſtiſſimè, Primatum Romanæ Sedis attribui non poſſe Dignitati Urbis Cæſareæ, nec attributum fuiſſe a Nicænis, vel aliis Patribus.

In hac autem ipſa Hiſtoria Capite Quinquageſimo demonſtravimus intruſum fuiſſe, ac ſubreptitium Canonem Conſtantinopolitanum: & Capite ſequenti dilucidavimus ex abſurdo Initio alterius Vigeſimi octavi Canonis Chalcedonenſis tentantis inſtituere Conſtantinopolitanum in Oriente Primatum everti Primatum eumdem, & unius Romani Antiſtitis ſupra Univerſam Eccleſiam Auctoritatem confirmari. Capite autem Quinquageſimo ſecundo in meridiana luce ſtatuimus non a Patribus reſpicientibus amplitudinem Urbis imperantis, ſed ab Inſtitutione Chriſti Domini fluxiſſe Privilegia Romanæ Cathedræ. Ex Facto deinde, & Ver-

(1) *Pag.* 429. 431. & 441.

& Verbis ipſiuſmet Synodi Chalcedonenſis, dum Fidem contra Hæreticos declarabat (ideoque tunc certè illi aderat Divinus Spiritus) oſtendimus, paſſim, & ubique præſumptum, & ſæpe affirmatum diſertè fuiſſe, quod eadem eſſet in Leone Dignitas, quæ Petro fuerat attributa divinitus. Multipliciter iterum ſequentibus Capitibus Canonem eundem ſubruimus. Supervacaneum autem eſt hìc rurſus in compendium redigere illa, quæ paulò ante a cordatis Lectoribus expenſa iiſdem profectò ſuaſerunt ineptiviſſe Doſitheum ſomniantem Canonibus illis ineſſe vim contra Sacroſanctum Eccleſiæ ſuæ Regimen, & Magiſterium, a Chriſto Domino collatum Petro, eique in Romana Cathedra ſucceſſuris.

CAPUT LVIII.

Allocutio Concilii Chalcedonenſis ad Marcianum Imperatorem declarat, licere Fidei Expoſitionem, & novorum Symbolo inſertionem verborum, ac Romano Pontifici, ut Infallibili veritatis Magiſtro, ampliſſimè plaudit, nihilque aliud a Synodo factum affirmat in explicanda Fide, quàm ut ſe Leonis Magiſterio conformaret.

299 AD examen revocanda nunc ſunt ea, quæ complectitur Tertia Synodi Pars, quod nomen præfigitur Literis poſt Synodum ſcriptis, & ad eamdem pertinentibus; nam Prima Pars habet ea, quæ Synodum præceſſerunt; hujus autem Acta in Secunda recenſentur. Ex Literis porrò Synodum ſubſequutis eas tantùm Polemicis notis illuſtramus, quæ extant in Vulgato antiquo Corpore Conciliorum, noſtro mori inſiſtentes ex hoc ipſo tantummodo Corpore argumenta ſumendi quò ad Synodos illas, quarum Acta ſuperſunt. Nihil igitur ex Literis aliis S.Leonis Magni, quæ in ejus quidem Operibus habentur, relatæ tamen non ſunt in Vetuſtam Conciliorum Collectionem: neque quidpiam ex accuratiſſimo, eruditiſſimoque Philippo Labbè mutuamur, qui aliis plurimis Leonis Magni, & aliorum Epiſtolis, ſacriſque aliis monumentis antiquam Conciliorum Editionem nuper locupletavit. Conſulere illum poterunt ii, quibus inops telorum in hoſtes veritatis noſtra hæc qualiſcumque pharetra videri poſſit. Sed ille (vero abſit invidia) omnia quidem colligit diligentiſſimè, controverſis autem animadverſionibus ferè nunquam indulget. Nullam certè nos afferimus, quam ex eodem Labbè, ex Binio, Syrmundo, Albaſpineo, aut aliis acceperimus. Preclara illi ſunt Stagna, & illuſtres Lacus. At expoſiti omnibus, & ipſi quoque literas amantium hominum vulgo ſunt eorumdem Conciliorum Fontes, ex quibus haurire ſuavius accidit nobis ea, quę Lectoribus optimis ſyncero certè, & candido, niſi aureo, in cratere porrigimus. Igitur abſoluto Chalcedonenſi Concilio allocuti ſunt Patres Marcianum religioſiſſimum Imperatorem ſic exorſi. *Et hoc veſtrum decebat Imperium, ut ſuæ circa ſubjectos ſibi providentiæ ex his, quæ ad Deum pertinent, initium ſumeret, & primò contra Diabolum pro pietate caſtra colligeret.* Poſt breviſſimum hoc præconium Cæſaris, qui, obſecutus Leoni in Synodo congreganda, ſui Principatus primordia conſecraverat, ſtatim ejuſdem Leonis laudes aggrediuntur. *Unde nobis* IMPENETRABILEM (vel, INVICTUM) IN OMNI ERRORE PROPUGNATOREM DEUS PROVIDIT, ET ROMANÆ ECCLESIÆ PAPAM AD VICTORIAM PRÆPARAVIT, *doctrinis eum per omnia veritatis accingens, ut quemadmodum fervens affectu Petrus,* & HIC AFFECTU FERVENTIORE DECERTANS *omnem ad Deum ſenſum, intelligentiamque perducat.* Affirmat ergo Synodus divinitus ſibi præparatum invictum Fidei Propugnatorem Leonem, & gloriatur, quod ejus Magiſterium ſecuta fuerit, quem Infallibilem profectò vocat, dum cuilibet Errori nuncupat IMPENETRABILEM. (1)

Et ſemper Suavis præſumit, æquas fuiſſe poſtulationes Lutheranorum, negantium ſtare ſe poſſe Pontificiis contra ſuum Præceptorem Decretis? Ait enim: *Tunc rationes in medium adducunt, ex quibus evincitur, iniquum eſſe, ut Pontifex, aut qui ei jurejurando ſunt obſtricti, in Concilio Judicis partes agant.* Ex ſententia Chalcedonenſis Concilii nullum in Errorem labi poteſt Apoſtolica Sedes.

300 Quid ſibi volunt verba illa: NOBIS &c. ROMANÆ ECCLESIÆ PAPAM AD VICTORIAM PRÆPARAVIT? An non, ideo relatum a Concilio fuiſſe de Fidei Perduellibus triumphum, ſignificant, quia Romani Pontificis doctrinam, velut e cælo prodeuntem, veneratum fuit, & latè Chriſtiano populo indixit, prout imperaverat Apoſtolica Sedes?

301 Quid magnifica illa Comparatio Leonis cum Petro, & inſignis hyperbole, qua FERVENTIORE, quàm Princeps Apoſtolorum, *affectu decertaſſe* contra Hæreticos dicitur Leo? An non præſumit, Leonem Pe-

(1) *Pag.* 432.

Petro ſucceſſiſſe in Eccleſiæ Regimine, & indicat, neque ipſius Leonis Fidem poſſe deficere juxta Promiſſionem Divinam, qua Privilegium hoc numquam errandi, dum Eccleſiam edocerent, omnibus in Petro ejus Cathedram inſeſſuris deſponderat Inſtaurator humanæ ſalutis?

E ſuo nunquam ſenſu Petri reminiſcitur Suavis, cum de Romano loquitur Pontificatu. Inducit tantùm Catholicos aliquando Theologos de Petri Privilegio differentes, ſed ſuum illico in eos venenum evomit; nihil tamen unquam ſubiiciens, ex quo ſolidiſſimæ illorum ratiocinationes enervari queant. At Synodus Chalcedonenſis Succeſſorem Petri Leonem magnificè comparat eidem Petro.

302 Quia verò calumniabantur Eutychiani Novam vetuſtæ repugnantem a Leone, ipſumque ſecuta Synodo, publicatam Fidem fuiſſe: iidemque Hæretici negabant licere novam Fidei Explicationem afferre, profitentur Patres, a ſe Nicænam ſuſcipi veritatem, & hujus, aliarumque Synodorum exemplo, docent, non eſſe vetitam, ſed permiſſam, & aliquando neceſſariam Divinorum Dogmatum Expoſitionem. Hanc hiſce verbis aſtruunt neceſſitatem. *Hi autem, qui doctrinam rectam pervertere moliuntur,* AD SINGULA, QUÆ MALE PARIUNT, OPORTET OCCURRERE, ET EORUM OBJECTIS CONGRUA QUÆQUE PROVIDERE. Quid ad hæc Schiſmatici, qui paulò ante ſancitum fuiſſe dicunt in Epheſino Primo Sancto Concilio, ne quis Nicænam, & Conſtantinopolitanam Fidem in poſterum explicaret? (1)

303 At certè, inquient, prohibita ſaltem fuerat recentium verborum Symbolo inſertio. Siccine? At cur Chalcedonenſes Patres exempla ducunt ab illis Declarationibus Catholicæ veritatis, quæ Symbolo additæ fuerant, niſi quia illas nequaquam interdici præſumunt? *Nam ſi omnes contenti eſſent Fidei conſtituto, & pietatis ſemitam nulla innovatione turbarent, deceret, Eccleſiæ filios nihil amplius excogitare, quàm Symbolo conſtat eſſe declaratum. Sed quia multi a recta linea per anfractus erroris exorbitant, novum quoddam ſibimet iter mendacii conſtruentes;* NECESSE NOBIS EST, VERITATIS EOS INVENTIONE CONVERTERE (non excidat verbum illud, NECESSE EST) *commenta quoque eorum devia ſalutaribus Adjectionibus refutare, non ut novum ad pietatem, quaſi Fidei deſit, ſemper aliquid exquirentes, ſed ut contra ea, quæ ab illis innovata ſunt, excogitantes, quæ ſalubria judicantur.* Ut rem deinde Imperatoris oculis ſubiiciant, narrant, ſolùm olim extitiſſe in Symbolo verba illa: *Credo in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei conſubſtantialem Patri:* & ſubiiciunt, ob Hæreſes poſtea exortas Arii, Photini, atque Marcelli, uberius explicatam fuiſſe Catholicam veritatem, quod præſtitum eſt per ea verba: FILIUM DEI UNIGENITUM, ET EX PATRE NATUM ANTE OMNIA SECULA, DEUM DE DEO, LUMEN DE LUMINE, DEUM VERUM DE DEO VERO, GENITUM, NON FACTUM, CONSUBSTANTIALEM PATRI, PER QUEM OMNIA FACTA SUNT. Sic enim inquit Symbolum Conſtantinopolitanum, amplificans ea, quæ Nicænum quoque addiderat Symbolo Apoſtolorum. Aliud exinde Chalcedonenſes Patres exemplum afferunt in Articulo de Spiritu Sancto, de quo ſolùm dicebatur in Symbolo Apoſtolico, & Niceno: *Credo & in Spiritum Sanctum,* NULLO ADHUC CERTAMEN AFFERENTE DE EO. Verùm propter blaſphemias, quas poſtea in eumdem Divinum Spiritum evomuerunt Macedonius, aliique *de Arii ſtirpe progeniti &c. qui defenſionem veritati poſtea detulerunt, pijs reniſi argumentationibus eorum penitus* EXPULERE CONTAGIA, DOMINUM ILLUM ET DEUM, EX PATRE PROCEDENTEM, SECUNDÙM FIDEI DOCUMENTA DECLARANTES. Hæc porrò declaratio extat in Symbolo Conſtantinopolitano. Licere igitur hujuſmodi, Symbolo inſertas, Explicationes Chalcedonenſe Concilium, contra veſaniam Schiſmaticorum, affirmat. (2)

304 Aliarum declarationem veritatum, quas tamen neceſſe non fuit Symbolo inſerere, prodiiſſe Synodus inquit ab Apoſtolica Sede, & a Generalibus Conciliis. *Sic quoque* DAMASUS *Romanæ Urbis decus ad juſtitiam Literis ad Paulinum datis diſpenſationis Sacramenta patefecit,* ADMONENS, UT HIS, QUÆ BENE DECRETA SUNT, SI QUI COMMUNIONIS SUÆ PARTICIPES VELINT ESSE, CONSENTIANT. *Ita & qui poſtmodum ubique adverſus varias Hæreticorum congregati ſunt novitates, commune de Fide Decretum unanimiter ediderunt, ea, quæ fraterno conſenſu probaverant; abſentibus evidentiſſimè intimantes. Et illi quidem, qui apud Sardicam contra reliquias Arii convenerunt, Orientalibus directerunt ſui conſtituta judicij. Qui verò in hac Urbe* (ſive, ut melius ex Græco vertitur, *in his partibus*, neque enim Chalcedone, ſed Conſtantinopoli habita fuit Secunda Synodus, de qua ſermo eſt) *Apollinaris detexerunt peſtilentiam, Occidentalibus proprium innotuere decretum. Et illis quidem* HOSIUS AD PROFERENDAM SENTENTIAM PRÆERAT (ſive, ut habet Græcus Textus, Dux fuit)

(1) *Pag.* 432.

(2) *Pag.* 433.

Digitized by Google

FUIT) *horum autem Nectarius cum Gregorio tenuit principatum. Sic & apud Epheſum id, quod de Dei Genitrice judicatum eſt, ſcripto firmatum eſt. Et de Deitate, atque humanitate Domini teſtimonia cum propria ſubſcriptione protulerunt, manu, & lingua Naturarum profeſſionem in una Perſona pariter approbantes*. Non pepercimus horum recenſioni verborum, ex quibus liquet, eamdem poteſtatem explicandi Fidem cognoſci a Concilio Chalcedonenſi in Damaſo Pontifice Maximo, camdemque certitudinem veritatis, quæ inerat Definitionibus Generalium Synodorum, Sardicenſis, Conſtantinopolitanæ, ac Primæ Ehefinæ. Has verò profectò cenſebant fuiſſe infallibiles. Idem ergo de Doctrina Damaſi teſtimonium ferunt Præſules Chalcedonenſes. Obiter quoque perpendo, aptiſſimè illos locutos fuiſſe de Hoſio, qui Pontificius Legatus adeo *Dux fuit* Patribus Sardicenſibus ad omnia decernenda, ut illum, velut Oraculum, fuerint proſecuti, quemadmodum oſtendimus in alio hujus Hiſtoriæ Libro, & ſatis evicimus in alio Opere de Signis Fidei Libro 3. Signo 34. (1)

305 Prophetico deinde ſpiritu præſenſiſſe videntur optimi Antiſtites deliria Schiſmaticorum, nunc affirmantium, vetitam ab Epheſino Concilio fuiſſe ulteriorem Fidei Explicationem: atque ob illam, contra ſomniatum hoc Decretum, permiſſam, infertâ Symbolo particulâ *Filioque*, lapſos fuiſſe Romanos Pontifices a Suprema Orientalis etiam Eccleſiæ Præfectura. Huic inſaniæ occurrens Concilium Chalcedonenſe inquit: *Si quis autem cenſet hucuſque conſiſtere debere eos, qui Fidem pro facultate defendere cupiunt*, MAXIMÈ QUIDEM HOC PRÆCEPTUM HÆRETICIS PROMULGARE DEBEBIT, ILLOS AB IMPUGNATIONE REMOVENS, NON AVERTENS A PROTECTIONE PASTORES. *Omnis enim Lex injuſtos a delictis cobibet*, NON JUDICES A POTESTATE DISJUNGIT. *Aliàs autem doceantur indociles, quia* ET NUNC LICET, UT AMBIGUITATE QUÆSTIONIS EXORTA, PATRUM INTERPRETATIONIBUS NOSTRAM CONFESSIONEM COAPTEMUS *&c.* Unicus hic locus ſufficit ad evertenda miſeri, ac ſuperbi Schiſmatis fundamenta. Quid apertius dici poteſt ad vindicandam PASTORIBUS AC JUDICIBUS Eccleſię poteſtatem Fidei declarandæ? Manifeſtè docet Chalcedonenſe Concilium, hanc ab Epheſino facultatem ſolummodo Hæreticis interdictam fuiſſe. Meliores, opinor, Interpretes erant Epiſcopi Chalcedone congregati eorum, quæ paulò ante ſancita Epheſi fuerant, quàm eſſe deinde potuerint poſt multa ſecula Photius, Cerularius, Balſamon, Marcus Eugenicus, aliique rebellionis mero lymphati. Licuit igitur, *ambiguitate quæſtionis exorta* de Divini Spiritus Proceſſione, *docere indociles, & Patrum interpretationibus noſtram confeſſionem coaptare*. Innumeræ autem Patrum, præcipuè Græcorum, interpretationes, docentium, a Filio quoque manare Divinum Spiritum, inventæ ſunt, antequam additâ illâ particulâ *Filioque* noſtra in Symbolo confeſſio iiſdem coaptaretur. Illam inferendi Decretum prodivit ab Epiſcopis in Synodo conſpirantibus, qui certè PASTORES erant, & JUDICES veritatis: ac ſubjecti oculis Paſtorum Principis, & Supremi Fidei Judicis, Maximi videlicet Pontificis, Auctoritate utebantur. Hi autem prohibiti non ſunt hoc præſtare ab Epheſino Concilio, Hæreticis tantummodo vetante permutationem Symboli. *Hoc præceptum*, inquiunt Patres Chalcedonenſes, quod Epheſinis tribuitur, *Hæreticis promulgare debebit, illos ab impugnatione removens, non avertens a protectione Paſtores. Omnis enim Lex injuſtos a delictis cobibet, non Judices a poteſtate disjungit*: ſive, ut Græcè legitur, NON POTESTATEM JUDICIBUS ADIMIT. Nihil ergo ex ſententia Synodi Chalcedonenſis deliquerunt Romani Pontifices contra Epheſina Decreta, ideoque nihil illis imminui potuit ex Suprema Juriſdictione, quam antea divinitus illis tributam fuiſſe, & exercitam ſupra Univerſam Eccleſiam, Schiſmaticorum plerique cum Photio, aliiſque impietatis Ducibus confitentur. (2)

306 Ad Leonem deinde regreſſi ita de illo Patres Cæſarem alloquuntur: NON IGITUR NOBIS ADMIRANDI ROMANÆ URBIS PRÆSULIS EPISTOLAM, VELUT INNOVATIONIS OFFENDICULUM, CRIMINENTUR; *ſed, ſi non eſt Divinis Scripturis coaptata, redarguant, ſi non præcedentium Patrum ſententijs adunata, ſi non impiorum accuſationem continet, ſi non defenſionem Nicænæ Fidei profert, ſi non eorum, qui novitates appetunt, commenta ſubruit, ſi non vaniloquorum contagia prodigioſa ſubvertit*. Ne puſillo cuipiam modus iſte loquendi negotium faceſſat, perinde ac opinarentur Epiſcopi, fieri poſſe, ut Epiſtola Pontificia non congrueret Divinis Literis, Patribus, & Conciliis. Ab hujuſmodi ſuſpicione toto cælo abſtit Synodus Chalcedonenſis, ut magna, & copioſiſſima Argumentorum vi demonſtravimus. Sed ita loquuntur inſultantes Hæreticis, qui non ſolùm Pontificis Maximi, ſed etiam Conciliorum Fidem novitatis criminabantur. Licet

(1) *Pag.* 435.

(2) *Pag.* 435.

cet ergo Patres omnino eredant, fieri non poſſe, ut Leonis Epiſtola Divinis a Literis diſcreparet, tamen ad compeſcendam Hæreticorum audaciam eos laceſſunt ad irritum conatum, quo probare aggrederentur id, quod probare nulla ratione potuiſſent. Illud ipſum, quod de Leonis Epiſtola dicunt Chalcedonenſes Patres, de ipſomet ab ipſis habito Concilio aſſeverant;hujus enim firmitatem fulciunt Pontificio, cui adhæſerant, Magiſterio. Hortantur profectò Cæſarem per hęc verba ad Synodi defenſionem: *Concilij hujus a vobis congregati prædicationem* Petri Sedis Auctoritate roborantes. (1)

307 Quis non videt,hinc etiam erui Pontificiam Præſtantiam ſupra Concilia, quæ, a Petri Sedis Auctoritate, velut a Superioris ſui, ſibi robur accedere, profitentur? Iiſdem præterea verbis aſſeritur Infallibilitas Pontificia, quia ſi hæc denegetur, eadem nec ipſis aderit Synodis, a Petri Sede ſumentibus vires, & nervos; ideoque nulla ſupererit certitudo veritatis in Eccleſia Divina, qua eam deſtitutam ab Auctore ſuo fuiſſe,credi non poteſt. Leonis demum Auctoritas inconcuſſa dicitur eò, quòd Petri Sedem teneat, non quòd Epiſcopus ſit Urbis olim imperantis.

CAPUT LIX.

Concilii ad Leonem Magnum Literæ ipſum appellant Synodi Ducem, Magiſtrum, Caput, Patrem, ideoque Synodo ipſa Majorem, Infallibilem in Fide declaranda, & Epiſcopum Univerſalis Eccleſiæ. Petunt Confirmationem geſtorum omnium, & etiam Canonis Conſtantinopolitano Archiepiſcopo faventis.

308 INſcriptio Epiſtolæ eſt hujuſmodi: Relatio Sanctæ Synodi Chalcedonensis ad Sanctissimum Papam *Romanæ Eccleſiæ Leonem de omnibus geſtis generaliter*. Cuinam alteri Epiſcopo ſui facti rationem reddere dignaretur Generale Concilium? At certiorem omnium facit Leonem, quia ipſimet Synodo præcellentem. Initio autem Epiſtolæ de Sancta Fide loquens ait: *Quam, veluti auro textam ſeriem ex veſte Chriſti, & præcepto Legislatoris* venientem, usque ad nos ipse servasti, vocis Beati Petri omnibus constitutus interpres, *ejus Fidei beatificationem* super omnes adducens. Fidem ergo Divinam servasse dicitur Leo, velut certus veritatis Magiſter: perque ipsum eadem ſyncera Fides ad Synodum venisse perhibetur: venientem usque ad nos ipse servasti. Quid autem eſt,*conſtitutum fuiſſe* Interpretem, et omnibus quidem,vocis Beati Petri, niſi ejuſdem Apoſtolorum Principis Succeſſorem eſſe Leonem, æquè Infallibilem in Fide declaranda, ac Petrus eſſet, *cujus* proinde *beatificationem ſuper omnes* Concilii Antiſtites, ipſius Epiſtolam velut Oraculum adorantes, *adduxit*. Profiteri etiam hìc videtur Synodus, nihil aliud a ſe geſtum pro Fidei Defenſione, quàm ut Leonis Doctrinam, velut e Cælo miſſam, veneraretur, perque Chriſtianum Orbem publicaret. (2)

309 Idipſum ſequentibus verbis confirmat, præſertim expendendo vim, & emphaſim Græci textus: *Unde & nos* (inquit Latina verſio) *quippe* ut inchoatore bonorum Te; (at in Græco Authographo habetur, tanquam tanti boni Duce, et Auctore Te)*ad communem utilitatem utentes Eccleſiæ Filijs* hæreditatem, sortemque veritatis ostendimus. Summus ergo Pontifex Dux fuit, et Auctor tanti boni, ſcilicet explicatæ Fidei; Chalcedonenſes autem Epiſcopi, Diſcipuli Romanæ Cathedræ obſequentiſſimi, ſolummodo *Eccleſiæ Filiis hæreditatem, ſortemque veritatis oſtenderunt*, Pontificiæ Epiſtolæ ſubſcribendo. (3)

Quàm ſplendidè de Romano Antiſtite Græci Patres loquuntur, Deus immortalis! An hæc a Petro Suavi appellari poſſet inanis obſequii ſpecies, perinde ac inanem dixit Græcorum cum Latinis in Florentino Concilio conjunctionem? Ut enim irrideret cultum Paulo Tertio præſtitum a Patriarcha Majoris Armeniæ, ac Julio Tertio a Patriarcha Nationum,quæ Indiam, & Euphratem interjacent, eum nuncupans *Umbratiles obedientiæ ſignificationes*, hæc de Paulo dixerat: *Cum animadverteret Pontifex, abalienatâ a ſe Germaniâ, de exiſtimatione Sedis ſuæ apud Nationes ſibi obnoxias plurimùm decedere, imitatus eſt Eugenium Quartum, qui Auctoritatem, quam Concilium Baſileenſe ei ademerat, ſpecie quadam Græcorum, & umbra Armeniorum ſuſtentabat*. Specieſne fuit, & umbra, ſubſcriptio illa ab omnibus cum Orientis Imperatore Græciæ Præſulibus, præter unum Epheſium, adjecta Eugenianæ Conſtitutioni declaranti,*plenam a Chriſto Domino in Petro traditam fuiſſe Romano Pontifici Poteſtatem paſcendi, regen-*

(1) *Pag.* 436.

(2) *Pag.* 439. (3) *Pag.* 439.

gendi, & gubernandi Univerſalem Eccleſiam? Romanis fortaſſe Suavis inſultat, quia Græcorum plurimi a ſancto deinde decreto reſilierunt? At ſpecies certè inanis rei illa non fuerat, quæ quia teterrimo Romæ hoſti mirum in modum diſplicuit, quæſivit a plurimorum inconſtantia tartareum ſolatium. (1)

310 Infallibilitati, ac Præſtantiæ Leonis ſupra Concilium hucuſque ſuffragati Præſules, hanc iterum præſumunt, dum ſe conciliariter coactos MEMBRA dicunt Romano CAPITI ſubjecta; eo pacto, quo in humano corpore cæteræ partes Capiti obtemperant. *Quibus Tu quidem*, SICUT MEMBRIS CAPUT, PRÆERAS *in his, qui Tuum tenebant ordinem*, videlicet, Tuas vices gerebant, *benevolentiam præferens*. (2)

311 Dioſcori deinde Condemnationem narrantes hoc inter prima illius crimina recenſent: *Eutychem pro impietate damnatum ſua Tyrannidis Decretis innoxium ſtatuit*, & DIGNITATEM, QUÆ A VESTRA ILLI ABLATA FUIT SANCTITAUE (*quippe ut ab eo, qui hac gratia erat indignus*) ILLE RESTITUIT. Immane igitur ſcelus putant refragari Romanis Decretis circa Orientis Sacerdotes, inter quos Eutyches cenſebatur: & multò major ſupra ipſos Orientales Auctoritas Romano, quàm Conſtantinopolitano Epiſcopo, & Synodo habitæ in Urbe Cæſarea vindicatur; a Flaviano enim in Concilio, cumque ipſo Concilio, e gradu dejectus Eutyches fuerat. Hoc tamen Patres minimè animadvertunt, quia multò major fuerat Dioſcori audacia, eò quòd ſprevisset Romanum, quàm Conſtantinopolitanum Anathema in Eutychetem. (3)

312 Cum poſtea dixiſſent, quod Dioſcorus idem, *ſicut ſingularis ferus in Vineam Domini irruerat*, eamque fuerat depopulatus, addunt, creſcente in majus oratione; ET POST HÆC OMNIA INSUPER ET CONTRA IPSUM, CUI VINEÆ CUSTODIA A SALVATORE COMMISSA EST, EXTENDIT INSANIAM, IDEST CONTRA TUAM QUOQUE APOSTOLICAM SANCTITATEM, *& excommunicationë meditatus eſt contra Te*, QUI CORPUS ECCLESIÆ UNIRE FESTINAS. Meritò nefas hoc appellatur *Inſania*; quo enim pacto ad ſervandum corpus ſcindi ab illo poteſt Caput, quod *feſtinare* dicunt, *ipſum Eccleſiæ corpus unire*? Supra idem præterea Corpus rurſus hic illi, ut Capiti, antecellentiam adjudicant. (4)

313 At quàm illuſtre Teſtimonium ferunt Pontificiæ ſupra Univerſam Eccleſiam Auctoritati, dum, Leoni VINEÆ CUSTODIAM A SALVATORE COMMISSAM, affirmant? Vineæ nomine Univerſam Eccleſiam deſignari conſtat ex Evangelio. Non partem autem aliquam, ſed totam hanc a Salvatore Leoni commiſſam aſſeverant. CUSTOS igitur ipſe agnoſcitur, ideoque *Epiſcopus Univerſalis Eccleſiæ*.

314 Nunc certè pro dignitate loquuntur Chalcedonenſes Patres, dum Romanæ Privilegia Sedis fatentur a Divina Inſtitutione profluere. Non igitur iidem fuerunt Antiſtites, qui in Quintadecima Actione prærogativas illas tributas Romanæ Cathedræ a Patribus innuerant, eò quòd hæc præſideret Urbi imperanti. Ea certè verba non hujus Quartæ, aut Secundæ Synodi Patrum conſenſus, ſed Anatolii, & Nectarii ambitus famoſo Canoni intruſit. Divinum eſſe Jus Pontificiæ Succeſſionis, & Divinam pariter Originem Privilegiorum Romanæ Sedis maniſeſtiſſimè ſtatuitur ex hoc, quod, ſicut olim Petro, ita nunc Leoni ſuæ *Vineæ Cuſtodia commiſſa* dicitur *a Salvatore*.

315 Suppreſſam Epheſi a Dioſcoro Leonis Epiſtolam commemorantes ajunt, hoc illum uno ſcinore oſtendiſſe animum alienum ab omni Catholica veritate: *Epiſtolam quidem Tuæ reſpuens Sanctitatis*, OMNIAUS VERÒ DOGMATIBUS VERITATIS ADVERSANS: quia videlicet, qui doctrinam Præceptoris Fidei averſatur, paratiſſimus eſt, ut Hæreſibus omnibus imbuatur. (4)

316 Ferendæ in Dioſcorum ſententiæ, veræque Religionis explicandæ facultatem ſibi a Leone tributam fuiſſe profitentur Epiſcopi, qui Chalcedonenſe Concilium conflaverant, adeoque Concilio ipſo præſtantiorem Pontificem Maximum diſertiſſimè atteſtantur. *Et tamquam* EVELLENDI, ET PLANTANDI POTESTATEM SUMANTES, *inciſionem quidem uno homine tenus coanguſtavimus, bonorum verò ubertatem diligenter plantavimus*. (5)

Poteſtatem a Romano Pontifice in ſe derivari ampliſſimum Concilium profitetur. Et non ferendum videtur Suavi Pronuntiatum Lainii, qui de ſingulis loquens Epiſcopis oſtenderat, a Chriſto quidem Liberatore noſtro, ſed per ſuum in terris Vicarium profluere illam, quæ cæteris vocatis in partem ſolicitudinis communicatur Auctoritas?

317 Præſtita hæc fuiſſe dicunt ſimul cum Synodo ab ipſo Leone, qui per Legatos eidem intererat: *Hæc ſunt, quæ* TECUM, *qui Spiritu præſens eras, & complacere tanquam Fratribus deliberaſti, & qui penè per Tuorum Vicariorum Sapientiam videberis a nobis*, EFFECIMUS. Si per gerentes vices ſuas Concilio adſuerat Romanus Epiſcopus; igitur non

(1) *Pag.* 249. (2) *Pag.* 439. (3) *Pag.* 440. (4) *Pag.* 440.

(5) *Pag.* 440. (6) *Pag.* 440.

non petebatur ab illo, velut a Præſulum uno, ſubſcriptio Synodalium Decretorum, quemadmodum Suavis comminiſcitur ad evertendam vim Argumenti, quod conſurgit ex quæſita a Coneiliis Pontificia Confirmatione. A nullo alio Antiſtitum poſtulatum eſt, ſuum ut nomen adiiceret Definitionibus illis, quæ ab aliis ipſius ejuſdem nomine fuerant confirmatæ. Pro Romano autem Epiſcopo comprobaverant Chalcedonenſes, aliaſque in Synodis ſancitas Articulorum Deelarationes ipſius Legati. Igitur cum ab illo novam flagitabant Patres Confirmationem (quod poſt omnes Generales Synodos præſtiterunt) non ut ad unum de cæterorum Antiſtitum numero, ſed ut ad Univerſæ Magiſtrum, & Gubernatorem Eccleſiæ confugiebant. (1)

318 Tum ad Canonem progrediuntur, quo poteſtatem quoſdam Metropolitas conſecrandi Conſtantinopolitano Antiſtiti indulſerant: atque huc ſe deveniſſe aſſeverant, quia certos ſe eſſe opinabantur de Leonis Comprobatione. Negant, novum quò ad hoc a ſe morem inductum fuiſſe, ae honori potius Cathedræ Cæſareæ urhis, quàm aliarum commodo Civitatum (Alexandriâ ſeilieet, & Antiochiâ nimis diſtantium) fuiſſe conſultum. *Indicamus verò, quia & alia quædam pro rerum ipſarum ordinata quiete, & propter Eccleſiaſticorum Statutorum definivimus firmitatem*, SCIENTES QUIA ET VESTRA SANCTITAS ADDISCENS ET PROBATURA, ET CONFIRMATURA EST EADEM. *Eam namque* CONSUETUDINEM, *quæ ex longo jam tempore permanſit, quam habuit Conſtantinopolitanorum Sancta Dei Eccleſia ad ordinandum Metropolitanos* PROVINCIARUM TAM ASIANÆ, QUÀM PONTICÆ, ET THRACIÆ, *& nunc Synodali Decreto firmavimus, non tam Sedi Conſtantinopolitanæ aliquid præſtantes, quàm Metropolitanis urbibus quietem congruam providentes, eò quòd frequenter Epiſcopis vitam finientibus multæ turbæ naſcuntur, Clericis, ac Populis, qui per eaſdem ſunt Civitates, abſque Rectore remanentibus, & Eccleſiaſticum ordinem confundentibus: quod nec Veſtram latuit Sanctitatem, maximè propter Ephesios; unde quidem vobis ſæpius importuni fuerunt.* Profitentur igitur, a ſe nequaquam hæc fuiſſe decernenda, niſi ea putaſſent jam uſu recepta, & Romæ comprobata, ideoque obſequentiſſimos in eo quoque ſe Leoni fuiſſe, in quo reſiliiſſe aliquantulum videbantur a ſupremo Cultu eidem in cæteris omnibus præſtito. (2)

319 Narrant deinde renovatum a ſe Canonem Conſtantinopolitanum de Sacro illius Urbis Primatu in Oriente. Sed hæc Proteſtatio, ut ſupra oſtendimus, eſt contraria Facto, neque enim uſpiam in Synodo invenitur hæe Declaratio. Idcirco Epiſtolæ huic narrationem hujuſmodi ab Anatolio adjectam fuiſſe, vero ſimillimum eſt. *Confirmavimus autem & Centumquinquaginta Sanctorum Patrum Regulam, qui in Conſtantinopoli congregati ſunt ſub piæ memoriæ Majore Theodoſio, quæ præcepit, poſt Veſtram Sanctiſſimam Apoſtolicam Sedem honorem habere Conſtantinopolitanam, quæ Secunda eſt ordinata*, CONFIDENTES, QUIA LUCENTE APUD VOS APOSTOLICO RADIO, ET USQUE AD CONSTANTINOPOLITANORUM ECCLESIAM CONSUETE' GUBERNAADO ILLUM SPARGENTES *hunc ſæpius expanditis, eo quòd abſque invidia conſueveritis veſtrorum bonorum participatione ditare domeſticos.* Utcumque Canon, qui ab hac Epiſtola recenſetur, ſubreptitius nequaquam eſſet, nihil tamen officeret Romanæ ſupra Epiſcopos omnes Præſtantiæ. *Secundum* quidem Conſtantinopolitano *locum* attribuit, ſed omnem eidem præcidit ſpem *Æqualitatis* cum Romano. Imò affirmat, Conſtantinopolitanam ab hoc Eccleſiam Supremo Regimine gubernari: *Lucente apud vos Apoſtolico radio, & uſque ad Conſtantinopolitanorum Eccleſiam* CONSUETÈ GUBEP NANDO *illum ſpargentes.* Tantum igitur abeſt, quod hine Romana ullatenus gloria deteratur, ut potius omnium hine Rector, etiam Orientalium, licet ampliſſimorum, Præſulum pateat Romanus Pontifex: adeoque, præter ſingulos peeuliarium Eccleſiarum Epiſcopos, ipſe cenſeatur Supremus Epiſcopus Univerſalis Eccleſiæ. (3)

320 Enixè poſtmodum Leonem orant, ne hunc reſpuat Canonem rejectum a ſuis Legatis; ideoque ſatentur, illi robur nequaquam ſnturum, niſi ab Apoſtolica Sede, Generalibus antecellente Synodis, confirmetur. *Quæ igitur ad interemptionem quidem totius confuſionis, confirmationem verò Eccleſiaſticæ Ordinationis definivimus, hæc ſicut propria, & amica, & ad decorem convenientiſſima*, DIGNARE COMPLECTI, SANCTISSIME, ET BEATISSIME PATER. *Qui enim locum Veſtræ Sanctitatis obtinent Sanctiſſimi Epiſcopi Paſchaſinus, & Lucentius, & qui cum eis eſt Reverendiſſimus Presbyter Bonifacius, his ita conſtitutis vehementer reſiſtere tentaverunt.* (4)

321 Interpretantur deinde Legatorum animum, quaſi huic Canoni obſtiterint, ut ejus firmitas unius Leonis conniventiæ tribueretur. PROCUL DUBIO A VESTRA PROVIDENTIA INCHOARI ET HOC BONUM VOLENTES,

UT

(1) *Pag.* 440. (2) *Pag.* 441.

(3) *Pag.* 441. (4) *Pag.* 441.

Digitized by Google

UT SICUT FIDEI, SIC BONÆ ORDINATIONIS VOBIS DEPUTETUR EFFECTUS. Obiter hic expendo, fateri Synodum, IPSI LEONI DEPUTANDUM EFFECTUM explicatæ Catholicæ FIDEI. Quibus verbis iterum dicunt Patres,a ſe ſolummodo vulgata fuiſſe per Chriſtianum Orbem illa, quæ ſanciverat Leo, Infallibilis Interpres Divinæ Fidei. (1)

322 Filios deinde appellant ſe Romani Parentis, quem proinde Majorem indicant ipſo Concilio a Filiis celebrato,neque enim Pater ſolummodo præſtat Filiis invicem diſjunctis, ſed etiam iiſdem in unum coactis. *Præſumentes dum noverimus,quia* QUIDQUID RECTITUDINIS A FILIIS FIT, AD PATRES RECURRIT *facientes hoc ſibi proprium*, ROGAMUS IGITUR, ET TUIS DECRETIS NOSTRUM HONORA JUDICIUM, ET SICUT NOS CAPITI IN BONIS ADJECIMUS CONSONANTIAM, SIC ET SUMMITAS TUA FILIIS, QUOD DECET, ADIMPLEAT. (2)

Quod oculis ſubjectum Eccleſiæ Caput ſit Romanus Pontifex, Sexcentos, ac triginta Teſtes habemus, Petre Suavis, omnes videlicet Chalcedonenſis Concilii Patres. Sexcenties igitur, ac tricies Proteſtantes Theologi mentiuntur, a quibus affirmatum ais, *neminem Patrum prodidiſſe, ut Romanus Epiſcopus ſit Eccleſiæ, & Conciliorum Caput*. Satis unus Patrum erat ad eos coarguendos, qui nullum fuiſſe audacter inclamant. Et in tuam ipſe adoptans eorum ſententiam affirmas, non ſolùm conatos eos fuiſſe refellere, quæ ſcripſerat Cardinalis Contarenus Apoſtolicus Legatus,ſed eadem re ipſa infregiſſe. *At Theologi Proteſtantes Contareni literas, atque rationes refellunt*. At certè nunquam refellit Suavis Hæretica Lutheranorum pronuntiata, imò ea ſemper affert in medium quaſi rationi, & æquitati conſentanea. Crimen fuiſſet in Catholico Scriptore Medium ſe, ac neutri parti adhærentem oſtendere, nec ullo unquam adjecto Epitheto, formulâ nullâ, ſaltem in genere, Propoſitiones Hæreticorum arguere. Quid erit, eas identidem apertè comprobare,cum convincentes, & efficaces eorumdem rationes appellet, Catholicorum verò argumenta frequentiſſimè ludibrio traducat, & contra cujuslibet Seſſionis Decreta vim congerat inanium argumentorum,quæ aliis attribuit, & inſoluta relinquit? Quidni porrò faceret, & Lectorum animis inſinuare conaretur venenum, quo ipſius præcordia infecta fuiſſe utinam minus apertè conſtaret?(3)

323 Notanda quoque videntur verba illa: *Et ſicut nos* CAPITI *in bonis adjecimus conſonantiam*: per quæ non ſolùm minora Pontifice Maximo, videlicet Capite, declarantur cætera Membra, ſcilicet Epiſcopi omnes Concilium conſtituentes; verùm etiam iidem præſumuntur obſecuti, abſque facultate contradicendi, eidem Capiti in Fide declaranda: quo pacto in humano Corpore nequeunt reliquæ partes Capiti diſſentire.

324 Ne ullus nobis excidat adamas, aut unio, ex innumeris, quibus hæc Epiſtola affluit, animadvertimus, iterum præſumi, quod nihil aliud in Synodo geſtum fuerit præter publicationem Romani Decreti; loquentes enim de Imperatoribus Patres ajunt: *Sic enim & pii Principes complacebunt*, QUI TANQUAM LEGEM TUÆ SANCTITATIS JUDICIUM FIRMAVERUNT. Edixerant Cæſares,ut repugnare nullus auderet Chalcedonenſi Concilio. Ipſum verò Concilium affirmat, *hac Lege firmatum fuiſſe Leonis Judicium*. Concilium igitur profitetur, in ipſo Leonis Judicio totam fuiſſe Synodum conſtitutam, quæ Pontificiam Sententiam, velut Infallibile Oraculum, adoraverat, & ab ea definiendi *Legem* acceperat. Firmari autem dicitur a Concilio Pontificia Sententia non quia abſque Concilio infirma in ſeipſa foret, ſed ut firmaretur in aliis, qui in Fide Catholicæ veritatis parum firmi erant: vel firmari dicitur quò ad majorem publicationis Solennitatem, non quò ad majorem Certitudinem veri. Hæc autem interpretatio ex univerſo Volumine manifeſtè patens emicat ex hoc ipſo Textu, in quo Leonis *Judicium* appellatur *Lex*. (4)

325 Ita demum Epiſtolam claudunt: *Omnem vobis geſtorum vim inſinuavimus ad comprobationem noſtræ ſynceritatis,&* AD EORUM, QUÆ A NOBIS GESTA SUNT, FIRMITATEM, & *conſonantiam*. Geſtorum ergo rationem reddunt Pontifici Maximo, ut ab illius COMPROBATIONE Synodalibus Decretis FIRMITAS accedat; ideoque fatentur, hac Synodum Superioris ſui Confirmatione indigere, ut inconcuſſa perpetuò maneat. Hinc porrò non ſolùm evincitur Præcellentia ſupra Concilium, ſed etiam Pontificia Infallibilitas, quia ſi hæc abſque Apoſtolicæ Sedis Confirmatione non viget omnino ineluctabilis in ipſo Concilio, enimvero, ſi eidem quoque deeſſet Apoſtolicæ Sedi, tutum nihil, & omnino certum ſupereſſet in Eccleſia Dei: aut ſi ad habendam firmitatem rurſus a Pontifice confugiendum eſſet ad Synodum, & ab hac ad Pontificem, vitioſo circulo laboraretur. Has autem nugas fieri noluit Sapientiſſimus Eccleſiæ Inſtitutor, ſed omnino voluit, certiſſimum eidem adeſſe Ma-

(1) *Pag*.441. (2) *Pag*.441. (3) *Pag*.107.

(4) *Pag*. 441.

Digitized by Google

Magiſterium veritatis. Hoc ergo ineſt Pontifici Maximo, a quo ſemper Concilia Confirmationem obſequentiſſimè petiverunt. (1)

CAPUT LX.

S. Leonis ad Anatolium Epiſtola Leges præſcribit Cæſareæ Urbis Antiſtiti, & reiicit Canonem de ipſius Primatu, licet ſancitus a Concilio (cui Leo antecellebat) perhibeatur.

326 ELoquentiſſimæ, ac ſonoro, ut ſemper, verborum, ac ſententiarum ambitu circumductæ, ideoque Scriptoris majeſtatem ſpirantis, Epiſtolæ initium oſtendit, pertinere ad ipſum Leonem Explicationem Fidei. *Manifeſtato, ſicut optavimus, per gratiam Dei lumine Evangelicæ veritatis, & ab Univerſali Eccleſia perniciosiſſimi erroris nocte depulſa, ineffabiliter gaudemus in Domino, quod* CREDITÆ NOBIS DISPENSATIONIS LABOR AD DESIDERATUM PERVENIT EFFECTUM. Eidem ergo Leoni creditus erat labor imbuendi omnes Catholicæ Fidei doctrinâ, & errorum nocte depulſa veritatis ſolem animis afferendi. Neque hoc ſolùm Maximus ipſe Pontifex aſſeverat, ſed etiam affirmaverat Anatolius, de quo ſubdit Leo: SICUT ETIAM EPISTOLÆ TUÆ TEXTUS ELOQUITUR. (2)

327 Revocat deinde in memoriam Anatolii Electionem ipſius ad Conſtantinopolitanas Inſulas non admodum honorificam, eumque graviſſimè hortari incipit ad animi moderationem. *Deceſſore enim tuo beatæ memoriæ Flaviano propter defenſionem Catholicæ veritatis ejecto non immeritò credebatur, quod Ordinatores tui contra Sacrorum Canonum conſtituta viderentur ſui ſimilem conſecraſſe; ſed adfuit miſericordia Dei, in hoc te dirigens, atque confirmans, ut malis principiis bene utereris, & non te judicio hominum, ſed Dei provectum benignitate monſtrares. Quod verè ita accipiendum eſt, ſi hanc Divini muneris gratiam alia offenſione non perdas. Virum enim Catholicum, & propriè Domini Sacerdotem ſicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari. Dicente quippe Scriptura Sancta: Poſt concupiſcentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere: multis mundi hujus illecebris, multis vanitatibus reſiſtendum eſt, ut veræ continentiæ obtineatur integritas, cujus prima eſt labes Superbia, initium tranſgreſſionis, & origo peccati; quoniam* MENS POTENTIÆ AVIDA, NEC ABSTINERE NOVIT A VETITIS, NEC GAUDERE CONCESSIS, *dum inordinato pravoque progreſſu, impunitarum tranſgreſſionum augetur exceſſus, & crebreſcunt culpæ, quæ toleratæ ſunt ſtudio Fidei reparandæ, & amore concordiæ.* An non Pater, Magiſter, Paſtor, & Judex Conſtantinopolitani Præſulis hoc ſermonis pondere Romanus patet? Aureis præterea his verbis præclarè pingit ambitionis progreſſum, quo Byzantinus Epiſcopus, Eracleotæ per Trecentos annos Metropolitano ſubjectus, in omnium paulatim Orientalium Antiſtitum capita inſilivit. (3)

328 Apertius deinde partes Judicis exercet Pontifex Maximus cenſuram ferens de malè geſtis a Secunda Synodo Epheſina, atque ipſo Anatolio. *Poſt illa itaque Electionis tuæ non inculpata principia, poſt conſecrationem Antiocheni Epiſcopi, quam tibimet contra Canonicam Regulam vindicaſti, doleo etiam in hoc Dilectionem tuam eſſe prolapſam*, UT SACRATISSIMAS NICÆNORUM CANONUM CONSTITUTIONES CONARERIS INFRINGERE. (4)

329 Tum ipſo etiam legitimo, & Sacroſancto Chalcedonenſi Concilio, a quo ſui honoris amplificationem extorſerat Anatolius, Superiorem ſe præſtat Leo, affirmans reiici a ſe poſſe quidquid illicitè tot Præſulum multitudo decreverit. *Quibus inauditis, & nunquam ante tentatis ita præveniris exceſſibus, ut Sanctam Synodum ad extinguendam ſolùm Hæreſim, & confirmationem Fidei Catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam in occaſionem ambitus trahas, & ut conniventiam ſuam tibi dedat, impellas*: TANQUAM REFUTARI NEQUEAT, QUOD ILLICITÈ VOLUERIT MULTITUDO. (5)

330 Decernit exinde, nil a numeroſiore Concilio poſſe ſanciri contra Nicænas Conſtitutiones. Hoc autem indicat, Romanum Synodis Epiſcopum antecellere, qui Nicænos a ſe confirmatos Canones vetabat infringi. Cæteroqui enim, utcumque Nicæna Fides immutari nequiret, infringi tamen potuiſſent illa, quæ Nicæni Patres quò ad diſciplinam, & peculiarium privilegia Eccleſiarum ſtatuerant. NULLA SIBI DE MULTIPLICATIONE CONGREGATIONIS SYNODALIA CONCILIA BLANDIANTUR, *neque Trecentis illis decem atque octo quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum vel comparare ſe audeat, vel præferre; cum tanto divinitus privilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, ut ſive per pauciores, ſive per plures Eccleſiaſtica judicia celebrentur*, OMNI PENITUS AUCTORITATE SIT VACUUM, *quidquid ab illorum fuerit*

(1) *Pag.* 442. (2) *Pag.* 444.

(3) *Pag.* 444. (4) *Pag.* 444. (5) *Pag.* 444.

Digitized by Google

rit conſtitutione diverſum. Quod autem hoc eſt PRIVILEGIUM, QUO NICÆNA SYNODUS DIVINITUS CONSECRATUR, niſi Decretum Pontificis Maximi Synodis antecellentis? Num aliqqui una reliquis Generalibus Synodis præſtat? Num Divina Sacris in Literis, aut Traditionibus, Revelatio extat, Nicænos quò ad Diſciplinam, & Sedium Ordinem Canones mutari vetans? (1)

Speravit ne Petrus Suavis comburenda omnium Acta Synodorum, & Literas ad Concilia pertinentes, eorumque, qui eas legiſſent, ex memoria penitus obliterandas, cum ſcripſit, Occidentalibus tantùm Conciliis Romanum ſe Pontificem immiſcuiſſe! Cui nam in Occidente habito illuſtrius per ſuos Legatos, quàm Chalcedonenſi, præſedit, cui plura præſcripſit, de quo, tanquam ſibi ſubjecto, apertius, ac dilucidius fuit locutus? (2)

331 Mox in ovem ſuam Conſtantinopolitanum Antiſtitem Univerſalis Eccleſiæ Paſtor exerens virgam Sacerdotii Regalis aut depravatum, aut deterritum ab illo fuiſſe Concilium affirmat, adeoque Anatolium graviſſimè objurgat. *Nimis ergo hæc improba, nimis ſunt prava, quæ Sacratiſſimis Canonibus inveniuntur eſſe contraria. In totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit Concilio Synodali, ut Fratres, in Fidei tantummodo negotium convocatos, & definitione ejus cauſæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad conſentiendum ſibi* AUT DEPRAVANDO TRADUCERET, AUT TERRENDO COMPELLERET. (3)

332 Suos præterea Legatos Concilii Præſides jure obſtitiſſe communi ſtudio ſuffragantium Anatolio, decernit Leo, ideoque ſe a Nuntiis repræſentatum præcellere Synodo certò præſumit. *Inde enim Fratres noſtri ab Apoſtolica Sede directi*, QUI VICE MEA SYNODO PRÆSIDEBANT, *probabiliter atque conſtanter illicitis auſibus obſtiterunt, apertè reclamantes, ne contra Statuta Nicænæ Synodi præſumptio reprobæ novitatis aſſurgeret.* (4)

333 Diſertè profitetur magnanimus Pontifex a ſe nunquam confirmandum ſuperbum Canonem, & nullius proinde ponderis futurum, licet a Generali Concilio, quod Leoni ſuberat, ſancitus fuiſſet. *Temetipſum, quod eis* (videlicet Pontificiis Legatis) *parere nolueris, dum illicita moliris, accuſas, ſuperfluè non concedenda appetens, & inſalubriter contraria concupiſcens*, QUÆ NULLUM UNQUAM POTUERUNT NOSTRUM OBTINERE CONSENSUM. *Abſit enim a conſcientia mea, ut tam prava cupiditas meis ſtudiis adjuvetur.* (5)

334 Poſt alia deinde ſydercis characteribus digniſſima monita ſubvertit Canonem, qui Secundæ Synodo tribuebatur, ideoque, huic quoque præſtare ſe, docet. *Perſuaſioni enim tuæ* IN NULLO PENITUS SUFFRAGATUR QUORUMDAM EPISCOPORUM *ante ſexaginta, ut jactas, annos facta* SUBSCRIPTIO, *numquamque a Prædeceſſoribus tuis ad Apoſtolicæ Sedis tranſmiſſa notitiam, cui ab initio ſui caducæ, dudumque collapſæ, ſera nunc, & inutilia ſubiicere fulcimenta voluiſti, eliciendo a Fratribus ſpeciem conſenſionis, quam tibi in ſuam injuriam verecundia fatigata præberet.* Tributum diximus Canonem illum Secundæ Synodo, quia, conditum ab illa fuiſſe, nonnulli audent affirmare. Sed nec ipſe Anatolius eò temeritatis progreſſus fuerat: ipſumque ſolùm ſcripſiſſe, a QUIBUSDAM fuiſſe *Epiſcopis* comprobatum, liquet ex hac Leonis Magni reſponſione. Profectò enim conditus non fuit, dum ipſa Synodus coram Gregoriis Theologo, ac Nyſſeno, aliiſque Sanctiſſimis Patribus haberetur, ut conſtat ex alio Polemicæ hujus Hiſtoriæ Libro. Expendendum pariter eſt id, quod affirmat Leo, qualemcumque videlicet Canonem illum numquam Romam fuiſſe tranſmiſſum a Conſtantinopolitanis Antiſtibus Anatolii Deceſſoribus: non a Nectario, gloriæ cæteroqui ſtudioſo, non a Sanctis Joanne Chryſoſtomo, Proclo, Flaviano, non a ſuperbiſſimo Neſtorio, qui tamen quouſque ſperavit, ſe non damnandum a Cæleſtino Pontifice, dedignatus non fuit, pro aliis cauſis ad Apoſtolicam Sedem confugere. Spretum igitur illum fuiſſe Canonem ab omnibus, tum Sanctitate, tum nequitia inclytis, maniſeſtiſſimum eſt. (6)

335 Confirmat deinde Patriarchalium Sedium jura, quæ ab Arbitrio Petri manaſſe indicat, & ſuo nos id ipſum opportunè loco ſtatuimus, agentes de Sacroſancto Nicæno Concilio. NIHIL ALEXANDRINÆ SEDI *ejus, quam per Sanctum Marcum Evangeliſtam Beati Petri Diſcipulum meruit*, PEREAT DIGNITATIS: *nec Dioſcoro impietatis ſuæ pertinaciâ corruente ſplendor tantæ Eccleſiæ tenebris obſcuretur alienis. Antiochena quoque Eccleſia, in qua primùm prædicante Beato Apoſtolo Petro Chriſtianum nomen exortum eſt*, IN PATERNÆ CONSTITUTIONIS ORDINE PERSEVERET, *& in gradu tertio collocata numquam ſe fiat inferior.* (7)

336 In Epiſtolæ fine parænesim addit ad charitatem, & animi moderationem, iiſque utitur verbis, quæ loquentem cum Filio

(1) *Pag.* 444. (2) *Pag.*149. (3) *Pag.*445. (4) *Pag.*445.

(5) *Pag.*445. (6) *Pag.*445. (7) *Pag.*445.

Patrem, cum ſubjecto ſibi Principem deceant: ac narrans, Lucianum Epiſcopum, & Baſilium Diaconum pro extorquenda confirmatione Canonis, ab Anatolio expetita, omni ſtudio inſtitiſſe, certos nos facit obſequii Pontifici Maximo exhibiti a Præſule Conſtantinopolis, qui non ſolùm ſupplices ad Leonem Literas dederat, ſed ſuos etiam ad eumdem Nuntios legaverat. Et Æqualitatem cum Romano ſomniare potuit Cæſareæ urbis Antiſtes, qui Romanum pro gratia obtinenda convenit obſequentiſſimè: quique Romanum ipſum anteriorem Generali Synodo apertè fatetur, dum oſtendit, nullas fore vires Conciliari Decreto, niſi a Romano firmetur? *Hæc tibi ſcribens, Frater in Domino; bortor ac moveo, ut, depoſito ambitionis deſiderio, ſpiritu potius ferveas Charitatis, ejuſque virtutibus fecuudùm doctrinam Apoſtolicam proficieuter orneris. Eſt enim patiens, & benigna, & uon æmulatur; non agit perperam; non inflatur, non eſt ambitioſa, uon quærit; quæ ſua ſunt. Unde ſi Charitas non quærit propria, quantum peccat, qui concupiſcit aliena?* A QUIBUS VOLO, UT TE PRORSUS ABSTINEAS, *memorque ſis ejus Senteutiæ, quæ dicit: Tene, quod babes, ue alius accipiat coronam tuam. Nam ſi inconceſſa quæſieris, ipſe te tuo opere, atque judicio,* UNIVERSALIS ECCLESIÆ PACE PRIVABIS. *Frater autem & Coepiſcopus noſter Lucianus, & filius noſter Baſilius Diaconus, quantum in ipſis fuit, ſtudioſè bis, quæ eis injunxeras, adfuere; ſed actioni eorum juſtitia negavit effectum.* (1)

CAPUT LXI.

Conſtantinopolitanus in Oriente Primatus iterum evertitur in Pontificiis ad Marcianum, & Pulcheriam Literis, in quarum primæ Inſcriptione ſe Leo dicit Epiſcopum Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ.

337 CUm Marcianus Imperator Leoni Anatolium commendaſſet, reſcripſit eidem Maximus Pontifex hunc præfigens Epiſtolæ Titulum: *Leo Epiſcopus Romanæ, &* UNIVERSALIS ECCLESIÆ *Marciano Auguſto.* Non ſolùm igitur hac illum appellatione frequenter in Synodo Patres illuſtrarunt, ſed ipſe quoque opportunè eamdem identidem adhibuit.(2)

Si a conſiliis Leoni fuiſſet Petrus Suavis, vehementiſſimè contendiſſet, ut Epiſcopum ſe potius nuncuparet *Romanæ, ac Suburbicariarum Eccleſiarum.* Curſim animadvertere juvat id, quod nefarius hic Scriptor attexit præſagio de Hiſtoria ſua quamprimùm emoritura. *Certus*, ait, *poſteritatem prout res, ac tempora ſeſe dabunt, de ea judicaturam.* Prout videlicet proſpera, vel infauſta futura eſſent tempora Hæreſi, quam propugnabas: prout eamdem, juxta enixa tua vota, exceptura ſinu fuiſſet Italia, cujus linguam in virulento Opere ſcribendo adhibuiſti: hoc enim dato rerum eventu, candidum tibi ſperabas ferendum ſuffragium. Si verò ſecus contigiſſet, ut favente Divino Numine contigit, meritis te diris devovendum ex vero præſagiviſti. (3)

338 Poſt laudes in optimum Imperatorem congeſtas ob illius fervidum ſtudium Catholicæ Fidei, ſermonem aggreſſus de Præſule Cæſareæ Urbis hæc inter cætera inquit: *Nos veſtræ Fidei, & interventionis babeutes intuitum, cum ſecundùm ſuæ conſecrationis Auctores* (hi porrò fuerant Præſules Epheſinæ Synodi Prædatoriæ in errorem lapſi, de quibus ſupra dixerat Leo: *Ordinatorum ſuorum errorem deſerens*) *ejus initia titubarent*, BENIGNIORES CIRCA IPSUM, QUÀM JUSTIORES ESSE VOLUIMUS. Profitetur igitur, ſibi jus fuiſſe abrogandi Epiſcopatum Anatolio tributum ab Univerſali Concilio, adeoque huic Romanum Pontificem anteire. Sed ſua poteſtate uti ſe noluiſſe, *quò perturbationes omnes, quæ operante Diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis leniremus: quæ illum modeſtum magis, quàm immoderatum, facere debuerunt.* (4)

339 Securim deinde malignæ arboris radici infigens affirmat, fruſtra jactari gloriam Imperialis Urbis, cujus faſtigium inflavit Byzantinorum Præſulum animos, & Romanæ amplitudinem Cathedræ non a Civitatis fulgore, ſed a Divina in Petro Inſtitutione fluxiſſe. *Habeat, ſicut optamus, Conſtantinopolitana Civitas gloriam ſuam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ veſtræ fruatur Imperio. Alia tamen ratio eſt rerum Secularium, alia Divinarum:* NEC, PRÆTER ILLAM PETRAM, QUAM DOMINUS IN FUNDAMENTO POSUIT, STABILIS ERIT ULLA CONSTRUCTIO. (5)

340 Confirmatum deinde à ſe Sacro in Solio Anatolium dicit: ex quo & Vetuſtus Mos comprobatur petendi ab Urbe Roma hujuſmodi Confirmationem, & novo Argumento ſtatuitur Pontificia Præſtantia ſupra Synodum, à qua electus Anatolius a Leone reiici potuiſſet: *Satis ſit prædicto, quod veſtræ pietatis auxilio, &* MEI FAVORIS ASSENSU *Epiſcopa-*

(1) *Pag.*445. (2) *Pag.*445.

(3) *Pag.*301. (4) *Pag.*446. (5) *Pag.*446.

cupatum tantæ Urbis obtinuit. (1)

341 Quorumdam deinde ſomnia difflat, qui Byzantinam Sedem inſeſſam ab Apoſtolo Andrea fuiſſe opinati, eamdem appellari poſſe cenſebant Apoſtolicam, ut Epheſinam Joannis, Hieroſolymitanam Jacobi. *Non dedignetur Regiam Civitatem*, QUAM APOSTOLICAM NON POTEST FACERE SEDEM, *nec ullo ſperet modo, quod per aliorum poſſit offenſiones augeri.* (2)

342 Religioſum poſtea ſe Nicænorum Canonum Cuſtodem fore aſſeverat, adeoque ſubjectarum ſibi Synodorum Defenſorem. *Privilegia enim Eccleſiarum Sanctorum Patrum Canonibus inſtituta, & Venerabilis Nicænæ Synodi fixa Decretis, nulla poſſunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere, auxiliante Chriſto, fideliter exequendo*, NECESSE EST, ME PERSEVERANTEM EXHIBERE FAMULATUM, QUONIAM DISPENSATIO MIHI CREDITA EST, *& ad meum tendit reatum, ſi Paternarum Regulæ Sanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Eccleſiæ Regimen Spiritu Dei inſtruente ſunt conditæ, me (quod abſit) connivente, violentur, & major ſit apud me unius fratris voluntas, quàm univerſæ domus Domini communis utilitas.* (3)

343 Stolidè malignus Suavis opinaretur, conſultius a me locum hunc prætermittendum fuiſſe, ex quo argui diceret, Nicænos a Romano Pontifice Canones non poſſe convelli, ideoque ipſum Conciliis non anteire. Sed generatim in primis pernego, Textum a me ullum diſſimulari, qui tela præbere queat hoſtibus Romanæ gloriæ: & affirmo, omnia in illos retorqueri a nobis poſſe, ac porrò retorqueri. Quid deinde de hoc ipſo blateraret loco Epiſtolæ Pontificiæ? Ubi nam valorem defuturum dicit ſuæ Nicænorum Canonum abrogationi? *Diſpenſationem ſibi creditam* ait, & de *reatu* ſolùm loquitur, quem incurreret, ſi Nicænos Canones infirmaret, *magis connivens voluntati Anatolii, quàm de univerſæ Eccleſiæ utilitate ſolicitus.* Licita ergo non fuiſſet (quod ultro fatemur) everſio Canonum abſque juſta cauſa, non tamen invalida. Nullo igitur pacto hinc poteſt inferri, quod Pontifex Maximus Conciliis non antecellat; imò contrarium eruitur ex eò, quòd DISPENSATIO IPSI CREDITA dicatur, & NECESSE SIT, eumdem Eccleſiæ Præſidem cavere, ne Sanctiones Paternæ a Chalcedonenſi Concilio convellantur. Qnomodo enim huic Leo frænum Synodo poſſet iniicere, niſi eidem præſtaret?

344 Demum Anatolium juſtè perſtringens, quòd munus conſecrandi Antiochenum Epiſcopum uſurpaſſet, adiicit incurrendæ ab illo Excommunicationis diſcrimen, niſi ab ambitu reſiliret. *Agite, quod & Chriſtianæ eſt probitatis, & Regiæ, ut prædſtus Epiſcopus pareat Patribus, conſulat paci, neque ſibi æſtimet licuiſſe, quod Antiochenæ Eccleſiæ ſine ullo exemplo, contra ſtatuta Canonum, Epiſcopum ordinare præſumpſit:* QUOD NOS AMORE REPARANDÆ FIDEI, ET PACIS STUDIO, RETRACTARE CESSAVIMUS. *Abſtineat ergo ab Eccleſiaſticarum injuria Regularum, & illicitos declinet exceſſus*, NE SE AB UNIVERSA ECCLESIA, DUM INIMICA PACI TENTAT, ABSCINDAT. *Quem opto magis irreprehenſibiliter agentem diligere, quàm in hac præſumptione, quæ illum ab omnibus ſeparare poterit, perdurare.* (4)

345 In hujus quoque Epiſtolæ fine, ſicut & alterius ad Pulcheriam Auguſtam, ſuo egregiè perfunctos munere Pontifex dicit Lucianum Epiſcopum, & Baſilium Diaconum: ex quo liquet, eoſdem non ſolùm Anatolii, ſed etiam Imperatorum Nuntios extitiſſe, cum compertum omnibus eſſet, nihil commodare Conſtantinopolitanæ Sedis honori poſſe Chalcedonenſe Decretum, niſi ab, eidem præcellente, Romano Pontifice comprobaretur. Idcirco Cæſares, ſuæ Urbis Eccleſiæ decus optantes, non ſolùm Literis, ſed & Legatis illud extorquere conniſi fuerunt. *Frater autem, & Coepiſcopus meus Lucianus, qui cum filio meo Baſilio Diacono* CLEMENTIÆ VESTRÆ AD ME SCRIPTA PORTAVIT, *omni devotione partes ſuſceptæ Legationis implevit: qui non eſt æſtimandus negotio defuiſſe, quem potius cauſa deſeruit.* Ita clauditur Epiſtola ad Marcianum. In alia verò ad Pulcheriam hæc habentur: *Prolixitatem itaque Epiſtolæ meæ, qua neceſſe habui explicare, quid ſentiam, rogo, ut per fratrem, & Coepiſcopum meum Lucianum, qui, quantum in ipſo eſt, ſolicitudinem ſuſceptæ Legationis eſt fideliter executus, & per Filium meum Baſilium Diaconum, pietas veſtra dignanter accipiat.* (5)

346 Conglobamus nonnulla ex iis, quæ in Epiſtola data ad Pulcheriam Argumenta continentur. *Anatolius parum conſideravit, quanto pietatis veſtræ beneficio, &* MEI FAVORIS ASSENSU *Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Sacerdotium fuerit conſecutus.* Extortam deinde vocat ſubſcriptionem Præſulum illius ambitionem foventium: *Credent; huic tam intemperanti cupiditati poſſe prodeſſe, quod ei quorumdam conſenſum præbuiſſe dicitur extorta ſubſcriptio.* Nullius hanc roboris fuiſſe declarat, cum illi repugnaverint ſui Legati Concilio præſidentes: *Cum tam deſtruendis mox conatibus contradictio Fratrum, & Co-*

(1) *Pag.*446. (2) *Pag.*446. (3) *Pag.*446.

(4) *Pag.*446. (5) *Pag.*446.

epiſcoporum meorum vicem meam agentium fideliter, & laudabiliter obviaret. Fruſtra niti Anatolium affirmat Canone, qui Secundæ Synodo tribuebatur: *Superbum nimis eſt, & immoderatum &c. quorumdam Epiſcoporum proferri conſenſum, cui tot annorum ſeries negavit effectum. Nam ſexageſimus ferè annus hujus jactantiæ eſſe jactatur, qua ſe prædictus Epiſcopus æſtimat adjuvari, fruſtra cupiens id ſibi prodeſſe*, QUOD, ETIAMSI QUISQUAM AUSUS EST VELLE, NULLUS TAMEN POTUIT OBTINERE. Jactationes igitur, ut nunc inquit Curia, jactationum appellat ſuffragia, quæ Anatolius a Secunda Synodo mutuabatur. Ex hoc autem Pontificiæ Epiſtolæ loco manifeſtiſſimè liquet, rejectum ab ipſis Orientis Præſulibus fuiſſe Canonem illum, nec ullum ex Cæſareæ Urbis Epiſcopis uſum eò uſque fuiſſe Privilegiis, quæ Sedi ſuæ ab illo conferri Canone videbantur. Quia ad Auguſtam ea ſcribi potuiſſe dicat a Leone Magno, quæ veritatis compertiſſima nequaquam eſſent? Apoſtolica demum Auctoritate irritum, ac nullum eſſe ſtatuit Chalcedonenſe Decretum, adeoque Superiorem ſe Generali Synodo præſtat. *Conſenſiones verò Epiſcoporum Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum Regulis repugnantes, unita nobiſcum veſtræ fidei pietate*, IN IRRITUM MITTIMUS, ET PER AUCTORITATEM BEATI PETRI APOSTOLI GENERALI PRORSUS DEFINITIONE CASSAMUS. (1)

Solùm a vulgo mortalium legendum ſe profectò credidit Petrus Suavis, qui evectam in majus fuiſſe dicit poſt Undecim ab adventu Domini Secula Pontificiam Poteſtatem. Si ea paulatim, inſtar humani corporis, adoleviſſet, qua nunc gigantea altitudine in Cælum ferretur? Enimvero aſpectabilem Eccleſiæ Monarcham perpetuo Auctoritatis exercitamento adeo ſe præſtitit Leo Magnus Seculo Quinto, ut nullus noſtra, & parentum ætate vividius exercere potuerit virgam Sacerdotalis Imperii.

(1) *Pag.* 447.

CAPUT LXII.

Confirmatur Synodus a Leone in Literis ad ipſum Concilium, ad Maximum Antiochenum, & ad Marcianum datis, quò ad Fidem tamen ſolummodo, non quò ad Canonem de prærogativa Conſtantinopolitanæ Cathedræ, multiplici iterum ratione ſubverſum a Pontifice Maximo, Conciliis omnibus præcellente, ac Epiſcopo Univerſalis Eccleſiæ.

347 ANtequam Leonis Epiſtolas expendere adoriamur, ex Imperatorum ad Provinciarum Præſides Epiſtola, loquente de Synodo Chalcedonenſi ab omnibus excipienda, hæc delibamus. *Venerabilis Synodus innumerabilium penè Sacerdotum Chalcedonem conveniret, quæ dum Fidem diligenter inquirit*, AUCTORITATE BEATISSIMI LEONIS EPISCOPI ÆTERNÆ URBIS ROMÆ, ET RELIGIONIS FUNDAMENTA CONSTITUIT; ſive, ut habet verſio Græca, CONFIRMAT. Inquiſitio igitur Fidei in eo ſita fuit, ut AUCTORITATE BEATISSIMI LEONIS RELIGIONIS FUNDAMENTA CONFIRMARENTUR. An non, Magiſtrum, & Ducem Concilii fuiſſe Romanum Pontificem in declaranda Catholica Veritate, Imperator affirmat? Nova perpetuò gliſcunt Argumenta oſtendentia, nihil aliud pro Fide ſtabilienda præſtitum a Concilio fuiſſe, niſi ut Leonis Epiſtolam, veluti credendi Normam, omnibus latiſſimè populis oſtentaret. Hoc porrò Univerſalis Synodus minimè præſtitiſſet, niſi cujuslibet Erroris periculo exemptam putaſſet Apoſtolicam Sedem. (2)

Et Marciano Suavis adjudicavit Præfecturam Concilii Chalcedonenſis, cujus vim omnem Leoni Pontifici Maximo Marcianus idem attribuit?

348 Quam ab ipſo Leone obſequentiſſimè Synodus flagitaverat, ita reſpondens omnibus Epiſcopis, qui eidem Concilio interfuerant, Pontifex Maximus Confirmationem indulget. *Fraterna Univerſitas, & omnium fidelium corda cognoſcant, me non ſolùm per Fratres, qui vicem meam executi ſunt, ſed etiam per* APPROBATIONEM GESTORUM SYNODALIUM PROPRIAM VOBISCUM INIISSE SENTENTIAM, *in ſola videlicet Fidei cauſa (quod ſæpe dicendum eſt) propter quam Generale Concilium, & ex præcepto Chriſtianorum*

(2) *Pag.* 456.

rum Principum, & *ex conſenſu Apoſtolicæ Sedis placuit congregari*. Neſtorium deinde, ac Eutychetem graviſſimis iterum verbis damnat,& ad Catholicæ Fidei tutelam Præſules omnes hortatur, abigens e conſortio credentium novarum Hæreſum ſectatores. *Si quis umquam auſus fuerit, vel Neſtorii perfidiam tueri, vel Eutychetis, ac Dioſcori impium dogma defendere*, A CATHOLICORUM COMMUNIONE RESECETUR, *nec habeat ejus corporis participationem, cujus abnegat veritatem, Fratres chariſſimi*. Ut præſtans igitur Synodo ea ex ipſa eligit, quæ ſibi probantur, videlicet Fidei Declarationes, ac ſeparat ab iis, quibus addere negat ineluctabile Pontificiæ pondus Auctoritatis, ſcilicet Decretis quò ad Diſciplinam, ne inter hæc complectatur Canonem Conſtantinopolitanæ Sedis dignitati faventem. An non ſi ex Conſtitutionibus editis a Senatu quaſdam Rex confirmet aliis improbatis, ex hoc arguitur ipſi Regem Senatui antecellere? (1)

349 Apertius deinde invehitur in Canonem contrarium Nicænis Decretis. QUANTUMLIBET ENIM EXTORTIS ASSENTATIONIBUS SESE INSTRUAT VANITATIS ELATIO, ET APPETITUS SUOS CONCILIORUM ÆSTIMET NOMINE ROBORANDOS, *infirmum, atque irritum erit quidquid a prædictorum* (locutus fuerat de Nicænis) *Patrum Canonibus diſcreparit*. Veriſſimè affirmat, *extortum* fuiſſe ſuperbum Canonem, & projectè *aſſentatos* Anatolio fuiſſe illius conditores. Dum autem ſtatuit, fruſtra *Conciliorum nomine roborandos appetitus* tumidi Antiſtitis, optimo jure præſumit Sanctiſſimus, & Sapientiſſimus Pontifex Conciliis ſe omnibus antecellere; cæteroqui enim non incaſſum Conciliorum Auctoritate fretus Anatolius fuiſſet. Quis autem jactantiæ Leonem Magnum inſimulabit? Quis ita ſermonem inſtitui potuiſſe credat ab illius ſapientia, omnes Orientis Præſules alloquente, niſi notoria tunc omnibus fuiſſet Pontificia Præſtantia ſupra Concilia? (2)

350 Scribens autem ad Maximum ſic orditur: LEO CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS *Maximo Chariſſimo Fratri Epiſcopo Antiocheno*. In aliis ad Marcianum Auguſtum datis dixerat ſe *Epiſcopum Romanæ*, & UNIVERSALIS ECCLESIÆ; nunc autem, peculiari ſua Romanæ Urbis Eccleſia prætermiſſa, UNIVERSALIS (nam hoc ipſum ſonat CATHOLICA) ſolummodo meminit ſibi divinitus attributæ. Et opportunè quidem hanc præfert ſui Muneris Appellationem, cum Conciliorum Decreta partim confirmare, partim diffingere, & omninm aggreditur ordinare jura Eccleſiarum. (3)

(1) *Pag.* 464. (2) *Pag.* 464. (3) *Pag.* 445. 465.

351 Per Marinianum Preſbyterum, & Olympium Diaconum delatas ad ſe dicit Literas Maximi, conqueſti ſupereſſe quoſdam *ſolo*, & *vacuo nomine Chriſtianos non habentes intelligentiam, qua errorem ab errore diſcernant*, & *blaſphemiam Neſtorii ab Eutychis impietate diſtinguant*. Erudire autem incipiens Antiochenum Patriarcham Romanus hęc deinde ſubdit: CATHOLICÆ FIDEI PETRA, CUJUS COGNOMEN BEATUS APOSTOLUS PETRUS SUMPSIT A DOMINO, NULLUM RECIPIT AB UTRAQUE IMPIETATE VESTIGIUM, *ſed* &c. Catholicæ mox Fidei contra utramque hæreſim uberius explicat veritatem, quam defendi jubet a Maximo. Animadverſione dignum videtur mihi, quod cum dicere uno verbo potuiſſet Leo, ſtandum eſſe Epheſinis, & Chalcedonenſibus contra Neſtorium, ac Eutychetem Decretis, non parcè iterum ipſe Divinæ Incarnationis Myſterium pandat. Ex hoc Magiſterio, quod exercet Pontifex optimus de Arcanis paulò ante declaratis in Generalibus Conciliis, infertur, innotuiſſe Leoni, non minorem certè, ac majorem fortaſſe, apud Maximum, & omnes Orientales fore ſuis, quàm Synodorum dictis, Auctoritatem. Dum autem *reprobari utramque impietatem dicit* A PETRA CATHOLICÆ FIDEI, *cujus cognomen Beatus Petrus ſumpſit a Domino*, indicat, æquè certam eſſe ſuam, ac Petri Doctrinam, cum Inſtaurator humani generis ſuam ſupra Petri ſoliditatem ſtatuens Eccleſiam, nullis unquam arietibus, aut baliſtis Tartari diruendam, ipſis etiam Petri Succeſſoribus e Cathedra Chriſtianum Orbem erudientibus Privilegium numquam errandi efficaciſſimis a Patre precibus exoraverit. (4)

352 Admoneri ſe Fidei Cuſtodem jubet a Maximo, ſecum pro illius defenſione laborante, de iis, quæ contra veram Religionem tentaret impietas. *Summâ itaque vigilantiâ, cautum te eſſe convenit, ne quid ſibi hæretica pravitas audeat vindicare, cum te deceat his Sacerdotali auctoritate reſiſtere*, NOSQUE SÆPIUS DE PROFECTU ECCLESIARUM TUIS RELATIONIBUS, QUID AGATUR, INSTRUERE. *Dignum eſt enim, te Apoſtolicæ Sedis in hac ſolicitudine conſortem, & ad augendam fiduciam Privilegia tertiæ Sedis agnoſcere, ut in nullo cujuſquam ambitione minuantur*. Ita ſubjectus oculis Paſtorum Princeps alloquitur Antiſtitem in Tertia (nam Prima erat Romana, Alexandrina verò Secunda) Sede conſtitutum; utcumque jactaret Anatolius Conſtantinopolitanum, & Chalcedonenſem Canonem, a quo Secundus ſibi eſſet locus adjudicatus. (5)

353 Ad

(4) *Pag.* 465. (5) *Pag.* 465.

353 Ad ſe, ut Magiſtrum, & Arbitrum deferri præcipit Leo dubia, & controverſias, quæ forſitan exorirentur. *Unde cum aliquid pro Antiochenæ Eccleſiæ Privilegijs dilectio tua agendum eſſe crediderit, proprijs Literis ſtudeat explicare*, UT ET NOS CONSULTATIONI TUÆ ABSOLUTE, ET CONGRUÈ RESPONDERE POSSIMUS. (1)

354 Damnans exinde Canonem, extortum ab Anatolii ambitione, conqueritur, frequenter in Synodis contingere, ut cupiditas improborum aliquid appetat non congruens æquitati: atque hoc confirmat exemplo Juvenalis, in Epheſino Concilio conati extorquere Palæſtinæ Provinciæ Principatum: *Subrependi enim occaſiones non prætermittit ambitio, & quoties ob intercurrentes cauſas generalis Congregatio facta fuerit Sacerdotum*, DIFFICILE EST, UT CUPIDITAS IMPROBORUM NON ALIQUID SUPRA MENSURAM SUAM MOLIATUR APPETERE. *Sicut etiam in Epheſina Synodo, quæ impium Neſtorium cum dogmate ſuo perculit, Juvenalis Epiſcopus ad obtinendum Palæſtinæ Provinciæ Principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare. Quod ſanctæ memoriæ.* CYRILLUS *Alexandrinus Epiſcopus meritò perhorreſcens*, SCRIPTIS SUIS MIHI, QUID PRÆDICTA CUPIDITAS AUSA SIT, INDICAVIT, ET SOLICITA PRECE MULTUM POPOSCIT, UT NULLA ILLICITIS CONATIBUS PRÆBERETUR ASSENSIO. Duo hic expendenda ſunt: & primò quidem diſcrimen Eccleſiaſtici ordinis pervertendi ab improborum ambitu in Generalibus Conciliis, quæ proinde non expedit adeo frequenter haberi ob hanc, aliaſque plurimas cauſas a Gregorio Theologo, Ambroſio, aliiſque Sanctiſſimis viris allatas. Si autem raro Synodi Generales cogendæ ſunt, neceſſarium profectò eſt in Eccleſia Divina Infallibile aliquod Tribunal veram Fidem declarans, & damnans Hæreſes frequenter naſcentes, cum illas ex Apoſtoli Oraculo *eſſe oporteat* ad explorandam piorum conſtantiam. Quod autem hoc erit Tribunal errare impos, niſi Apoſtolorum Principis Cathedra? Cum porrò celebrantur Concilia, ſubjecta tanto ſeditionis periculo, enimvero neceſſe eſt in officio Epiſcopos contineri a Pontificiis Legatis, ideoque anteriorem Synodis eſſe Apoſtolicam Sedem. Alterum, quod e ſuperiori textu colligimus, eſt honor habitus Pontifici Maximo a S. Cyrillo Alexandrino, imò ab Univerſa, cui Cyrillus præſidebat, Synodo Epheſina, quæ temeritatem Juvenalis, non ſatis compreſſam ab ipſo Concilio, contundendam penitus credidit, ſi eidem major Synodis Romanus Pontifex obluctaretur. (2)

355 Quia numero Chalcedonenſium Patrum ſibi aſtipulantium Anatolius gloriabatur, declarat Leo, a ſe præferri Nicænos, utcumque pauciores; ideoque, ut Arbiter Conciliorum, Sententiam fert de illis, quæ, quò ad ordinem Sedium pugnantia, in utraque Synodo fuerant decreta. Hoc PROPRIUM DEFINITIONIS MEÆ EST, *ut quantumlibet numerus Sacerdotum amplior aliquid per quorumdam ſubreptionem decernat, quod illis Trecentorum decem, & octo Patrum Conſtitutionibus inveniatur adverſum*, ID JUSTITIÆ CONSIDERATIONE CASSETUR. (3)

356 Demum, ſicut Præſulum omnium, & Patriarcharum quoque Moderator, præcipit Antiocheno, ſuas ut Sanctiones Epiſcopis aliis indicat: ac velut aſpectabile Eccleſiæ Caput decernit, ut reliqua membra ſua ſe in ſtatione contineant. *Quanta verò hoc* (ſcilicet Nicænum Decretum de Sedium ordine) *diligentia cuſtodiatur a nobis, exemplaribus ejus Epiſtolæ, quam ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum* REFRÆNANTES IPSIUS CUPIDITATEM DIREXIMUS, INSTRUERIS: QUAM IN OMNIUM *Fratrum, & Conſacerdotum noſtrorum* FACIAS NOTITIAM PERVENIRE *&c. Cum in Eccleſia Dei omnia ordinata eſſe conveniat, ut in uno Chriſti corpore, & excellentiora membra ſuum officium impleant, & inferiora ſuperioribus non repugnent*. (4)

357 In Epiſtola ad Marcianum Auguſtum innuit Leo, alioqui manſuetiſſimus, Cenſuris, ſi neceſſe fuerit, a ſe compeſcendam ſubjecti ſibi Anatolii ſuperbiam. *Si verò, quæ Deo, & pietati veſtræ diſplicent, pertinaci intentione delegerit, ſalvâ manſuetudinis veſtræ reverentiâ, utar cum omnibus, & pro omnibus, vobis quoque annitentibus, adverſus ſuperbientem liberiore conſtantia, quem (quod ſæpe dicendum eſt) mallem pro ſanctis actibus fraterna charitate complecti*. (5)

358 Ut Supremus in Cauſis Fidei Judex admonet Imperatorem de mittendo in remotiores ab Urbe Cæſarea partes Eutychete, adhuc venena profundente in ſui Exilii loco. PLENUM ITAQUE RATIONIS ÆSTIMO, UT VESTRA CLEMENTIA AD LONGINQUIORA EUM JUBEAT, ET SECRETIORA TRANSFERRI. (6)

359 Cuſtodem Fidei, adeoque illius Magiſtrum ſe eſſe profitetur narrans juſſum a ſe, ne quid Religio detrimenti capiat, excubare Conſtantinopoli Julianum Epiſcopum, a cujus directione pendere debeat novus Archimandrita impio Eutycheti ſuffectus. *Is, qui Monaſterio præpoſitus eſſe dicitur*,

(1) *Pag.* 465.

(2) *Pag.* 465. (3) *Pag.* 465. (4) *Pag.* 466. (5) *Pag.* 466. (6) *Pag.* 466.

tur ; a ſocietate veneratoris veſtri Juliani Epiſcopi, QUEM IN SPECULIS PROPTER FIDEM ILLIC ESSE CONSTITUI, *non recedat, cujus aſſidua viſitatione profectus Servorum Dei illic habitantium poſſit augeri*. (1)

360 In exorta demum Controverſia de die, quo Paſcha conſequenti anno celebrandum eſſet, cum ad Leonem Epiſcoporum Principem ſpectaret ſolicitudo, ne ulla in hoc Eccleſia exerraret, abolendam dicit Conſtitutionem Theophyli Alexandrini, Præſulis alioqui ſapientiſſimi, & celeberrimi, ſeque a Cæſare de omnibus, quæ de hac quæſtione emergerent, admonendum. *Petitionem autem de Feſtivitate Paſchali gaudeo ita a veſtra pietate ſuſceptam, ut confeſtim Nectarium agentem in rebus Alexandriam mitteret de errore removendo, quem ſanctę memorię Theophyli Conſtitutio videtur inferre. De qua re, ſicut ſcribere dignamini, quidquid ad pietatis veſtræ notitiam perlatum fuerit*, JUBETE ME NOSSE; *ut de obſervantia, quam non licet eſſe diverſam, quid potiſſimum ſit tenendum Eccleſia Univerſalis agnoſcat*. (2)

CAPUT LXIII.

Sanctus Leo curam gerit Orientalis Eccleſiæ exagitatæ a Timotheo Alexandrino oſore Chalcedonenſis Concilii, & in Literis ad Leonem Auguſtum, qui ad ipſum, ut communem Chriſtianorum omnium Paſtorem, certumque veritatis Magiſtrum, confugerat, eamdem ſibi ineſſe profitetur, quam Chriſtus Dominus Petro tradidit Auctoritatem ſupra Univerſam Eccleſiam.

361 CUm ereptus primùm fuiſſet e conſortio mortalium Marcianus Religioſiſſimus Princeps, egregius Defenſor Concilii Chalcedonenſis, erupit Alexandriæ impia conſpiratio fautorum Dioſcori ejus olim Urbis Antiſtitis, quem ab ea Synodo damnatum ægerrimè ferentes Hæretici violentas manus injecerunt in S. Proterium Patriarcham, duce Sicariorum Timotheo Æluro, qui Sacras Infulas per vim, & nefas invaſit. Synopſim narrationis excerpimus ex Epiſtola Ægyptiorum Epiſcoporum, & Cleri Alexandrini ad Leonem Auguſtum tunc imperantem, ut pateat, quæ hominum monſtra fuerint rebelles Apoſtolicæ Sedi, quam veritus nequaquam fuit Timotheus. *Dum commotio, & irrationabilis ira pro Timotheo meditaretur ab aliquibus contra ſanctæ memoriæ Proterium, nihil aliud erat, quod faceret ille beatæ memoriæ, quàm ut locum daret iræ, ſecundùm quod ſcriptum eſt, ut ad Sacrum Baptiſterium ſe conferret &c. Neque in illis intemeratis locis eum ſalvare volentes, neque cultum loci metuentes, nec tempus, cum eſſet ſalutaris Paſchæ Feſtivitas, nec ipſum Sacerdotium paveſcentes, quod eſt mediatio Dei, & hominum, percuſſerunt inculpabilem virum, eumque crudeliter occiderunt, etiam cum alijs ſex, & circumducentes ejus ubique cadaver vulneratum, crudeliterque trahentes per omnia penè Civitatis loca inſenſibile corpus, plagis ſine miſericordia verberabant, dividentes membratim eum, &* NEQUE INTERIORA MORE CANUM GUSTARE PARCENTES *illius viri, quem nuper habere ſe mediatorem Dei, & hominum putaverunt: tradenteſque reliquum ejus corpus igni, etiam diſpergebant ejus cineres in ventos, ferocitatem beſtiarum omnium tranſcendentes. Horum ſiquidem omnium auctor fuit, & ſapiens, ſi Deo placet, architectus Timotheus, primò ſiquidem adulter, poſtea etiam homicida, penè manibus proprijs hoc nefas efficiens, & propterea condemnandus, quando agenti, qui jubet malum fieri, in ſupplicio proximus eſt. Adjecit etiam his malis ſine timore pejora, dum iniquè contra Regulas operatur. Hactenus agit Sacra Myſteria, qui neque Laicorum communionem habere Sanctis Canonibus poteſt. Et gubernat quidem auctoritate ſua Sanctam Alexandrinorum Eccleſiam, res autem ejus, ut viſum fuerit ei, malè devaſtat, & habentes alimenta pauperes ab Eccleſia ejus ſolatio privat omnimodis, alijs hæc ſceleratiſſimis expendendo. Et apertè quidem Epiſcopos condemnatos quatuor, aut quinque; contrarios Orthodoxæ Fidei, ſicut diximus, exiſtentes, alios quidem ſecum habet, alios verò per Civitates mittit, ut in eis Epiſcopos Orthodoxos perſequantur; ſed & alios ordinare non ceſſat. Eos autem, qui regulariter conſiſtunt, velut communicatores Sancti, & Univerſalis Concilii, & ſanctæ memoriæ Proterij, anathematizavit &c.* En quos hoſtes Apoſtolica Sedes fuit ſortita. Ipſis videlicet Ethnicis ferociores, & humani generis probra. Nullo apud hæc portenta in pretio fuere Generalia Præſulum ſupra Sexcentorum, paulò ante in Oriente celebrata, Concilia; ut proinde mirum non ſit, quod hi Hæreticorum nequiſſimi, qualeſcumque leges exoſi, jugum etiam Alexandriâ diſtantis Romani Paſtoris excuſſerint. (3)

362 Ex Epiſtola quorumdam Epiſcoporum Ægypti Timotheo Æluro adherentium

ad

(1) *Pag.* 466. (2) *Pag.* 466.

(3) *Pag.* 470.

ad Leonem Auguſtum conſtat, ab iis eum duce ſuo non ſolùm Chalcedonenſem, ſed & Conſtantinopolitanam Synodum reiici; ſuſcipi autem utramque Epheſinam, videlicet Secundam quoque Latrocinalem habitam a Dioſcoro; ſic enim inquiunt: *Noſtram ſententiam facimus manifeſtam, quoniam communicat Eccleſia Synodis in Epheſo celebratis. Synodum autem Centum quinquaginta* (ideſt Conſtantinopolitanam) *neſcimus &c. Synodum enim Chalcedonenſem Eccleſia maximæ Civitatis Alexandrinæ non ſuſcipit*. Emicat hic in primis Hæreticorum inſania, ſe veritatis, & Conciliorum Judices conſtituentium, ac proinde certum quodcumque Tribunal execrantium. Et mirabimur, ſe Romano Pontifici non ſubiicere hujuſmodi homines, qui Judicem quemlibet perhorreſcunt? Indagamus præterea cauſam, ob quam hi Eutychianæ hæreſi addicti Synodum Conſtantinopolitanam deteſtantur, quæ ſuum contra Magiſtrum decreverat nihil. Suſpicari licet, odium hoc exortum ex eo fuiſſe, quod illi Synodo tribueretur Canon Alexandrino præferens Cæſareæ urbis Epiſcopum. Et hac fortaſſe de cauſa Catholici Epiſcopi Ægyptii hæreticis adverſati perhonorificis, & abſonis titulis Anatolium compellaverant in Epiſtola ad ipſum data, ut apud Leonem Auguſtum contra Timotheum ſtrenuè pugnaret. Sed hæc Agnomina illi tributa ab unius, vel alterius Provinciæ Præſulibus audita non fuerant in Concilio Chalcedonenſi, in quo ne Patriarcha quidem appellari cœpit Conſtantinopolitanus Antiſtes. (1)

363 Ad hæc certamina compeſcenda Imperator Leo Leonem Magnum Pontificem Maximum per literas ſupplex adivit, qui reſponſionem ad Cæſarem ſic fuit exorſus. *Literas clementiæ tuæ plenas virtute Fidei, & lumine veritatis veneranter accepi, quibus cuperem etiam in eo, quod præſentiam meam pietas veſtra neceſſariam exiſtimat, obedire, ut majorem fructum conſpectu veſtri ſplendoris aſſequerer; ſed magis id vobis arbitror placiturum, quod eligendum ratio demonſtravit. Nam cum ſancto, & ſpirituali ſtudio in univerſo mundo pacem Eccleſiæ muniatis, nihilque ſit convenientius Fidei defendendæ, quàm his, quæ per omnia inſtruente Spiritu Sancto irreprehenſibiliter definita ſunt, inhærere*, IPSI VIDEBIMUR BENE STATUTA CONVELLERE, ET AUCTORITATES, QUAS ECCLESIA UNIVERSALIS AMPLEXA EST, AD ARBITRIUM HÆRETICÆ PETITIONIS INFRINGERE, ATQUE ITA NULLUM COLLIGENDIS ECCLESIIS MODUM PONERE, SED DATÂ LICENTIÂ REBELLANDI DILATARE MAGIS, QUÀM SOPIRE CERTAMINA. Plura ex hoc ſapientiſſimo Exordio proferuntur in lucem, ac primò quidem conſtat, cognitum ab Imperatore fuiſſe Leonem Univerſæ Moderatorem, ac Magiſtrum Eccleſiæ, quem proinde Cæſar optaverat in Orientem contendere, ut ſedaret Fidei Controverſias. At enim ſacris Cæſarea in urbe præerat Anatolius, Oecumenicus in Oriente Archiepiſcopus dici ambiens? Cur igitur, ab illo ſatis compeſci poſſe Fidei perduelles, non putavit Auguſtus? Cauſam inquiris? Ironicæ illam interrogationi nullo negotio ſubiicimus. Quia Leo Imperator ſpernebat, ac ſperni ab omnibus evanidum illud, de quo Anatolius muſſitabat, Oecumenici Agnomen, compertum habebat; ideoque ad unicum verè Univerſalem Eccleſiæ Paſtorem confugiendum ſibi eſſe, ut Romanus idem Paſtor a noxiis Orientales oves ſuas pabulis prohiberet. (2)

364 Novum præterea Concilium exoptatum ab Auguſto fuiſſe liquet, quod Chriſtianæ Reipublicæ non expedire Pontifex cenſet. Et habitum quidem nequaquam eſt, quia illud fieri non probavit Apoſtolica Sedes. Ad hanc igitur ſpectare Conciliorum Juſſionem, aut ſaltem Conceſſionem, veluti rem in Eccleſia notiſſimam, verbo, & facto ipſo confeſſus eſt Leo Imperator. Quod ſi e Leonis Magni ſententia, comprobata ab obſequio Cæſaris recedentis a novæ Synodi poſtulatione, non expedit, frequenter celebrari Concilia, non incongruenter Pontificia ex hoc infertur Infallibilitas, ſi fateamur, bene proviſum a Chriſto Domino fuiſſe Eccleſiæ ſuæ. Non enim rarò emergunt Hæreſes, ſicuti rarò habendæ ſunt Synodi. Ne illæ igitur invaleſcant, quamprimùm ab eo ſunt condemnandæ, cui certa fides a Chriſtiano populo præbenda ſit.

Quid ad hæc, non ſemel a nobis, nec fruſtra, inculcata, Suavis reponeret? Nihil certè reſponderet, quod noſtrorum nervos argumentorum ſuccideret. Sed ad alia, & inepta quidem, digreſſus vim in eo faceret, quod Leo Magnus cupidum ſe obediendi Cæſari profiteatur. Quid tum? An idcirco in Sacrorum Adminiſtratione Præſes Eccleſiæ Cæſari ſubjectus erat? An officioſa verba tollenda de medio ſunt? Ineptiam & ego, ſi in his inflatæ vento aquæ bullis difflandis ulterius immorer. *Neceſſariam præſentiam Leonis* cenſuerat Imperator ad Orientales hæreticos opprimendos. Illum tamen ad Cæſaream urbem ſolummodo ſupplex invitaverat, non autem ſuſcipiendum omnino iter eidem præſcripſerat. Quemadmodum igitur Pontifici Maximo non præceperat Cæſar,

(1) *Pag.* 474.

(2) *Pag.* 475.

ſar, ita huic *obedire* Supremus Antiſtes minimè tenebatur; licet magnanima demiſſione animi Sapientiſſimus Pontifex hoc *obtemperandi* verbum uſurpet. (1)

365 Hortatur deinde Eccleſiæ Moderator Auguſtum ad defenſionem Chalcedonenſis Concilii: *Unde quia poſt illas Epheſinæ Synodi* (videlicet Secundæ Latrocinalis) *impietates, quibus Dioſcori ſcelere Fides Catholica refutata, & perverſitas Eutychiana ſuſcepta eſt, nihil ad confirmationem Fidei Chriſtianæ utilius potuit ordinari, quàm ut prædicti facinus Sancta Synodus Chalcedonenſis aboleret &c. quid probabilius, quid religioſius poterit pietas veſtra decernere, quàm ut, quæ non tam humanis, quàm Divinis ſunt ſtatuta decretis, nullus ultra ſinatur impetere, ne verè digni ſint tantum Dei munus amittere, qui de veritate ipſius auſi fuerint dubitare? Cum ergo Univerſalis Eccleſia per illius principalis Petræ ædificationem facta ſit Petra*, & Primus Apostolorum Beatissimus Petrus voce Domini dicentis audierit: Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: quis est, nisi Antichristus, aut Diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem firmitatem? Cur ſtatim poſt commendatam Synodum Chalcedonenſem, & adjectas minas *amittendi tanti Dei muneris*, ſcilicet Chriſtianæ Fidei, ab illis, qui de veritate ipsius Chalcedonenſis Concilii ausi fuerint dubitare: commemorat Leo supra Petram a Christo Domino fundatam Ecclesiam? Enimverò ideo Petrum Concilio ſubnectit, ut oſtendat, a Petri ſoliditate, nullis Antichriſti, aut Diaboli impulſibus quatienda, oriri certitudinem veritatis, qua Synodus fruebatur. Idcirco igitur veriſſima credenda erat Concilii Fides, quia datam a Succeſſore Petri Epiſtolam obſequenter exceperat, veluti certiſſimum Magiſterium veritatis: & quia a Petri Cathedra Synodus eadem fuerat confirmata. (2)

366 At Infallibilitas Pontificia ex hoc ipſo Evangelii loco adeo manifeſtè infertur, teſte Leone, ut Antichristus, aut Diabolus cenſeatur, qui pulsare audeat inexpugnabilem firmitatem Petri, supra quam Petram Ecclesia ædificata fuit. Et vasa iræ appellantur, qui, poſt Romanas de Fidei Articulis Declarationes, de his audent dubitare. Sic enim inquit Leo de inſtituentibus quæſtionem rerum, quas ipſe a Concilio juſſerat publicari. *Qui in malitia ſua inconvertibilis perſeverans*, ſcilicet Timotheus Ælurus, per Vasa Iræ *ſuæ apta fallaciæ falſo diligentiæ nomine, dum veritatem ſe mentitur inquirere, mendacia deſiderat ſeminare*. (3)

367 Geminum deinde oraculum pauciſſimis hiſce verbis complectitur Leo de Synodo loquens Chalcedonenſi: In qua nullo modo contingere potuit, ut a nobis contra Sanctam Nicænam Synodum sentiretur, quod hæretici mentiuntur. Primum porrò eſt, quod ſe diſertè dicat impotem falli, dum affirmat, contingere nullo modo potuisse, ut a se contra Nicænam Synodum sentiretur: contra quam ſentiendo in Explicatione Fidei miſſa Chalcedonem profectò exerraſſet. Alterum eſt, Præſumptio, quod recenter habita Synodus nihil aliud præſtiterit, quàm ut ſe ſubſcriberet Epiſtolæ Pontificiæ. Neque enim dicit: *nullo modo potuit contingere, ut a Synodo Chalcedonenſi*; ſed, Ut a nobis *contra Nicænam ſentiretur*; ipſe enim unus fuerat Animus, & Vita Concilii, hoc autem Organum, ac Tuba Pontificis Maximi. Ergo Leonis quoque Antecellentia ſupra Concilium hinc comprobatur; præſtat enim profectò Animus Inſtrumento, quo utitur. (4)

368 Narrat poſtea Pontifex optimus, ad ſe miſſos ab Imperatore ſupplices Catholicorum & Hæreticorum libellos, de quibus ſententiam fert, poſtquam Cæſarem fuit hortatus, ut ſe Divinæ clypeum Eccleſiæ oſtendat eſſe. *Debes incunctanter advertere, Regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad Mundi regimen*, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, *ut auſus nefarios comprimendo, &, quæ bene ſunt ſtatuta, defendas, & veram pacem his, quæ ſunt turbata, reſtituas: depellendo ſcilicet pervaſores juris alieni, & antiquæ Fidei Sedem Alexandrinæ Eccleſiæ reformando &c. Oblatæ ſunt glorioſiſſimæ Pietati veſtræ preces*, quarum exempla vestris literis subdidistis. *Sed in his, quæ Catholicorum ſunt deplorantium, ſubſcriptio continetur &c.* Ut Univerſæ igitur Eccleſiæ Rector per Cæſarem Leo providet Alexandrinæ: & ad illum, ut omnium in Fidei Cauſa Judicem, poſtulationes utriuſque partis dirigit Imperator. Et contra hæreticos quidem rugitus edit flagrantiſſimus Leo. (5)

369 Demum ipſi etiam proſpicit Eccleſiæ urbis Cæſareæ, in quam hæretici quidam irrepſerant, contra quos Auguſtum incendit, eique ſuos Nuntios, Defenſores Fidei Conſtantinopoli conſtitutos, enixè commendat: *Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ puritatem peſtilentes obſcurant, in qua inveniuntur quidam Clerici hæreticorum ſenſui conſonantes, & intra ipſa Catholicorum viſcera* aſſer-

(1) *Pag.* 475. (2) *Pag.* 475.

(3) *Pag.* 475. (4) *Pag.* 475. (5) *Pag.* 475.

aſſertionibus ſuis hæreticos adjuvantes. In quibus deturbandis ſi Frater meus Anatolius, cum nimis tempori parcit, ſegnior invenitur, DIGNAMINI PRO FIDE VESTRA ETIAM ISTAM ECCLESIÆ PRÆSTARE MEDICINAM, *ut tales non ſolùm ab ordine Clericatus, ſed etiam ab urbis habitatione pellantur, ne ulterius Sanctus Dei populus perverſorum hominum contagio polluatur. Cultores autem pietatis tuæ Julianum Epiſcopum, & Aetium Presbyterum mea petitione commendo,* UT SUGGESTIONES EORUM PRO CATHOLICÆ DEFENSIONE FIDEI PLACIDÈ DIGNERIS AUDIRE. Imperatorem igitur ſuum quodammodo delegatum eſſe jubet Leo in abigendis hæreticis ab Altari: perque Vicarios ſuos Orientalem Eccleſiam erudit, ac moderatur. (1)

370 Alios plurimos expiſcari uniones liceret ex Literis, quas Provinciarum Metropolitæ, adjectis etiam aliorum ab ipſis pendentium Epiſcoporum nominibus, dederunt ad Leonem Auguſtum. Eos ille conſulnerat de Chalcedonenſi, cui adſuerant, Synodo, deque nova ab hæreticis poſtulata. Hoc autem præſtiterat Catholicus Princeps, nihil cæteroqui ambigens de veritate, ad os perduellium occludendum. Sed cum hic nobis præ manibus excreverit Liber (ſi tamen longa eſſe queunt, quibus nihil eſt, quod demere poſſis) tantummodo conglobamus rationes quaſdam ab illis allatas contra Conciliorum frequentiam, ex quibus colligitur neceſſitas alterius perpetuò apertæ Cathedræ ſynceram Fidem tutò explicantis. INSIGNIS POMPA CONCILII (ſcribunt Epiſcopi Piſidiæ) OCCASIO QUIDEM MULTIS CONTEMPTUS SACRÆ FIDEI, ET DETRACTIONIS EXISTIT; *frequentiâ verò multorum indiſcretè loquentium Paganorum, aut Infidelium, & præcipuè Hæreticorum, plurimi, quod abſit, ſimplicium trahuntur ad lapſum, qui dum illi putentur quidem, de quibus volunt, honeſtè loqui, ad varias autem blaſphemias rectæ Fidei dogma perducunt. Cur enim hoc capitulum eligunt, qui hactenus, quod ſapiunt, ita neſciunt, ut pro ſua Fide frequenter egeant convenire?* Et Epiſcopi Helleſponti ſubiiciunt: *Nihil aliud ſtudent, qui optant Synodos congregari, niſi ut vaſa ſacra plurimi Sanctorum Epiſcoporum vendentes pro ſumptibus, & expenſis, & ſubvectionibus animalium, pretia univerſa conſumant, & aliqui eorum in peregrinatione, aut mari vitæ hujus luce privati onus hoc, atque peccatum congregantibus Concilium providere noſcantur.* At Paphlagoniæ Antiſtites ſuam ita cauſam Imperatori commendant: *Deprecamur autem, & veſtram pietatem totis viribus exoramus, ut Apoſtolicam Doctrinam, in quam creditis, immobilem conſervetis &c. & ut eis, qui inaniter alia Concilia fieri deſiderant, reſiſtatis.* Veteris autem Epiri Præſules in frequentium Synodorum cupidos acrius invehuntur. *Quieſcant igitur, quieſcant, & hoc per te, piiſſime. qui modicum bonum putant munus taciturnitatis exiſtere. Quieſcant confundere, & Dei Eccleſias conturbare, & curioſis ſermonibus auditus perſonare ſimplicium: vel tuam rectam Fidem, ſi metum futuri judicij non habent, erubeſcant. Cur ventis ſermonum tranquillitatem ſanctæ Fidei noſtræ conturbant?* CUR CONCILIA ADVERSÙS DEUM IN OMNI LOCO, ET GENTE FACIUNT RESIDERE VILISSIMA? *Cur tela contra nos Dæmonibus ſubminiſtrant? Cur certant ſuâ ſcientiâ ſecundùm Adam fieri velut Dei, qui adhuc nec, quæ ſunt hominum, agunt? Cur lenem noſtram, mollemque pacem impugnant?* (2)

Suavis poſt relatam Aquenſis Epiſcopi Apoſtolici Nuntii Legationem, ait. *Ad hæc illi*, ſcilicet Proteſtantes, *accuratè reſpondent, ſimul cauſas afferunt, quibus adductî Pontificem, ſuoſque in rebus Fidei Judices averſantur, citatis in eam rem Sanctorum Patrum Exemplis, qui priſcis temporibus Concilia recuſarunt.* At ea certè non fuit Sanctis Patribus cauſa Synodos recuſandi, quòd Pontificem, ejuſque aſſeclas in rebus Fidei Judices averſarentur; imò quia ſatis veritati conſultum a Pontificiis Definitionibus exiſtimabant, ſupervacanea cenſebant eſſe Concilia. Extant Magni Baſilii Literæ, quibus Damaſi ſe ſtaturum declarationi profitebatur. Extant Athanaſii a Generali Concilio Antiocheno damnati Appellationes ad Julium: & Nazianzenus, in oratione ad centum quinquaginta Patres egregius pictor diſcriminum, quibus Concilia obiiciuntur, Romanam ſemper integerrimam Fidem concelebrat. Infinitus ſim in cæteris recenſendis. Hoc unum ſubiicio, rejectam hic a Græcis Præſulibus fuiſſe novæ Synodi mentionem, quia Chalcedonenſis Leoni obtemperans definitam ab illo Catholicam veritatem fuerat amplexa. Non ſolùm igitur diſparatam non Cauſam pro Cauſa Proteſtantes afferunt, ſed per ſummam, & non ferendam nequitiam affirmant, Cauſam recuſandi Concilia fuiſſe Patribus averſionem a Pontificia Sententia, cum vera Cauſa fuerit eximium erga eamdem Pontificiam Sententiam obſequium. (3)

371 Dum hæc venarer loca, ex quibus emicat neceſſitas certæ, ac Infallibilis Declarationis Arcanorum Fidei, opportunè contra novas hæreſes prodeuntis ab Apoſtolica

(1) *Pag.* 476.

(2) *Pag.* 507. 511. (3) *Pag.* 28.

lica Sede (quandoquidem frequentia Concilia nequaquam conducunt Eccleſiæ bono) in oculos incidit Atteſtatio gemina Epiſcoporum Europæ, ac Meſiæ Secundæ de Romano in Sacris Primatu, quam non libuit omittere. Synodos eò uſque celebratas dum enumerant Europæi, *Necnon etiam*, inquiunt, *Epheſinum Concilium, quod* SUB BEATÆ MEMORIÆ CÆLESTINO SUCCESSORE SANCTI, ET VENERANDI, ET CUSTODIS CLAVIUM REGNI CÆLORUM PETRI CONGREGATUM EST. Sed alii: *In Chalcedonenſium*, ajunt, *Civitate multis Sanctis Epiſcopis convenientibus* PER JUSSIONEM LEONIS ROMANI PONTIFICIS, QUI VERE CAPUT EST EPISCOPORUM.

Sed præſtat narrationis Polemicæ vela contrahere, nec immorari in iteratis Chalcedonenſis Concilii Confirmationibus, quibus alii poſt Leonem Pontifices illud ornarunt, alia nobis Argumenta ſuggerentes exercitæ a ſe Supremæ Auctoritatis. Illud ſolummodo retorquendum in Suavem ſupereſt, quod ineptè deſumitur a narrationibus SS. Gregorii Magni, ac Sophronii Hieroſolymitani dicentium, relictam veſpere quodam a Leone fuiſſe ſupra Apoſtolorum Sepulchro Epiſtolam, quam ſcripſerat ad Flavianum, & mane repertam non uno in loco immutatam. Ex hoc inferret, errores in eamdem irrepſiſſe, quos neceſſe fuerit e cælo a Petro deleri, adeoque deceptioni ſubjectum fuiſſe Romanum Pontificem, qui per eam Epiſtolam aggreſſus fuerat Univerſam Eccleſiam edocere, illamque deinde Epiſtolam, ut Fidei Normam, a Generali Synodo confirmari præſcripſit. Propemodum pudore corripimur, quod has larvas, ne pueris quidem metum incuſſuras, in ſcenam produxerimus. Sed Suavem interrogo, unde nam ſit expiſcatus, quod Petrus deleverit errores in Fide, quibus Epiſtola illa ſcateret? Et non potius quædam diſſinxerit, quæ planè dilucida nequaquam eſſent? Vel, quæ conſultius eſſet, contrahere, vel prolatare? Vel novis eorum vim confirmationibus augere; quamvis alioqui vera eſſent omnia, nullaque ex parte a ſincera Fide abhorrerent? Ex illo præterea inquiro, unde compererit, quod Leo jam ex Cathedra pronuntiaſſet, quia exemplum illius Epiſtolæ privatim exaraverat? Incertum illum fuiſſe, utrum optimè in omnibus illa ſe Epiſtola haberet, liquet ex hoc ipſo, quod eamdem ſuperimpoſuerit tumulo Apoſtolorum. Perinde ac ergo divinitus Viro Sanctiſſimo ſuggeſtum fuit, ut inſuetam hanc viam iniret: ita ſine prodigio immutationis Cæleſtis, diuturniori ſua animadverſione, aliorumve conſilio pervidiſſet id, quod immutandum fuiſſet; licet in aliquo, dum ſcribebat Autographum revocandum ad limam, erraſſet. Divinæ Sapientiæ, quæ nunquam defecturam ſpopondit Petri, eique ſuccedentium, dum Eccleſiam erudiunt, Fidem, mille ſuppetunt ſemitæ, quibus eoſdem ducat ad veritatem abſque ullo erroris diſcrimine conſequendam. Non ſolùm igitur ex hac nihil narratione lucratur, qui allatrat Magiſterium Apoſtolicæ Sedis, ſed idem præterea divinitus oſtenſum videt, quod ſe illius Infallibili Veritati tuendæ, ac vindicandæ Cælum immiſceat.

CAPUT ULTIMUM.

ANACEPHALEOSIS,

Qua oſtenditur, ex Chalcedonenſi Concilio patere omnia illa, quæ de Pontifice Maximo præglorioſiſſima a Romanis dicuntur, ac præcipuè, quod ſit Succeſſor Petri, Chriſtianorum omnium Pater, Rector, Paſtor, Magiſter, ac Supremus a quovis alio ad ſe appellantium Judex, Epiſcopus Eccleſiæ Univerſalis, præſtantior Generalibus Conciliis, & Infallibilis in declaranda Fide: nulliſque ab Epheſina Synodo vinculis irretitus, ne nova Symbolo verba inſeri jubeat.

Adeo deſperandum eſt, in compendium hic poſſe redigi penè innumera, quæ Chalcedonenſis Hiſtoria Concilii pro vindicanda Maximi Pontificis Auctoritate nobis, breviſſimum perpetuò iter urgentibus, argumenta ſuggeſſit, ut ne loca quidem, & Numeri deſignari poſſint, quibus eadem argumenta continentur, quin hoc in moleſtiſſimam Caput abeat longitudinem. Uberrimus Index non ſine apta, ut ſperamus, methodo indicabit, undenam ſacra hæc arma petenda ſint. Suprema hic ſolùm attingimus rerum capita, quæ oſtendunt, magnum referendum pretium operæ a perſcrutantibus ditiſſimas hujuſce Synodi aurifodinas.

Si fons Pontificiæ Dignitatis eſt Divina in Petro ejuſdem Inſtitutio, de hac frequenter Synodus loquitur: de Petro interpretatur ea Chriſti Domini verba: SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM: TIBI DABO CLAVES REGNI CÆLORUM &c. Diſertiſſimè non ſemel affirmat, Leonem tunc im-

perantem Pontificem PETRO SUCCESSISSE: ILLIUS ORE PETRUM EUMDEM LOCUTUM: ILLI, ut Petro, ſuæ VINEÆ, Univerſæ videlicet Eccleſiæ, CUSTODIAM A SALVATORE FUISSE COMMISSAM &c.

Si amantiſſimum, quod Romano Epiſcopo antonomaſticè tribuitur, Papæ Nomen indicat, ipſum eſſe Sacrum Chriſtianorum omnium Patrem: adeo Synodus præſumit, ſingulos ſeorſum a reliquis acceptos illius filios cenſeri, ut omnes quoque in Concilio congregati, & Univerſam Eccleſiam repræſentantes, Antiſtites PATREM ſuum obſequentiſſimè Leonem appellent.

Si perhonorificum eſt Romani Præſulis decus, quod a Florentino Concilio TOTIUS ECCLESIÆ RECTOR nuncupatus fuerit, & GUBERNATOR, jure ad hos, aliosque hujuſmodi Titulos illi deferendos profeſſi Florentiæ fuerunt Latini, & Græci Patres impelli ſe ab aliis Synodis, per ea verba: SICUT ET IN ACTIS ŒCUMENICORUM CONCILIORUM CONTINETUR, quia hoc v.g. Chalcedonenſe a Leone REGI ſe, AC GUBERNARI, gloriatum eſt: illi ſemper obtemperavit: ad ejus nutum proſcripſit Hæreticos, Dioſcorum expulit a ſubſelliis, Theodoretum recepit, nec in ipſis incrementis honoris Conſtantinopolitano Epiſcopo indultis a Leonis præcepto reſilire ſe credidit. Quidni ergo ſingulorum RECTOR ſit, quem omnes in Synodo congregati Moderatorem agnoſcunt? Ab illius præterea Regimine pendentem vidimus Flavianum Conſtantinopolis Præſulem, perque illius Nuntios Sacra Jura Cæſareæ Urbi præſcripta, non minus quàm Romanis Suburbiis.

PASTOR ECCLESIÆ ſacris in precibus ad ipſas aras Romanus Pontifex appellatur: atque hæc certè Nuncupatio decet Succeſſorem Petri, juſſi ab Inſtauratore humanæ ſalutis *ſuas oves paſcere*? Ad illius Ovile ſpectantes Agnos ſe eſſe Cæſares, omneſque, ex Oriente quoque, Chriſti cultores profeſſi ſunt, & Agnorum matres Oves, videlicet Præſules, etiam ampliſſimi. Imò ipſe omnium Senatus, ſcilicet Ovile in unum collectum, Romani Paſtoris virgam reveritum eſt, & ea eſſe credidit utilia pabula Veræ Doctrinæ, quæ illi Paſtor indigitabat. Ad eumdem paulò ante confugerat Flavianus, ut veneno infectas herbas eſſe declararet Eutychetis inſaniæ: ad illum doctiſſimus Theodoretus, ad illum Marcianus & Leo Religioſiſſimi Cæſares.

An non Supremus Chriſtianorum Judex cenſeatur, qui omnium ſit Pater, Gubernator, & Paſtor? Neque verò Judicem ſe ſolummodo exhibuit Leo in Cauſa Eutychetis, Dioſcori, ac Prædatoriæ Synodi Epheſinæ, ſed illius etiam, veluti legitimo, & divinitus inſtituto, Judicio ſtetit Univerſale Concilium Chalcedonenſe.

Quidni ad Supremum hunc Judicem appellari queat ab omnibus, qui ſe ab aliis læſos minoribus Judicibus arbitrentur? Vel ipſe ſuperbiſſimus Hæreſiarcha Eutyches a Flaviano, & habita ſub illo Synodo, ad Leonem Pontificem Maximum provocavit. Quid, palmaria illa ejuſdem Flaviani Appellatio a, Latrocinali quidem, ſed certè Univerſali, Concilio Secundo Epheſino ad Apoſtolicam Sedem? Quid, ardor Chalcedonenſium Patrum contra Dioſcorum, qui, ea Provocatione contempta, Flavianum damnavit? Quid, exclamatio illa: HAC HORA DAMNAVIT, HAC HORA DAMNETUR: ſcilicet ipſe Dioſcorus Pontificium Tribunal minimè veneratus?

At EPISCOPUM UNIVERSALIS ECCLESIÆ in ſingulis ferè Sacroſanctæ Synodi Chalcedonenſis Actionibus non ipſius tantùm Legati, ſed plurimi quoque Orientales Leonem appellarunt, nullo Præſulum hiſcere auſo contra præclaram hujuſmodi nuncupationem.

Jam verò ſi comparatio Summum inter Pontificem, ac Generale Concilium inſtituatur, quod hujus convocatio ad illum pertineat, Marcianus, atque Pulcheria declararunt in Literis ad Leonem Magnum, Eo AUCTORE celebrari Synodum flagitantes. Idipſum omnes Concilii Antiſtites docuerunt in Epiſtola ad eumdem Leonem, ILLO pariter AUCTORE ſe Chalcedone conveniſſe teſtati. Cumque prius a Pontificio Legato audiviſſent, NEC LICERE, NEC UNQUAM FACTUM FUISSE, ut Synodi, præſertim Generalea, haberentur inconſulto Romano Pontifice, hanc nullus veritatem in controverſiam revocavit. Atque hac quidem Achillæâ confodiuntur haſtâ (præter alia plurima, quibus impetuntur, tela) Magdeburgenſes, qui (quæſitam meritis ſumere ſe poſſe ſuperbiam arbitrati, ſi ex innumeris Sacræ Hiſtoriæ monumentis uni, aut alteri tenebras audeant offundere) pernegant, conſcium, ne dum juſſorem fuiſſe Damaſum Secundi Generalis Concilii. Aliâ extinctis fariſsâ inſultemus. Nefas videtur Chalcedonenſibus Patribus, quod Dioſcorus auſus fuiſſet celebrare Secundam Synodum Epheſinam ſine facultate Apoſtolicæ Sedis. At certè Sacrilegam minimè crediderunt Primam Conſtantinopolitanam, cui frequenter plauſere, quamque proinde conſcio, aut conivente ſaltem Damaſo, habitam fuiſſe, præſumptum ab omnibus fuit.

Cum

Cum enimverò præcipuus Auctor Synodi Chalcedonenſis fuerit Leo, eademque tamen ſemper Actionum initio celebrata dicatur *per Juſſionem Cæſaream*, hinc liquet, quænam vis hujuſmodi verbis inſit, cum in aliis quoque Conciliis uſurpantur. Convocatores enim dicuntur Cæſares honoris gratia, quia Sacros illos Cœtus non vetabant, imò, ut haberentur, ſuis aliquando precibus Eccleſiæ Hierarcham urgebant; equos præterea, & aurum frequenter Præſulibus ſuppeditabant. Neque tamen eo modo loquendi Maximi Pontifices, præcipui ſcilicet Conciliorum Auctores, excluduntur.

Qui Synodos cogi jubet, iiſdem per ſe, vel ſuos Legatos præeſt. Adeo autem non præſederunt Chalcedonenſi Cæſarei Adminiſtri, ut neque idoneos ſe eſſe, qui in Cauſa Fidei Sententiam poſt omnes Epiſcopos ferrent, fuerint ampliſſimè proteſtati. Ad Synodum autem, ut exterius illam ornans Corona, non ut interius illam conſtituens Membrum, Marcianus Imperator acceſſit.

Non Primas tantùm Sedes, & Concilii Regimen Pontificiis Nuntiis Chalcedonenſes Epiſcopi præbuerunt; ſed etiam inter immania Dioſcori crimina numerarunt, quod vetuerit Epheſi legi Leonis Epiſtolam ab illius Legatis, *quâ non lectâ ſcandalum, & læſionem Eccleſiæ perpeſſæ ſunt*: quodque, ipſis Legatis debitum, Concilii moderamen Alexandrinus Antiſtes tyrannicè invaſerit.

Nuſquam innuitur in Actis Chalcedonenſibus, quod a Divino ipſo Spiritu, abſque interventu Pontificiæ Auctoritatis, acceperit Synodus vires, & poteſtatem declarandi Fidem, & cenſuram in hæreſes inferendi. Imò cum AUCTOREM SYNODI, AC DUCEM, A QUO POTESTATEM EVELLENDI, ET PLANTANDI PATRES IPSI SUMPSERINT, Leonem dicant Epiſcopi conciliariter congregati, ſeque appellent illius FILIOS, ROMANI CAPITIS MEMBRA, & Inſtrumenta, quibus utitur Leo pro publicanda Catholica veritate, & hæreticis labefactandis, oſtendunt, ab illo profluere omnem, qua pollebat Synodus, facultatem, ejuſdemque Miniſterio Divinum Spiritum uti in eadem Generalibus Conciliis tribuenda, cum certus adeſt Eccleſiæ Pontifex. Nam toto cælo diverſa ratio eſt, cum Pontifex eſt nullus, aut dubius: ut agentes de Conſtantienſi Concilio, auſpice Divino Numine, ſtatuemus.

Et nihil quidem a ſe præſtandum fuiſſe, niſi ut Leoni obtemperans, declarata ab illo Catholicæ Veritatis Arcana per Orbem terræ latè vulgaret, fateri non raro Synodum, ſolidiſſima ratiocinatione non ſemel evicimus.

Legatorum minis de irritando Concilio Chalcedonenſi, & alio in Italia convocando, acceſſit Imperiale ſuffragium, Leoni vindicans omnem transferendi, abrumpendi, & cogendi Synodos Poteſtatem.

Nec ſine Sapientiſſimo Divinæ Providentiæ Conſilio permiſſi ſunt ſemel, iterumque Patres non illico parere Pontificiis Nuntiis (cum tamen a Leonis Juſſionibus diſcedere ſe nequaquam opinarentur) ut anſa daretur Nuntiis iiſdem eam exerendi, qua pollebant ad diſſolvendam Synodum, Auctoritatem.

Quod neceſſaria Generalibus Conciliis, ut certum robur obtineant, ſit Pontificia Confirmatio, patuit ex Epheſina Secunda damnata a Leone, & omnium deinde diris devota: & ex ea, quam Chalcedonenſes Epiſcopi a Pontifice Maximo ſupplicabundi petiverant, Decretorum ſuorum Comprobatione.

Antecellere Univerſalibus Synodis Romanum Pontificem tam ſæpe manifeſta illatione confecimus, nulla ut Veritas crebrius in hoc Libro appareat, atque extet. Illam idcirco referandam in pleriſque, ne dicam ferè omnibus, Capitum Inſcriptionibus non ineptè ſpondemus. Ac certè (ut hoc ſolùm ex centum affluente dapibus convivio in menſam reponam) minorem ſe Synodus exhibuit Leone, cui, plurima, & graviſſima jubenti, cultu religioſiſſimo obtemperavit.

Nec infrequentius, videlicet ferè ſemper, Epigraphe Capitum Lectori promittit demonſtrandam Pontificiam in proponenda Chriſtianis populis Vera Fide Infallibilitatem, quam a Synodo fuiſſe præſumptam, velut in Eccleſia notiſſimam, pluſquàm centies colligimus, dilucidè, ac ineluctabiliter ratiocinando.

Ludibrio traducuntur ſomnia Schiſmaticorum jactantium vetitam ab Epheſino Primo Concilio fuiſſe novorum Symbolo inſertionem verborum, ac recentem Explicationem Fidei; cum utramque licere, ac aliquando neceſſariam eſſe, Chalcedonenſes Patres edicant: atque Decreto Epheſino ſolùm compeſci doceant Hæreticorum audaciam, NON PROHIBERI A VERITATIS DEFENSIONE PASTORES.

Cum in S. Cyrilli Epiſtolis, quas in ſuas celebrata primùm Epheſi Sanctiſſima Synodus adoptavit, ferè quadragies affirmetur Proceſſio Divini Spiritus etiam a Filio (ut altero in Libro ſtatuimus) atque his Literis, velut integerrimâ doctrinâ refertis, plaudat Chalcedonenſe Concilium, ei quoque Catholicæ de Divinis Emanationibus Sententiæ ſuffragatur.

Omnes

Digitized by Google

Omnes ergo Synodus hæc interimit communes Schiſmaticorum Errores. Communes dixi, quia pauci nunc inficiantur Purgatorias Pœnas, & Divinum Vultum a Sanctis ante Supremum mortalitatis Diem clarè ſpectatum: de quibus Articulis occaſio nulla fuit Chalcedonenſibus Patribus ferendi cenſuram. Sed qui nobis in iis refragantur, næ illi peregrini ſunt in Græcorum Liturgia, quæ paſſim preces inſtituit pro iis, quorum animi poſt mortem expiantur; neque enim orari poteſt pro addictis jam ab Æterno Judice Beatitati, aut numquam perituro Supplicio. At Sanctos jam frui uſurâ coram a ſe viſæ Divinitatis, identidem iterant Sacra Græcorum Volumina, quæ in templis, & ad aras adhibentur.

Satis ergo ſuperque eſt hoc unum Concilium ad ſubvertendos miſeri, ac ſuperbi Schiſmatis Sectatores. Quid de recentibus dicam Hæreticis, quorum Errores omnes Chalcedone peſſumdati ſunt, cum certiſſimus Catholicæ Veritatis Judex notoriè præſumptus eſt Pontifex Maximus, a quo cuncta Hæreticorum deliria proſcribuntur.

At Fundamenta Babilonicæ ſubſtructionis, quam pugnaturus in Vaticanum Petrus Suavis excitavit, cum ſuum Opus aggreſſus eſt, &, quæ de Vetuſtis Conciliis, & Ariſtocratico Eccleſiarum Regimine pronuntiavit, ita ſubverſa ſunt, ut Moles univerſa, licet nullis aliis ictibus impetita, neceſſariò ruinam trahat.

Quod Cæleſte Armamentarium Chalcedon nobis aperuit! Et Suavis a Synodo ibidem habita nihil lucrari Romanos affirmat, imò læſos eos ab illa lethaliter fuiſſe, quia Conſtantinopolitanum erexerit in Oriente Primatum? Quid larvas ulterius inſectamur? Capti omnino ſunt oculis, aut eos conſultò claudunt, qui meridianum, nullaque nube velatum, ſolem non intuentur.

F I N I S.

JOANNIS LAURENTII LUCCHESINII

Lucenſis e Soc. JESU

Sacræ Congregationis Rituum Conſultoris

DE NOTORIETATE IN ANTIQUA ECCLESIA

PRÆSTANTIÆ PONTIFICIS MAXIMI

SUPRA GENERALIA CONCILIA,

ET

INFALLIBILITATIS IN DECLARANDA FIDE,

Etiam ante Synodorum, vel Eccleſiæ Conſenſum,

TRACTATUS DUO

Eruti ex Polemica Hiſtoria Concilii Chalcedonenſis ſcripta ab eodem Auctore.

EDITIO ALTERA.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI.

QUæ mihi Chalcedonenſis Hiſtoria Concilii, erigentis Davidicam mille munitam clypeis Turrim in præſidium, & obſequium Vaticani, obtulerat Argumenta Pontificiæ Generalibus Synodis Antecellentiæ, & in declaranda Fide Infallibilitatis, ſparſeram per univerſum Narrationis corpus, prout anſam dabat ipſa Narratio, & aliis immiſcueram, quibus cæteræ confirmabantur Veritates a Catholicorum nullo negatæ. Immenſæ Hiſtoria illa magnitudinis Aula videbatur pictis diverſi generis Tabulis referta, quibus in claſſes diſponendis nullus fuerat impenſus labor; eæ quippe ex Hiſtoriæ legibus erigendæ conſequenter erant, quæ ſe ultro ingerebant. Plurimis nunc in Aula derelictis eas tantùm ſeligo, in plura Conclavia peculiari quaſque ſerie diſtribuendas, quæ ad multiplices pertinent Probationum ſpecies vindicantes eamdem Pontificiam Præſtantiam, & in ſancienda Fide neceſſariam Immunitatem Erroris. Plurimas videlicet quodammodo inſtruimus Pinacothecas, quarum ſingulæ nexos aliquâ inter ſe causâ Heroas repræſentent. Quis vetat, cum ſingulæ noſtri juris eſſent hæ Tabulæ, ab uno eas in alium locum transferre? Sua unuſquiſque compilare Opera ſine ullo dedecore poteſt, aliena cum maximo depopularetur.

At quî fieri poteſt, ut adeo exaggeratus ſit Numerus Argumentorum, quibus duæ tantùm ex plurimis in Hiſtoria ſtatutis Veritatibus aſſeruntur, ac ferè exæquet illum, ad quem univerſa eadem Hiſtoria protenditur? Cum in Aula relinquamus Argumenta illa, quibus evincitur Auctoritas Pontificis Maximi ſupra ſingulos Præſules Orientalis quoque Eccleſiæ, ſupraque Univerſam ipſam Orientalem Eccleſiam, ſupra omnes demum Cultores Chriſti ſeorſum ab aliis acceptos: quo pacto Argumenta reliqua, conficientia Præſtantiam ſupra Eccleſiam in Generalibus Synodis congregatam, & Privilegium Apoſtolicæ Cathedræ nunquam errandi in explananda Fide, ferè totidem ſunt, quot vindicantia partim has a quibuſdam in dubium vocatas, partim alias ſupra recenſitas Veritates ab Orthodoxis omnibus ultro ſuſceptas? Hoc contingit, quia duas illas frequentius eruimus ex Hiſtoria, & quia ſæpe ex eodem Narrationis, aut loquentium Textu ſimul utramque ratiocinando conficimus. Proinde Argumenta, quæ in Hiſtoria ſæpe conjuncta ſunt, & ſub uno tantùm Numero gemina comprehenduntur, cum hìc ad ſua Capita revocentur, diverſimode flexa nunc ad unam, mox ad aliam Veritatem comprobandam, duplicant numerum ſingulorum.

Adeo nativa, & inſita erit Interpretatio Conciliaris, aut Epiſtolaris Textus, ut ejuſdem vim ſit illico Lector aſſecuturus. Dum perpetua ratiocinatione latentes piſcabor Veritates, curtum ſermone rotato ferè ſemper Enthymema torquebo, verborum, quæ neceſſaria minimè ſint, oſor acerrimus: hanc enim curis mortalium Scriptores omnes, ac tenues præcipuè, reverentiam debent. Et certè, quod verbis pepercerim, conſtabit ex Indice Rerum Notabilium oſtendente, plurimas, graviſſimaſque in breviſſimo Opuſculo contineri. Quod verò pleræque hucuſque ab aliis non fuerint expenſæ, patebit conferenti noſtrum cum Indicibus cæterorum, qui de Antiquis, aut Recentibus Conciliis Tractatus, aut Hiſtorias ediderunt.

Nec tamen brevis eſſe laborans, obſcurus, faventibus Superis, & clariſſima optimæ Cauſæ luce, fiam. Cæterùm, quæ in hiſce Tractatibus plerumque ſolùm indicantur Ratiocinationes, eas fuſius expoſitas Lector frequenter inveniet in ipſa Polemica

Hiſtoria, cujus Marginales Numeri ſemper notantur: ex qua pariter deprehendet anſam, quæ ſe obtulit Leoni Magno, Concilii Patribus, vel aliis, quos loquentes inducimus, ad præſumendas, vel affirmandas Veritates, quas in unum gemina Tractatione congerimus.

Prius afferemus Argumenta Intrinſeca, quæ ſcilicet, præter multiplicium Teſtium Affirmationes, aut Præſuppoſita, innituntur Rationibus efficientibus id, quod in ſingulorum Capitum *Inſcriptione prænotabimus. Deinde verò Extrinſeca, quæ videlicet ſolùm fundantur in ipſa Teſtificantium Auctoritate. Ex omnibus certè in manifeſtiſſima luce ſtatuetur id, quod demonſtrandum aſſumimus, fuiſſe ſcilicet in Vetuſta Eccleſia penitus Notoriam Præcellentiam Pontificis Maximi ſupra Synodos Generales, & ejuſdem, Articulos Fidei ex Petri Cathedra declarantis, omnimodam, etiam ante Conciliorum, vel Eccleſiæ Conſenſum, Infallibilitatem. Ex pluſquam Trecentis Argumentis, quibus unam, alteramve conficimus, in decem fortaſſe, aut paulò plura poterit aliquis cavillari: vim, quæ omnium complexioni evidentiſſima ineſt, eludet nemo. Quod verò neceſſe ſit, Notorias eſſe Recenti Eccleſiæ Veritates illas, quæ fuerunt Antiquæ, nullus ignorat.*

Illud demum præfari libet, quod, niſi ſtatutum nobis eſſet, breviſſimo tramite diſputationis curſum urgere, duaſque illas tantummodo, quas demonſtrandas ſuſcepimus, tamquam in Antiqua Eccleſia Notorias, Veritates ex Aſſumptionibus noſtris eruere, facillimum negotium eſſet in alias exinde plurimas Argumentationem corrivare. Hoc in ipſo Opuſculo non præſtituri ſpecimen ſolummodo hic damus unius, quam Græci Sectatorum Ritus infigi menti flagrantiſſimè optamus, magno futuram ſolatio Catholicorum, pudori ſummo hærentium in Schiſmate. Ea porrò eſt, licuiſſe Supremo Antiſtiti inſerere Symbolo, aut permittere inſeri a Conciliis Proceſſionem Divini Spiritus etiam a Filio additâ illis verbis: Qui a Patre procedit: *particulâ* Filioque.

Somniant Schiſmatici, vetitam a Primo Sacro Concilio Epheſino fuiſſe qualemcumque Additionem, quod Decretum cum infregerint, ut ipſi garriunt, Romani Pontifices, exciderint a Suprema in Sacris Chriſtiani Populi Præfectura, quæ, ſaltem quò ad Orientales, tranſlata fuerit in Præſulem Conſtantinopolis. Hæc illi, ſubſcribentes inſaniæ Photii, qui antea ſummo proſequutus obſequio Romanum Eccleſiæ Hierarcham, tartarea contra illum erexit cornua, cum Sanctiſſimi patrocinium Ignatii ſuſcepit Apoſtolica Sedes contra eumdem Photium ſuperbiſſimum alieni Patriarchatus invaſorem. Sed cum expendimus Epheſinum ipſum Concilium, manifeſtiſſimè demonſtravimus, Decretum illud ad ſingulos tantùm minores Antiſtites, alioſque e Clero, aut Populo protendi, non ad Concilia, præſertim Univerſalia, multòque minus ad Univerſæ Rectorem Eccleſiæ. Huic eſſe ſubjectam ſe multipliciter illa quoque Synodus declaravit, perpetuòque ſuppoſuit, tamquam rem in Eccleſia notiſſimam, & pervulgatam. An ergo Superiori ſua auſa fuit leges præſcribere? Errare illum non poſſe in declaranda Fide frequenter dixit Synodus eadem, perpetuòque præſumpſit, veluti pariter omnibus tunc Notorium Orthodoxis. Et Infallibili huic Magiſtro integerrimæ Religionis jura daret caventia, ne Proteſtationem indiceret Cæleſtium Arcanorum, quam ad penitus abolendos eiſdem repugnantes Errores duceret opportunam? Suo hæc loco, multiplici demonſtratione in medium producta ex ipſo Epheſino Concilio, manibus, ut dici ſolet, præbuimus contrectanda.

Hic præterea animadvertimus, quod ſi Chalcedonenſe Vigeſimo ferè poſt Epheſinum Anno celebratum antecellere ſibi, aliiſque omnibus Generalibus Synodis Pontificem Maximum pluſquam centies præſumpſit, veluti probatione non indigens, & nulli ea tempeſtate Catholico ignotum, enimverò nullum Epheſi Præceptum impoſitum fuerat eidem Pontifici Maximo. Implicitè declaraſſet Synodus Epheſina ſe ipſa minorem eſſe Romanum Antiſtitem, ſi ſuis illum voluiſſet vinculis innodare. Si hæc

autem

autem fuiſſet Cœtus Epheſini Sententia, num eadem latere potuiſſet Chalcedonenſem? Atque hic paulò poſt congregatus accepiſſet leges ab illo, cui potuiſſet ipſe leges præſcribere, ut profectò potuiſſet, ſi hoc Jus fuiſſet in Epheſino?

Quid ad hæc reponent Schiſmatici? An Chalcedonenſibus Patribus occultam fuiſſe dicent vim Canonis Epheſini, ipſos quoque Romanos Epiſcopos illigantis? Ita ne verò? Melius poſt Quatuor Secula vim Canonis illius fuit aſſequutus Photius, poſt Sex Cerularius, poſt Decem Marcus Epheſius, Vexilliferi Rebellionis, quàm pluſquam Sexcenti Græci Antiſtites quarto vix expleto luſtro poſt Epheſinum Concilium?

At inquient, certè nec Epheſi, neque Chalcedone vox ulla Nicæno Symbolo fuit adjecta. Quid tum? Adjecta certè fuerat Nicææ Symbolo Apoſtolorum, Conſtantinopoli verò Nicæno, quia tunc Eccleſiæ temporibus expediebat. Id ipſum præſtari potuiſſet Epheſi, atque Chalcedone, ſi perinde tunc opportunum fuiſſet. Sibi certè ipſi compedes non injecerat Synodus Epheſina, neque aliis injecerat Generalibus Synodis non minori, quàm ipſa, pollentibus auctoritate, multòque minus Pontifici Maximo, quem centies ſibi antecellentem tam Epheſina, quàm Chalcedonenſis, aut apertè dixit, aut manifeſtè ſuppoſuit.

Infallibilem prætèrea illa cenſuit Eccleſiæ Moderatorem, ut alio in Volumine demonſtravimus: Infallibilem pariter eumdem profeſſa eſt Chalcedonenſis, ut ex Polemica illius Hiſtoria, atque ex hoc ipſo Opuſculo in meridiana luce ſtatuitur. Ergo vel ipſe inſerere poteſt Symbolo majorem Dogmatum Explicationem, vel, ut illam inſerant, imperare Conciliis. Si enim errare nequit, dum declarat Fidei Dogmata, & ad ea credenda omnes obſtringit indicens Æterni Pœnam Exitii abnuentibus eadem animo firmiſſimè amplecti, multò minus obnoxius eſſe poteſt Errori, dum Articulum aliquem jubet in Symbolo pronuntiari. Quis enim non intuetur, multò magis arduam eſſe primam, quàm ſecundam Juſſionem, cum poſtquam aliquid ſancitum eſt, ut divinitus revelatum, ideoque omnino admittendum in animum, ſpectet ſolùm ad diſciplinam, & prudentiam Regiminis, quod decernatur, an frequens illius confeſſio facienda ſit, dum ore profitemur infixam animo Fidem?

Hæc delibaſſe ſufficiat, quæ poſt ſingula ferè mox afferenda Argumenta poſſent ineluctabiliter inculcari, quæque per ſe illico Lector candidus aſſequetur: idemque apertiſſimè videbit noſtris Argumentationibus demonſtrari a fortiori alias quoque omnes Veritates, quæ de Pontificia Auctoritate in controverſiam cum Schiſmaticis, & Hæreticis cadere poſſunt. Si enim in Antiqua Eccleſia Notorium fuit Pontificem Maximum eſſe Majorem Generalibus Conciliis, & Infallibilem in declaranda Fide, profectò æquè, imò magis, Notorium fuit, eidem ſubeſſe ſingulos e Chriſti grege ſeorſum ab aliis acceptos, eidemque ab omnibus in Sacris rebus obtemperandum eſſe.

Digitized by Google

HOc aureum Opuſculum, cui Titulus eſt: *Joannis Laurentii Lucchesinii Lucenſis e Societate Jeſu de Notorietate in Antiqua Eccleſiæ Præſtantiæ Pontificis Maximi ſupra Generalia Concilia, & Infallibilitatis in declaranda Fide, etiam ante Synodorum, vel Eccleſiæ Conſenſum, Tractatus Duo, eruti ex Polemica Hiſtoria Concilii Chalcedonenſis ſcripta ab eodem Auctore*: vidi ex Mandato Reverendiſſimi Patris Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri, nihilque prorſus occurrit, quod Fidei, aut bonis moribus adverſetur. Et quia ejuſdem Operis Meritum, & Amplitudinem ſatis videor in ſua Origine explicuiſſe, nunc dicere ſufficit, quod ab eadem Officina hæc Lucubratio prodeat. Datum Romæ in noſtris Ædibus Montis Quirinalis Sancti Silveſtri 16. Auguſti 1694.

Don Cajetanus Paſſarellus Clericus Regularis Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificator.

Cenſura ejuſdem præfixa Hiſtoriæ Polemicæ Concilii Chalcedonenſis.

DE Mandato Reverendiſſimi Patris, & Magiſtri Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri evolvi Librum, cui Titulus eſt: *Sacra Monarchia Sancti Leonis Magni Pontificis Maximi paſſim, & ubique fulgens in Polemica Hiſtoria Concilii Chalcedonenſis &c.* compoſitum ab Adm. R. P. Joanne Laurentio Lucchefinio e Societate Jeſu, qui Eccleſiaſticam Monarchiam in Romano Pontifice aſſertam exponit, contumaceſque Petri Suavis ſpiritus Veritatis expreſſæ malleo contundit. Non ſolùm nihil in illo offendi, quod morum diſciplinam, aut Fidei candorem læderet, imò potius Eloquentiæ amplitudinem, robur Doctrinæ, copiam Eruditionis, quæ omnia in tranſcurſu Sacri Concilii Chalcedonenſis ex Novis, & Validis Animadverſionibus ſeduló recollecta eo eleganti, ac facili ſtylo delineat, ut non minus Doctrinâ juvet, quàm ſtyli amænitate delectet. Cum igitur iſte Liber fidelium imbuendæ Pietati, Doctis, ac rudibus edocendis, Hæreticorum Erroribus jugulandis, Sediſque Apoſtolicæ Juribus ſuſtinendis perutilis videatur, idcirco publica luce, atque laude dignum exiſtimo. In Ædibus S. Silveſtri Montis Quirinalis de Urbe 8. Maii 1693.

Don Cajetanus Paſſarellus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificator Clericus Regularis.

TRia præcipuè ſuſpexi in Polemica Hiſtoria Concilii Chalcedonenſis ſcripta ab Adm. R. P. Joanne Laurentio Luccheſinio Societatis Jeſu Theologo, quam juſſu Reverendiſſimi Patris Thomæ Mariæ Ferrari Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri attentè perlegi, videlicet Acumen, Soliditatem, & Copiam Argumentorum, quibus Sacra Pontificatus Maximi Monarchia ſolidiſſimè confirmatur, Schiſmatici, Hæretici, ac Petrus Suavis Polanus evertuntur. Adeo ſolerter omnia, quæ ad hunc finem pertinent, in unum congeruntur, & intima Concilii mens exploratur, ut verè Nova, & Arcana hæc dici poſſit Hiſtoria, & magna ſit laus Auctori tribuenda, eò quòd ex patenti omnium piſcatui Conciliorum Oceano tot ipſe primus Margaritas in lucem produxerit. Non ſolùm Catholicam Fidem, Sacros Canones, optimoſque mores nullo prorſus verbo lædit, ſed etiam Aureum hoc Opus plurimùm Eccleſiæ Divinæ cenſeo profuturum, ideoque Typis digniſſimum eſſe. Datum in Seminario noſtro Sancti Pauli apud Sanctum Pancratium de Urbe die 7 Maii 1693.

Fr. Liberius a Jeſu Carmelita Diſcalceatus in eodem Seminario Controverſiarum Prælector.

Imprimatur,
Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſt. Sacri Palatii Apoſtolici

Sperellus Epiſc. Interamnen. Viceſg.

Imprimatur
Fr. Thomas Maria Ferrari Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter.

Reimprimatur,
Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſt Sacri Palatii Apoſtolici

N. Archiepiſcopus Capuæ Viceſgerens.

Reimprimatur
Fr. Gregorius Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

Ad eximii hujus Operis Auctorem.

JAMBUS
JOANNIS STAI CYDONII.

PRæclare Scriptor, cui coruſcat Gratia,
Signumque Laurus inclytæ Victoriæ,
Et Lux in ipſo Nomine, Auſpicia rei,
Ut delicatam ſemitam prudens teris,
Atramque nemini catus inuris notam!
Ut Veteris Ævi imaginem miris modis
Præbes videndam, inque abditos rerum ſinus
Pervadis acer ingenj! Omnibus patet,
Quæ vis latebat condita in loquentium
Præſumptione Patrum, & in Patris Patrum.
Hunc Cœtibus præſtare plurimi Sacris
Oſtenderant, errare nec poſſe in Fide
Ediſſerenda; utrumque ſed Notorium
Olim hoc decus fuiſſe Romani Patris
Nullus diſertis ante te coloribus
In luce ſtatuit. Omnibus at olim hoc decus
Utrumque Notum ſi fuit, de illo haud licet
Ambigere poſthac. Quantùm ob hoc Opus tibi
Debemus omnes! Ipſa ſed præ cæteris
Obſtricta quantùm eſt Græcia, innumeris tibi
Nominibus aliis nexa! Chalcedon modò
Per te revixit: arte nunc Grajos nova
Sapere docent Chalcedone coacti Patres.
Centena ſunt, beante quæ illos vulnere
Intorta Synodi tela de pharetra petunt.
An Copiam miramur, an Robur magis,
Telorum Acumen an magis animos rapit?
At me rapit, quod Acta Concilii omnibus
Poſtquam fuere centies, & millies
Objecta, Primus Ipſe ab hoc Sacro Mari
Tot Margaritas eruis. Velut aliud
Cum Mare pateret omnibus, Primus Novi
Columbus Orbis vidit ignotas plagas,

TRACTATUS PRIMUS

De Antiqua Eccleſia Palam,& Notoriè præſumente Præſtantiam Pontificis Maximi ſupra Generalia Concilia.

CAPUT PRIMUM.

Hæc omnibus nota erat tamquam orta ex Inſtitutione Divina in Sancto Petro.

1 LEgati Pontificii in Chalcedonenſi Concilio ajunt: *Leo per Nos, & per præſentem S. Synodum, unà cum ter Beatiſſimo, & omni laude digno Beato Petro Apoſtolo, qui eſt Petra, & Crepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ Fidei Fundamentum, nudavit eum*, ſcilicet Dioſcorum, *tam Epiſcopatus Dignitate, quàm etiam & ab omni Sacerdotali alienavit Miniſterio*. Ergo ſupponunt, ex Inſtitutione Divina in Petro fluere Auctoritatem Leonis. Sed ſi Petrus, & Leo eſt Petra, cui Catholica Eccleſia, adeoque Concilium, innititur, Petrus, & Leo eſt Superior Concilio; quia qui alteri dat ſoliditatem, & robur, præſtat illi, qui accipit. Præterea certè ideo Petrus, & Leo antecellit ſingulis cultoribus Chriſti ſeorſum ſumptis, quia eſt *Rectæ Fidei Fundamentum*. Ergo ob eamdem rationem antecellit omnibus ſimul acceptis in Concilio. *Numer. marginali* 165. 166. & 167.

2 Certè Leo eſt Superior Legatis ſuis, quorum Miniſterio utitur. Sed perinde dicitur uti Miniſterio Concilii. Ergo etiam eſt Superior Concilio. *num.* 165. 166. & 167.

3 Nemo Patrum reclamat contra hoc dictum. Ergo omnes fatentur vim Argumenti. *Ibid.*

4 Anatolius ipſe Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus, alioqui ſtolida correptus æmulatione Romanæ gloriæ, proteſtatur, ſe aſſentiri omnibus illis, quæ magnifica de Petro, ac Leone Legati dixerant. Ergo hæc adeo notoria erant, ut a nullo negari poſſent. *num.* 167.

5 Valentinianus Auguſtus fatetur, ſpectare ad Dignitatem Petri, *ut Leo locum habeat de Fide, & Sacerdotibus omnibus judicandi*, qui conflaverant Generalem Synodum Epheſinam Secundam. Ergo etiam Secularibus Principibus notoria erat Pontificia Antecellentia Conciliis orta ab Inſtitutione Divina in S. Petro. *num.* 62.

6 Galla Placidia Imperatrix loquens de Romana Sede ait: *In qua primus ille, qui Cæleſtes Claves dignus fuit accipere, Principatum Epiſcopatus ordinavit*. Sed loquebatur de Epiſcopatu, qui Synodum Generalem conſtituerat. Ergo tunc notorium erat, Succeſſorem Petri eſſe ſupra omnem Epiſcopatum etiam in unum coactum. *num.* 67.

7 Et mittendam dicit *Epiſcopatus Cauſam*, videlicet omnium Epiſcoporum, qui fuerant in Univerſali Concilio, *ad Apoſtolicæ Sedis Judicium, in qua Primus Apoſtolorum B. Petrus, qui etiam Claves Regni Cælorum ſuſcipiens Sacerdotij Principatum tenuit*. Ergo &c. *num.* 71.

8 Concilium Chalcedonenſe in Declaratione Fidei ait: *Epiſtolam magnæ & Senioris Urbis Romæ Præſulis Beatiſſimi, & Sanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis &c. Magni illius Petri Confeſſioni congruentem, & communem quamdam Columnam exiſtentem adversùs perversè ſentientes ad Confirmationem Rectorum Dogmatum congruenter aptavit*. Sed hæc dicens loquitur de ipſo Concilio, quod obediens Legatis Leonis, ut Superioris ſui, inſeruerat Definitioni ea, quæ præſcripſerat Leo. Ergo fatetur hanc Leonis Superioritatem oriri ab Inſtitutione Chriſti Domini, qui in Præmium Confeſſionis D. Petri eidem ſpoponderat Principatum ſupra Univerſam

Eccleſiam tum ſparſam, tum unitam in Conciliis. *num.*225.226.227.

9 Idem Concilium *A Petri Sedis Auctoritate*, velut a Superioris ſui, *ſibi robur accedere* profitetur. Ergo ſupponit Superioritatem naſci ab Inſtitutione Divina Chriſti Domini in S.Petro. *num.*306.307.

10 Suæ Vineæ, ideſt Univerſæ Eccleſiæ, Cuſtodiam commiſſam dicit Concilium S. Leoni a Salvatore, quia illam commiſit Petro, & Succeſſoribus; loquens enim de Dioſcoro ait: *Contra ipſum, cui Vineæ Cuſtodia a Salvatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, ideſt contra Tuam Apoſtolicam Sanctitatem*. Ergo Leo eſt etiam Cuſtos Concilii, quod certè eſt Chriſti Vinea. Cuſtos autem eſt Superior eo, quod cuſtodit. *num.* 312.

11 S. Leo ſcribens Leoni Imperatori affirmat, *Univerſalem Eccleſiam factam fuiſſe Petram per illius Principalis Petræ ædificationem, cum D.Petrus voce Domini dicentis audierit: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c.* Ergo ſupponit Univerſam Eccleſiam, etiam congregatam in Conciliis, ſolidari in Petro, ut Superiore ſuo, conſtituto ab Inſtitutione Divina. *num.*365.

12 Hinc pariter oriri affirmat, ut Concilium ſolummodo fuerit Inſtrumentum Pontificis Maximi, cum enim dixiſſet: *Quis eſt, niſi aut Antichriſtus, aut Diabolus, qui pulſare audeat inexpugnabilem Firmitatem Petri?* loquens deinde de Synodo Chalcedonenſi ait: *In qua nullo modo contingere potuit, ut a Nobis contra Nicænam Synodum ſentiretur, quod Hæretici mentiuntur*. Non dicit autem: *Non potuit contingere, ut ipſa Synodus Chalcedonenſis ſentiret contra Nicænam*: quia ſcilicet Synodus Chalcedonenſis, ut ſubjecta Leoni, & ejus Inſtrumentum, ſolùm publicaverat id, quod decreverat Leo. *num.*365.366.367.

CAPUT II.

Notorietas Pontificiæ Antecellentiæ ſupra Generalia Concilia patens a Titulis S. Leoni Papæ tributis.

13 ALlocutio Concilii Chalcedonenſis ad Marcianum Auguſtum ait de S.Leone: *Nobis impenetrabilem in omni errore Propugnatorem Deus providit, & Romanæ Eccleſiæ Papam ad Victoriam præparavit.* Ergo vocat Leonem Magiſtrum ipſius Concilii, adeoque Concilio Superiorem: quo pacto eſt Magiſter Diſcipulis, non ſolùm ſparſis, ſed etiam ſimul conjunctis in Gymnaſio, cui reſpondet Concilium. *num.* 299. & 300.

14 *In Relatione Sanctæ Synodi ad Sanctiſſimum Papam Leonem*, de hoc dicitur: *Vocis B. Petri omnibus conſtitutus Interpres ejus Fidei Beatificationem ſuper omnes adducens*. Sed ſi Beatificationem B. Petri ſuper omnes Concilii Epiſcopos Leonis Epiſtolam adorantes adduxit, fuit Concilii Præceptor, adeoque eodem anterior. *num.*308.

15 Rurſus dicitur Leo Servator Fidei: *Venientem uſque ad Nos ipſe ſervaſti*. Sed qui ſervat in Concilio Fidem, Superior eſt illis, in quibus eam ſervat. Ergo &c. *n.*308.

16 Deinde Leo a Synodo dicitur *Inchoator*, & ex Græco Autographo, *Dux, & Auctor tanti boni*, ſcilicet explicatæ Fidei. Ergo iterum appellatur Magiſter, ideoque Superior Synodo. *num.* 309.

17 Patres conciliariter coacti dicunt ſe Membra Romani Capitis: *Quibus tu quidem, ſicut Membris Caput, præeras*. Ergo totum Concilium, quod ex Patribus conflabatur, dicunt eſſe Inferius Leone: eo pacto, quo in humano Corpore cæteræ partes Capiti ſubſunt, & eidem obtemperant. *n.* 310.

18 Iterum hoc Nomen Capitis Leoni tribuunt, cui proinde rurſus Præſtantiam ſupra Concilium adjudicant: *Sicut Nos Capiti in bonis adjecimus conſonantiam. n.*321.

19 Concilium profitetur, Leonem eſſe Auctorem Poteſtatis, quæ ipſi Concilio inerat: *Tanquam evellendi, & plantandi Poteſtatem ſumentes*. Ergo Leonem Superiorem Synodo apertè atteſtantur. *num.*316.

20 Effectum explicatæ Fidei Concilium tribuit Leoni, ut Magiſtro, & Superiori ſuo: *Ut ſicut Fidei, ſic bonæ Ordinationis Vobis deputetur effectus. num.*327.

21 Patres conſtituentes Concilium ſe dicunt Filios, Leonem verò Patrem ſuum: *Quidquid rectitudinis a Filiis fit, ad Patres recurrit &c. Sanctitas Tua Filiis, quod decet, adimpleat.* Ergo Leo erat ſupra Concilium; neque enim Pater ſolummodo præſtat Filiis invicem disjunctis, ſed etiam iiſdem in unum coactis. *num.*322.

22 Atticus Nicopolitanus Epiſcopus vocat Leonem Patrem: *Noſtri Sanctiſſimi Patris, & Archiepiſcopi Leonis lecta eſt Epiſtola.* Ergo ſatetur Præſtantiam ſupra Filios congregatos. *num.*138.

23 Nemo Patrum reclamat contra hunc modum loquendi. Ergo omnes concedunt ſe Filios Leonis, adeoque illi ſubjectos. *num.* 138.

24 Ipſi Judices Seculares exiſtimant hunc Titulum Patris Leoni ab Univerſo Concilio tribuendum eſſe: *Judices dixerunt: Ergo*

addi-

addite Definitioni: Secundùm Judicium Sanctiſſimi Patris Noſtri Leonis, duas eſſe Naturas in Chriſto &c. Ergo notorium erat Profanis etiam Hominibus, quod Romanus Pontifex præſit Epiſcopis omnibus in Concilio congregatis, veluti Filiis Pater. *num.* 223. 224.

25 Licet tunc vehementer Patres quò ad alia altercarentur, nullus tamen auſus eſt dicere, hanc Appellationem Leoni non convenire. Ergo confeſſi ſunt, Leonem Synodo antecellere. *num.* 223. 224.

26 Nullus viventium vocatus eſt Pater in hoc, vel in aliis Conciliis præter Pontificem Maximum. Ergo huic Nomini *Patris* verè ineſt vis ſignificativa Superioritatis. *num.* 224.

27 Dominus Concilii dicitur Leo ab Attico Nicopolitano Antiſtite: *Quoniam nunc Domini Noſtri Leonis lecta eſt Epiſtola.* Sed Dominus non imperat ſolùm uni, vel alteri Servo ſeorſum ab aliis accepto, ſed omnibus etiam ſimul congregatis. *num.* 137.

28 Niſi Univerſa Synodus Minorem ſe Romano Epiſcopo habuiſſet, reclamaſſet aliquis affirmans, eam Domini Appellationem tribuendam Leoni non eſſe a Patribus conciliariter coactis. Reclamavit autem nemo. *num.* 137.

29 *Univerſalis Eccleſiæ Papa* dicitur Leo a ſuis Legatis in ſubſcriptionibus. Ergo implicitè dicitur Superior Concilio, quod certè eſt in Eccleſia. *num.* 168.

30 Nemo Patrum negat, hunc Titulum adeo Emphaticum Leoni tribuendum. Ergo fatentur, eumdem, ejuſque emphaſim congruentem eſſe. *num.* 168.

31 Iterum Paſchaſinus Legatus ait: *Apoſtolici viri Univerſalis Eccleſiæ Papæ Leonis directa ſcripta, quid vera Fides habeat, expoſuerunt.* Ergo cenſet, Leonem eſſe Superiorem Concilio, quod repræſentare dicitur Eccleſiam Univerſalem. *num.* 175.

32 Poſt Legati dicta Epiſcopi exclamant: *Omnes ſic credimus, ſic credidimus.* Ergo Univerſum Concilium Chalcedonenſe eamdem Leoni tribuit Appellationem, ac ejuſdem ſupra ſe Præſtantiam apertè fatetur. *num.* 175. 176.

33 Coram Marciano Imperatore rurſus Leo dicitur *Univerſalis Eccleſiæ Papa.* Ergo Superior Concilio. Sicut enim quia quilibet Epiſcopus eſt totius ſuæ Diœceſis Præſes, ex hoc ſequitur, quod ſit ſupra Synodum Diœceſanam: ita ſi Papa eſt Epiſcopus Eccleſiæ Univerſalis, debet eſſe ſupra Synodum Univerſalem. *num.* 233.

34 Nullus e Concilio reclamavit contra hujuſmodi Appellationem, quæ plurimis diſplicuit in Synodo Recentiori. Ergo tunc Notorium erat in Eccleſia, quod Pontifici Maximo antecellenti Conciliis conveniret. *num.* 233.

35 Bonifacius Legatus iterum appellat Leonem *Univerſæ Eccleſiæ Epiſcopum*, nemine reclamante. Ergo implicitè omnes fatentur hanc Nuncupationem congruere Pontifici Maximo; compertiſſimum enim eſt ex Novorum Conciliorum experimento, quàm proni ſint Epiſcopi ad reclamandum, ſi vox aliqua ipſis non videatur rationi conſentanea. *num.* 240.

36 In æſtu altercationis de Canone favente Conſtantinopolitano Primatui in Oriente Lucentius Legatus iterum vocat Leonem *Univerſalis Eccleſiæ Papam.* Ergo &c. *num.* 297.

37 Patres, qui quò ad alia nimis inconditè tunc loquebantur, hiſcere non audent contra hanc formam loquendi. Ergo eam noverant eſſe aptam, ejuſque vim in dubium non revocabant. Quod autem ejus vis ſit, quod Papa cenſeatur ſupra Synodum Univerſalem, patet ex eo, quod in alio Concilio Recentiori Titulus hic diſplicuerit illis, qui detrectabant fateri hanc Pontificiam Superioritatem Concilio. *num.* 297.

38 Paſchaſinus Legatus non ſolùm *Papam Catholicæ*, ideſt *Univerſalis Eccleſiæ*, ſed etiam *Catholicum*, ideſt Univerſalem *Papam* Leonem dicit: quæ ſecunda expreſſio habet majorem emphaſim, quàm prima. Ergo &c. *num.* 145.

39 Neque hæc ipſa Appellatio Patribus diſplicuit, ac certè nemo contra illam inſurrexit. Ergo Romanus Pontifex ex omnium tunc Confeſſione præſtabat Generalibus Synodis, & vaniſſimus eſt metus, quod ex hoc modo loquendi ſequatur, alios non eſſe cenſendos Epiſcopos particularium ſuarum Eccleſiarum. *num.* 145.

40 Non ſolùm Latini, ſcilicet Apoſtolici Nuntii, ſed & Græci hunc Titulum Leoni tribuunt; nam ſupplices literæ quatuor Accuſatorum Dioſcori ſic inſcribuntur: *Sanctiſſimo, ac Dei Amantiſſimo, & Univerſali Archiepiſcopo, ac Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni, & Sancto, & Univerſali Concilio Chalcedonenſi.* Ergo Notorium omnibus erat, quod idem, ejuſque vis Leoni conveniret. *num.* 151.

41 Leo primo loco ſtatuitur, & pluribus honoris ſignificationibus illuſtratur, quàm Univerſale Concilium, in literis directis ad illum, & ad ipſum Concilium. Ergo Leo non ſolùm eſt Primus Epiſcoporum in Ordine, ſed verè præſtat Concilio. *num.* 152.

42 Sicut ſi ad Regem, ejuſque Curiam Epiſto-

Epiſtola dirigatur,primo loco ponitur Rex, & illuſtrioribus Titulis appellatur, quia præeminet Curiæ: ita cum hoc ipſum contigerit comparando Leonem cum Concilio Chalcedonenſi, & Concilium non fuerit conqueſtum,ſignum eſt, quod ſe Leoni poſthaberi æquiſſimo animo tulit. *num.* 153.

43 Licet ſequens Argumentum poſſit ad aliam claſſem revocari, tamen quia eruitur ex eodem Titulo, innuitur hic, quod ipſe S.Leo illo eſt uſus non ſemel, ac præſertim ſcribens Marciano Auguſto vocat ſe *Epiſcopum Univerſalis Eccleſiæ. num.* 337. Et iterum ſcribens Maximo Patriarchæ Antiocheno ſe appellat *Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum.* Ergo tanquam Sanctiſſimus tueri debuit, & voluit Dignitatem ſuam, & velut Sapientiſſimus ſcivit eum Titulum ab Orientali Eccleſia ſuſcipiendum eſſe, ut congruens omni rationi: cumque illum adhibuerit, dum partim confirmabat, partim infringebat Decreta Generalis Concilii Chalcedonenſis, ex hoc quoque ſequitur (præter nativam vim ejuſdem Tituli) quod ipſe Conciliis præeſſet. *num.* 350.

CAPUT III.

Multiplex Factum Concilii Chalcedonenſis obtemperantis S.Leoni oſtendit, Notoriè præſumptum fuiſse,quod idem Synodo Superior eſset.

44 CUm Leo,ut Superior, vetuiſſet Concilio audaciam diſputandi contra doctrinam declaratam a ſua Epiſtola ad Flavianum, ac juſſiſſet reſtitui Sedes Epiſcopis damnatis a Secunda Synodo Generali Epheſina, & iterum damnari Neſtorium, & Eutychetem, Synodus Chalcedonenſis illi obedivit, ac nemo Patrum dixit, has Juſſiones prodire non potuiſſe a Romano Pontifice. Ergo faſſi ſunt omnes illius Superioritatem. *num.*86. 88. & 89.

45 Legati Leonis jubent Concilio, ne Dioſcorus ſedeat: & Pontificium de hac re Decretum vocant *Præceptum*: ac dicunt: *Neceſſe eſſe* hoc fieri. Ergo partes agunt illius, qui Concilio Superior erat. *num.* 93.

46 Appellant Romanam Eccleſiam *Caput omnium Eccleſiarum*, dum Concilio jubent. Ergo affirmant, illi ineſſe Præſtantiam ſupra Synodos, qualis eſt Capiti ſuper cætera membra. *num.*94.

47 Nullus reclamat contra hunc modum loquendi, & imperandi. Ergo fatentur omnes Concilium eſſe Leoni ſubjectum. *n.*95.

47 Paſchaſinus Legatus inculcat: *Nos contra Præcepta Beatiſſimi, atque Apoſtolici Papæ Gubernatoris Sedis Apoſtolicæ venire non poſſumus*. Ergo iterum Papam edicit antecellentem Concilio. *num.*98.

49 Synodus obedit Legatis excluſo a ſubſelliis, ac miſſo in medium Dioſcoro,qui ne ipſe quidem reclamare auſus fuit contra Pontificiam Synodo Superioritatem. *n.*98.

50 Seculares Judices exequuntur Mandatum Leonis imperantis Synodo acceptionem Theodoreti inter Epiſcopos conſidentes: *Ut ſit particeps Synodi, quia & reſtituit ei Epiſcopatum Sanctiſſimus Archiepiſcopus Leo*: qui cognoſcebatur ab omnibus,ut præſtans Generali Secundo Concilio Epheſino, a quo Epiſcopatus Theodoreto fuerat ademptus. *num.* 99.

51 Lucentius Legatus affirmat, neceſſariò damnandam eſſe a Concilio Chalcedonenſi Synodum Generalem Epheſinam,quia hæc damnavit Flavianum, cujus Fides certè erat vera; quia cohærens Pontificiæ. *Quoniam S. M. Flaviani Fides cohæret cum Apoſtolica Sede &c. ſententiam &c. in eos retorqueri a S. Synodo neceſſe eſt*. Ergo affirmat Antecellentiam Pontificis ſupra Concilium, quod tenebatur Leoni obedire. *num.*104.

52 Nullus Patrum conqueſtus eſt, quod hæc *Neceſſitas* Ampliſſimo,& Generali Concilio imponeretur,imò omnes obſequentiſſimè Leoni obtemperarunt. Ergo faſſi ſunt omnes Concilium Inferius eſſe Leone. *n.*105.

53 Totum Concilium vocat *Catholicum* Juvenalem, quia accedens ad Subſellia obedientium Leoni confeſſus eſt Facto ipſo hanc Neceſſitatem parendi Rectori Eccleſiæ: *Deus bene adduxit te, Orthodoxe*. Ergo iterum Synodus præſumpſit ſe ſubjectam eſſe Leoni. *num.* 106.

54 Cum legeretur, Dioſcorum auſum fuiſſe contemnere Appellationem S. Flaviani a Concilio Generali ad S.Leonem, Synodus Chalcedonenſis exclamavit: *Hac hora damnavit*, ſcilicet Dioſcorus Flavianum, ſpreta Appellatione ad Papam: *hac hora damnetur*. Ergo Synodi ſententia fuit, licere Appellationem a quocumque Tribunali, etiam a Concilio Generali, ad Romanum Pontificem, tanquam Superiorem. *num.*111.

55 Poſt lectam S. Leonis Epiſtolam exclamant Patres: *Neque tentamus, neque audemus exponere*: ſcilicet explicare Fidem, poſtquam expoſita fuit a Leone. Et paulò poſt addunt: *Alteram Expoſitionem non licet fieri*. Ergo profitentur, Leonem ita Superiorem eſſe Concilio, ut illi nequiret contradici. *num.*116.

56 Affirmant, a Leone tamen prodire poſſe Explicationem Fidei vetitam Concilio.

lio. Ergo Majorem eidem Potentiam, adeoque Superioritatem adjudicant. *num.* 116.

57 A Concilio Chalcedonenſi non aliter ſuſcipitur Nicænum, quàm juxta Interpretationem Leonis. Ergo hic cenſetur Concilio Præſtantior. *num.* 121.

58 Concilium ait, ſtandum eſſe Pontificiæ, non Synodali Interpretationi Nicænorum Dogmatum. Ergo rurſus Leonem Synodo Superiorem agnoſcit. *num.* 121.

59 Concilium Epheſinum Primum confirmatur a Chalcedonenſi ob Auctoritatem S. Leonis. Ergo Leo cenſetur Sacro Epheſino Concilio Superior. *num.* 122.

60 Synodus fert Excommunicationem contra negantes Interpretationem Concilii Epheſini allatam a Leone. Ergo illum exiſtimat Epheſino Concilio antecellentem. *n.* 122.

61 Concilium plaudit Epiſtolæ S. Leonis non minus, quàm Nicænæ, & Epheſinæ Fidei, imò magis, quia Definitionibus Conciliorum adiicit pondus ex Leonis Comprobatione. Ergo eumdem putat Conciliis Superiorem. *num.* 129.

62 Qui contradicere audent Pontificiæ Definitioni, a Synodo iterum excommunicantur. Ergo Pontifex Maximus præſtare creditur Synodis. *num.* 129.

63 Exclamant Patres loquentes de Leonis Epiſtola: *Hæc in Epheſo lecta non ſunt*. Ergo ruinam Epheſini Conciliabuli tribuunt recuſato Magiſterio Pontificis Maximi, qui proinde ſupponitur Synodis major. *num.* 132.

64 Legati Apoſtolici dicunt, ſe *Concilio præſidere, ideoque neceſſarium eſſe* diſceptari ea, quæ ab ipſis proponuntur. Ergo Superiores ſe præſtant ipſo Concilio. *n.* 145. 146. & 147.

65 Patres contra hoc nihil reclamant. Ergo implicitè fatentur ſuam *neceſſitatem* obediendi Legatis Pontificiis, ac proinde Concilium ſubeſſe Pontifici Maximo. *n.* 145.

66 Lucentius Legatus Apoſtolicus iterum jubet Concilio, uſus Poteſtate Leonis eidem Synodo præcellentis. *num.* 150.

67 Romanus Myrenſis Epiſcopus profert in medium Interlocutionem Bonifacii Pontificii Nuntii, tanquam habentis Poteſtatem præcipiendi Concilio. Ergo præſumit Pontificiam ſupra illud Præſtantiam. *num.* 155.

68 Poſtquam Legati propoſuerunt Auctoritatem Conciliorum Nicæni, & Conſtantinopolitani, & Epiſtolæ S. Leonis, addunt, S. Synodum Chalcedonenſem *nihil amplius nec addere poſſe, nec minuere*. Sed potuiſſet, niſi fuiſſet Inferior Leone. Ergo Inferior declaratur. *num.* 175.

69 Patrum nemo reclamat, imò dicunt: *Omnes ſic credimus*. Ergo fatentur ſe ſubeſſe Romano Pontifici. *num.* 177. & 178.

70 In cauſa Ægyptiorum Monachorum, contra quos Concilium vehementer inſurrexerat, obediunt Patres omnes Pontificiis Legatis. Ergo Leonem, cujus partes agebant Nuntii, cenſent Synodo Superiorem. *num.* 195.

71 Paſchaſinus Legatus præcipit Synodo in Controverſia ſpectante ad Epiſcopos, quos Anatolius juſſerat ad Sacerdotium reverti. Ergo Synodo Superiorem ſe præſtat. *num.* 200.

72 Nemo contra hoc reclamat, ac ne ipſe quidem Anatolius. Ergo fatentur omnes in Leone Jus præcipiendi Conciliis. *num.* 200.

73 Affirmant Patres, ſolos Hæreticos repugnare poſſe Pontifici Maximo: *Qui contradicunt, Eutychianiſtæ ſunt*. Ergo Catholica Synodus fatetur, ſe repugnare non poſſe, adeoque ſubjectam eſſe, Leoni. *num.* 222.

74 Poſt altercationem de Fidei Formula Synodus obedit Romanis Legatis. Ergo Leonem Superiorem agnoſcit. *num.* 228.

75 In celeberrima Controverſia de Canone amplificante honorem Conſtantinopolitanæ Sedis, Epiſcopi quærunt, an Legati aliquod circa illam habeant *Præceptum* Leonis. Ergo Leonem Synodo antecellentem ſupponunt. *num.* 282.

76 Eatenus Patres aliquid indulgent Anatolio Conſtantinopolitano, quatenus putant, ſe a Leone minimè prohiberi, ac nemo affirmat, Legem Synodo imponi non poſſe a Pontifice Maximo. Ergo de illius Præſtantia ſupra Synodum dubitat nemo. *num.* 282. 283. & 291.

77 Ideo ſemel Patres non obediunt Pontificiis Legatis, quia putant, ab iis incongruentem Interpretationem tribui voluntati Leonis: veluti aliquando Nuntii poſſunt animum Regis malè interpretari. Ergo Pontificiam Superioritatem ſupponunt. *n.* 298.

78 Sperant Epiſcopi confirmandum a Leone Canonem faventem Sedi Conſtantinopolitanæ, ac tunc validum fore. Ergo de Pontificia ſupra Synodum Præſtantia non dubitant. *num.* 298.

CAPUT IV.

Jus Pontificium transferendi, abrumpendi, comprobandi, vel reprobandi Concilia, demonſtrat, compertam fuiſſe omnibus Pontificiam Præcellentiam.

79 Legati Pontificii minantur diſceſſum ſuum,& diſſolutionem Synodi Chalcedonenſis, aliamque Synodum habendam in Occidente. Ergo declarant, Leonem Synodis anteire. *num.* 210.

80 Nullus Patrum negat hanc Pontificiam Poteſtatem abrumpendi Synodos Generales.Ergo implicitè fatentur omnes Pontificiam Antecellentiam. *num.*210.211.

81 Marcianus Imperator ait, obediendum eſſe Leoni, celebrando aliam Synodum in Occidente, niſi Patres Chalcedonenſes pareant voluntati Legatorum Leonis in modo ſcribendi Formulam Fidei. Ergo Notoria erat Pontificia Poteſtas abrumpendi Synodos, adeoque Præſtantia ſupra Generalia Concilia. *num.*220.

82 Non reclamant Patres, cum Judices hanc Cæſaream Declarationem Synodo retulerunt. Ergo non abnuunt Pontificiam ſupra Concilia Præſtantiam. *num.*220.

83 Chalcedonenſe Concilium cenſet,vim accedere Epheſino Primo a Confirmatione Pontificis Maximi.Ergo hunc Concilio Superiorem præſumit eſſe. *num.*217.

84 Suam Fidem reſolvit Synodus in Auctoritatem Papæ. Ergo hunc ſibi Præſtantem agnoſcit. *num.*218.

85 Supponit generatim Synodus,Concilia Generalia indigere Conſenſu Apoſtolicæ Cathedræ, ut certum robur obtineant. Ergo pariter ſupponit, Apoſtolicam eamdem Cathedram Conciliis anteſtare. *num.*219.

86 Concilium reddit rationem geſtorum omnium Leoni ut Superiori ſuo.Ergo illum talem agnoſcit. *num.*308.

87 Synodus non potuit petiviſſe Confirmationem a Leone tamquam ab uno Epiſcoporum, quia jam illius nomine conſenſerant Legati Apoſtolici.Ergo eam petunt ab ipſo, tanquam a Superiore. *num.* 317.

88 Poſtulat Synodus a Leone præter cætera Confirmationem Canonis augentis honorem Sedis Conſtantinopolitanæ: profitetur, ſe certò ſciviſſe, illum a Leone confirmandum eſſe: rogat, ne illum reſpuat. Ergo fatetur,vim illi non fore,niſi firmetur a Pontifice Maximo preſtante Conciliis.*num.*318. & 320.

89 Affirmat Synodus, ſe a Leone petere Confirmationem *Ad eorum, quæ geſta ſunt, Firmitatem*. Ergo ſupponit, hanc Firmitatem non inhæſuram Synodalibus Decretis abſque Comprobatione illius, qui Concilio præſtabat. *num.* 325.

90 S. Leo, tamquam Univerſæ Præſes Eccleſiæ, rejicit Epheſinam Secundam Synodum Generalem. Ergo Univerſæ, etiam congregatæ, Eccleſiæ ſupereminet. *num.*51.

91 Eccleſia Divina ſemper rejecit Secundam Synodum Epheſinam tanquam a Leone damnatam. Ergo ſupponit in Romano Pontifice Antecellentiam Conciliis. *num.*51.

92 Concilium Chalcedonenſe damnat Epheſinam Secundam Synodum Generalem, quia prius damnatam a Leone. Ergo hunc agnoſcit Ducem, ac Præceptorem ſuum, ideoque Superiorem. *num.* 242.

93 Ex geſtis in Secunda Epheſina generatim reprobatis ſolummodo ſuſcipit Synodus Chalcedonenſis Electionem Maximi ad Regimen Eccleſiæ Antiochenæ, quia a Leone comprobatam. Ergo eumdem Leonem utrique Synodo præſtantem fatetur.*n.*242.

CAPUT V.

Incommoda Eccleſiæ, quæ ſequerentur, niſi Pontifex Maximus Conciliis anteſtaret, arguunt, a nullo tunc in dubium revocatam fuiſſe Pontificiam ſupra Synodos Eminentiam.

94 Ruina Prædatoriæ Synodi Epheſinæ, quam reparavit Concilium Chalcedonenſe, oſtendit, neceſſarium prorſus eſſe, ut a Legatis Pontificiis in officio contineantur Concilia, ne in præceps ruant. Id autem, quod neceſſarium eſt ad bonum Eccleſiæ Regimen, profectò Deus Optimus Maximus ſervari præcepit. Ergo præcepit, Pontificem Maximum præeſſe Conciliis per ſe, vel per ſuos Legatos. *num.*36.

95 Damnatio S. Flaviani iniquiſſimè facta a Concilio Generali Secundo Epheſino demonſtrat Neceſſitatem alicujus Tribunalis Superioris,ad quod appellari poſſit. Hoc autem aliud eſſe non poteſt, quàm Pontificium. Incredibile porrò eſt, quod Concilia ſponte tribuerint Papæ Antecellentiam ſupra ipſa Concilia, ut ad ipſum appellare poſſint damnati a Synodis. Ergo hoc Jus recipiendi Appellationes, oſtendens Superioritatem Conciliis, competit Pontifici Maximo ob Inſtitutionem Divinam. *num.* 50.

96 Niſi Condemnatio Hæretici Secundi Concilii Epheſini refunderetur in Romanum Pon-

Pontificem, non eſſet ineluctabilis, ut patet ex Antiocheno, Ariminenſi, atque hoc ipſo Epheſino, quæ licet fuerint Generalia, & infregerint Decreta priorum Conciliorum, nullo tamen in pretio habita ſunt ab Eccleſia, quia illis non adjecit robur Apoſtolica Sedes. Sed neceſſarium eſt ad bonum Eccleſiæ Regimen, ut detur Poteſtas aliqua Superior habens vim infringendi Decreta Hæreticarum Synodorum. Ergo Deus voluit hanc Poteſtatem ineſſe Pontifici Maximo. *num.*51.

97 Niſi Papa eſſet Superior Synodis, & etiam ipſe, ut Synodi, errare poſſet, nihil certum in Eccleſia relinqueretur. Sed hoc abſurdum Deus Optimus Maximus permittere non poterat in Eccleſia ſua. Ergo voluit, Pontificem Maximum præſtare Conciliis. *num.*61.

98 Periculum imminet Schiſmatis, niſi Pontifex Maximus Conciliis anteferatur. Ergo illis anteſertur. *num.*69.

99 Cum Hæretici provocent ab uno ad aliud Concilium, quod pro arbitrio, & peſſimè interpretantur: ſicut Eutychiani interpretabantur Nicęnum: patet Neceſſitas certi alicujus Conciliorum Interpretis, & Magiſtri, Apoſtolicæ videlicet Cathedræ ſupra ipſas Synodos eminentis. Ergo verè Apoſtolica Sedes iiſdem ſupereminet. *num.* 108.

100 Sanctus Gregorius Theologus dicit, ſemper eſſe certamina in Conciliis: atque hoc veriſſimum eſſe conſtat exemplo Secundi Epheſini, atque ipſius Chalcedonenſis. Ergo neceſſarium eſt Membris proculdubio certaturis Regimen Capitis, videlicet Romani Pontificis, qui Concilio Superior ſit. *num.*203.

101 Niſi Papa Conciliis anteferretur, & ab illius, tanquam Superioris, Comprobatione certa firmitas accederet Definitionibus Conciliorum; ſed ab illo rurſus confugiendum eſſet ad aliud Concilium, & ab hoc iterum ad Pontificem, atque ab eo rurſua ad Synodum, vitioſo Circulo laboraretur, nihilque tutum eſſet in Eccleſia Divina. Sed hoc permittere non potuit Sapientiſſimus Eccleſiæ Inſtitutor, qui voluit certiſſimum Sponſæ ſuæ adeſſe Magiſterium Veritatis. Ergo voluit Conciliis præeſſe Pontificem Maximum. *num.* 325.

102 In Conciliis, ut ſcribit S. Leo Magnus Maximo Patriarchæ Antiocheno, *Difficile eſt, ut cupiditas improborum non aliquid ſupra menſuram ſuam moliatur appetere*. Ergo cum celebrantur, neceſſe eſt, illis moderationem juberi a Legatis Pontificis Maximi, qui Concilio antecellat. *num.*354.

CAPUT VI.

Multiplex Atteſtatio S.Leonis ſcribentis ad Synodum Secundam Epheſinum, & ad Chalcedonenſem, atque ab hac obſequentiſſimè culta, patefacit, admiſſam tunc ab omnibus fuiſſe Pontificiam Præſtantiam ſupra Concilia.

103 Licet plurimas ex Aſſertionibus Sancti Leonis, & aliorum Teſtium, quos ſubiiciemus, attulerimus huçuſque, quia pertinebant ad Rationes Intrinſecas jam expenſas, tamen aliæ plurimæ ſuperſunt nunc afferendæ, in quibus tantùm eſt vis Extrinſecæ Auctoritatis ſundatæ in ipſis Aſſertionibus, quibus tamen ſufficientiſſimum pondus ineſt ad oſtendendum, quod tunc Pontificia Præſtantia ſupra Synodos Generales omnibus Notoria eſſet. Quamvis autem S.Leo loquatur de ſua propria Poteſtate, nihilominus ex hoc nihil enervatur vis Argumentorum, quia tamquam Sanctiſſimus non arrogaſſet ſibi id, quod ſui Juris non fuiſſet, ac tanquam Sapientiſſimus non tribuiſſet ſibi id, quod incongruens videri poſſet Eccleſiæ. Primò igitur S. Leo jubet Concilio Epheſino quid agendum eſſet in Cauſa Eutychetis, & niſi reſipiſcat, decernit, ſuam contra illum Sententiam infringi non poſſe. *Si in* suo SENSU *voluerit permanere, nullus poterit relaxare*: Neque ipſe videlicet Univerſalis Epiſcoporum Cœtus. Ergo Concilio Superiorem ſe profitetur æquiſſimus Cuſtos Dignitatis ſibi divinitus traditæ. *num.*22.

Quoties expendetur Damnatio Eutychiani Senſus, majores Characteres excitabunt Lectorem ad notandam Vetuſtam Conſuetudinem proſcribendi Senſum Hæreticum: ſicuti nuper damnatus ſuit ſanctè, ac ſapientiſſimè Senſus Hæreticus Propoſitionum Janſenii patens ex Verbis, & Contextu ejus Voluminis.

104 S.Leo iterum præſcribit Leges Concilio Epheſino *de peſtiſero Errore primitus damnando*, & urgendo Eutychete ad ejurandum SENSUM HÆRETICUM ſuarum Propoſitionum, ſi reſtitui cupiebat in Eccleſiaſtici honoris gradum. *Si tamen doctrinam veritatis amplectens* SENSUS HÆRETICOS, *quibus imperitia ejus fuerat irretita, plenè, apertèque propria voce, & ſubſcriptione damnaverit.* Sed has Leges præſcribere Univerſali Concilio nequiviſſet Leo, niſi eidem præſtans, ac niſi talem exiſtimandum ſe ab ipſa Synodo Sapien-

pientiſſimus Pontifex crediderit. Ergo talem exiſtimandum ſe credidit. *num.*31.

105 Iterum Leo jubet Concilio, ut Superior. Ergo talis erat. *num.* 32.

106 Scribens Leo Sacro Concilio Chalcedonenſi vetat, veluti Superior, audaciam diſputandi contra Doctrinam Epiſtolæ ſuæ ad Flavianum. Sed frænum Synodo iniicere non potuiſſet, niſi eidem præſtans. Ergo Synodo præſtabat. *num.*86.& 87.

107 Jubet Synodo reſtitutionem Epiſcoporum in ſuas Sedes, licet damnati eſſent ab alio Generali Concilio Epheſino. Ergo tam huic, quàm Chalcedonenſi, juſſo ſibi obedire, Superiorem ſe oſtendit. *num.* 88.

108 Aliud addit Præceptum de nova Condemnatione Neſtorii facienda à Synodo. Ergo iterum Synodo ipſi præſtantem ſe præſumit. *num.*89.

109 Præſcribit iterum Concilio Chalcedonenſi ſibi ſubjecto Condemnationem Eutychetis, niſi reſipiſcat, & Abſolutionem, ſi Hæreſim deteſtetur. Ergo ſubjectam ſibi eſſe Synodum cenſet. *num.*126. & 127.

110 Non ſolùm nullam relinquit Libertatem diſputandi circa Dogmata Hæreſiarchæ, ſed etiam Judicium quò ad Perſonam, niſi damnet SENSUS SUI PRAVITATEM, reſervat Apoſtolicis Legatis. Ergo ſupponit, ab his gerendas vices illius, qui majorem Synodo habeat Poteſtatem. *num.*128.

111 S. Leo ſcribens Concilio Chalcedonenſi ſeligit ea, quæ probat, reiiciendo ea, quæ improbat ex Decretis editis ab ipſa Synodo Chalcedonenſi. Ergo eidem Synodo Superiorem ſe eſſe palam oſtendit: Quo pacto ſi Rex ex Decretis conditis a ſuo Senatu quædam probet, & alia improbet, ex hoc patenter arguitur ipſi Regem Senatui antecellere. *num.*348.

112 Ait Leo fruſtra niti Anatolium Conſtantinopolitanum Canone, quem extorſerat a numeroſiſſimo Concilio Chalcedonenſi, cum illum Leo ipſe rejecerit. Ergo ſe Concilio præſtare manifeſtè præſumit. Quis autem jactantiæ Leonem Magnum inſimulabit? Quis ita ſermonem inſtitui potuiſſe credat ab illius ſapientia omnes Orientis Præſules alloquente, niſi Notoria tunc omnibus fuiſſet Pontificia Præſtantia ſupra Concilia? *num.* 349.

CAPUT VII.

Literæ ejuſdem S. Leonis ad Imperatores, & alios, evincunt Notorietatem tunc ab omnibus habitam Pontificiæ ſupra Synodos Generales Poteſtatis.

113 Scribens Leo Theodoſio Minori Auguſto affirmat, ſe velle uti Concilio Epheſino tanquam Inſtrumento Pontificiæ Auctoritatis, & negat, in Synodo poſſe diſcedi a ſua Sententia. Ergo Superiorem ſe eſſe Concilio profitetur. *num.* 25.

114 Coram eodem Theodoſio proteſtatur, Auctoritatem ſibi ineſſe declarandæ Veritatis, ita ut nullus ſibi poſſit contradicere: *Quatenus nulli liceat eam commovere*: Ergo neque licebat ipſi Concilio, cujus proinde Magiſtrum, & eidem præcellentem, ſe eſſe affirmat. *num.*52.

115 In Literis ad Pulcheriam Auguſtam docet, *Fidem pleniſſimè expoſitam delatam fuiſſe ad Synodum Generalem a Sede Beati Petri*, atque ideo a Synodo ſibi ſubjecta fuiſſe obediendum. Ergo ſubjectam eam ſibi omnino exiſtimat. *num.* 53.

116 Exprimit, Inobedientiam Synodi *fuiſſe contra omnium Canonum diſciplinam*, declarantium ſcilicet Præſtantiam Pontificis Maximi ſupra Concilium, ortam ex Inſtitutione Divina; neque enim cæteroqui, ut alibi notavimus, Concilia Poteſtatem ſupra ſe ulli mortalium tribuiſſent. *num.* 53.

117 S. Leo ſcribens Conſtantinopolitanis Civibus ait, a ſe damnatum fuiſſe Neſtorium, non loquens de Condemnatione illius Hæreſiarchæ facta a Primo S. Concilio Epheſino. Ergo putat, majorem ſe eſſe Concilio, ac talem æſtimandum ab ipſis Orientalibus. *num.*57.

118 Narrat in Literis ad Theodoſium, porrectas ſibi fuiſſe a Cæſare preces, ut confirmare dignaretur Electionem Anatolii factam ab Epheſino Concilio Generali, quod Cæſar fuiſſe legitimum opinabatur. Ergo hoc inferius eſſe Leone crediderat Theodoſius, ut ſupponit Leo, cui alioqui non fuiſſent vires ad infringendum Synodale Decretum. *num.* 75.

119 Ut Superior Synodo, quam Theodoſius putabat legitimam, jubet ad ſe mitti Confeſſionem Fidei ab Anatolio electo ab ipſa Synodo. Ergo huic Superiorem ſe cenſeri a Theodoſio iterum Leo præſumit. *n.*76.

120 S. Leo Anatolio ſcribit, a ſe Superiore poſſe deſtrui id, quod decreverat Generale Concilium Chalcedonenſe. Ergo de

Pon-

Pontificia ſupra Synodum Præſtantia ne ipſe quidem Anatolius dubitabat. *num.* 329.

121 Decernit Leo, præferri Canones Nicænos Chalcedonenſibus. Ergo Conciliis antecellebat. *num.* 330.

122 Ait, ſuos Legatos jure obſtitiſſe Generali Concilio Chalcedonenſi. Ergo ſe a Nuntiis repræſentatum præcellere Synodo certò præſumit. *num.* 332.

123 Negat, a ſe unquam confirmandum ſuperbum Canonem Anatolio faventem, licet ſancitum a Concilio Generali. Ergo hoc ſe inferius eſſe patenter credit. *num.* 333.

124 Nullas pariter vires eſſe ſtatuit alteri Canoni, qui Secundo Generali Concilio, ſcilicet Conſtantinopolitano Primo, tribuebatur. Ergo hoc pariter ſibi ſubjectum eſſe, veluti Notorium, præſupponit. *num.* 334.

125 Scribens Marciano Imperatori profitetur Leo, ſibi fuiſſe Jus abrogandi Anatolio Epiſcopatum illi tributum a Generali Concilio, & affirmat, a ſe, non a Concilio, evectum eumdem ad Cathedram Conſtantinopolitanam. Ergo ſe Concilio Superiorem implicitè dicit. *num.* 338. & 340.

126 Negat fore ſibi licitam, non tamen invalidam, everſionem Canonum Nicænorum. Ergo Conciliis anteibat. *num.* 343.

127 Oſtendit ſe Superiorem Concilio Chalcedonenſi, quod poteſt compeſcere, ne convellat Canones Nicænos. *num.* 343.

128 Pulcheriæ Imperatrici ſcribit Leo, Anatolium adeptum fuiſſe Epiſcopatum ſuo favore, non Synodi Generalis, ſibi proinde inferioris. *num.* 346.

129 Tamquam Superior deſtruit Canonem Chalcedonenſem de Anatolio. *num.* 346.

130 In Epiſtola ad Maximum Antiochenum iterum ut Superior omnibus Conciliis declarat, a ſe præferri Canones Nicænos Chalcedonenſibus. *num.* 355.

CAPVT VIII.

Atteſtatio Sanctorum, & Doctorum tunc viventium, Imperatorum, Judicum Sæcularium Concilii, & Conſtantinopolitanorum Civium, de eadem, tunc apud omnes pervulgata, Præſtantia Pontificis Maximi ſupra Concilia.

131 Sanctus Flavianus Præſul Conſtantinopolitanus, & Martyr, damnatus a Generali Concilio, appellat ad Sanctum Leonem Papam tanquam Superiorem. *num.* 46.

132 S. Pulcheria Auguſta ait, a S. Concilio Chalcedonenſi declaranda eſſe illa, quæ Leo definiverit, non ſolùm quò ad Fidem, ſed etiam quò ad Perſonas peculiarium Epiſcoporum. Ergo Leonem præſtare Concilio evidenter præſumebat. *num.* 83.

133 Theodoretus Vir ſapientiſſimus ait, ſibi reddendum a Concilio Epiſcopatum, quia reſtitutus ſibi fuerat a Leone. Ergo Concilio Superiorem Leonem ſupponebat. *num.* 237.

134 Valentinianus Imperator præſumit, Sedem S. Petri præſtare Conciliis. *num.* 60.

135 Et Pontificem Maximum *poſſe judicare de Fide, ac Sacerdotibus omnibus*, qui conflaverant Epheſinam Synodum Generalem, ideoque illi Superiorem exiſtere. *n.* 61.

136 Idem ſupponit, eſſe in Papa, & ſemper fuiſſe verum *Principatum ſupra Sacerdotes omnes*, etiam Conciliariter congregatos. *num.* 62.

137 Idem putat, licere damnatis a Synodo Generali appellare ad Pontificem Maximum tanquam Superiorem. *num.* 63.

138 Et in Concilio ferendam Sententiam a Papa tanquam præſtante ipſi Concilio. *num.* 64.

139 Idem cenſet Galla Placidia Auguſta. *num.* 66.

140 Eadem appellat Leonem *Vindicem Fidei*, ideoque ejuſdem Fidei Cuſtodem, Magiſtrum, & Judicem, a quo provocari non poſſit ad Tribunal Concilii ſubjecti eidem Pontifici. *num.* 70.

141 Theodoſius ipſe Imperator, licet deceptus ab Hæreticis, negare non audet Pontificiam Superioritatem Concilio Secundo Epheſino, quod ipſe Legitimum opinabatur. Ergo adeo Notoria erat hæc Præſtantia, ut a nullo poſſet in controverſiam revocari. *n.* 73.

142 Marcianus Auguſtus ait, *Auctore Leone*, tanquam Superiore, celebrandam eſſe Synodum Chalcedonenſem. *num.* 79.

143 Et a Synodo tanquam inferiore declaranda eſſe illa, quæ Leo Superior *decernet*. Ergo ipſe decernet, & illi ſubjecta Synodus obtemperabit. *num.* 80.

144 Idem Marcianus prius Latinè, quàm Græcè, alloquitur Synodum Chalcedonenſem, in qua erant pluſquam Sexcenti Patres Ritus Græci, & Quinque tantùm Latini. Ergo indicat, Majorem Synodo eſſe Leonem a ſuis Nuntiis repræſentatum. *num.* 230.

145 Idem cenſet, æquè obſtrictam eſſe Synodum ad ſequendum Magiſterium Leonis, ac illud Concilii Nicæni. Ergo Leoni, ut Superiori ſuo, obedire Generales Synodi tenebantur. *num.* 231.

146 Nullus Patrum hoc negat, imò plaudunt omnes Imperatori, tanquam vera dicenti. *num.* 232.

147 Mar-

147 Marcianus, & S.Pulcheria petunt a S.Leone per Nuntios Confirmationem Canonis editi a Concilio Generali Chalcedonenſi in favorem Conſtantinopolitanæ Sedis. Ergo Notorium erat non ſufficere Concilium ſine Comprobatione illius, qui Conciliis omnibus antecellebat. *num.*345.

148 Valentiniani, & Marciani Literæ ad Præſides Provinciarum ſcribunt, fuiſſe confirmatam Fidem a Concilio Chalcedonenſi *Auctoritate S.Leonis*. Ergo hic præſumitur Superior Synodo, quæ ſolùm publicare debuit Edicta Pontificia. *num.* 347.

149 Judices Seculares Concilii cenſent, ipſum Concilium, tanquam inferius, teneri ad confirmandam Doctrinam Epiſtolæ Pontificiæ. *num.*113.

150 Iidem reddendam cenſent Theodoreto Sedem a Synodo, quia reddita ei fuerat a Leone, qui Concilio præeminebat. *num.* 238.

151 Poſt anditum hoc Judicum conſilinm exclamant Patres: *Poſt Deum Leo judicavit*. Ergo Leonem Chriſti Vicarium agnoſcunt Superiorem ſuum. *num.*238.

152 Conſtantinopolitani Cives confugiunt ad Leonem tanquam Eccleſiæ Magiſtrum, & Præſidem, ut dignetur illis explicare veram Fidei Doctrinam, licet paulò ante celebratum fuiſſet Secundum Generale Concilinm Epheſinnm, qnod Theodoſius Auguſtus Conſtantinopoli regnans putabat eſſe legitimum. Ergo Concilio præferunt Pontificem Maximum. *num.* 58.

CAPUT IX.

De eadem Pontificia Superioritate Conciliis alia multiplex Atteſtatio plurium Epiſcoporum Concilii Chalcedonenſis, & Univerſæ Synodi, præter allatas, dum expendebantur Rationes Intrinſecæ, & Atteſtatio aliorum Sacrorum Conciliorum.

153 Cecropius Sebaſtopolitanus Antiſtes loquens de Doctrina Fidei declaranda a Synodo ait: *Forma data eſt a Sanctiſſimo Archiepiſcopo Romanæ Urbis, & ſequimur eam, & Epiſtolæ omnes ſubſcripſimus.* Ergo fatetnr, Leonem eſſe Concilii Magiſtrum, a quo propoſita Forma accipienda ſit tanquam proveniens a Superiore. *num.* 116.

154 Poſt hæc Cecropii verba *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Ita omnes dicimus. Sufficiunt, quæ expoſita ſunt. Alteram Expoſitionem non licet fieri.* Ergo ſubjectnm Leoni eſſe Concilium affirmant; alioquì enim liceret ab illius Forma recedere. *num.* 116. & 117.

155 Julianus Epiſcopus Hypepenſis, cum ferenda eſſet in Dioſcorum Sententia, converſus ad Legatos Pontificios ait: *Nunc Veſtra Sanctitas Primatum* (ſive, ut alii legunt) *Auctoritatem tenet Sanctiſſimi Leonis. Petimus igitur Veſtram Sanctitatem, qui habetis locum Sanctiſſimi Papæ Leonis, promulgare in eum &c. Sententiam*. Et Maximus Antiochenus ſubdit: *Quod videtur Sanctitati Veſtræ, & Nos concordes efficimur*. Sed certè etiam ipſum Concilium ſua in Dioſcorum Auctoritate pollebat. Ergo ideo allegant illam Leonis, quia Pontificia major erat Auctoritate Conciliari, & expediebat proferre Sententiam Auctoritate potius majori, quam minori. *num.*161.

156 Nullus penitus reclamavit, cum Julianus, & Maximus profeſſi fuiſſent ſe Interpretes eſſe Univerſi Concilii. Ergo eidem Concilio tribui poteſt Præſulum illorum Sententia, quæ majorem Leoni, quàm ipſi Synodo, vindicat Auctoritatem. *num.*161.

157 Maximus Patriarcha Antiochenus loquens de Condemnatione Dioſcori ait: *Sicut & Sanctiſſimus, & Reverendiſſimus Archiepiſcopus, & Pater Noſter Leo &c. per Vicarios ſuos &c.* Ergo profitetur, Leonem eſſe Concilii *Patrem*, ideoque Superiorem, cujns Decretis inhærendum ſit a Filiis, ideſt ab Epiſcopis omnibus conciliariter congregatis. *num.*168.

158 Epiſtola Univerſi Concilii Chalcedonenſis ad Imperatores cenſet, magnum fuiſſe crimen Dioſcori ſuppreſſam ab illo in Concilio Secundo Epheſino Epiſtolam Sancti Leonis. Ergo eumdem Leonem exiſtimat Concilii Magiſtrnm, cujus Doctrinam neceſſariò deberet ſequi Synodus ipſi ſubjecta. *num.*170.

159 Synodus Chalcedonenſis non quærit, an quinque Epiſcopi, de quorum Fidei ſynceritate ſuſpicio erat, admittant Doctrinam Nicænani, ſed ſolùm, an admittant Pontificiam: *Qui ſubſcripſerunt Epiſtolæ Leonis, ad Synodum. Sicut Leo, ſic ſapiunt*. Ergo Leo ſupponitur Superior Conciliis, atque horum Auctoritas creſcit a Confirmatione Pontificia. *num.* 186.

160 Ægyptii Epiſcopi Hæretici fruſtra allegant Sanctum Marcum, Sanctum Athanaſium, & Nicænum Concilium, niſi obediant Leoni. Ergo hic a Synodo Chalcedonenſi major Conciliis exiſtimatur. *num.*187.

161 Synodus profitetur, nihil a ſe fuiſſe geſtum, niſi quod obediverit Pontifici Maximo illius Epiſtolam ſuſcipiendo, & exclamat:

mat: *Qui non conſentit Epiſtolæ Sanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis, Hæreticus eſt*. Ergo Leo Synodo anterior, ut Magiſter diſcipulis, eſſe creditur. *num.*188. & 189.

162 Synodus non præcipit Ægyptiis, ut obediant ſibi, ſed Leoni. Ergo Leoni vindicat Præſtantiam ſupra Synodos. *num.* 89.

163 Concilium illuſtrius loquitur de Pontifice Maximo, quàm de aliis Conciliis Generalibus. Ergo indicat, pluris illum a ſe fieri, quàm alia Concilia. *num.*226.

164 Synodus utitur verbis Leonis tanquam Magiſtri in explicanda Fide. Ergo illo minorem ſe eſſe præſumit. *num.*228.

165 Alia Concilia, quæ poſt Chalcedonenſe celebrata ſunt, ea ſolùm admittunt ex eodem Chalcedonenſi, quibus acceſſit Pontificia Comprobatio. Ergo præſupponunt, Pontificem Maximum præſtare Conciliis. *num.*368.

166 S.Cyrillus Alexandrinus non præcepit Epheſino Primo Concilio, quemadmodum S.Leo Secundo, & Chalcedonenſi, quia ille non erat Superior Concilio, ſicuti Leo. *num.* 193.

167 Idem cenſet, melius a Leone, tanquam Superiore, quàm ab Epheſino Primo Concilio frænari poſſe temeritatem Juvenalis Epiſcopi Hieroſolymitani. *num.* 354.

CAPVT X.

De Præſtantia Pontificis Maximi ſupra Generalia Concilia penitus Notoriâ Atteſtatio ipſorum Æmulorum, & Hoſtium Romanæ Cathedræ, videlicet Anatolii Præſulis Conſtantinopolitani, Juvenalis Hieroſolymitani, Illyricorum Epiſcoporum Hæreticorum, Eutychetis Hæreſiarchæ, Dioſcori Eutychete ferè nequioris, ac Prædatoriæ Synodi Epheſinæ.

168 ANatolius recipit Maximum Antiochenum ſolummodo quia receptum a Leone, non quia a Synodo Generali. Ergo Synodum ipſam cenſet Leone minorem. *num.*243.

169 Idem confugit ad Leonem per Literas, & Nuntios, ut dignetur confirmare Canonem ſuæ Dignitati faventem. Ergo fatetur, eumdem Canonem abſque Leonis Comprobatione fore irritum, & nullum; ideoque ſupponit, Leonem Conciliis antecellere. *num.*336.

170 Juvenalis Hieroſolymitanus afflatus fulmine Pontificiæ Auctoritatis ad Catholicos cum ſuis accedit in Concilio Chalcedonenſi. Ergo præſupponit, Leonem ita eſſe Superiorem Concilio, ut ab hoc omnino illi obtemperandum ſit. *num.* 106.

171 Illyriciani Epiſcopi tunc Hæretici appellant Leonem *Sanctiſſimum Patrem noſtrum, & Sacrorum Principem*. Ergo eum credunt Superiorem Concilio, ſicut eſt Filiis Pater, & ſicut Princeps profectò præſtat ſubditis. Sacra autem certè Concilia ſunt, quorum Princeps ab ipſis dicitur Leo. *n.*181.

172 Monachi Hæretici poſthabent Pontifici Maximo Concilium Chalcedonenſe, cui aderant, cum Synodo ipſi, & non Leoni audeant inſultare. *num.* 195.

173 Eutyches Hæreſiarcha damnatus a S.Flaviano in Provinciali Concilio non appellat ad Synodum Generalem, ſed ad S. Leonem, & Pontificiæ Sententiæ ſe ſtaturum promittit. Ergo videtur ſupponere, Leonem eſſe totius Eccleſiæ, & Univerſalium Conciliorum Magiſtrum, ideoque illis anteire. *num.*7.24. & 36.

174 Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus Eutychetis Vexillifer fingit ſe obedire Sancto Leoni, ne excludatur a Synodo Chalcedonenſi, in qua exclamarunt Dioſcori Defenſores: *Pro Patribus petimus: Patres Synodo reddite: Conſentaneos Leoni Synodo*. Ergo adeo Notoria erat Pontificia Synodis Antecellentia, ut eam diffiteri nequiret ipſe Dioſcorus, licet prius tartareæ ſuperbiæ cornua erexiſſet contra Sanctum Leonem. *num.* 144.

175 Cum S.Flavianus Præſul Conſtantinopolis, & Martyr damnatus a Prædatoria Synodo Epheſina appellaſſet ad S. Leonem tanquam Synodo Superiorem, nullus auſus eſt reclamare, negans licere Appellationem a Concilio Generali ad Pontificem Maximum. Ergo confeſſi ſunt omnes Pontificiam Superioritatem Concilio, quod ipſi legitimum opinabantur. *num.* 48.

176 Adeo hæc Pontificia Præſtantia ſupra Concilia tunc erat Notoria, ut eam in Synodo, quamvis tartarea, auſus non fuerit negare ipſe Dioſcorus. *num.* 49.

TRACTATUS SECUNDUS

De Notorietate in Antiqua Eccleſia Pontificiæ Infallibilitatis in declaranda Fide.

CAPUT PRIMUM.

Pontificia Infallibilitas omnibus Nota, veluti orta ex Inſtitutione Divina.

1 SAnctus Leo ſcribens Epheſino Concilio prçſupponit Infallibilitatem Apoſtolicç Sedis naſci a Promiſſione Divina facta S.Petro; laudana enim Theodoſium Imperatorem, qui ad ipſum Leonem confugerat, poſtquam emerſerat Hæreſis Eutychetis, ſubdit: *Tanquam ab ipſo Beatiſſimo Petro cuperet declarari, quod in ejus Confeſſione laudatum ſit &c.* ac deinde ſubdit: *Quod ſi Eutyches intelligenter, & vivaciter crederet, nequaquam ab hujus Fidei tramite deviaret: propter quam ei reſpondetur a Domino: Beatus es Simon Bar-Iona &c. Super hanc Petram &c.* Ergo ex Divina Promiſſione fundandæ ſupra Petram Feclefiæ oritur certiſſima Veritas Apoſtolicæ Romanæ Fidei, quia cæteroqui ea deficiente corrueret Ædificium in Petro fundatum. *num.* 28. & 29.

2 Sanctus Petrus Chryſologus reſpondet Eutycheti: *In omnibus hortamur te, Frater honorabilis, ut his, quæ a Beatiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede & vivit, & præſidet, præſtat quærentibus Fidei Veritatem.* Ergo eadem Auctoritas eſt in Petri Succeſſoribus, quam eidem Petro contulit Chriſtus. Ac ſi Petro noſtræ Salutis Auctor ſpopondit, *nunquam defecturam illius Fidem*, perinde quoque e Romana Cathedra Eccleſiam docentibus *perpetuò præſtat Petrus Veritatem Fidei*, in qua proinde *dum confirmant Fratres*, errare non poſſunt. *num.* 34.

3 Concilium Chalcedonenſe In Literia ad Pulcheriam Auguſtam inquit de ipſo Concilio ſequuto Magiſterium Leonia: *Chriſto ad intelligentiam proſperè dirigente oſtendit in Leone mirabili Veritatem, quia ſicut Sapiente Petro, ita illo utitur Aſſertore.* Ergo non minorem in Leone, quàm in Petro, certitudinem Veritatis a ſe agnoſci Chalcedonenſe Concilium diſertè profitetur. *num.* 40.

4 Valentinianus Imperator in Epiſtola ad Theodoſium Collegam ſuum loquens de Fide inquit: *Quam nos a Majoribus Noſtris traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, & Dignitatem propriæ Venerationis Beato Apoſtolo Petro intemeratam & in noſtris temporibus conſervare.* Sed hæc Dignitas Beati Petri alia eſſe non poteſt, quàm ut ipſe, ac ejus Succeſſores ſint certi Judices Veræ Fidei, a quorum ſententia nemini recedere liceat, ac ne ipſis quidem Conciliis. *num.* 60.

5 Idem præſumit eum eſſe Principatum Apoſtolicæ Sedis, Ut *judicare poſſit de Fide, ac Sacerdotibus*, qui conſtituerant Synodum Generalem. Sed hoc Judicium ferre non potuiſſet, niſi eſſet Infallihilis. *num.* 61.

6 Galla Placidia Auguſta ſcribens Puleheriæ ait: *Ad Apoſtolicæ Sedis Judicium, in qua Primus Apoſtolorum Beatus Petrus, qui etiam Claves Regni Cælorum ſuſcipiens Sacerdotii Principatum tenuit, Epiſcopatus Cauſa mittatur.* Ergo Notorius erat Principatus Romani Pontificis ortus ab Inſtitutione Divina Chriſti Domini Claves Cæli Petro tradentis; & ad ſolius Apoſtolicæ Sedis, neque alterius etiam Concilii, Judicium mittenda dicitur *Cauſa Epiſcopatus*, videlicet non unius tantùm Epiſcopi, ſed quorumlibet, qui Generalem Synodum conſtituerant. Ergo Infallibilis affirmatur Romanus Epiſcopus; profectò enim Tribunal aliquod non obnoxium Errori ſupereſſe debet

in

Digitized by Google

in Orbe Terrarum. *num.* 71.

7 Exclamat Synodus Chalcedonenſis poſt auditam Leonis Epiſtolam: *Petrus per Leonem ita locutus eſt. Apoſtoli ita docuerunt.* Ergo a Leonis calamo credunt exarata fuiſſe illa, quæ illi e cœlo ſuggeſſerit Petrus, univerſumque cum ſuo Principe Apoſtolorum Collegium. Hæc autem affirmantes Antiſtites, niſi Leonis Epiſtolæ tribuerent Infallibilitatem, a Cœlo ſe poſſe decipi formidarent. Sed hæc ſuſpicio procul fuit ab eorum Sapientia. Ergo Infallibilem Leonem cenſuerunt, quem Petro indicant ſucceſſiſſe, eique non minus, quàm Petro, Chriſtum a Patre Divino exoraſſe certam Fidei Conſtantiam, dum Eccleſiam edoceret. *n.* 130.

8 Pontificii Legati damnantes in Concilio Chalcedonenſi Dioſcorum: *Leo*, inquiunt, *per Nos, & per præſentem S. Synodum, unà cum ter Beatiſſimo, & omni laude digno Beato Petro Apoſtolo, qui eſt Petra, & Crepido Catholicæ Eccleſiæ, & Rectæ Fidei Fundamentum, nudavit eum tam Epiſcopatus dignitate &c.* Ergo ſupponunt, a Chriſto in Petro natam Infallibilitatem Pontificiam in damnando Dioſcoro. *num.* 165. 166. & 167.

9 Anatolius Præſul Conſtantinopolis confirmat omnia Legatorum dicta, *Apoſtolicæ Sedi per omnia ſapiens.* Ergo ipſe quoque præſumit, certiſſimam eſſe Leonis Fidem: quo pacto Infallibilis erat Doctrina Petri, quem Chriſtus elegerat in Rectæ Fidei Fundamentum. *num.* 167.

10 S. Leo Cenſuram ferens de SENSU Eutychetis Infallibilem ſe dicit in eo damnando, atque hoc oriri ex Inſtitutione Divina in S. Petro: *Quæ* DIABOLICORUM SENSUUM *prodigioſa commenta ſancta nunc Synodus Humilitatis noſtræ ſcriptis, Auctoritate Domini mei Beatiſſimi Petri Apoſtoli, & merito roboratis, religioſa unanimitate conſentiens &c. num.* 180.

11 Synodus Chalcedonenſis loquens de ſe ipſa adhærente Magiſtro ſuo Leoni celebrat ejus Epiſtolam ad Flavianum, ut *Magni illius Petri Confeſſioni congruentem, & communem quandam Columnam exiſtentem adverſus perverſè ſentientes.* Sed conſpiratio illa cum Petri Confeſſione revocat in memoriam, quod Leo eſſet ejuſdem Petri Succeſſor, & æquè immunis ab errandi, aut decipiendi periculo. *num.* 225. & 227.

12 Concilium ſtatim deinde utitur in explicanda Fide verbis Leonis tanquam Infallibilis ſui Magiſtri. *num.* 228.

13 Marciano Imperatori ſcribens Chalcedonenſe Concilium ait: *Concilii hujus a Vobis congregati prædicationem Petri Sedis Auctoritate roborantes.* Ergo Infallibilem putat Auctoritatem Leonis, perinde ac illam Petri, attributam a Chriſto Domino, cum ipſi Concilio certiſſimum robur adiiceret. *num.* 306.

14 In Relatione a Concilio miſſa ad Leonem dicitur, ab illo conſervatam fuiſſe Fidem, & adductam ſupra ipſam Synodum ab Interprete S. Petri: *Venientem uſque ad nos Ipſe ſervaſti, vocis B. Petri omnibus conſtitutus Interpres, ejus Fidei Beatificationem ſuper omnes adducens.* Ergo Fidem Divinam ſervaſſe dicitur Leo, & ſuper alios adduxiſſe, veluti certus Veritatis Magiſter: & Succeſſor dicitur, ſicut Interpres, S. Petri, æquè Infallibilis in declaranda Fide, ac Petrus eſſet. *num.* 308.

15 S. Leo ſcribens Maximo Patriarchæ Antiocheno docet, a Petra Fidei reprobari utramque Impietatem Eutychetis, atque Neſtorii: *Catholicæ Fidei Petra, cujus Cognomen B. Apoſtolus Petrus ſumpſit a Domino, nullum recipit ab utraque Impietate veſtigium.* Ergo innuit, a Chriſto in Petro, cui dixit: *Tu es Petrus &c.* oriri ſuam Infallibilitatem. *num.* 351.

16 Idem in literis ad Leonem Auguſtum ſcribit: *Cum ergo Univerſalis Eccleſia per illius Principalis Petræ ædificationem facta ſit Petra, & Primus Apoſtolorum Beatiſſimus Petrus voce Domini dicentis audierit: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: quis eſt, niſi Antichriſtus, aut Diabolus, qui pulſare audeat inexpugnabilem Firmitatem?* Ergo Infallibilitas Pontificia ex hoc Evangelii loco adeo manifeſtè infertur, Teſte Leone, ut ſolus Antichriſtus, aut Diabolus eam poſſit negare. *n.* 365. & 366.

17 Petrum Leo ſubnectit Concilio Chalcedonenſi, de quo immediatè ante loquutus fuerat. Ergo innuit, a Chriſto in Petro fluere Infallibilitatem Conciliorum, & ab his tantummodo publicandam eſſe Fidem Pontificis Maximis, quando hic eam explicat, antequam fiant ipſa Concilia, ut præſtiterat Leo. *num.* 365.

18 Idem Leo, poſt celebratam Infallibilem Petri Fidem, appellat *Vaſa Iræ* Timotheum Ælurum, & alios, qui contradicere audent Succeſſoribus Petri declarantibus Fidem. Ergo hanc Declarationem præſupponit exemptam cuilibet periculo erroris. *num.* 366.

Digitized by Google

CAPUT II.

Notorietas ejuſdem Pontificiæ Infallibilitatis patens a Titulis Sancto Leoni tributis.

19 PAſchaſinus Legatus in Concilio Chalcedonenſi appellat Apoſtolatum Munus Pontificium exercitum a S.Leone: *Præcipere dignatus eſt ejus Apoſtolatus* &c. Ergo innuit, vigere in Romana Cathedra indubitabile Fidei Magiſterium, quod ipſi olim Apoſtoli exercuerunt. *num.*95.

20 Nullus contra hoc dictum, ac ne ipſe quidem Dioſcorus, auſus eſt loqui. Silentio igitur ſuo comprobaverunt omnes Pontificium Apoſtolatum, cui nectitur Infallibilitas in explicanda Fide. *num.* 96.

21 Legati affirmant, Leonem eſſe *Catholicum Papam*. Ergo ſupponunt illi adeſſe Infallibilitatem in docendo; quis enim ſuſpicetur, Eccleſiam decipi poſſe a Catholico Eccleſiæ Magiſtro? *num.*145.

22 Patrum nemo reclamat contra hujuſmodi Appellationem. Igitur omnes implicitè fatentur vim, quæ illi ſuberat. *n.* 145.

23 Dioſcori Accuſatores vocant Leonem *Univerſalem Papam*, & nemo reclamat. Ergo implicitè aſſentiuntur omnes Pontificiæ ab Erroribus Immunitati. *num.*151. & 152.

24 Idem titulus *Univerſalis Eccleſiæ Papæ* tribuitur Leoni ab Apoſtolicis Nuntiis nemine reclamante. Ergo emphaſis in eo latens nulli diſplicuit. *num.* 176.

25 Coram Marciano Imperatore iterum Leo in Concilio dicitur *Univerſalis Eccleſiæ Papa*: atque adeo nemo conqueritur, ut potius Concilium plaudat Auguſto, qui æquè Infallibilem a ſe credi Leonem oſtenderat, ac Nicænum Concilium. Ergo pariter plaudunt implicitè Pontificiæ Infallibilitati. *num.*231.232.& 233.

26 Allocutio Concilii Chalcedonenſis ad Marcianum Imperatorem vocat Leonem *Impenetrabilem cuilibet Errori*. Ergo illum apertiſſimè dicit Infallibilem. *num.* 299.

27 Synodus gloriatur, uſam ſe fuiſſe Leone Magiſtro. *Unde nobis Impenetrabilem in omni Errore Propugnatorem Deus providit*. Ergo Errori ſemper exemptum præſumit eſſe; gloriari enim non poſſet, a ſe fuiſſe adhibitum Præceptorem deceptioni ſubjectum. Præterea indicat Synodus, nihil aliud a ſe præſtitum eſſe, quàm ut traditam a Leone doctrinam publicaret; ideoque Infallibilis cenſeri non poſſet Synodus ipſa, niſi talis etiam eſſet Leo. *num.*299.

28 Ait Synodus præparatum ſibi divinitus fuiſſe Leonem ad Victoriam de Hæreſi referendam. *Deus Romanæ Eccleſiæ Papam ad Victoriam præparavit, doctrinis eum per omnia veritatis accingens*. Hæc autem loquendi forma oſtendit, non eum ſolummodo habitum fuiſſe a Concilio Leonem, qui ſemel non decepiſſet, ſed etiam eum, qui decipere nunquam poſſet Eccleſiam. *num.* 299.

29 Comparatur a Concilio Leo cum S. Petro. *Ut quemadmodum fervens affectu Petrus, & hic affectu ferventiore decertans omnem ad Deum ſenſum, intelligentiamque perducat*. Ergo ſicuti errare neſcius profectò erat Petrus, ita implicitè cenſetur Leo, qui præſumitur ſucceſſiſſe Petro in Eccleſiæ Regimine: atque indicatur, neque ipſius Leonis Fidem poſſe deficere juxta Promiſſionem Divinam, qua Privilegium hoc nunquam errandi, dum Eccleſiam edocerent, omnibus in Petro ejus Cathedram inſeſſuris deſponderat Inſtaurator humanæ ſalutis. *num.* 301.

30 Synodus æquè Infallibilem putat Damaſum, ac Sacra Concilia, Nicænum, & Conſtantinopolitanum Primum, cum recenſeat Definitiones illarum Synodorum, & Damaſi Pontificis Maximi, urgentes æquè Chriſti Sectatores ad fidem illis adhibendam. *num.*304.

31 Cum Catholicam Fidem Synodus explicuiſſet, appellat Leonem Auctorem tanti boni: *Tanquam tanti boni Duce, & Auctore Te ad communem utilitatem utentes, Eccleſiæ Filiis hæreditatem, ſortemque Veritatis oſtendimus*. Sed in Veritate oſtendenda Filiis Eccleſiæ profectò ſe Infallibilem Synodus eſſe credebat. Ergo multò magis Infallibilem credebat Leonem, quem appellat *Ducem*, & *Auctorem tanti boni*, ſcilicet explicatæ Fidei. Ipſi enim Chalcedonenſes Epiſcopi, Diſcipuli Romanæ Cathedræ obſequentiſſimi ſolummodo Eccleſiæ Filiis hæreditatem, ſortemque Veritatis oſtenderant Pontificiæ Epiſtolæ ſubſcribendo. *num.* 309.

32 Patres conciliariter congregati appellant ſe Membra Romani Capitis: *Quibus tu quidem, ſicut Membris Caput, præeras*. Sed ſi Membra ſunt Errori exempta, multò magis eſt Caput, quod eſt Regia Doctrinæ. *num.* 310.

33 Synodus ait, eum eſſe Leonem, a quo poteſtatem evellendi Hæreſes, & plantandi Fidem Catholicam Concilium ipſum acceperit. *Et tanquam evellendi, & plantandi Poteſtatem ſumentes*. Sed in evellenda Hæreſi, ac Vera Fide plantanda certè credebant Patres immune Concilium ab Erroris periculo. Ergo a fortiori talem credebant Leonem, a quo gloriantur in ſe derivatam fuiſſe

Po-

Poteſtatem evellendi Hæreſes, & Veram Fidem plantandi. *num.*316.

34 Iterum Leonem Chalcedonenſes Epiſcopi ſuum Caput appellant: *Et ſicut Nos Capiti in bonis adjecimus conſonantiam.* Ergo Præſules omnes Concilium conſtituentes præſumuntur obſequuti Leoni, tanquam Capiti, abſque facultate contradicendi in declaranda Fide; quo pacto in humano Corpore cæteræ partes nequeunt Capiti diſſentire. Ergo abſque dubio Infallibile putant ipſum Caput, ne Univerſam Synodum ſuſpicentur Errori ſubjectam. *num.*323.

CAPUT III.

Multiplex Factum Concilii obtemperantis Sancto Leoni jubenti condemnationem Hæreſum oſtendit, notoriè præſumptum fuiſſe, quod idem Leo errare non poſſet in Fide explicanda.

35 SAnctus Leo, ut Infallibilis, vetat Concilio audaciam diſputandi. *Unde, Fratres chariſſimi, rejectâ penitus audaciâ diſputandi contra Fidem divinitus inſpiratam, vana errantium Infidelitas conquieſcat: nec liceat defendi, quod non licet credi.* Ergo ſe non obnoxium deceptioni ſupponit. *n.*86.

36 Fidei Regulam eſſe ſtatuit ſuam ad Flavianum Epiſtolam. *Cum ſecundùm Evangelicas Auctoritates, ſecundùm Propheticas Voces, Apoſtolicamque Doctrinam pleniſſimè, & lucidiſſimè per literas, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quæ ſit de Sacramento Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti pia, & ſyncera Confeſſio.* Sua ergo Epiſtola eſt illa, contra quam, tanquam Infallibilem, diſputari prohibetur in Synodo, eique pugnantes Opiniones defendi. Neque quidquam relevat, quod doctrina Leonis hauriretur ex Evangelicis, Propheticis, & Apoſtolicis Auctoritatibus, perinde ac ſi tota Infallibilitas in eas refundenda eſſet, quia etiam Concilia Generalia, quæ certè ab Adverſariis putantur Infallibilia, ſequuntur Evangelicas, Propheticas, & Apoſtolicas Auctoritates: ac ſæpe damnant Hæreſes jam ante damnatas, eò quòd inventæ fuerint contrariæ Auctoritatibus Evangelii, Prophetarum, & Apoſtolorum. Ita Concilium Tridentinum iterum condemnavit antiquas Hæreſes jam ante damnatas ab aliis Conciliis. Et nihilominus eò quòd ſe in iiſdem Hæreſibus damnandis Infallibilem præſumat Synodus Tridentina, Infallibilis cenſetur ab Eccleſia. Ergo nihil enervatur vis Argumenti a Nobis allati, eò quòd Veritas a Leone declarata inniteretur Evangelicis, Propheticis, & Apoſtolicis Auctoritatibus. *num.*87.

37 Ut Infallibilis Leo jubet iterum damnari Neſtorium: *In Neſtorium ſpecialiter ſtatuta permaneant*; perinde ac juſſerat damnari Eutychetem. Ergo nihil Concilio ſuperfuit quò ad Fidem declarandam, niſi ut Pontificiam Sententiam, neceſſariò Erroris immunem, per Orbem Terræ latè vulgaret. *num.* 89.

38 Licet Secunda Synodus Epheſina, quæ degeneravit in Latrocinalem, & Hæreticam, non obtemperaverit Leoni, tamen hoc præſtitit obſequentiſſimè Sacroſanctum Concilium Chalcedonenſe. Ergo faſſum fuit re ipſa Leonem eſſe Infallibilem Fidei Præceptorem, & Interpretem. *num.* 90.

39 Profitetur in Chalcedonenſi Cœtu Paſchaſinus Legatus non poſſe diſcedi a Præcepto Leonis, jubentis excludi a ſubſelliis Judicum Dioſcorum, tanquam Hæreticum. *Contra Præcepta Beatiſſimi, atque Apoſtolici Papæ Gubernatoris Sedis Apoſtolicæ venire non poſſumus.* Ergo Infallibilis præſumitur Leo in Cenſura, quam tulerat de Opinione Dioſcori, tanquam infecta Eutychetis Hæreſi. *num.*98.

40 Catholica cenſetur Flaviani Fides, quia conformis erat Pontificiæ. *Sanctè, & integrè, & Catholicè Fidem expoſuit beatæ memoriæ Flavianus, ſiquidem ejus Fidei Expoſitio cum Beatiſſimi, atque Apoſtolici Viri Papæ Romani Epiſtola concordat.* Unicum ergo Argumentum, ex quo infertur, Sanctam, integram, & Catholicam eſſe Flaviani Fidem, eruitur ex eo, quod conveniat cum Epiſtola Pontificia. Et particula illa, *Siquidem*, manifeſtè habet vim *Cauſalis*. Summus igitur Pontifex cenſetur Infallibili pollens Auctoritate in Vera Fide explicanda; cæteroqui enim nullum robur ineſſet huic ratiocinationi: *Flaviani Fides Fidei Pontificiæ cohæret. Ergo Catholica eſt. num.*102.

41 Nullus Patrum reclamat contra hoc Argumentum Apoſtolici Legati. Ergo efficax omnibus videtur, atque ſuo ſilentio aſſentiuntur omnes Pontificiæ Infallibilitati, cui paulò poſt etiam apertè plauſerunt. *num.*103.

42 Lucentius alter Legatus affert idem Argumentum Veræ Fidei Flaviani, quia Pontificiæ conſona erat. *Quoniam ſ.m. Flaviani Fides concordat cum Apoſtolica Sede &c.* Ergo rurſus Leonis Fides præſumitur prorſus exempta ab errandi diſcrimine. *num.*104.

43 Idem ait, conſtare infectos Hæreſi eſſe Condemnatores Flaviani contra Pontificiam

Digitized by Google

ciam Declarationem, & neceſſe eſſe a Synodo confirmari Sententiam Leonis de Flaviano. *Sententiam, qua illum ab Hæreticis conſtat eſſe damnatum, ipſam in eos retorqueri a S. Synodo neceſſe eſt.* Sed neceſſariò Hæretici cenſendi non eſſent Flaviani Condemnatores, niſi omnino certa prodire ſemper deberet a Vaticani Oraculo Declaratio: neque hanc ſequi urgeretur Synodus, niſi Pontifex Maximus ſemper eſſet errare impoſ. Ergo talis præſumitur. *num.*104.

44 Nullus Præſulum conqueſtus eſt, quod hujuſmodi *Neceſſitas* ampliſſimæ Synodo imponeretur, quæ ſi adigebatur ad infligendam Hæreſis notam Patribus Epheſinis, qui faverant Eutycheti, & ad comprobandam, ut Catholicam, Flaviani Fidem Pontificiæ Declarationi adhærentem: igitur in dubium revocare non poterat Chalcedonenſe Concilinm Veritates Romæ definitas, ſed illas tantummodo, tanquam Infallibiles, tenebatur ſua Confirmatione, quaſi tuba multiplici, latè vulgare, *num.*105.

45 Cum Seculares Judices peterent a Concilio Explicationem Fidei, *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Neque tentamus, neque audemus exponere*. Si quidpiam addere Pontificiæ Definitioni perhorruerunt, ipſam enimverò conteſtati ſunt certiſſimam eſſe rectè credendi Normam. Si qualemcumque novam Expoſitionem averſati ſunt, eximium deinde honorem habuerunt Literis Leonis, quibus, velut e Cælo miſſo Veritatis Oraculo, dedere plauſum. *num.* 115.

46 Profeſſi Patres illico ſunt, a Leone prodire poſſe Fidei Explicationem, quam vetitam eſſe Univerſali Synodo inclamaverant. Ergo Leonem ab errandi periculo longius, quàm ipſa Synodus eſſet, remotum quodammodo affirmaverunt. *num.*116.

47 Cecropius Epiſcopus Sebaſtopolitanus dixit: *Emerſerunt, quæ ad Eutychem pertinebant, & ſuper iis Forma data eſt a Sanctiſſimo Archiepiſcopo Romanæ Urbis, & ſequimur eam, & Epiſtolæ omnes ſubſcripſimus.* Ergo Epiſtolam Leonis præſupponit eam eſſe Fidei Formam, cui falſitas nulla ſubeſſe poſſit. *num.*116. & 118.

48 Poſt hæc Cecropii verba *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Hæc omnes dicimus. Sufficiunt, quæ expoſita ſunt. Alteram Expoſitionem non licet fieri*. At cur non liceret, ſi Pontificia Fidei Forma, tanquam non Infallibilis, refingi, ac reformari poſſet? Ergo prorſus Infallibilis eſſe cenſetur. *num.* 116. & 118.

49 Florentius Epiſcopus Sardium dixit: *Quamvis in noſtra perſona, qui Epiſtolæ Sanctiſſimi Leonis ſubſcripſimus, non indigeamus correctione*. Iterum ergo Romanum Catholicæ Veritatis Magiſterium obſequenter acceptum cenſetur comprobatio certiſſima Veræ Fidei eorum mentes illuſtrantis, qui ſe Apoſtolicæ diſcipulos Cathedræ profitentur. At certum hujuſmodi Argumentum nequaquam eſſet, ſi Apoſtolica eadem Cathedra errare docendo poſſet. *num.*119.

50 Concilium æquiparat Epiſtolam Leonis Niceno Concilio Infallibili; nam *Cecropius Reverendiſſimus Epiſcopus Sebaſtopolitanæ Civitatis dixit &c. Precamur, ut ea, quæ Sanctorum Patrum trecentorum decem & octo ſunt, & quæ Sanctiſſimi Leonis, recitentur*. Quemadmodum igitur a Sanctis Nicænis Patribus certas proponi putabat Cecropius credendi Leges, ita & ab Epiſtola Leonis Pontificis Maximi. Cumque nemo fuerit refragatus, talem ſaltem in uno Leone confiteri viſa eſt Synodus, ac in Sanctis Trecentis decem, & octo Patribus Auctoritatem. In illis autem Supremam, & nulli ſubjectam Errori, Catholica ſemper Eccleſia venerata fuit. *num.*120.

51 Non aliter admittitur a Concilio Chalcedonenſi Nicænum, quàm juxta Interpretationem Leonis; poſt lectum enim Nicænum Symbolum, *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Hæc Catholicorum Fides &c. Omnes ita credimus. Papa Leo ſic credit. Cyrillus ita credidit, Papa Leo ita interpretatus eſt*. Ergo Leonis Interpretatio, & Maximi Pontificis Fides, eſt certa Chriſtiano Populo credendi Norma: Et neque ipſi Sacroſancto, & Evangeliis comparato Nicæno Concilio aliter præſtandus aſſenſus eſt, quàm juxta Pontificiam Interpretationem. *n.* 121.

52 Non Synodali, ſed Pontificiæ, Interpretationi ſtandum docet Concilium Chalcedonenſe, reiiciens illam, quam Nicæno dederat Secunda Generalis Synodus Epheſina, & amplectens contrariam Leonis. Ergo hic cenſetur Erroris incapax. *num.*121.

53 Ipſam quoque Primam Sacram Synodum Epheſinam confirmat Chalcedonenſis ex Auctoritate Leonis; poſt lectas enim Epiſtolas S. Cyrilli, adoptatas in ſuas a Primo Epheſino Concilio, *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Omnes ſic credimus. Papa Leo ſic credit &c. Leo Archiepiſcopus ita ſapit, ita credit, ita ſcripſit*. Igitur oſtendunt Patres, non adeo ſe impelli ad Epiſtolas illas, adeoque ad Sanctam Synodum Epheſinam ſuſcipiendam, ab earum Epiſtolarum, ipſiuſque Synodi, ſicut a Leonis, Auctoritate. Ipſa ergo Synodo remotiorem ab Erroris periculo credit Pontificem Maximum. *num.* 122.

54 Fert Synodus Excommunicationem

in

in eos, qui non probant Interpretationem Leonis. *Papa Leo ſic credit. Anathema ei, qui partit, & ei, qui dividit*: ſcilicet unam Perſonam Chriſti Domini ſcindit in geminas. Ergo ita Infallibilis præſumitur Leo, ut qui hanc ejus dotem inficiantur, ab Eccleſiæ Corpore ſcindendi ſint. *n.* 122. & 123.

55 Leo, ut Infallibilis, jubet Concilio Condemnationem Eutychetis, cujus Opiniones declarat Hæreticas. *Cum tam impiè duarum Naturarum ante Incarnationem Unigenitus Dei Filius fuiſſe dicatur, quàm nefariè, poſtquam Verbum Caro factum eſt, Natura in eo ſingularis aſſeritur*. Cum duplex Eutychetis Error *impius* abſque ulla hæſitatione a Pontifice dicatur, atque *nefarius*, nullum profectò Synodo relinquitur Arbitrium de illis conferendi certamen, tanquam jam damnatis a certiſſimo Veritatis Magiſtro. *num.* 126.

56 Reſervat quoque Leo ſuis Legatis Sententiam ferendam quò ad perſonam Eutychetis: *Ad omnem verò Cauſam, piè ac fideliter exequendam, Fratres Noſtros &c. ut is, qui erraverat, damnata ſenſus ſui pravitate, ſalvetur*. Ergo magis confirmat ſuam Immunitatem ab Errore, neque ullatenus Concilium huic Aſſertioni repugnat. *num.* 127. & 128.

57 Concilium plaudit Leonis Epiſtolæ non minus, quàm ante plauſiſſet Nicænæ, & Epheſinæ Fidei: *Poſt lectionem prædictæ Epiſtolæ Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Hæc Patrum Fides, hæc Apoſtolorum Fides. Omnes ita credimus. Orthodoxi ita credunt*. Ergo ab unius Leonis Atteſtatione ſatis evinci credunt, Paternam & Apoſtolicam eſſe Fidem, quæ in Pontificiis Epiſtolis continebatur: ac talem eſſe, quam Catholici omnes amplectantur, non minùs, quàm Nicænam, & Epheſinam, cui potius Auctoritatis incrementum addiderant ex ipſius Leonis Suffragio. *num.* 129.

58 Communione ſacrorum prohibentur a Synodo, qui audeant Leonis Epiſtolæ contradicere. *Anathema ei, qui ita non credit*. Ergo Catholici omnea tenentur ad confeſtandam Pontificiam Fidem, ut falli neſciam. *num.* 129.

59 In Cælo ſcripta a S. Petro creditur a Synodo Epiſtola Leonis: *Petrus per Leonem ita loquutus eſt*. Ergo ſicut Cæleſtia Oracula, ita Infallibilis erat Epiſtola Pontificia. *num.* 130.

60 Exclamant Antiſtitea poſt auditas Leonis Literas: *Hæc in Epheſo lecta non ſunt. Hæc Dioſcorus occultavit*. Cauſam igitur Hæreſis in Epheſino Latrocinio confirmatæ refundunt in ſuppreſſam doloſè Pontificiam Epiſtolam. Sed illâ deſtituti Præſules ſcrutari poterant Sacras Literas, Sanctos Patres, & alia eò uſque celebrata Concilia. Hoc tamen non ſufficiebat e Sententia Synodi Chalcedonenſis, quæ videtur ſupponere, permitti a Deo in præceps labi Concilia, ſi detrectent erudiri a certiſſimo, qui Eccleſiæ præſidet, Religionis Magiſtro. *num.* 132.

61 De Infallibilitate Pontificiæ Doctrinæ non dubitavit tota Synodus, ſed pauci Hæretici, qui ſuſpicati quoque ſunt, ſe decipi ab ipſo Concilio. Nec dici poteſt, Examen fuiſſe inſtitutum de Leonis Epiſtola, ſed ſolùm initam viam ad confundendos Hæreticos: eo pacto, quo claudi conſuevit os negantibus Evangelicam Veritatem. Ad eoſdem Hæreticos edocendos eliguntur, qui ſubſcripſeraut Leonis Epiſtolæ. Ergo ad Lydium Epiſtolæ Pontificiæ, tanquam errare inſciæ, lapidem explorandum erat purum ſynceræ doctrinæ aurum. *n.* 134. & *ſeq.* & *num.* 139.

62 Iterum Synodus affirmat, ruinam Epheſini Conciliabuli ortam fuiſſe ex non lecta Leonis Epiſtola. *Qua non lecta ſcandalum, & læſionem ſanctæ Eccleſiæ per totum Orbem Terræ pertulerunt*. Et rurſus ad Imperatores ſcribens de hoc immani Dioſcori crimine conqueritur: *Epiſtolam &c. recitari prohibuit Reverendiſſimis Epiſcopis*. Ergo Leo exiſtimatus fuit a Chalcedonenſi Concilio certus Synodorum Præceptor. *n.* 163. & 170.

63 Magnum quoque ſcelus Dioſcori videtur Synodo, quod abſolviſſet Eutychetem, *Cum Sanctiſſimus, & Beatiſſimus magnæ Romæ Archiepiſcopus Leo &c. ſceleſtam Eutychis in ſcriptis damnaſſet perfidiam*. Ergo ad Leonem, ut ad Erroris expertem Religionis Magiſtrum, pertinet Veræ Fidei Declaratio. *num.* 172.

64 Demonſtratur evidenter diſcuſſam non fuiſſe Leonis Epiſtolam in Actione Quarta, quaſi eam, quæ Errori ſubiici potuiſſet; imò cum Legati retuliſſent Auctoritatem Conciliorum, Nicæni, Conſtantinopolitani, & Epheſini Primi, ac Sancti Leonis Papæ, ac æquè Infallibilem cenſuiſſent Pontificiam, & Conciliarem, negantes quidquam addi Leonis Epiſtolæ poſſe, vel ex illa minui, *Epiſcopi clamaverunt: Omnes ſic credimus, ſic baptizati ſumus, ſic baptizamus, ſic credidimus, ſic credimus*. Ergo ſi eodem in pretio habebant Patres, & perinde certam, ac Divinam exiſtimabant Leonis Doctrinam, ac trium Generalium Conciliorum, Examen de illa non poterant inſtituere, tanquam de obnoxia deceptioni. *num.* 174. & 175. 176. 177. & 178.

CA-

CAPUT IV.

Alia Pronuntiata, vel Facta Concilii obedientis Leoni, tanquam certo Veritatis Doctori, demonſtrant, præſuppoſitam fuiſse veluti Notoriam Pontificiam Infallibilitatem.

65 PAſchaſinus Legatus in Concilio ait: *Manifeſtum eſt, nec poterit dubitari, unam Fidem Beatiſſimi Papæ Sedis Apoſtolicæ Rectoris Leonis cum Trecentorum decem & octo apud Nicæam Patrum concordare.* Ergo affirmans *dubitari non poſſe*, an conformis Veræ Fidei a Conciliis definitæ, ideoque Vera, eſſet Epiſtolæ Pontificiæ Doctrina, Pontificiam Infallibilitatem affirmavit. *num.* 180.

66 Patrum nullus inficiatus eſt illud, quod Legatus edixerat, imò idem omnes ampliſſimè confirmarunt, deque prius adjecta Leonis Epiſtolæ ſubſcriptione ſua gloriati ſunt omnes, præter Illyricianos, & Palæſtinos tunc Hæreticos. Igitur omnes, qui conflabant Catholicum Concilium, eidem Pontificiæ Infallibilitati aſſenſum tribuerunt. *num.* 180.

67 Legati minantur, cogendam aliam Synodum abrupta Chalcedonenſi, niſi tota Doctrina Epiſtolæ Pontificiæ inſeratur Definitioni Fidei. Ergo eadem Doctrina cenſetur ab ipſis penitus diſtans ab Erroris periculo; cæteroqui enim adigi nequiret Synodus ad eam penitus ſuſcipiendam. *n.* 210.

68 Nullus e Synodo hiſcere audet contra hujuſmodi minas. Ergo aſſentiri videntur omnes Pontificiæ infallibilitati in Fidei Arcanis explicandis. *num.* 211.

69 Concilium in ipſo æſtu certaminis cum Legatis putat, ſe non diſcedere a Leonis Fide: *Epiſtolam Definitio firmavit. Archiepiſcopus Leo, ut credimus, ſic credit.* Idcirco igitur opinabantur Antiſtites, nequaquam ſe adſtringi ad immutandam, aut augendam Definitionem, quia in ea ſatis explicata fuiſſe putabant illa, quæ Leonis Epiſtola errare inſcia complectebatur. *n.* 216.

70 Maximus Patriarcha Antiochenus profitetur, Conformitatem cum Leone eſſe Argumentum certiſſimum Veræ Fidei, ac totum Concilium vocat *Catholicum* Juvenalem Hieroſolymitanum, quia facto ipſo comprobat Neceſſitatem conformandi ſe Fidei Leonis. Ergo hujus Infallibilitas Notoriè præſumpta fuit. *num.* 106.

71 Julianus Hypepenſis Epiſcopus, cum damnandus eſſet Dioſcorus, alloquitur Legatos tanquam *Tenentes Auctoritatem Sanctiſſimi Leonis*, & communi omnium nominè petit Sententiam ab illis ferri in Hęreticum. Ergo ſupponit Infallibiles illos eſſe in eadem ferenda Pontificio nomine. *num.* 161.

72 Eidem aſſentiuntur omnes: *Tota Univerſalis Synodus Concors efficitur Veſtræ Sanctitatis Sententiæ.* Ergo impotem falli Leonem a ſuis Legatis repræſentatum fatentur omnes. *num.* 161.

73 Cum quæſtio eſſet de quinque Epiſcoporum Fide Synodus exclamavit: *Patres ad Synodum: qui ſubſcripſerunt, ad Synodum. Ipſi etiam quinque Epiſcopi Fidei ſubſcripſerunt. Sicut Leo, ſic ſapiunt.* Ergo Synodus cenſet, certum Argumentum Rectæ ipſorum Fidei eſſe obſequium ab ipſis præſtitum Apoſtolicæ Cathedræ, quam non minus errandi periculi immunem credidit, quàm Nicænum, & alia Concilia, quæ inconcuſſam Auctoritatem acceperunt ab ipſius Romanæ Sedis Confirmatione. *num.* 185.

74 Iterum Synodus clamat: *Qui ſubſcripſerunt Epiſtolæ Leonis, ad Synodum.* Ergo Pontificia Infallibilitas iterum præſumitur. *num.* 186.

75 Non quærit Concilium, an quinque Epiſcopi ſe conforment Fidei Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, ac Epheſinæ, ſed ſolùm perpendit Subſcriptionem ab ipſis adjectam Leonis Epiſtolæ. Ergo ineluctabile Signum Catholicę profeſſionis a Chalcedonenſi Concilio exiſtimatur animus obſequens Romano Fidei Magiſtro. Omnes quippe Hæreſes a Synodis profligatas profectò deteſtantur illi, qui ſe ſubiiciunt Apoſtolicæ Cathedræ Magiſterio. Quod ita cenſerent Chalcedonenſes Patres liquet ex eo, quod unicam cum Leone Conformitatem libraverint ad Rectam Fidem Juvenali, & ejus ſociis vindicandam. Non ſolùm igitur æquè certam habuerunt Pontificiam, & Synodalem Auctoritatem, ſed plus tribuiſſe videntur Pontifici Maximo, quàm Generalibus eò uſque celebratis Conciliis: ſimulque eidem Sacrorum Principi aſſeruiſſe Jus Veræ Fidei abſque ullo Erroris diſcrimine declarandæ. *num.* 186.

76 Ægyptii Epiſcopi Hæretici fruſtra allegant Marcum, Athanaſium, & Nicænam Synodum; omnes enim exclamant, ipſos cenſendos Hæreticos, niſi Epiſtolæ Leonis ſubſcribant. *Qui non ei ſubſcribit, Hæreticus eſt.* Ergo Romanus Pontifex eſt certiſſimus Marci, Athanaſii, ac Nicænæ Synodi Interpres. *num.* 187. & 188.

77 Synodus fatetur, nihil aliud a ſe geſtum fuiſſe pro Catholica Fide propugnanda, niſi quod ſubſcripſerit Epiſtolæ, in qua

Con-

Conciliorum, Univerſæque Præceptor Eccleſiæ Leo ſynceram Evangelii doctrinam declaraverat. Ergo ſicuti ſeipſam Synodus certam in docendo præſumebat, ita ipſum quoque Leonem Præceptorem ſuum. *n.*189.

78 Præſulibus Ægyptiis non edixit Synodus, ut ipſiuſmet Synodi Fidem explanantis Auctoritati ſeſe ſubiicerent, ſed præcepit ſolùm venerationem Epiſtolæ a Pontifice Maximo exaratæ. Illi ergo Certitudinem vindicat Veritatis Errori nulli obnoxiæ. *num.*189.

79 Jam Excommunicatos per latam ſententiam declarat Synodus eos, qui prodeuntem a Vaticano Definitionem credendarum rerum minimè venerarentur. *Aut conſentiant Epiſtolæ, aut Regularem Damnationem ſuſcipiant, & cognoſcant, quia Excommunicati ſunt.* Sed hæc Regula, ideſt Eccleſiaſticus Canon, non viguiſſet in Antiqua Eccleſia, niſi præſumptum fuiſſet, errare non poſſe Romanum Pontificem in Fide explananda. *num.*190. & 191.

80 Ægyptii damnaverant Hæreſes omnes, Eutychetem, Dioſcorum: Profeſſi fuerant Fidem Conciliorum Nicæni, Conſtantinopolitani, & Epheſini Primi: Neque negabant, Veram eſſe doctrinam Epiſtolæ Pontificiæ, imò illam a ſe ſubſcribendam poſt novi Alexandrini Præſulis Electionem ſpondebant, jamque illius Veritati teſtimonium implicitè tulerant Condemnatione Eutychetis, & ſociorum, qui fuerant a Leone damnati. *Et omnes* tamen *Epiſcopi clamaverunt: Iſti Hæretici ſunt.* Ergo hujus Exclamationis cauſa non fuit alia, niſi quia pronis ultro animis ad Subſcriptionem Pontificiæ Epiſtolæ non ferebantur; nullius enim alterius Epiſcopi aſſenſus expectandus eſt ad præſtandum obſequium Epiſcoporum omnium Principi: Neque Pontificia Doctrina ex Cathedra Petri prolata ſuſcipienda eſt, quia vera docet, ſed vera credi debet eo ipſo, quod ſit Pontificia. *num.*192. & 193.

81 Concilium petit a Dorotheo: *Subſcribis Epiſtolæ, aut non?* Ac eo negante conceduntur eidem, aliiſque inſanis Monachis induciæ unius Menſis, ut a perfidia reſilirent. Ergo Teſſera Catholicæ Veritatis eſt ſuſceptio Pontificiæ Doctrinæ profectò Infallibilis. *num.* 195.

CAPUT V.

Pontificia Infallibilitas patet ex Confirmatione, aut Improbatione Synodorum, etiam Generalium, prodeunte ab Apoſtolica Sede.

82 SAcrum Concilium Chalcedonenſe roborat Sacram Epheſinam Synodum Primam Pontificia Confirmatione. *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Epiſtolam Definitio firmavit &c. Leo eadem dixit, quæ & Cyrillus. Cæleſtinus, quæ Cyrillus dixit, firmavit. Xyſtus firmavit, quæ Cyrillus dixit.* Sed ea, quæ Cyrillus dixerat, adoptata fuerant tanquam ſua ab ipſo Epheſino Primo Concilio. Ergo ipſius Cyrilli Decretorum, ideſt Epheſini Primi Concilii Definitionum robur Chalcedonenſes Patres amplificant ex Confirmatione Cæleſtini, atque Xyſti, Romanorum Pontificum. Hos ergo Infallibiles eſſe pronuntiant; ut enim oſtendant ineluctabilia eſſe Decreta Epheſina, inculcant Firmitatem, quam ab Apoſtolicæ Cathedræ Confirmatione acceperunt. Ad illam igitur recurrunt, ut ad ultimum, & omnino irrefragabile Tribunal, a quo certius, quàm ab ipſis Conciliis, prodeat Oraculum Veritatis. Niſi hoc ita ſe haberet, hæſiſſent in ipſa Synodo Epheſina exclamantes: *Concilium Epheſinum firmavit, quæ Cyrillus dixit.* At confugiunt ad Romanos Pontifices, a quibus idem Epheſinum Concilium fuit ampliſſimè confirmatum. Ergo illis tribuunt Certitudinem Veritatis non obnoxiæ periculo errandi in edocenda Eccleſia. *num.*217.

83 Ipſum Concilium Chalcedonenſe refundere videtur Certitudinem ſuæ Fidei in Auctoritatem Apoſtolicæ Sedis; cum enim ſuſcepiſſet demonſtrandum Catholicam eſſe Definitionem, quam adornaverat, ultimò reſolvit comprobationem hujus veritatis in Auctoritatem Cæleſtini, atque Xyſti. Ineptum autem, ac futile fuiſſet hoc Argumentum, ſi putaſſet Synodus Cæleſtinum, ac Xyſtum, Errori ſubjectos eſſe. *num.*218.

84 Hinc pariter evincitur, præſumpſiſſe Chalcedonenſes Patres, quod Concilia indigeant Conſenſu Pontificum Maximorum, cum Cyrilli, hoc eſt Epheſinæ Primæ Synodi, Decreta ſtabiliant Confirmatione Cæleſtini, atque Xyſti. Ergo non dubitant de Pontificia Infallibilitate, cum ab ea Synodorum ipſarum Sententia roboretur. *n.*219.

85 Damnatur a Concilio Chalcedonenſi Epheſina Synodus Secunda, eò quòd im-

probata prius fuiſſet a Romano Pontifice. *Si ergo & a Beatiſſima, & Apoſtolico Romanæ Urbis Epiſcopo omnia, quæ ibi geſta ſunt, vana ſunt habita* &c. Huic Legatorum dicto, includenti Cauſam, ob quam reprobanda erant cætera Acta Epheſina, præter Electionem Maximi Antiocheni, *quem poſt hæc Beatiſſimus Epiſcopus*, ſcilicet Romanus, *in propria Communione ſuſcepit*, nullus Patrum reſpondit dicens, non ſufficere Romanam Condemnationem ad illam Synodum reprobandam. Ergo implicitè omnes aſſenſi ſunt Infallibilem eſſe Pontificem Maximum in Synodis illegitimis condemnandis. *num.* 242.

86 Synodus Chalcedonenſis non petit Confirmationem a Leone tanquam ab Epiſcoporum uno, quia jam pro ipſo ejus Legati ſubſcripſerant; ſic enim ſcribit in Relatione ad eumdem: *Hæc ſunt, quæ Tecum, qui ſpiritu præſens eras, & complacere tanquam Fratribus deliberaſti, & qui penè per Tuorum Vicariorum ſapientiam videbaris a nobis, effecimus*. A nullo autem alio Antiſtitum poſtulatum eſt, ſuum ut nomen adiiceret Definitionibus illis, quæ jam ab aliis ipſius ejuſdem nomine fuerant comprobatæ. Ergo cum a Leone Novam flagitabant Patres Confirmationem, non ut ad unum de cæterorum Præſulum numero, ſed ut ad Univerſæ Infallibilem Magiſtrum Eccleſiæ confugiebant. *num.* 317.

87 Ipſa etiam, quæ ſpectabant ad Diſciplinam, & Ordinem Sedium, præſupponunt Patres indigere Pontificia Confirmatione, loquentes enim de Canone augente honorem Præſulis Conſtantinopolitani condito a Synodo, inquiunt: *Scientes, quia & Veſtra Sanctitas addiſcens & probatura, & confirmatura eſt eadem*. Ergo ſi neque his rebus firmitas adeſt, niſi a Leone ſtabiliantur, a fortiori non adeſt Definitionibus Fidei editis a Concilio, abſque Confirmatione Sedis Apoſtolicæ nulli Errori ſubjectæ. *num.* 318.

88 Effectum explicatæ Fidei tribuit Concilium Leoni. *Ut, ſicut Fidei, ſic bonæ Ordinationis Vobis deputetur effectus.* Ergo fatentur Chalcedonenſes Patres, a ſe ſolummodo vulgata fuiſſe per Chriſtianum Orbem illa, quæ ſanciverat Leo Infallibilis Interpres Divinæ Fidei. *num.* 321.

89 Petit Synodus a Leone Confirmationem *Ad eorum, quæ a nobis geſta ſunt, Firmitatem*. Ergo geſtorum rationem reddit Pontifici Maximo, ut ab illius Comprobatione Synodalibus Decretis Firmitas accedat, ideoque fatetur, hac Synodum Superioris ſui Confirmatione indigere, ut inconcuſſa perpetuò maneat. Ergo eadem Confirmatio certè Infallibilis eſt. *num.* 325.

CAPUT VI.

Incommoda Eccleſiæ, quæ ſequerentur, niſi Pontifex Maximus Infallibilis eſſet in declaranda Fide, arguunt, a nullo tunc in dubium revocatam fuiſſe Pontificiam Infallibilitatem.

90 Niſi certa contra Recentes Hæreſes Sententia prodire poſſet ab Apoſtolica Sede, creſcerent Errores in Fide præſtolando Generalia Concilia, quæ difficillimè coaleſcunt, nec frequenter cogi poſſunt ſine maximo ſingularum Eccleſiarum incommodo, a quibus frequenter abeſſe nequeunt Epiſcopi, præſertim quando novæ Hæreſes inſurrexerunt. *Ne diſſenſio, quæ in ſuis initijs abolenda eſt, nutriatur*. Ergo diſſenſiones aboleri poſſunt, ac ſæpe debent, per ſolam Definitionem Pontificis Maximi, proinde Infallibilis. *num.* 6.

91 Sanctus Flavianus Præſul Conſtantinopolis, & Martyr prudenter innuit, per frequentia Concilia *Ubique turbari Eccleſias*, ideoque rogat Leonem, ut Fidem declaret Literis ſuis, quibus confidit omnes adhæſuros tanquam Divinitatis Oraculo. *Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique turbentur Eccleſiæ. num.* 16.

92 Cum frequenter haberi Synodi nequeant, & neceſſariò ſtatim Hæreſes damnandæ ſint, neceſſe fuit, vigere in Eccleſia Certum, perpetuòque apertum Tribunal, a quo poſſint quotidie naſcentes Errores damnari. Id porrò, quo Eccleſia ad Optimum ſui Regimen indigebat, profectò decrevit Sapientiſſimus Deus. *num.* 16.

93 Infallibilis debet eſſe Pontifex Maximus, eò quòd Synodi Univerſales a ſuo Capite ſeparatæ errare poſſint, quemadmodum erravit Secunda Generalis Synodus Epheſina; nam cæteroqui, ſi etiam Pontifex ipſe, veluti Synodi, ſubjectus eſſet Errori, incerta omnia in Eccleſia fluctuarent: cui proinde malè conſultum eſſet a Conditore ſuo. Hoc autem dici ſine inſigni blaſphemia nequit. *num.* 42.

94 Reponi non poteſt, ſatis proſpici Veritati, ſi Pontificia Confirmatio accedat Synodorum Definitionibus; ideoque minimè neceſſariam eſſe Pontificis ejuſdem, ſeorſum a Synodo accepti, Infallibilitatem. Nam ſubiicio, contingere poſſe, ut Concilia cum Antiſtite Summo decertent: in quo eventu niſi certò ſtandum eſſet Romanis Decretis veluti ineluctabilibus, quid præſtari oporteret?

ret? An alias cogere Synodos perinde fortaſſe cum Eccleſiæ Hierarcha pugnaturas, nullo unquam impoſito fine diſſidiis, & Paſtoribus a ſuo ſemper grege procul futuris? Præterea ſi Pontificia Confirmatio Synodis Veram Fidem ſancientibus Infallibilitatem attribuit, quo pacto Infallibilitas deeſſe poteſt eidem Confirmationi? *num.*42.

95 Damnata fuit Sancti Athanaſii Fides ab Antiocheno, aliiſque Conciliis, & Sancti Flaviani Catholica Confeſſio improbata ab Epheſino Generali Conventu; utraque autem ſemper defenſa ab Apoſtolica Sede. Ergo huic Infallibilitas adeſt; cæteroqui enim deeſſet in Eccleſia Certum Præſidium Aſſertoribus Veritatis. *num.*45.

96 Niſi in Apoſtolicam Sedem errare inſciam refunderetur Damnatio malarum Synodorum, v. g. Epheſinæ Secundæ, non eſſet Infallibilis, ut liquet ex Antiocheno Conventu, Ariminenſi, atque hoc ipſo Epheſino, qui licet infregerint priorum Decreta Conciliorum, nullo tamen in pretio habita eſt eorum Declaratio, quia illis Apoſtolicæ Sedis Suffragium nequaquam robur adjecit. *num.*51.

97 Valentinianus ipſe Imperator præſumit, neceſſarium eſſe, ut Romanus Pontifex *Locum habeat, ac facultatem de Fide, ac Sacerdotibus judicare*, videlicet de illis, qui conflaverant Generalem Synodum Epheſinam Secundam. Ergo Seculari quoque Poteſtati Notoria erat Neceſſitas Pontificiæ Infallibilitatis; alioqui enim ſi etiam Pontifex ipſe, veluti Synodi, errare poſſet, nihil certum in Eccleſia relinqueretur. *num.*61.

98 Galla Placidia in literis ad Theodoſium Juniorem affirmat, periculum Schiſmatis imminere, niſi Leo, Infallibili pollens Auctoritate, irritare poſſet omnia, quæ ab Epheſino Conciliabulo decreta fuerant: *Ne per præſens Exemplum Schiſmata generentur inter Epiſcopos, & Sanctas Eccleſias. n.*69.

99 Cum Hæretici, ut nulli Concilio ſuccumbant, provocent ab uno ad aliud, ſed quod ipſi pro arbitrio, ac peſſimè interpretantur, quo pacto Ægyptii Epiſcopi malè interpretabantur Nicænum in Concilio Chalcedonenſi, patet Neceſſitas Certi Conciliorum Interpretis, & Magiſtri, Apoſtolicæ videlicet Cathedræ. *num.* 108.

100 Ita ſententiam tulit in Conciliabulo Epheſino Juvenalis contra Sanctum Flavianum, & Euſebium Dorilæum Eutychetis Accuſatorem: *Seſe alienos a Sacerdotio, & gradu Epiſcopali monſtraverunt Flavianus, & Euſebius, qui conati ſunt addere, & minuere aliquid de Sancta Fide, quæ in Nicæa a Sancto Concilio expoſita eſt, quam & confirmavit Sancta, & Univerſalis Synodus in hac Epheſia Civitate pridem collecta.* Si autem (quemadmodum Epiſcopi cum Juvenale in Hæreſim lapſi in Conciliabulo Epheſino cupiebant) naſcentes in dies Controverſiæ ſolvi non poſſent, & ea diſertè declarari, quæ implicitè continentur in Articulis antea definitis, Hæreſes invaleſcerent, neque via ſupereſſet ad illas e medio tollendas. Cum verò Veterum Synodorum Definitiones Hæretici ad ſuorum Errorum tutelam detorqueant (quo pacto Eutychiani abutebantur nomine Nicænorum Patrum) cumque nihil repugnans Perfidiæ ſuæ declarari velint a Novis Conciliis, profectò conſopiri cupiunt in Impietate Populos a ſe deceptos. Perneceſſarium igitur eſt, opportunas identidem fieri ab Eccleſiæ Magiſtro Antiſtite Summo Declarationes Erroris expertes, aut ab eodem præſcribi, ut fiant a Sacris Epiſcoporum Congreſſibus. *num.*110.

101 Niſi Romani Pontifices in ſolvendis Fidei Controverſiis immunes eſſent Erroris, Hæretici Nova Concilia perpetuò criminarentur, ut auſa contra Vetuſta pugnare. Neceſſe igitur eſt ad ſecurum Eccleſiæ Magiſterium, ut Infallibilis ſit in explicanda Fide Pontifex Maximus. Id autem, quo Eccleſia indiget ad Optimum ſui Regimen, enimverò divinitus conſtitutum eſt. *num.* 110.

102 Loquentes de Nicæna Fide Chalcedonenſes Patres exclamant: *Papa Leo ita interpretatus eſt*. Sed contrariam Interpretationem attulerat Secunda Generalis Synodus Epheſina. Quid tum? Non Synodali, ſed Pontificiæ Interpretationi adhærendum eſt ex Chalcedonenſis Concilii ſententia. Idem igitur Concilium cenſet, Romanum Pontificem impotem falli. Profectò enim Certus aliquis Interpres Veri ſupereſſe debet, ſi optimo Magiſterio inſtruenda eſt Eccleſia Dei. Sed inſtruendam eſſe quis neget? Si ergo non exempta neceſſariò Errori ſunt in explicanda Fide Concilia a Romano Pontifice non directa, & illuſtrata, tanquam a ſuo Capite, ac Rectore, neque hæc ipſa cogi frequenter poſſunt: procul abeſſe debet ab errandi periculo Apoſtolica Sedes, a qua *confirmari Fratres* in Catholica Veritate præcepit Deus humanitatem indutus. *n.*121.

103 Ex eo, quod contigit in ipſo Sacroſancto Chalcedonenſi Concilio, patet, oriri certamina ingenii in numeroſis Congreſſibus Epiſcoporum, & veriſſimè Magnum Nazianzenum affirmaſſe: Neque viſum a ſe Cœtum Antiſtitum ullum ſine pugnis ingenii, ac voluntatum, neque porrò, ut ipſe quidem opinabatur, ab aliis videndum in poſterum. Ex hoc autem ipſo infertur, Au-

ctore Gregorio Theologo frequentia Concilia Eccleſiæ non commodare, ac neceſſarium eſſe ad Optimum Eccleſiæ Magiſterium, & Gubernationem, fixum aliquod, Infallibile, ac perpetuò apertum Tribunal, a quo præcipuè damnentur Hæreſes quotidie gliſcentes, quandoquidem eædem nequeunt excindi a frequenter habendis Conciliis. *num.*203.

104 Si Conciliis Generalibus a Romano Pontifice non comprobatis indubia Firmitas deeſt, ut patet exemplo Secundi Epheſini, hæc Firmitas ipſi Pontifici deeſſe nequit. Alioqui enim incerta eſſent omnia,omnique vento doctrinæ circumferretur Eccleſia.Hoc autem divinitus permiſſum fuiſſe credi non poteſt. Infallibilitatem igitur Chriſtus Deus Noſter attribuit Vicario ſuo,juſſo *confirmare Fratres* in Fide, quam in Petro ſpopondit *nunquam defecturam. num.* 219.

105 Antequam haberetur Generale Primum Concilium Nicænum exortæ fuerant Hæreſes plurimæ, ac tot enumerare potuit Irenæus,qui Secundo Chriſti Seculo floruit, & ad Romanæ Magiſterium Eccleſiæ *Propter Potentiorem Principalitatem omnes congregandas,* dicit, *Eccleſias*. Eas autem Hæreſes profligaverant Declaratione ſua Succeſſores Petri. Sed niſi fuiſſent habiti Infallibiles, incerta per Tria Secula fuiſſet Eccleſia de Fidei Veritate. *num.*262.

106 Chalcedonenſe Concilium ſcribens Marciano Imperatori dicit: *Concilii hujus a Vobis congregati prædicationem Petri Sedis Auctoritate roborantes*. His autem verbis aſſeritur Infallibilitas Pontificia,quia ſi hæc denegetur, eadem nec ipſis aderit Synodis a Petri Sede ſumentibus vires,& nervos;ideoque nulla ſupererit Certitudo Veritatis in Eccleſia Divina,qua eam deſtitutam ab Auctore ſuo fuiſſe credi non poteſt. *num.* 306. & 307.

107 Cum ſcripſerint Leoni Chalcedonenſes Patres, ſe ab illo petere Confirmationem *Ad eorum, quæ a nobis geſta ſunt, Firmitatem*, hinc evincitur Pontificia Infallibilitas, quia ſi hæc abſque Apoſtolicæ Sedis Confirmatione non viget omnino ineluctabilis in ipſo Concilio, enimverò ſi eidem quoque deeſſet Apoſtolicæ Sedi, tutum nihil,& omnino Certum ſupereſſet in Eccleſia Dei: aut ſi ad habendam Firmitatem rurſus a Pontifice confugiendum eſſet ad Synodum, & ab hac ad Pontificem, vitioſo Circulo laboraretur. Has autem nugas fieri noluit Sapientiſſimus Eccleſiæ Inſtitutor, ſed omnino voluit, Certiſſimum eidem adeſſe Magiſterium Veritatis. Hoc ergo ineſt Pontifici Maximo, a quo ſemper Concilia Confirmationem obſequentiſſimè petiverunt. *n.*325.

108 S. S. Leo Magnus, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, aliique, cenſent non expedire frequentia Concilia ob periculum turbarum,cum in illis, ut ſcribit Leo Maximo Antiocheno: *Difficile ſit, ut cupiditas improborum non aliquid ſupra menſuram ſuam moliatur appetere*. Si autem raro Synodi habendæ ſunt, neceſſarium profectò eſt in Eccleſia Divina Infallibile aliquod Tribunal veram Fidem declarans, & damnans Hæreſes frequenter naſcentes, cum illas ex Apoſtoli Oraculo *Eſſe oporteat* ad explorandam piorum Conſtantiam. Quod autem hoc erit Tribunal errare impos, niſi Apoſtolorum Principis Cathedra? *num.* 354.

109 Iterum Leo ſcribens Leoni Auguſto profeſſus eſt frequentia Concilia Eccleſiæ non commodare. Quod ſi e Leonis Magni ſententia, comprobata ab obſequio Cæſaris recedentis a Novæ Synodi poſtulatione,non expedit frequenter celebrari Concilia, non incongruenter Pontificia ex hoc infertur Infallibilitas, ſi fateamur, bene proviſum a Chriſto Domino fuiſſe Eccleſiæ ſuæ. Non enim raro emergunt Hæreſes,ſicuti raro habendæ ſunt Synodi. Ne illæ igitur invaleſcant, quamprimùm ab illo ſunt condemnandæ, cui certa fides a Chriſtiano Populo adhibenda ſit. *num.* 364.

110 Epiſcopi Piſidiæ,Helleſponti,Paphlagoniæ, Epiri, damnant frequentia Concilia ob multiplices rationes. Ergo ſatis Veritati conſultum exiſtimabant a Pontificiis Definitionibus: perinde ac Damaſi Declarationi ſtatorum ſe Baſilius Magnus profitebatur, Athanaſius a Generali Concilio Antiocheno damnatus ad Julium tanquam Infallibilem appellavit, & Nazianzenus Romanam ſemper integerrimam Fidem concelebrat. *num.*370.

CAPUT VII.

Multiplex Atteſtatio Sancti Leonis ſcribentis ad Synodos, ad Imperatores, & alios, evincit Notorietatem tunc ab omnibus habitam Pontificiæ Infallibilitatis.

111 PRæter alia Sanctiſſimi, ac Sapientiſſimi hujus Pontificis Pronuntiata hucuſque allata, eò quòd pertinerent ad varia Capita Intrinſecarum Rationum, quas expendimus, ſuperſunt nonnulla, quibus tantummodo ineſt via Extrinſecæ Auctoritatis ſitæ in ipſa Leonis Aſſertione. Hæc autem ipſa ſufficientiſſimum pondus habet

ad

ad evincendum, quod ipſe non tribueret ſibi prærogativam illam nunquam errandi, quam Cathedræ ſuæ fuiſſe indultam Orthodoxi tunc omnes non faterentur. Scribens igitur Epheſino Secundo Concilio Legem ſtatuit *De peſtifero* Eutychetis *Errore primitus damvando*, & adigendo Hæreſiarcha ad ejurandos SENSUS HÆRETICOS, ſi reſtitui cupiebat in Eccleſiaſtici honoris gradum. Has porrò Leges præſcribere Univerſali Concilio nequiviſſet, niſi Infallibilis in ſancienda Fide, ac niſi talem exiſtimandum ſe ab ipſa Synodo Sapientiſſimus Pontifex crediḍiſſet. *num.* 31.

112 Iterum, ut Infallibilis, jubet penitua aboleri Eutychetis Errorem; narrat enim a ſe ſcriptum ad Flavianum fuiſſe, *Ut abolito hoc, quo* Eutyches *inquinatus videbatur, Errore, in laudem, & gloriam Dei per totum Mundum una ſit Fides, & una, eademque Confeſſio. num.* 32.

113 Affirmat, quod ſi lectæ fuiſſent in Concilio Epheſino ſuę Literę ad Flavianum, *Omnium Concertationum ſtrepitus quieviſſet.* Ergo illæ ab Orientali Eccleſia Infallibiles credendæ erant. *num.* 36.

114 Diſſenſiones amputandas, & Errores extinguendos affirmat, *Si Veritas Auctoritate Pontificia muniatur*. An non ergo Infallibile cenſendum putat Oraculum ſuum ab Orientali etiam Eccleſia? Quis autem tributum ſibi putet a Pontifice Sapientiſſimo id, quod ſui Juris non eſſet? Aut quod, perperam uſurpatum, Orientalis Eccleſia ſpernere impune potuerit? Illud certè nequaquam ſprevit Flavianus, ad quem Literas dabat: & Univerſale, paulò poſt celebratum, Chalcedonenſe Concilium, adeo non carpſit Sacerdotum Principem, quaſi ſe Magiſtrum non ſubjectum Errori jactaſſet, ut potiua, jurans in Leonis verba, dictata e cælo a Petro fuiſſe dixerit ea, quæ Leonis calamus exaraverat. *num.* 5.

115 Theodoſio Imperatori ſcribit, *A ſe judicandum id, quod Evangelicæ, & Apoſtolicæ doctrinæ conveniat*. Ergo Univerſæ in vera Fide explicanda Eccleſiæ Magiſtrum Erroris expertem ſe eſſe præſumit. *num.* 8.

116 In Epiſtola ad Flavianum ait, *Sufficientes ſe miſiſſe Literas ad confirmandos animos non ſolùm Sacerdotum, ſed etiam Laicorum*. Damnatum igitur a ſe fuiſſe recentem Errorem affirmat, ſuaſque ſufficere Literas ad Chriſti cultores omnes intra veritatis fines continendos. An non ergo Univerſæ Præceptorem, cui ſemper Divina Veritas adſit, Eccleſiæ ſe profitetur? *num.* 17.

117 Rurſus condemnat Senſum Hæreticum Eutychetis, jubetque damnari Auctorem Hæreſis, niſi reſipiſcat. SENSUM *autem prædicti Eutychetis etiam nos* DETESTANDUM ESSE DECERNIMUS, *ita ut ſi aſſertor inſipiens in ſua pravitate voluerit permanere &c.* Ut Infallibilis igitur Eccleſiæ Doctor Hæreſim improbat, utque Judex Hæreſiarcharum pœnis Eutychetem ſubiicit, niſi ejuret SENSUS HÆRETICOS. *num.* 19.

118 Negat, dubitari poſſe de rebus a ſe declaratis; cum enim ſtatuiſſet, ut Eutyches *Sententiam damnationis exciperet, quam utique, ſi* IN ſuo SENSU *voluerit permanere, nullus poterit relaxare*, neque ipſe videlicet Univerſalis Epiſcoporum Cœtuș, deinde ſubdit: *Dubitari non poteſt, quæ ſit Chriſtianæ Confeſſionis integritas*. Ambigi ergo nequit de Veritate, quam Petri Succeſſor edocuit, & omnino damnandum a Synodo eſt, quod Romanus Pontifex ante damnavit. Falli ergo nequit idem ex Cathedra docens Eccleſiam. *num.* 22. *&* 23.

119 S. Flaviano ait, *Plenius ipſum inſtruendum per ea, quæ portabunt* Apoſtolici Legati: Ac Theodoſio affirmat, *Suffecturos amputandis ſcandalis illos, qui præſentiæ ſuæ impleant vicem*. An non igitur Magiſtrum Erroris immunem ſe oſtendit eſſe Univerſalis Eccleſiæ? *num.* 26.

120 Eidem Theodoſio inculcat, *Auctoritatem ineſſe ſibi ad Veritatem defendendam, quatenus nulli liceat ſic eam munitam in aliquo commovere, dum repentè læſio removetur*. Si ergo ne ipſi quidem Concilio commovere licebat Veritates a Leone declaratas, firmiſſimus ipſe erat Verę Fidei Magiſter. *n.* 52.

121 S. Pulcheriæ ſcribit, *Fidem pleniſſimè expoſitam, atque digeſtam a Sede B. Petri Apoſtoli ad S. Synodum fuiſſe delatam.* Attulerant ergo Pontificii Legati Fidem neceſſariò confirmandam ea ſolùm de cauſa, ut univerſo per ſuos Antiſtites innoteſceret Orienti; cum alioqui jam indubitabilis eſſet, eò quòd a Sede B. Petri prodiviſſet. *num.* 53.

122 Fuiſſe ait *Contra omnium Canonum diſciplinam*, quod Dioſcorus vetuerit in Synodo legi Oracula Pontificia. Ergo Canones declarabant, Pontificem Maximum audiendum eſſe a Synodis tanquam certiſſimum Doctorem Catholicæ Veritatis. *n.* 53.

123 Alloquutus Leo Conſtantinopolitanos Cives, *Hanc*, inquit, *Fidem, dilectiſſimi, Veram, & indiſſolubilem &c. perſeveranter tenete, & conſtanter aſſerite*. Ut Magiſter igitur Infallibilis Veritatis pręcipit Apoſtolico ritu, quid credendum ſit: veluti Paulus vetabat credi contraria iis, quæ populis ipſe nuntiaverat, Arcana Divinitatis. *n.* 59.

124 Ad eamdem Cæſaream Urbem mittens Legatos ſuos, jubenſque, novum Antiſti-

tiſtitem Anatolium in ſua verba jurare , Theodoſium Imperatorem alloquitur , *Fratres* , inquiens, *meos &c. direxi, per quos, quæ noſtræ Forma ſit Fidei , manifeſtatis inſtructionibus , quas miſimus , poſſitis diligenter agnoſcere*. Ergo in omnes,vel Maximos,totius Orbis Præſules Magiſterium exercet . *num.* 77.

125 In Epiſtola ad Theodoretum ita loquitur Sanctus Pontifex de illis , qui editæ a ſe Declarationi Fidei auſi fuerant repugnare : *Dum nonnulli Diſſenſionum incitati Auctore ad contradictionis bella proſiliunt*. Hi porrò fuerant Hæretici quidam ex Illyrico, ac Palæſtina . Qui ergo dubitare poſſunt de Veritatibus ab Apoſtolica Sede ſancitis , mali Dæmonis, qui Diſſenſionum eſt Auctor , furiis impelluntur. *num.* 180.

126 Suum eſſe munus imbuendi omnes Catholica Veritate profitetur in Literis ad Anatolium,& Errorum nocte depulſa ſolem animis afferendi . *Creditæ Nobis diſpenſationis labor ad deſideratum pervenit effectum.* Ergo præſumit , Magiſtrum ſe omnium eſſe nulli ſubjectum Errori. *num.* 326.

127 Non ſolùm Maximus ipſe Pontifex hoc aſſeverat , ſed etiam affirmaverat Anatolius , de quo ſubdit Leo : *Sicut etiam Epiſtolæ tuæ textus eloquitur. num.* 326.

128 Cum ſcribens ad Maximum Antiochenum dicere uno verbo potuiſſet,ſtandum eſſe Epheſinis , & Chalcedonenſibus contra Neſtorium , ac Eutychetem Decretis , non parcè ipſe Divinæ Incarnationis Myſterium pandit . Ex hoc autem Magiſterio , quod exercet Pontifex Optimus de Arcanis paulò ante declaratis in Generalibus Conciliis,infertur , innotuiſſe Leoni, non minorem apud Maximum , & omnes Orientales, fore ſuis, quàm Synodorum dictisAuctoritatem.Dum autem inquit : *Catholicæ Fidei Petra , cujus Cognomen Beatus Apoſtolus Petrus ſumpſit a Domino , nullum recipit ab utraque Impietate veſtigium &c.* indicat, æquè certam eſſe ſuam, ac Petri Doctrinam, cum Inſtaurator humani generis ſuam ſupra Petri ſoliditatem ſtatuens Eccleſiam,nullis unquam arietibus , aut baliſtis Tartari diruendam , ipſis etiam Petri Succeſſoribus e Cathedra Chriſtianum Orbem erudientibus Privilegium nunquam errandi efficaciſſimis a Patre precibus exoraverit. *num.*351.

129 Leonem Imperatorem erudiens Leo Pontifex Maximus , cum de Synodo Chalcedonenſi ſermonem inſtitueret , inquit : *In qua nullo modo contingere potuit , ut a Nobis contra Sanctam Nicænam Synodum ſentiretur, quod Hæretici mentiuntur*. Ergo ſe diſertè dicit impotem falli, dum affirmat, contingere nullo modo potuiſſe , ut a ſe contra Nicænam Synodum ſentiretur,contra quam ſentiendo in Explicatione Fidei miſſa Chalcedonem profectò exerraſſet. *num.*367.

130 Hic præterea præſumit, quod recenter habita Synodus nihil aliud præſtiterit , quàm ut ſubſcriberet Epiſtolæ Pontificiæ ; neque enim dicit: *Nullo modo potuit contingere, ut a Synodo Chalcedonenſi*; Sed *Ut a Nobis contra Nicænam ſentiretur*; ipſe enim unus fuerat Animus , & Vita Concilii , hoc autem Organum, ac Tuba Pontificis Maximi . Ergo ſi Infallibilis habenda eſt Synodus , a fortiori talis cenſendus eſt Leo . *num.* 367.

CAPUT VIII.

De Infallibilitate penitus Notoria Pontificis Maximi declarantis Fidem Atteſtatio Sanctorum Virorum , Imperatorum , Judicum Secularium , aliarumque , præter Chalcedonenſem , Synodorum .

131 S Flavianus Præſul Conſtantinopolis , & Martyr pacandam ſperabat Orientis Eccleſiam per Aſſenſum Conſtantinopolitanæ Provinciali Synodo præſtitum a Leone : *Cauſa enim eget ſolummodo veſtro ſolutio , atque defenſione , qua debeatis Conſenſu proprio ad tranquillitatem , & pacem cuncta perducere.* Inani autem ſpe lactatus fuiſſet, niſi morem hunc Orientis Eccleſia Catholica eò uſque ſervaſſet , ut videlicet Romanis Declarationibus acquieſceret . *num.* 14.

132 Addit exinde teſtimonium ampliſſimum Pontificiæ in exponendis Veræ Fidei Articulis Infallibilitatis : *Sic enim Hæreſis, quæ ſurrexit , & turbæ , quæ propter eum* (nimirum Eutychetem) *factæ ſunt, facillimè deſtruentur, Deo cooperante per veſtras Sanctiſſimas Literas* . Deſtrui profectò Hæreſis per Leonis Literas nequiviſſet , niſi eaſdem , e Cathedra Petri dictatas , nulli ſubiici Errori poſſe pervulgatum , & Notorium Orbi Chriſtiano fuiſset. *num.*15.

133 Quia verò Sanctus Præſul , cumque illo Sacra Reſpublica nequaquam neceſsarium putabat Conſenſum Ovium , ut veræ crederentur voces Paſtoris, ait : *Removebitur autem & Concilium , quod fieri divulgatur , quatenus nequaquam ubique turbentur Eccleſiæ.* Infallibilis igitur eſt Pontificia Definitio , etiam ante Concilii , vel Eccleſiæ Confirmationem , ex Flaviani Sententia, & communi Catholicorum omnium,quos idem con-

confidebat ultro adhæſuros Leonis Literis, ut Divinitatis Oraculo, Alioqui, ſupervacaneum ſore Concilium ad novam labefactandam Hæreſim, ineptè pronuntiaſset, *num.* 16.

134 Audita Condemnatione ſui lata a Dioſcoro in Latroeinali Synodo Epheſina Flavianus exclamavit: *Appello a te.* Non appellaſset autem ad Leonem Pontificem Maximum, tanquam ad Certiorem Univerſali Concilio Judicem Veritatis, niſi eum Infallibilem crediſiſset. *num.* 111.

135 S. Petrus Chryſologus apertè affirmat, *A B. Petro, qui in propria Sede vivit, & præſidet, præſtari quærentibus Fidei Veritatem.* Ergo ſicut Petrus ipſe exemptus erat Errori, ita erat Leo, de quo Chryſologus loquebatur. *num.* 34.

136 De ſe autem ſubdit: *Nos enim pro ſtudio pacis, & Fidei extra Conſenſum Romanæ Civitatis Epiſcopi Cauſas Fidei audire non poſſumus.* Non ſolùm ergo immiſcere ſe nequeunt cæteri Præſules Controverſiis jam delatis ad Romanum Tribunal, ſed neque *illas audire*: atque hoc præſtare vetantur non tantummodo ne pacem lædant, ſed etiam ne *ipſam Fidem*, cujus Magiſter, & Judex falli neſcius eſt Romanus Epiſcopus, idemque Univerſæ Præſes Eccleſiæ. *num.* 35.

137 S. Pulcheria Auguſta S. Leoni ſcribens teſtimonium ſert de ſyncera novi Conſtantinopolitani Præſulis Religione, quam veram eſse comprobat ex eo, quod errare neſciæ Apoſtolicæ Romanæ Cathedræ ſe Diſcipulum profiteatur, exoſus illi contrariam, ideoque peſtilentem, Synodi Prædatoriæ doctrinam: *Anatolius in eadem Fide permanſit, atque Religione, & tuarum Literarum Apoſtolicam Confeſſionem complectitur, illo Errore ſublato, qui ab aliquibus nunc ortus eſt.* Ab Eutychete autem exortus Error fuerat Epheſi a Concilio confirmatus, & ab Anatolio tamen rejectus, quia perculſus Anathemate a Leone Religionis Magiſtro. *num.* 81.

138 A Synodo Chalcedonenſi declaranda illa eſse, inquit Pulcheria, quæ Infallibilis Leo definiverit. *Et propterea Tua Reverentia quocumque modo proſpexerit, ſignificare dignetur, ut omnes etiam totius Orientis Epiſcopi &c. Te Auctore decernant.* Igitur *quocumque modo proſpexerit* Leo, & *illo Auctore* omnia decernenda erant. *num.* 83.

139 Theodoretus Vir Sapientiſſimus certum Fidei Magiſtrum a ſe habitum fuiſse Romanum Pontificem gloriatus eſt In Chalcedonenſi Concilio: *Subſcripſi Epiſtolæ Sanctiſſimi, & Deo Amantiſſimi Archiepiſcopi Domini Leonis.* Et Seculares quoque Judices nihil contra illum movendum putaverunt, eò quòd ſuam in Sedem, tanquam exoſus Neſtorium, fuiſset a Leone Infallibili Veræ Fidei Judice reſtitutus. *num.* 237.

140 Cum iidem Judices ita ſermonem de Theodoreto clauſiſsent: *Sicut & Sanctiſſimus Leo Archiepiſcopus judicavit: omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Theodoretus dignus eſt Sede &c. Orthodoxum Doctorem Eccleſia recipiat. Archiepiſcopo Leoni multos annos. Poſt Deum Leo judicavit.* Hi autem plauſus indicant Infallibilem in Judicio ſerendo de Theodoreto a Synodo habitum ſuiſse Leonem. *num.* 238.

141 Conſtantinopolitanis Civibus reſpondet Leo: *Confirmationem, quam expetiſtis, ultro præbuimus.* Expetiverant ergo a Leone Confirmationem Fidei, & illam quidem expetiverant ſtatim poſt Generale Concilium in Oriente celebratum, cui Theodoſius Junior Imperator Hæreticorum laqueis irretitus impensè ſavebat. Inconcuſſam igitur ab Urbe Roma Veritatem declarandam ſperabant, quæ ab Epheſino Conventu minimè prodiiſset. An non ergo in Vetuſta Eccleſia pervulgatum erat, Romanum Pontificem Erroris immunem eſse in Fidei Articulis explicandis? *num.* 58.

142 Valentinianus Imperator cenſet, in Concilio ferendam eſse a Leone Sententiam tanquam ab inconcuſsæ Veritatis Magiſtro. *Et prædictus Sacerdos, congregatis ex omni Orbe etiam reliquis Sacerdotibus &c. Sententiam ferat, quam Fides, & ratio Veræ Divinitatis expoſtulat.* *num.* 64.

143 Idem affirmat Galla Placidia Auguſta. *Secundùm Formam, & Definitionem Apoſtolicæ Sedis &c. ad Concilium Apoſtolicæ Sedis Judicium tranſmittatur.* Si ſecundùm Formam, & Definitionem Apoſtolicæ Sedis deſtruenda erant Acta Epheſina, & Novæ Synodi Decreta ſtatuenda, omnium ergo addictorum Chriſto Mortalium, atque ipſorum Conciliorum Infallibilis Judex erat Romanus Epiſcopus; cæteroqui enim nulla patuiſset via ad Veritatem indagandam. Hæc certè non adeo diſertè ad Theodoſium Hæreticorum ſibilis aures non occludentem Auguſta ſcripſiſset, ſi ullus tunc hanc Pontificiam Immunitatem ab Errore in controverſiam revocaſset. *num.* 66.

144 In Literis autem ad Pulcheriam Placidia Leonem appellat *Vindicem violatæ Fidei.* Innotuerat igitur Orbi Chriſtiano, Pontificem Romanum eſse Fidei Cuſtodem, Magiſtrum, & Judicem errare inſcium. *num.* 70.

145 Marcianus Imperator edicit, *A Synodo declaranda eſse illa, quæ Leo definiverit;* adeoque manifeſtiſſimè ipſum appellat Du-

cem,

tem, & Arbitrum Conciliorum, & Inſallibilis Veritatis Magiſtrum; alioqui enim ea, quæ Romæ declarata fuiſſent, potuiſſent abrogari a Conciliis non compulſis ad ea Chriſtianis omnibus Populis indicenda. Niſi autem hæ Veritates in Eccleſia pervulgatæ, ac Notoriæ fuiſſent habitæ, an eas ſuis Cæſar Epiſtolis inſeruiſſet? *Si placuerit Tuæ Beatitudini &c. & Synodum celebrare &c. Sacræ Religioni, quæ utilia ſunt, decernet*. Ipſe igitur Leo decernet, & illi Synodus obtemperabit. De Præſulibus autem Concilium celebraturis ſubdit Imperator: *Sicut Sanctitas Tua ſecundùm Eccleſiaſticas Regulas definiverit, ſua diſpoſitione declarent*. Epiſcopi quidem *declarare*, *ac diſponere* dicuntur, quia verè ipſi quoque definiunt in Conciliis, ſed juxta ea, quæ prius fuerint ab Inſallibili Synodorum Præceptore *definita*, ſi opportunum ipſe putat ſuam ante Synodos Sententiam, ſecundùm Eccleſiaſticas Regulas, pro Eccleſiæ bono proferre. *num.* 80.

146 Idem Religioſiſſimus Imperator comparat Inſallibilitatem Leonis cum illa Concilii Nicæni, de quo loquutus, tanquam Hæreſum everſore, ſubdit: *Sicuti etiam Sancti Leonis Papæ Urbis Romæ, qui Sedem Apoſtolicam gubernat, miſſa ad s. m. Flavianum Conſtantinopolitanæ Urbis Epiſcopum ſcripta teſtantur*. De aliis, utcumque Sacroſanctis, Conſtantinopoli, & Epheſi habitis Conciliis, ſermonem non inſtituit Imperator, cui ſatis eſt in medium afferre Leonem ad Hæreticos profligandos. *num.* 231.

147 Cenſet quoque Cæſar perinde obſtrictos fuiſſe Chalcedonenſes Patres ad conſectandam Explicationem Veræ Fidei traditam a Leone, ac illam, quæ a Nicæno Concilio permanaverat. At profectò hæc non fuiſſet Marciani ſententia, niſi omnibus innotuiſſet, utpote in Eccleſia Pervulgatum, quod errare nequeat e Cathedra docens Pontiſex Maximus. *num.* 231.

148 Poſt inſignem honorem ab Imperatore habitum Pontifici Maximo in plauſus effuſa eſt Synodus, quæ confirmaſſe videtur Acclamationibus ſuis Pontificium Jus erudiendi Eccleſiam ea certitudine, qua hoc præſtiterat Synodus Nicæna. *num.* 232.

149 Epiſtola Imperatorum Valentiniani, & Marciani ad Præſides Provinciarum loquens de Synodo Chalcedonenſi ab omnibus ſuſcipienda: *Venerabilis*, inquit, *Synodus innumerabilium penè Sacerdotum Chalcedonem conveniret, quæ dum Fidem diligenter inquirit, Auctoritate Beatiſſimi Leonis Epiſcopi Æternæ Urbis Romæ, & Religionis Fundamenta conſtituit*: ſive, ut habet Editio Græca, *confirmat*. Inquiſitio igitur Fidei in eo ſita fuit, ut *Auctoritate Beatiſſimi Leonis Religionis Fundamenta confirmarentur*. An non Magiſtrum, & Ducem Concilii fuiſſe Romanum Pontificem in declaranda Catholica Veritate Imperatores affirmant: perinde, ac ſi nihil aliud pro Fide ſtabilienda præſtitum a Concilio fuiſſet, niſi ut Leonis Epiſtolam, veluti credendi Normam, omnibus latiſſimè populis oſtentaret? Hoc porrò Univerſalis Synodus minimè præſtitiſſet, niſi cujuslibet Erroris periculo exemptam putaſſet Apoſtolicam Sedem. *num.* 347.

150 Judices Seculares quaſi Certam Definitionis ſerendæ Regulam Leonis Epiſtolam proponunt Concilio Chalcedonenſi in fine Actionis Primæ. *Etenim Reverendiſſimus Archiepiſcopus Senioris Urbis Romæ Leo adversùs Eutychis inſidam, & contrariam Catholicæ Religioni emergentem dubitationem viſus eſt ad Reverendæ memoriæ Flavianum miſiſſe Epiſtolam.* Non magni ponderis videri poteſt, quod Seculares Judices Certam Fidei Legem opinentur eſſe Epiſtolam ab Apoſtolica Sede dictatam, cum hoc ipſum cenſuerit Univerſa Synodus multò majori pollens Auctoritate. Sed neque contemnendum videtur Seculare Judicium, ex quo congruenter arguitur, Pervulgatam ea tempeſtate fuiſſe, ac Notoriam omnibus Chriſti cultoribus Pontificiam Inſallibilitatem. *num.* 113.

151 Chalcedonenſibus Epiſcopis hac interrogatione Judices inſtiterunt: *Epiſtolam Sanctiſſimi Leonis ſuſcipitis? Prædicti Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Etiam. Suſcipimus, & ſubſcripſimus. Magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices dixerunt: Ergo, quæ in ea inſeruntur, inſerantur Definitioni.* Ergo Catholicæ Teſſera Religionis eſt ſuſceptio Epiſtolæ Pontificiæ tanquam omnino Inſallibilis, de Sententia utriuſque, Profani videlicet, & Sacri Fori; neque enim ſolùm a Secularibus Judicibus interrogati ſunt Patres de illius Epiſtolæ ſuſceptione, ut certò innoteſceret eos in Orthodoxa Fide perſtare; ſed etiam iidem Patres de Epiſtola a ſe ſuſcepta, & ſubſcripta, gloriati ſunt, veluti de manifeſto Argumento ſuæ in defendenda Veritate Conſtantiæ. *num.* 215.

152 Exiſtimant Judices, proſerendum a Patribus eſſe, ſuſcipi a Synodo Leonis Epiſtolam tanquam Erroris inſciam Normam credendi. *Magnificentiſſimi, & gloriaſiſſimi Judices dixerunt: Ergo addite Definitioni: Secundùm Judicium Sanctiſſimi Patris Noſtri Leonis duas eſſe Naturas in Chriſto inconvertibiliter &c.* Leonis igitur irreſragabilis Auctoritas adeo prævaluit, ut non ſolùm nihil contra conſilium immutandæ

De-

Definitionis reſponderint Patres, ſed etiam ab iiſdem *omnibus rogati Judices* fuerint, ut intereſſe vellent ſelectis Antiſtitibus novam daturis Formam Definitioni ex Regula Epiſtolæ Pontificiæ. *num.* 223.

153 Ravennius, & alii Galliarum Antiſtites Nationalem Synodum conſtituentes gloriantur, Leonis Epiſtolam, *ut ipſum Fidei Symbolum*, cordi ſuo inſcriptam, & a ſingulis memoriæ fuiſſe mandatam. *Quæ Apoſtolatus Veſtri ſcripta, ita ut Symbolum Fidei, quiſquis Redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis aſcripſit, & tenaci, qui ad confundendos Hæreticorum Errores paratior ſit, memoriæ commendavit.* Ergo ſicuti enimverò Infallibile credebant eſſe Symbolum Fidei, ita eamdem de Leonis Epiſtola videntur ferre ſententiam. *num.* 180.

154 Iidem pauló poſt, non commemorato Chalcedonenſi, pauló ante celebrato, Concilio ab una Apoſtolica Sede, tanquam certiſſima Fidei Magiſtra, manaſſe dicunt Definitionem Catholicæ Veritatis. *Gratulantes, quod tantæ Sanctitatis, tantæ Fidei, tantæque Doctrinæ Apoſtolicæ Sedis, unde Religionis noſtræ, propitio Chriſto, Fons & Origo manavit, Antiſtitem dederit. num.* 180.

CAPVT IX.

Atteſtatio ipſorum Æmulorum Romanæ Cathedræ, videlicet Anatolii Conſtantinopolitani, & Hoſtium quoque, ſcilicet Hæreticorum, & Hæreſiarchæ Eutychetis, ejuſque Signiferi Dioſcori, de Apoſtolicæ Cathedræ Fidem explicantis certiſſima Veritate.

155 Sententiam ferens Anatolius de Iba Edeſſeno inquit: *Omnem in præſenti de eo ſuſpicionem abiicio, quoniam conſentit, & ſubſcribit ei, quæ de Fide Sententia data eſt a Sancto Concilio, & Epiſtolæ Sanctiſſimi Archiepiſcopi Romæ Leonis.* Ad omnem de Iba ſuſpicionem abiiciendam ſatis eſſe videbatur Conſenſus ab illo præſtitus Definitioni Fidei a Chalcedonenſi Concilio pauló ante formatæ. Additur autem ab Anatolio Subſcriptio adjecta ab Iba Epiſtolæ Pontificiæ, cum Certiſſimum Argumentum Catholicæ Veritatis profluat ex eo, quod quis Romanæ ſe Infallibilis Cathedræ Diſcipulum profiteatur. *num.* 245.

156 Poſt ſuperbum Canonem, quem Anatolius intruſit de Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Primatu in Oriente, ſubiicit alium de Præſulibus Ægyptiis, quibus indulgebatur mora uſque ad Alexandrini Electionem Antiſtitis, poſt quam ſubſcribere Leonis Epiſtolæ parati erant. *Quoniam Religioſiſſimi Epiſcopi Ægyptii, non ut Catholicæ Fidei adverſantes, Sanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis Epiſtolæ ſubſcribere diſtulerunt, ſed dicentes, in Ægyptiaca Diœceſi hanc eſſe conſuetudinem &c.* Ex hujus Canonis verbis Hæreſis perſtringuntur, qui animum obdurant ad Pontificiam ex Cathedra Doctrinam non ſuſcipiendam: *Non ut Catholicæ Fidei adverſantes Sanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis Epiſtolæ ſubſcribere diſtulerunt.* Adverſarentur ergo Catholicæ Fidei, ſi omnino ſubſcribere detrectarent. *num.* 276.

157 Cum Concilium ita ſtatuiſſet in Actione ſecunda: *Anatolius eligat de his, qui ſubſcripſerunt*, videlicet Epiſtolæ Leonis, *quos putaverit idoneos eſſe ad docendum eos, qui dubitant*: hi porrò erant Epiſcopi ex Illyrico, & Palæſtina tunc Hæretici, quia contumaces in dubiis ſuis circa Veritates jam definitas: iidem Præſules alienam inſtructionem recuſantes inclamarunt: *Nos ita credimus: Omnes ita credimus. Sicut Leo, ita credimus. Nullus noſtrum dubitat. Nos jam ſubſcripſimus.* Ultima quidem hæc verba nunc proferentes egregiè mentiti deinde ſunt eorum nonnulli, qui in Quarta Actione ſubſcribere Leonis Epiſtolæ ſubterfugerunt. Sed hinc manifeſtè videtur evinci, adeo Pervulgatum apud Orthodoxos omnes fuiſſe, cenſendos eſſe Fidei Perduelles illos, qui non crederent Veriſſimam eſſe Doctrinam Pontificis Maximi, ut, ne tales illi Antiſtites haberentur, ſimulaverint Aſſenſum, quem eidem nequaquam ſcripto præſtiterant. *num.* 141.

158 Licet hi Antiſtites profiterentur, ſe omnes in Leonis verba juraſſe, incertarum tamen Opinionum vento adhuc circumferebantur poſt auditam Cyrilli, ideſt Sacroſancti Primi Concilii Epheſini, Doctrinam, cui refragari Catholicis omnibus vetitum erat. Hæreſis igitur manifeſtæ coarguuntur. Hoc exemplo liquet, quò deveniant, qui ultro non complectuntur, velut Infallibilem, Pontificiam Doctrinam, ſed audent ex illa in dubium aliquid revocare. Non aſſenſi Leonis Literis, ad ſuæ quoque mentis Tribunal in ea librandam Generalem, & ab Apoſtolica Sede confirmatam, Synodum appellaverunt. *num.* 142.

159 Prodigio ſimile videri poteſt, quod Hæretici ipſi gloriati ſint, ſe ſubſcripſiſſe Pontificiis Literis veluti Errori nulli obnoxiis. Cæterùm ſi re ipſa cenſerent Romanum Pontificem impotem falli, toto ſeipſos cælo profiterentur errantes, cum, quæcum-

que oriatur Hæreſis, illico ab Apoſtolica Sede damnetur. *num.* 143.

160 Hæreſiarcha Eutyches damnatus a Sancto Flaviano in Synodo Conſtantinopolitana ad Leonem Pontificem Maximum appellavit. Ergo præſumpſit, veram ab Orbe Chriſtiano exiſtimandam eſſe ſuam Fidem, ſi ab Apoſtolica Infallibili Sede comprobaretur. *num.* 7.

161 Idem ſpondet, ſe ſtaturum Pontificiæ Declarationi Fidei, ſic enim de illo ad Theodoſium Imperatorem ſcribit Leo: *Cum in libello ſuo, quem ad Nos miſit, hoc ſaltem ſibi ad promerendam veniam reſervaverit, ut correcturum ſe eſſe promitteret, quidquid noſtra Sententia de his, quæ malè ſenſerat, improbaſſet.* Atque id ipſum Sanctiſſimus Pontifex confirmat loquens de illo in Literis datis ad Secundam Synodum Epheſinam: *Spondens per omnia noſtram ſequuturum ſe eſſe Sententiam.* Sed hoc minimè ſpopondiſſet, ſi Sententiam Leonis putaſſet Errori ſubiici poſſe. *num.*24.& 32.

162 In Concilio Chalcedonenſi Epiſcopi ex Palæſtina, & Illyrio Dioſcori affeclæ, optantes ad Synodum inter Judices revocari nefarium illum Vexilliferum Eutychetis, exclamarunt: *Patres Synodo reddite: Conſentaneos Leoni Synodo.* Ac paulò poſt ſubdiderunt: *Dioſcorum Synodo, Dioſcorum Eccleſiis.* Hinc infertur, ab ipſo quoque Dioſcoro tunc ſimulatum fuiſse animum præparatum ad aſsentiendum Literis Pontificiis. Illuſtre hoc Argumentum eſt, quod & ipſe Perduellium contumaciſſimus diffiteri nequiret in ampliſſimo illo Eccleſiæ Univerſæ Theatro, ac Senatu Sacroſancto, Catholicum cenſeri non poſse, qui non admittat ab Infallibili Apoſtolica Sede prodeuntem Definitionem Fidei. *n.*143. & 144.

F I N I S.

JOAN-

JOANNIS LAURENTII LUCCHESINII
Lucenſis e Soc. Jesu
Sacræ Congregationis Rituum Conſultoris

DE JANSENIANORUM HÆRESI,

Eorumque captioſis Effugiis a Sac: Tridentino Concilio in anteceſſum damnatis:

Neque ſolùm proſcriptis famoſis Quinque Propoſitionibus, ſed etiam diruto univerſo Theologico Janſenii Syſtemate,

ENCHIRIDII PARS PRIMA

Contra ejuſdem Janſenii Aſſeclas Eluſores Pontificiarum Conſtitutionum.

Editio Altera.

Digitized by Google

Digitized by Google

B. ALOYSIO GONZAGÆ
SOCIETATIS JESU.

CUI potius conſecrem Libellum hunc, quàm Tibi, Aloyſi Beatiſſime, cujus præſidio apud Deum Optimum Maximum, atque Deiparam Gratiarum omnium Sequeſtram, indultum eſt mihi, ut vitam adhuc agitare, ac recentia contra Catholicæ Fidei hoſtes certamina inire queam? Non ſemel imminenti letho ſubductus Patrocinio Tuo Votivæ, quam ad dexterum Tuæ Aræ latus appendi, Tabellæ perenne hoc acceptorum munerum monumentum inſcribendum curavi.

Ex Varice erumpens me vis immenſa cruoris
Penè improviſo funere ſuſtulerat.
Erodens ulcus, mox Cancer acerba parabat
Fata, niſi afferret Tibia ſecta moram.
Ulcus abit, Cancerque, & ab hoc ſerpente comeſus
Ante Varix. Sunt hæc munera Aloyſii,
Qui vota exuperat; nam mille pericula morbus
Dat ſuperare unus: Cancer & addit opem.
Scilicet hic niſi Crus eſſet populatus, haberet,
Quæ ſæpe in mortem panderet, ora Varix.

Neque verò ultima tantummodo hæc pugna a me inſtitui non potuiſſet ope Tua deſtituto, ſed nec ullam, opinor, aliam ſuſcepiſſem, niſi Exemplum, & Auxilium Tuum me ad communis Parentis Vexilla invitaſſet, quem *divinitus objectum Luthero, ejuſdemque temporis Hæreticis*, enuntiat Eccleſiæ Matris Oraculum. Immenſo rubore ſuffundor Tua Tibi, Dilectiſſime Cælitibus Aloyſi, beneficia commemorans, quibus abuſus miſerè fui. Sed ad meum excutiendum ſoporem innuo id, quod Tibi perſpectiſſimum eſt, legenti ſcilicet mihi multò ante completum ſecundum ætatis luſtrum Tuæ Vitæ hiſtoriam ſuggeſtum fuiſſe conſilium,

non

non multò poſt impletum, ejuſdem, quod ipſe arripueras, conſectandi Vitæ Inſtituti. Innumeris deinde aliis Tibi nominibus devinctus Tuum primò ad Altare Divinam Hoſtiam conſecravi. Quos Religione, ac bonis Artibus excolendos ſuſcepi, Adoleſcentes Tutelæ Tuæ commendans plurimos ex illis vidi eximios Integritatis Tuæ imitatores, præſertim aliquos Dotibus etiam tunc omnibus ornatos, qui ante Tuum quotidie ſepulchrum mori ſe malle, quàm ullam conſultò labem admittere profitebantur. Egregium Te Propugnatorem ſui experta fuiſſet Apoſtolica Sedes, niſi Angelicum Juvenem florenti ætate ſibi Cælum vendicaſſet. Sed ex altiſſima ejus parte, in qua Te regnantem vidit Magdalena de Pazzis, infunde vires, & robur ſagittis vitale animis vulnus illaturis. Tuam quoque deterunt gloriam illi, cum quibus congredior; quam enim Tibi laudem contuliſſet perpetuò ſervata Innocentia, ultro ſuſcepti cruciatus immanes, flagrantiſſimus amor Divinitatis, evagatio nulla mentis inter orandum, & contempta nobilis Ditio, ſi hæc, & alia plurima heroicæ Virtutis inſignia, multis profuſo ſanguine Teſtibus Fidei prælata ex ejuſdem, quam allegavi, Divæ cæleſti ſuffragio, non fuiſſes ita conſequutus, ut recedere ab illis arbitratu potuiſſes Tuo, ſed ad eadem Te neceſſariò ineluctabilis Gratia rapuiſſet, quemadmodum autumant Janſeniani? Quæ vis ineſſet Exemplis Tuis, quæ perpetuò Adoleſcentibus inculcamus, ſi, quod Tibi ſemper ubertim affluxit, ad ſervanda Præcepta Divinum Auxilium, deeſſe ſibi frequenter, juxta Primam Janſenii blaſphemiam, cæteri opinarentur? Non immoror in aliis ejuſdem Hæreſibus, quæ ſimili ex cauſa Tui fulgorem Diadematis imminutum eunt. Ut amentatæ ſint haſtæ, quas in Errorum portenta, Te Auſpice, intorqueo, Tuis exora precibus, utque Opuſculi Auctor, poſt illi redonatam Tua impetratione lucis uſuram, Tuis tandem aliquando veſtigiis incipiat inſiſtere.

Imprimatur,
Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſt. Sacri Palatii Apoſtolici
Dominicus de Zaulis Epiſc. Verul. Viceſg.

Reimprimatur,
Si videbitur Reverendiſs. P.Magiſt Sacri Palatii Apoſtolici
N. Archiepiſcopus Capuæ Viceſgerens.

Cen-

Cenſura Reverendiſs. P. Joannis Antonii de Panormo Ciſmontani Ord. Minorum Obſervantium S. Franciſci Commiſſarii Generalis.

Ad Reverendiſs. P. Paulinum Bernardinium Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum.

SEdulò, ſummaque cum jucunditate luſtravi Opuſculum *R. P. Joannis Laurentii Lucchefinii e Soc. JESU Sacræ Congregationis Rituum Conſultoris: De Janſenianorum Hæreſi, eorumque captioſis Effugiis a Sacro Concilio Tridentino in anteceſſum damnatis &c.* & juſſus in præſens meum ſenſum P. V. Reverendiſſimæ exhibere repeto illud idem, quod Sanctiſſimo Noſtro Patri retuli, videlicet ab Opuſculo miſceri utile dulci, ac proinde omne punctum referri; ſuaviſſimum enim eſt intueri perbrevi in Libello expoſitos Errores omnes Janſenii, ejuſque Sectatorum, neque ſolùm everſas famoſas Quinque Propoſitiones, ſed etiam dirutum univerſum ejuſdem Janſenii Syſtema. Utilitas porrò afferenda Reipublicæ Sacroliterariæ maxima erit, cum Propoſitiones omnes Janſeniſmum profligantes ſtatuantur ſolidiſſimè Auctoritate Sac. Concilii, ex cujus Textibus non unum, aut paucos, ſicut cæteri hucuſque Scriptores præſtiterunt, ſed plurimos, & apertiſſimos Auctor in hoſtes veritatis intorquet. Augetur jucunditas Lectoris ab inſigni Claritate, cum egregiè vitatum videat ſcopulum, in quem plurimi incidunt, de quibus inquit Vates: Brevis eſſe laboro, obſcurus fio. Nihil penitus occurrit in aureo Libello, quod ullius Catholicæ Scholæ Sententias, vel minima ex parte, perſtringat, imò, præter frequentes Proteſtationes de Cultu, quo ſingulas Auctor proſequitur, quotieſcumque ſuboriri potuiſſet ſuſpicio de intentione non impugnandi ſolummodo Janſenianos, ſed alios quoque, cautiſſimè declaravit, quod contra Janſenii tantùm Aſſeclas militent allati Sac. Concilii Canones, & Decreta, ſemperque Theologicos ſaltem Terminos a Catholicis adhibitos uſurpavit, & plerumque addidit Explicationes multiplicis diſcrepantiæ Orthodoxorum Theologorum ab Errorum Magiſtris, non ſolùm in Concluſionibus, ſed in ipſis quoque Principiis. Opportuniſſima mihi viſa fuit partitio Impugnationis eorum, qui olim multiplicem viam inìverunt, ut obduratum ſuum in Janſenio defendendo animum occultarent; quique nunc ſemitas alias arripiunt. Plurimos ex his nimium quantum ſupereſſe conqueritur in verè Apoſtolicis Literis ſuis meritiſſimus Petri Succeſſor, quem diu ad magnum Eccleſiæ ſuæ bonum Deus Optimus Maximus conſervet incolumem, dum affirmat, *ab hominibus continua novitatum prurigine laborantibus plura pernicioſæ Doctrinæ capita, erroreſque damnatos in lucem revocari, audaci ſanè, ac ſubdola eorum opera, qui in id nati eſſe videntur, ut Eccleſiæ, & Reipublicæ Pacem turbare non ceſſent, atque conentur editas olim pro Erroribus abolendis Apoſtolicas Conſtitutiones captioſis ſubtilitatibus eludere. Ne malum toties compreſſum, & quotidie reviviſcens, ulterius ſerpat, nec impunè liceat turbulentis Ingeniis, & nunquam cavillandi finem facientibus, Eccleſiaſticas leges infringere*, plurimùm profuturam cenſeo Editionem Libelli hujus publica luce digniſſimi. Ex Ara Cæli die 12. Februarii 1705.

Fr. Joannes Antonius de Panormo Ordinis Minorum Obſerv. S. P. N. Franciſci Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificator.

Quod

QUod de Monothelitarum hæreſi ſcripſit Eminentiſſimus Annalium Parens, (*a*)eam nempe tot ambagum involucris fuiſſe obvolutam, *ut flexuoſis anfractibus gradiens, ſinuoſis receſſibus latens, nec quò pergat, intelligi poſſit, aliud agens, loquens aliud, ut ſecundùm illud, quod de Behemoth ſcriptum eſt,* (*b*) *de ea dicendum ſit* (*Quis revelabit faciem indumenti ejus?*) Hoc de pernicioſo Janſeniſtarum dogmate ad amuſſim pronunciari poſſe Egregius hujus Enchiridii Author P.Joannes Laurentius Luccheſinius Societatis JESU Sacræ Congregationis Rituum Conſultor oſtendit, dum invictis ratiociniis non ſolam Hæreſim Janſenianam, ſed & hæreſis captioſa, ſubdolaque Effugia in anteceſſum a Tridentinis Patribus damnata demonſtrat. Inviſus proculdubio Janſeniſtis erit Enchiridii titulus, ſed longè magis inviſa Tridentini Concilii tela ex hoc Enchiridio, veluti e pharetra, vibrata ad ipſorum confodiendam doctrinam, qui Sacroſanctæ ejuſdem Synodi eſſe Propugnatores affectant, Monothelitarum itidem terentes veſtigia, qui (*c*) *præferebant Defenſores ſe eſſe Chalcedonenſis Concilii, hæreſum verò tam Neſtorii, quàm Eutychetis, ſive aliorum Everſores*, quique re vera Eutychiani cum eſſent, & in Eutychianis proſcripti, aſſerere minimè verebantur: *Quicquid percepimus* (*d*) *a Sanctis Univerſalibus Synodis, & Sanctis probabilibus Patribus de voluntate, & operatione, ſic & credimus, & prædicamus, & docemus, & parati ſumus hoc oſtendere.* In anteceſſum eatenus damnatos protendit, quòd non in ſe ipſis, ſed in Calviniſtis comprobet profligatos; ſicuti e converſo Theodorum Mopſveſtenum, poſt ejus exceſſum diris devotum ab Epheſina Synodo, in qua de eo nullum anathema, teſtatur Pelagius II. (*e*) ad Epiſcopos Iſtriæ ſcribens: *Theodorum mortuum Synodus Prima Epheſina damnavit &c.*, quòd Neſtorium iiſdem, quibus ille, errorum maculis infectum damnaverit. Et licèt altera Janſeniſtarum, altera Calviniſtarum per ſpeciem videatur hæreſis, & ex parte ſit; adeo nihilominus ſtricto nectuntur fœdere, ut altera inferatur ex altera, altera alteri ſubſerviat, altera comprehendatur in altera, ac proinde non aliter altera, niſi eo ſenſu, quo Honorius Pontifex Monotheliticam, alteram ab Eutychiana pronuntiavit: (*f*) *Nondum de duabus Naturis finitum eſt bellum, & alteram nobis ipſis turbulentiam indicimus.* Meâ proinde ſententiâ ſtrictiori ſignificatione Calviniſtas, & Janſeniſtas meritò notare quis poſſet, uti latiori quodam vocabulo Catharos, Patarenos, alioſque Hæreticos ſugillavere (*g*) Summi PP. Innocentius III., & Gregorius IX. *facies quidem habentes diverſas, ſed caudas ad invicem colligatas, quia de varietate conveniunt in id ipſum.* Quod autem in Operis limine promittit, reapſe ſolidæ Eruditionis, Doctrinæque calamo proſequitur; Janſeniſtis verò obiicere poterit aurea Magni Leonis verba: (*h*) *Damnent Apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris Authores, & quicquid in doctrina eorum Univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur.* Ob hæc, ut elapſis menſibus Enchiridii Authori, privatum ſingulis ipſius partibus tenuitatis meæ judicium efflagitanti, communi futuram utilitati illius lectionem edixi, ita in præſentiarum, Reverendiſſimo P.Paulino Bernardinio S.P.A.Magiſtro mandante, Reviſoris honore donatus, illud iteratò pervolutans, dignum cenſeo, quod publici juris reddatur. Romæ ex Collegio Siculo S.Pauli ad Arenulam decimo ſexto Kalend.Martii Anno 1705.

- (*a*) *Baron. ad an.645. num 4.*
- (*b*) *Job. 41.*
- (*c*) *Baron. ad an.631. num.1.*
- (*d*) *Extãt in VI.Generali Cõcilio Act.1. a Macario Patriarcha Antiocheno prolata.*
- (*e*) *Pelagius PP. Epiſt. ad Epiſcopus Iſtriæ.*
- (*f*) *Extant in VI.Gener.Concilio Act. 13. in Ep. Honorii ad Sergiũ.*
- (*g*) *Ex utroque Capite Excõmunicamus de Hæret.*
- (*h*) *S.Leo Epiſt.86.*

Fr.Bonaventura Sant'Elia a Panormo S. T. M. Tertii Ord. S. Franciſci olim Examinator, & in Romana Curia Procurator, nunc Regens Generalis, Sac.Congr. Ind. Conſultor, S. R. Univ. Inquiſit. Qualificator.

Imprimatur

Fr. Paulinus Bernardinius Ord.Prædic.S.Apoſt.Palatii Magiſter.

Reimprimatur

Fr.Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum S. P. Apoſt. Magiſter.

L E-

LECTORI.

DUm Cauſarum, quæ me ad hoc ſcribendum Opuſculum impulerunt, certiorem in ipſo ejus aditu te facio, Candide Lector, Methodum ſimul in eo ſervandam ediſſeram, ac fundamenta ſpei referendi alicujus a ſuſcepto labore, per plurimorum animos ad veritatis ſemitam revocatos, emolumenti.

Prima, quæ hoc mihi conſilium injecit, Cauſa eſt admiratio multorum in animis vigens, eò quod poſt confixam a Summis Pontificibus Hæreſim Janſenianam, eidem nihilominus, tanquam Zoophyta ſcopulis, plurimi mordicus affigantur, qui tamen Catholici exiſtimari ambiunt. Mirari, opinor, hi deſinent, ſi, non Apoſtolicam tantùm Cathedram (quæ Infallibilis eſt Veritatis Magiſtra, & etiam ante Generalium Synodorum, vel Eccleſiæ Conſenſum, definire poteſt Articulos Fidei, & ad certum illis præſtandum aſſenſum omnes obſtringere) ſed ipſa quoque Univerſalia Concilia a Petri Sede ampliſſimè confirmata, contemni a Perduellibus demonſtravero. Vetus eſt hoc humanæ ſuperbiæ portentum, quod antiqua ſecula in Arianis, aliiſque Hæreticis exhorruerunt, licet plerique ex illis hærerent in ſpeculatione tantùm, neque traderent Morum leges, a quibus omnis vitæ diſciplina pervertatur. Recentes autem Heterodoxi ſecuti ſunt illos ex Antiquis, qui omnem Sectatoribus ſuis licentiam permittebant: ſive cum Luthero, & Calvino, affirment, vitari non poſſe crimina, ſed non imputanda eſſe præſumentibus eadem ſibi a Deo indulgeri: ſive opinentur a Janſenio humana ſcelera frequenti Divinæ Gratiæ defectui aſcribi, cum hoc ex ejus Principiis ſequatur, & ſub ſpecie Severiſſimi, quem jubent, Rigoris, deſperationem, omnemque ideo licentiam, inducant: ſive cum recentiſſimo inſanientium agmine Flagitia conſecrent tanquam non perpetrata ab Homine inhiante jam Quieto Intuitu, & Amanti Amplexu, Divinitati; ſed in homine ipſo geſta a malo Dæmone, humanam hoc ſupplicio Virtutem ad heroicum faſtigium (ut mortalium perditiſſimi blaterant) attollente. Quem corripiat admiratio, quod hujuſmodi monſtra, pronæ in vitia naturæ adeo blandientia, non ſtatim extinguantur, licet intortis a Vaticano, aut a Sacro Concilio, fulminibus impetita? Præclarè fulſit Apoſtolicæ Sedis Auctoritas, dum Catholici omnes ſummo ſtatim obſequio, tanquam a Cælo prodeuntem, venerati ſunt famoſarum Quinque Janſenii Propoſitionum damnationem, ipſique Janſeniani, non auſi vim Pontificiæ Declarationis in dubium revocare, conati ſunt illam multipliciter, licet abſurdiſſimè, interpretari, ne perſtricti eâdem viderentur. Nunc palam fiet, quod ſi Oraculum Pontificium eos in officio non continet, ii ſunt, qui Univerſam in Conciliis congregatam Eccleſiam nauci faciunt.

Alia quoque mihi hunc Libellum exarandi cauſa fuit, quòd plurimi egregia, ſed prægrandia, in Janſenium publicata Volumina non pervolutant; ideoque ſuggeſtum ab illis ad ſuum venenum evomendum non hauriunt alexipharmacum.

In iiſdem præterea, quæ ante annos ferè quinquaginta prodierunt, illæ impugnantur Janſenii, ejuſque Aſſeclarum evaſiones, quæ tunc afferebantur, & quarum in præſentia pudet Janſenianos ipſos. Earum ſpecimen hic ſubiicio. Ut Textum illum Tridentinæ Synodi eluderent: Poteſt homo Gratiæ Divinæ diſſentire, ſi velit: *conditionalem hunc eſſe dicebant loquendi modum, nihilque abſolutè a Synodo pronuntiari: ac perinde eſſe, ac ſi diceretur:* Beatus poteſt Deum odiſſe, ſi velit: *imò ſi de ipſo Deo affirmaretur:* Poteſt Deus Iniquitatem amare, ſi velit. *Licet autem omnia hæc impoſſibilia ſint, neque unquam impleri queat Conditio, hujuſmodi tamen Propoſitiones formari poſſe. Hæc Janſenius lib.6. de Gratia Chriſti cap. 35. Sed ejus Sectatores projecta demum ſpe rigidi Janſeniſmi omni ex parte defendendi (ſicut Lutheri, & Calvini inſanias plurimi deinde mitigarunt) ſui Præceptoris hac in re veſtigiis non inſiſtunt; nimis enim apertum eſt majorem aliquam a Concilia Libertatem Viatoribus tribui, quàm quæ Comprehenſoribus inſit ad odio habendum Deum Optimum Maximum, ipſique Deo ad peccandum. Neque nunc inculcant Janſeniani cum Inſtitutore ſuo, quod Tridentina Synodus intactam reliquerit Philoſophicam quæſtionem de Libertatis natura, & ſolùm expertem illam Coactionis eſſe contra Calvinum definiverit; quamvis enim nunc quoque tueantur, ſufficere ad Meritum, ac Demeritum, hanc Immunitatem a Coactione; nihilominus negare non audent ad ipſos quoque Theologos pertinere diſcuſſionem de Libertatis natura, & agitatam hanc fuiſſe a Patribus Tridentinis. Præterea nunc vident, qui ſe ſub*

Digitized by Google

Janſenii Vexillo mereri non profitentur, *erraſſe illum enormiter*, *dum* (*eodem lib.6.c.34. cui Titulum fecit* : Solvuntur generaliter Scripturæ, Patrés, & Concilia, quæ requirunt Indifferentiam ad utrumlibet) *ait*, *nihil aliud intelligendum eſſe ſub nomine* Indifferentiæ, *quàm* ſtatum hujus vitæ, *cui flexibilitas ad utrumque propria eſt*. *Quid enim prodeſt hæc natura* ſtatus *ſecundùm ſe flexibilis*, *ſi homines in eo ſtatu conſtituti nullam re ipſa in ſingulis circumſtantiis Indifferentiam ſortiantur? Num hanc* ſtatus *ſecundùm ſe accepti flexibilitatem*, *& Conditionalem eam poteſtatem ſimilem illi Beatorum*, *Calvinus inficiatus fuiſſet*, *aut Lutherus? Hæc igitur*, *& alia hujuſmodi*, *& alieniſſimas a vero*, *& obvio*, *imò & manifeſto*, *ſenſu Interpretationes*, *olim allatas in prima ex tribus celeberrimis Columnis explicantibus Janſenii Propoſitiones*, *ad ſui tutelam nequaquam allegant*.

Quoniam hæc obſoleta jam ſunt, *& Cavillatores Janſeniani*, *ne videantur nimis aperti hoſtes qualiſcumque humanæ libertatis*, *alias latebras quærunt*, *eas proferam*, *antequam ſingulas Janſenii Propoſitiones impugnem*, *ut ex iiſdem illos extrudam*.

Liquet igitur de neceſſitate novam artem, *& viam arripiendi contra Novitatum amatores*, *illâ relictâ*, *quam iniverunt veteres Janſenii Antagoniſtæ*, *cum ad alia nunc Adverſarii ſubterfugia ſe conferant*.

Ex Recentioribus porrò Defenſoribus Veritatis aliqui toti ſunt in dirigendis in aciem ſelectiſſimis Sanctorum Patrum, *ac Theologorum Sententiis. Sed Hoſtes loca quædam maximi Auguſtini*, *ejuſque Diſcipulorum*, *quæ in deterrimum ſenſum detorquent*, *pro ſe ſtare opinati*, *vix ullo alios in pretio habent*, *ipſumque contra illos clamantem Auguſtinum audire detrectant*.

Alii cum peculiaribus Janſenii Sectatoribus certamen ſuſcipiunt, *ac potius abſurda artificia ab ijs adhibita in Erroribus propugnandis*, *& captioſarum argumentationum dolos aperiunt*, *quàm decretorio bello Sectam ipſam feſtinent evertere*.

Plerique demum ex illis, *qui cum hujuſmodi hominibus conſerunt manus*, *Quinque ſolùm illas Propoſitiones ab Apoſtolica Sede damnatas*, *labefactare contendunt*.

Plures ergo novæ alicujus exercendæ induſtriæ Cauſas mihi relictas video, *ut ſcilicet ex Novis*, *in quæ ſe receperunt*, *latibulis illos extrahant*: *ut ex una Synodo*, *cujus a Vaticano approbatæ Divina eſt Auctoritas*, *tela depromam*: *ut non eas tantummodo Quinque Propoſitiones Conciliari Anathemate in antecesſum percusſas fuiſſe oſtendam*, *ſed & alias*, *a quibus illæ duxerunt originem*, *ac plurimas eiſdem annexas*, *& cæteras ab ijs*, *tanquam a venenato fonte*, *permanantes*: *universum demum Theologicum Janſenii ſyſtema de Chriſti Reparatoris Morte*, *deque Gratia Divina per illam nobis præparata*, *ac de humana Libertate*, *declaratum fuiſſe demonſtrem a Patribus Tridentinis*, *Tartaream fore ſubſtructionem*, *ſi a quopiam excitaretur*.

Hæc univerſi Janſeniani ſyſtematis everſio proferet ejuſdem Janſenii ſenſum *in diurnam lucem*. *Nimis apertus ille quidem eſt*; *ſed cum hoc pernegent ejus Aſſeclæ*, *horum os obſtruetur a* Contextu *Doctrinæ audaciſſimi*, *quem ſequuntur*, *Magiſtri*, *non in Quinque tantùm*, *ſed in pluſquam ſeptuaginta invicem nexis*, *ac ſe mutuò dilucidantibus*, *Propoſitionibus repugnantibus veritati a S. Concilio Tridentino declaratæ*.

Duo ſuperſunt, *quæ ſpondere Lectori non reformido*. *Primum eſt*, *tantam emicare in Sacri Concilii Definitionibus Claritatem*, *adeoque ſplendidum in ijs eſſe nexum*, *& ſeriem doctrinæ*, *ut quicumque nonnulla mentis perſpicacitate præſtet*, *quamvis Theologicam Academiam ne de limine quidem ſalutaverit*, *percepturus tamen omnia ſit*. *Auſim ergo propemodum affirmare*, *operæ pretium referendum*, *ſi*, *quemadmodum Janſeniani Errores in Hollandia*, *aliiſque Fœderati Belgii Provinciis*, *& in aliis fortaſſe Regnis multiplici vulgi Lingua ſpargunttur*, *ita Catholicam Veritatem*, *quam haurire ab illimi fonte S. Concilii Tridentini opportunum videretur*, *Concionatores populo traderent*. *Fatetur D. Petrus Coddæus Archiepiſcopus Sebaſtenus in ſuis Reſponſionibus*, *& Declaratione*, *circumferri per Fœderatum Belgium Catechiſmos plures*, *vel ibi typis editos a Miſſionariis*, *vel eò aliunde advectos*, *præſertim ex Gallia*, *inter quos peculiares quidam*, *Batavico etiam Idiomate*, *ex profeſſo tractent* de Gratia Chriſti Domini. *Utinam ſolus Catechiſmus Romanus*, *magnuſque*, *& parvus V. Cardin. Bellarmini eſſet ibi præ manibus*. *Obtemperaretur ita Sacro Concilio Tridentino præcipienti*, *Seſſ.*25. Dec. 1. Apud rudem plebem difficiliores, ac ſubtiliores quæſtiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis acceſſio, a popularibus concionibus ſecludantur. Incerta item, & quæ ſpecie falſi laborant, evulgari, ac tractari (*Epiſcopi*) non permittant. *Multò minus igitur vulgi oculis ſubiiciendæ eſſent Opiniones*, *non ſolùm incertæ*, *ſed erroneæ*, *ac quædam Hæreticæ*, *de Gratia neceſſaria ad ſalutem plurimis denegata*, *deque Morte Salvatoris non obita pro omnibus*, *aliiſque hujuſmodi rebus*, *profectò* ad ædificationem non facientibus, & ex qui-

quibus nulla fit pietatis acceſſio, *ſed potius Deſperationis periculum inducitur. Quoniam igitur ibi, atque in aliis Provinciis, & Regnis, gliſcunt nimium quantum in Populo hæ Controverſiæ, atque in miſeras, & pernicioſas anguſtias innumeræ Fidelium animæ redactæ ſunt, fortaſſe expediret, vera Dogmata ſubiici omnium oculis. At ſi hæc veruaculo ſermone ſcripta non eſſent Plebi exponenda, uſui ſaltem eſſe poterunt illis, qui Orthodoxa Catecheſi Populum imbuunt.*

Alterum, de quo meam quoque fidem obſtringo, eſt vix quidquam a me attingendum de variis Theologorum ſententiis, (& in quacumque ex ipſis Veritates Catholicas defendendas) circa multiplicem Dei Scientiam, ejuſque Decreta, & hominum Prædeſtinationem ante, vel poſt, Merita abſolutè, vel conditionatè, prævisa; ſed tantummodo expendenda Sacri Concilii verba, per quæ mihi videntur Veritates plurimæ definiri: & præterea explorandam, ſed rarò, vim, quæ in verbis ipſis latet, cum expreſſa ſint a Synodo eá loquendi formá, quæ alias quoque veritates manifeſtè ſupponat. Cauſas demum indagandas, Tempus, cætoraſque Circumſtantias, ex quibus in majori luce ſtatuantur res definitæ.

Contexentur Propoſitiones omnes Antijanſenianæ, videlicet penitus oppoſitæ illis Janſenii, vel ejus Sectatorum ſubdolæ verſutiæ, quas non attulerunt Pontifices Maximi, quia hoc fieri non conſuevit in Hæreſum Damnatione facta in peculiaribus Conſtitutionibus extra Concilia; neque in his ipſis ſemper præſtatur, ſed aliquando tantùm, ut in Tridentino præſtitum eſt Seſſ.6. ubi in fine Decr. 16. hæc habentur: Sequuntur Canones Triginta tres, ut omnes ſciant, non ſolùm quid tenere, & ſequi, ſed etiam quid vitare, & fugere debeant: *& Seſſ. 13. in fine Decretorum:* Quoniam autem non eſt ſatis Veritatem dicere, niſi & detegantur, & refellantur errores, placuit S. Synodo hos Canones ſubjungere, ut omnes, jam cognitâ Doctrinâ Catholicâ, intelligant quoque, quæ ab illis hæreſes caveri, vitarique debeant. *Tradita ibi prius fuit Doctrina Catholica, & deinde expoſitæ Hæreſes. Nunc, quando Hæreſes ipſæ publicatæ jam ſunt, non ego nullius pretii, & auctoritatis homo, ſed infallibili, & Divina præſtans Auctoritate S. Concilium Tridentinum ab Apoſtolica Sede ampliſſimè confirmatum, Catholicas Veritates explicabit.*

In ipſius tantùm Sacroſanctæ Synodi verba juravi, nulli cæteroqui Scholæ mancipatus. Ex Græca Nominis, quod ſortitus fueram, videlicet Pamphili Theodori, *Etymologia*, Omnium amans, & Omnibus amicus, *nullum prorſus, præter Hæreticos, ipſiſque faventes, carpam. Et hos ipſos diligo, quibus perſuadere nitar, offerri omnibus maximum* Dei Donum, *indicatum in aſcito Cognomine, videlicet Gratiam Prævenientem, quæ verè ſufficiat, reddatque nos potentes proximè, ac expeditos ad Immortalem Salutem aſſequendam. Maximum hoc eſſe dico* Dei Donum, *quia ſine illo Rationis compos Vita nullatenus eſſet Donum, aut Beneficium hominibus a Deo collatum; expediviſſet enim illis, ut Proditori Judæ, non naſci, ſi neceſſariâ ad Æternam Vitam obtinendam, ac vitandum ſempiternum Incendium, Gratiâ deſtituerentur. Neque ad illos pertineret maximum aliud* Donum Dei, *videlicet Mors Inſtauratoris noſtræ ſalutis, pro illis non obita, quibus neceſſaria ad nunquam interituram Infelicitatem fugiendam Auxilia non præparaſſet.*

Hæc omnia exhorrent Catholici Doctores, quorum nonnullos Janſeniani per ſummam injuriam *ſuas in partes attrahere audent. Hanc Achillis Haſtam, & Herculis Clavam, ex eorum manibus plurimi extorſerunt, & præ cæteris doctiſſimi Viri P.M. Joannes Nicolai ex Ordine Prædicatorum, & PP. Franciſcus Annatus, atque Stephanus de Camps e Societate Jeſu. Meum non eſt in hoc Libello, in quo ſemper ad eventum feſtino, & in medias res, non ſecus, ac notas, Lectorem rapio, expendere varias Theologorum ſententias, quibus contendunt, a ſe diverſimode, atque ob diverſas Cauſas, quædam, ſive remota, ſive proxima, Principia uſurpari, ac ſumantur a Janſenianis, atque Catholicas inde naſci Concluſiones, non autem illas, quas a ſuis diverſis Principiis inferunt Janſenii Aſſeclæ.*

Innuere tantùm præſtat, contradictoriè Concluſionibus Janſeniſtarum opponi præclaram illam, quam inſimulant, Scholam, cum Catholicas omnes, penitus repugnantes Janſenii Verbis, & apertiſſimo Senſui, Propoſitiones tueatur, ut allatis in medium pulcherrimis ſententiis M.M. Didaci Alvarez, Joannis Gonzalez de Albelda, Joannis Pauli Nazarij, Didaci Nugnes Cabezudo, Petri Ledeſmæ, Balthaſſaris Navarrete, ac Joannis a S.Thoma demonſtravit Annatus.

Delibare ex his aliquid juvat, & quoniam præcipua capita, in quibus ex Tridentini Textibus redarguuntur Janſeniſtæ, ſunt excluſio Gratiæ Sufficientis, & læſio Libertatis Indifferentiæ, contra hujuſmodi Hæreſes diſertiſſimè pronuntiat Didacus Alvarez diſp. 71. de Auxiliis num. 2. Nullus Catholicus dubitare poteſt de diviſione Gratiæ in ſufficientem, & efficacem. *Idem ſcribit Petrus Ledeſma tract. de Auxiliis art. 16. addens*, id eſſe certiſſimum inter Theologos, & doceri ab omnibus Diſcipulis D. Thomæ. *Rurſus idem*

Digitized by Google

Alvarez diſp.92.num.8.ſcribit, Concilium Senonenſe, & Tridentinum definire contra Hæreſim Lutheranorum, quod in inſtanti, in quo liberum Arbitrium movetur a Deo efficaciter, manet in eo libera, & expedita facultas. *Et Ledeſma art.1. de Auxiliis inquit*: Voluntas, ut libera, poſtulat ita determinari, ut maneat Indifferens, & excludat neceſſitatem agendi contrariam Indifferentiæ. *Subſcribunt his reliqui omnes celeberrimæ illius Scholæ Doctores, qui omnes ſunt, & perpetuò fuerunt conſtantiſſimi impugnatores omnium hæreticarum Janſenii Propoſitionum, cum omnes ubique, & ſemper, voce, & ſcripto contenderint, omnino admittendam eſſe Gratiam verè ſufficientem, ac Libertatem Indifferentiæ in Statu Naturæ Lapſæ, Mortem Chriſti Domini pro omnibus, & reliquas Propoſitiones contradictoriè certantes cum illis Janſenii; quemadmodum ſingulas Quinque perpendens Annatus integro Libro, perpetuaque apertiſſimarum recenſione Sententiarum, evicit.*

Idem præſtitit Stephanus De Camps, qui lib.2.diſp.6.cap.9. Operis de Hæreſi Janſeniana refert præclaros ex hac inclyta Schola Scriptores affirmantes, impium eſſe, blaſphemum, hæreticum, Lutheranum, id, quod de Præceptis Impoſſibilibus Janſenius decernit. *Eodem lib.2.diſp.8.cap.10. attexit eorumdem ſententias aſſerentium*, Certum eſſe de Fide dari Gratiam Sufficientem ab Efficaci diſtinctam. *Prius attulerat eodem lib.diſp.2. cap.14. ſeriem illorum, qui* Janſenii Opinionem de libero Arbitrio hæreticam eſſe *pronuntians. Et diſp.3.cap.13. illos enumeraverat, qui* modum explicandi Gratiam efficacem uſurpatum a Janſenio hæreſis notâ configunt: *Et diſp.4.cap.9.eos, qui* notam eamdem infligunt Janſenianæ de peccandi neceſſitate Opinioni. *Selectiſſima verò profert diſp.7.cap.9. pronuntiata* vehementer inſurgentium in eos, qui negant Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum.

Alieniſſimæ ſunt igitur Catholicæ omnes Academiæ a Concluſionibus Janſeniſtarum, quos tantùm impugno. Doctores autem Orthodoxos ita veneror, ut, etiam ſi mihi facultas indulgeretur, religioni ducerem, illos, vel levi manu, perſtringere. Nullam ergo ferens Principiorum Cenſuram, & contra ſolos Janſenianos certamen inſtituens, hæreo in illis, quæ a Sacro fuiſſe Concilio definita ego quidem opinor: cumque præcipuum meum Armamentarium ſit Sexta Sacroſanctæ Synodi Seſſio (quamvis aliarum quoque omnium arcas excuſſerim) faventes mihi habeo Scholas omnes Catholicorum; ſicut enim ſuo loco expendam, illius Decreta, & Canones comprobarunt ſubſcriptione ſua Generales Ordinum, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, & S. Mariæ Servorum, quique paulò poſt admotus eſt regimini Societatis Jeſu.

Dum hoc a me ſumptum conſilium eruditis amicis aperirem, fuit, qui reponeret, compertum Janſenianis eſſe, quod contra illos pugnet Sacra Synodus Tridentina, omnemque ab iis lapidem moveri, ut contemptui eadem habeatur. At ego: Quid tum? Educenda proinde negas ex hac Eccleſiæ Divinæ Davidica Turri Arma, quia certam ex illa perniciem hoſtes formidant? Idcirco potius aliunde petenda tela non ſunt. Tres in claſſes tribuo illos, quibus hoc Opuſculo prodeſſe geſtio. Primam conſtituunt, qui Janſeniſmum apertè profitentur. Alteram, qui re ipſa primos, aliqua ſaltem ex parte, conſectantur. Tertiam, qui nondum ab alterutris decepti periculum tamen ſubeunt in illorum laqueos incidendi. Si primi congeſtas, & in meridiana luce propoſitas, Definitiones Sacri Concilii contemnant, palam accedent ad Caſtra Lutheranorum, & Calviniſtarum, minuſque noxii erunt aliis, qui debito Sacroſanctam Synodum honore proſequuntur. Secundos hujus Auctoritas fortaſſe avellet ab inito clam impiorum conſortio. Tertios execratio Perfidiæ nullo in pretio habentis Judicium omnium Patrum, & Patris Patrum, in Eccleſiæ Romanæ ſinu perpetuò continebit.

CA-

CAPUT PRIMUM.

PRIMA JANSENIANA PROPOSITIO.

Aliqua Dei Præcepta hominibus juſtis volentibus,& conantibus,ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia ſiant.

Quorumdam Subterfugia quò ad Primam Janſenii.

1 Defuit Petro Gratia, ſine qua nihil poſſumus, quando Chriſtum negavit.

2 Adeo neceſſaria eſt ad rectè operandum Gratia Efficax, ut ſine ea non poſſit homo rectè operari. De Juſto ergo Gratia Efficaci deſtituto optimè verificatur, deeſſe illi Gratiam, ſine qua nihil poſſumus.

3 Nec tamen cogimur aſſerere, eſſe aliqua Præcepta hominibus juſtis impoſſibilia: deeſſe quoque illis Gratiam, qua poſſibilia ſiant. Abſit a nobis, ut tam perversè de Deo ſentiamus. Benignus, & Miſericors eſt, dives in omnes, qui invocant illum.

4 Damnatus a Sacro Concilio ſolùm fuit error Lutheri, & Calvini, affirmantium impoſſibilia ſemper eſſe præcepta omnibus juſtis, utcumque Spiritu Dei adjuventur.

Propoſitiones Antijanſenianæ.

Nullum Præceptum Dei eſt Juſtis impoſſibile.

§. I.

Nemo debet temeraria illa, & a Patribus ſub Anathemate prohibita voce uti: Dei Præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia; nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere, quod poſſis: & petere, quod non poſſis: & adjuvat, ut poſſis. (1)

Si quis dixerit Dei Præcepta homini etiam juſtificato, & ſub Gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit. Quid apertius? (2)

Nunquam deeſt juſto Gratia ſimpliciter neceſſaria, qua potentes reddamur obſervare Præcepta Dei.

§. II.

Deus ſuâ Gratiâ juſtificatos non deſerit, niſi prius ab eis deſeratur. (3)

Si quis dixerit, Clericos &c. poſſeque omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe Caſtitatis, etiam ſi eam voverint, habere donum, anathema ſit, cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur, nos ſupra id, quod poſſumus, tentari. 1. Cor. 10. (4)

Sacroſancta Tridentina Synodus agnoſcens cum B. Jacobo Apoſtolo, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens a Patre luminum, (cap. 1.) qui iis, qui poſtulant a ſe ſapientiam, dat omnibus affluenter, & non improperat eis. (5)

Nulla igitur Dei Præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia. Nunquam quoque deeſt illis Gratia, qua poſſibilia ſiant.

Imò ex anathemate lato a S. Synodo Canone 9. allegato, patere videtur, quod non ſolùm Juſtis, ſed etiam omnibus *id rectè petentibus*, videlicet volentibus, & conantibus, licet juſtificante Gratia deſtitutis, adſit *Auxilium Divinum*, ſimpliciter neceſſarium, ſi id rectè petant, *pro ſervanda Caſtitate*, ac proportionaliter pro vincendis omnibus aliis tentationibus, juxta Apoſtolum, cujus verba Concilium Canoni inſeruit, tanquam de hac veritate apertè loquentia.

Non eſt Neceſſaria Gratia, quæ a Janſenianis appellatur Efficax, per ipſos Inabiicibilis, & Irreſiſtibilis, ad conſtituendam in Actu Primo potentiam obſervandi Præcepta.

§. III.

Sacra Synodus Tridentina vel Gratiam *Efficacem* nullatenus a *Sufficienti* ex intrin-

(1) *Concilium Tridentinum Seſſ. 6. Dec. 11.*

(2) *Can. 8.* (3) *Seſſ. 6. Dec. 11.*
(4) *Seſſ. 24. Can. 9.* (5) *Seſſ. 2. init. Decreti.*

trinſeca earumdem natura diſtinguit, quod nobis omnino verum videtur, licet alii ſecus opinentur, cum de illa, ut tali, nullum prorſus verbum faciat, & in tota Synodo ſolùm ſemel dicatur: *Dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, a quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur.* (1) Sed patet, *Sufficientiæ* nomen hìc accipi generaliter pro quacumque potentia bene operandi, & impetrandi a Deo nobis collata per Chriſtum Dominum; non autem loqui Concilium de ſpecie quadam Gratiæ prævenientis *abiicibilis*, & *reſiſtibilis*, quæ differat ab alia ſpecie Gratiæ Efficacis, quæ ſit *inabiicibilis*, & *irreſiſtibilis.* Vel ſi Concilium aliqualiter diſtinguit inter plures Gratiæ ſpecies, ut placet Thomiſtis, certum tamen, & exploratum etiam per ipſos eſt, nullam Gratiam Prævenientem, ſive *Sufficiens* ea ſit, ſive *Efficax*, a Tridentinis Patribus agnoſci, quàm talem, *quæ poſſit abiici, eique reſiſti queat*; adeoque nullam in ſenſu Concilii eſſe poſſe ſimpliciter *neceſſariam*, ut Juſto ſit poſſibilis obſervatio Præceptorum, quæ ſit *Inabiicibilis*, & *Irreſiſtibilis.* Imò per ipſoſmet Thomiſtas neque ad hujuſmodi obſervantiæ poſſibilitatem *neceſſaria* dicitur ipſamet Gratia intrinſecè Efficax, quam quoque Reſiſtibilem abſque ullo dubio ex Tridentini Definitione ſupponunt, & requirunt ad ipſum *operari*; ſed ſola Sufficiens, quam affirmant dari ad *ſimpliciter poſſe*, non autem ad *Actum, ſeu ad ipſum operari*. Illam autem, quæ requiritur ad *poſſe*, Juſtis dari ſemper jam oſtendimus §.2. ex allata Concilii Definitione.

Cavillatores Janſeniſtæ coguntur fateri cum Antiquis Impoſſibilitatem obſervandi Precepta, ſi ad hanc putant ſimpliciter neceſſariam Gratiam nedum intrinſecè Efficacem, ſed & per ipſos inabiicibilem, & irreſiſtibilem.

§. IV.

Per ipſos Gratia intrinſecè Efficax eſt illa, quam *abiicere*, eique *reſiſtere*, ac diſſentire, nequeat humana voluntas, quæque proinde ſecum trahat eſſentialiter ac irreſiſtibiliter obſervationem Præcepti. Si ergo hæc *per ipſos eſt adeo neceſſaria, ut ſine ipſa talis obſervatio dari non poſſit*, manifeſtè ſibi contradicunt, dum addunt, nihilominus *obſervationem Præcepti etiam ſine illa non eſſe impoſſibilem.* Commendatio illa *Divinæ Benignitatis, & Miſericordiæ*, quam ſubiiciunt, eſt pallium ad velandam apud rudes impietatem ſuam. Sed certè (Sap.1.) *ſentire non poſſunt de Domino in bonitate*, ſi non fatentur cum Concilio, quod Deus *ſuâ Gratiâ juſtificatos non deſerit, niſi prius ab eis deſeratur*: non deſerit videlicet Gratia illa *abiicibili, cui poſſit diſſentiri*, quæque ſola, utpote completiva Potentiæ proximæ ad opus ſalutare, eſt ſimpliciter neceſſaria, ut Dei Præcepta ſervari valeant.

(1) *Seſſ.*14. *Decr.* 8.

Notandum porrò eſt, quod licet Concilium hìc ſermonem coarctet ad ſolos Juſtificatos, de quibus agere inſtituerat, & quos ait, actualibus a Deo prævenientibus Gratiis *non deſeri, niſi prius ab eis deſeratur*; nihilominus per conſonantiam Doctrinæ, ac identitatem rationis, hæc Concilii verba ſignificant etiam, quod Deus actuali præveniente Gratia *non deſerit* homines univerſim, *niſi prius ab eis deſeratur*, nec ulteriorem Gratiam denegat, niſi abutentibus Gratia anteriori. Et de omnibus apertè loquitur Canon 9. Seſſ.24. ſupra expenſus §.2.

Nihil ſubdolis Janſenianis ſuffragatur Gratia illa ſufficiens, quam admittunt, ad oſtendendum, quod obſervatio Præceptorum non ſit impoſſibilis.

§. V.

Demonſtrabimus Capite ſequenti a Janſenianis negari Gratiam illam verè ſufficientem, quam S.Synodus dicit ſimpliciter neceſſariam ad obſervationis Præceptorum Dei poſſibilitatem, & ad omnia opera ſalutaria facienda, videlicet talem, *quæ poſſit abiici, & cui poſſit reſiſti*: atque ab iiſdem appellari *ſufficientem* aliam Gratiam, quæ re ipſa non eſt talis in ſenſu Catholico, qualis ſcilicet explicatur a Sacro Concilio; ideoque illam, quam a ſe admitti profitentur, eſſe aliud Pallium ad diſſimulandam impietatem Propoſitionis ſuæ negantis poſſibilitatem obſervationis omnium Dei Præceptorum.

Interim duo tantùm animadverto. Primum, quod fruſtra dicitur ab illis *ſufficiens* Gratia illa, quæ nihil operari poteſt ſine alia Gratia diverſæ ſpeciei, videlicet *ſine Gratia nedum intrinſecè*, & ex natura ſua *Efficaci*, *ſed & per ipſos inabiicibili*, & *irreſiſtibili*. Quomodo enim poteſt ſufficere ſe ſola, & reddere poſſibilem obſervationem Præceptorum, ſi dicunt hanc obſervationem dari non poſſe, niſi etiam addatur alia Gratia diverſiſſimæ naturæ? Qui ſe ſolo ſufficit ad aliquod pondus elevandum, illi, ut potens ſimpliciter ad id reddatur, non eſt neceſſarium auxilium alterius.

Secundò: Expendi velim, ulterius progredi multos, qui ſe a Janſenio recedere profitentur, quàm progreſſus fuerit eorum dux; hic

hic enim ſolùm dixit: *Aliqua Dei Præcepta* hominibus Juſtis eſſe impoſſibilia: illi vero affirmant, obſervari non poſſe omnia illa, quæ Juſti tranſgrediuntur; tunc enim certè non habent Gratiam illam nedum Efficacem, ſed & per ipſos *inabiicibilem*, & *irreſiſtibilem*, & abſque potentia in oppoſitum, per eoſdem Janſeniſtas eſſentialiter connexam cum obſervatione Præceptorum Dei, & omnino neceſſariam per illos ad conſtituendam Potentiam ad hanc ipſam obſervationem; ideoque quotieſcumque contingit tranſgreſſio cujuſcumque Præcepti, ſemper ejuſmodi obſervatio per ipſos erat Juſtis impoſſibilis. Thomiſtæ verò admittentes Gratiam per ſe intrinſecè Efficacem, quia tamen orthodoxè ratiocinantur, negant, eam eſſe neceſſariam ad *poſſe* bene operari, licèt contendant, quod ſine ea *nunquam quis ſit bene operaturus*, non ex Gratiæ, ſed ex ſui dumtaxat defectu.

Præfari libet, quod locuturus de Gratia prævenienti aſſerta a Janſenio, ejuſque Aſſeclis, eam perpetuò appellabo *Inabiicibilem*, & *irreſiſtibilem*, ſeligens hæc Vocabula, quamvis recenter inventa, eò quòd explicent breviſſimè, ac apertiſſimè contradictionem Janſenianæ opinionis Decreto S. Concilii ſtatuentis *abiici poſſe ab humano Arbitrio* Gratiam omnem, qua Deus nos prævenit, ut præſertim operari poſſimus utiliter ad ſalutem, *eidemque poſſe ipſum Arbitrium diſſentire, ſi velit*. Abſtinuit ab his vocibus Janſenius, fortaſſe quia non redolebant Veteris Latii elegantiam; ſed probabilius, quia nimis patenter Lectorum oculis ingerebant repugnantiam Conciliari Definitioni. Cæterùm, quod abiici nequeat in Statu Naturæ Lapſæ Gratia Divina, & illi reſiſtere nullus poſſit, ideoque in omni rigore *Inabiicibilis*, & *Irreſiſtibilis* eadem ſit, Janſenius adeo pervicaciter aſſeverat, ut hic ſit præcipuus Cardo cæterarum ejus Hæreticarum Propoſitionum. Non obiter, ac ſtrictim, ſed Libro integro probare nititur hanc eſſe prævenientis Gratiæ Naturam, ut ſecum nedum eſſentialiter, ſed & *irreſiſtibiliter* trahat humanam operationem, in ordine ad quam confertur. *Facit* (inquit lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 3.) *Adjutorium illud, ut neceſſe ſit animum illud ſequi, & ſecundùm illud operari*. Et nihil deterritus a læſione hinc ſecutura Libertatis humanæ, ſubiicit cap. 15. *Gratiam quantumcumque Efficacem, etiam talem, qualis in Cœlo cum ſumma delectatione dabitur, nullo modo tollere libertatem*. Et cap. 19. *Nulla Gratiæ efficacia, nulla neceſſitas, actibus voluntatis liberis formidanda eſt, ſed ſola vis, coactio, & neceſſitas violentiæ*. Libro autem de Gratia Primi hominis cap. 14. proponit diſcrimen eſſentiale, quod intereſſe opinatur inter Gratiam Angelis, Primoque homini Innocenti conceſſam, & inter illam, quę lapſę in Adamo Naturæ confertur; Primam enim ait fuiſſe talem, *Ut in voluntatis Arbitratu, ac nutu, non minus eſſet ſitum, uti illo adjutorio, quàm non uti: acceptare illud, quàm repellere: illi conſentire, quàm diſſentire: illud tenere, quàm deſerere: ſtare, quàm cadere: perſeverare, quàm non perſeverare*. Concludit, fuiſſe talem Gratiam indultam Angelis, & Adamo, *ut ei voluntas aſſentiretur, ſi vellet*: atque ita eam deſcribit: *Gratia, qua voluntas utitur, ſi vult: non utitur, ſi non vult*. Hinc colligit, Innocenti tantùm Creaturæ eſſe tribuendum id, quod vulgò, ut inquit ipſe, jactatur: *Voluntas Gratiæ aſſentiri poteſt, vel diſſentiri*. Secundam verò ſpeciem Gratiæ, quam *Medicinalem Chriſti*, & *Victricem Delectationem* appellat, quæ aliquibus poſt Adæ Culpam hominibus confertur, perpetuò inculcat *non eſſe hujuſmodi, cui Voluntas aſſentiatur, ſi velit; & non aſſentiatur, ſi nolit: ſed quæ volendi, & aſſentiendi Neceſſitatem imponat*. Quid plura? Lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 9. & lib. 5. de Hæreſi Pelagiana cap. 11. 12. & 13. Recentiores Theologos Pelagianorum nomine infamat, & proculcatæ per ſummam injuriam Chriſti Gratiæ reos poſtulat, *quòd talem Gratiam homini tribuant, cui Voluntas poſſit aſſentiri, vel diſſentiri, ſi velit*. Ita igitur eſſentiale putat eſſe Gratiæ Victrici, ſuum ut effectum conſequatur, ſitque proinde *Inabiicibilis*, & *Irreſiſtibilis*, ut ne divinitus quidem poſſit contingere, ut eadem abiici queat, aut illi reſiſti: ſicuti ne per Divinam quidem potentiam fieri poteſt, ut ſit homo, idemque non ſit animal rationale. Alia nulla per Janſenianos ſupereſt in Statu Naturæ lapſæ Gratia præveniens, quæ verè ſit talis, & ſimul *Abiicibilis*, & *reſiſtibilis*; nam alteri Auxilio, quod non ſit Gratia Victrix, ne nomen quidem Gratię verè Sufficientis attribuunt, ſed affirmare audent cum Paſchali Epiſtolâ ſecundâ eam appellari *ſufficientem* a quibuſdam Theologis *in ſenſu diſtrahente*, quem ipſe per ſummam temeritatem ludibrio traducit.

Sed vel Paſchalis, aliique hujuſmodi homines nunquam illuſtrium eorum Theologorum Opera delibarunt, vel apertiſſimam eorum Sententiam minimè perceperunt, vel maligno artificio diſſimulant ſummum, quod inter illos, ac Janſenianos, diſcrimen intercedit. Theologi illi affirmant, ut ſupra tetigimus, a Sufficienti Gratia collocata in Actu primo compleri adæquatè Potentiam

ad

ad producendum opus ſalutare, v. g. ad Divina Præcepta ſervanda. Gratiam autem Efficacem vel pertinere ad Actum Secundum, & ſe tenere ex parte ejuſdem Actus Secundi, ideoque etiam abſque illa ſupereſſe Potentiam ad eadem Præcepta ſervanda: vel ſi aliquibus quandoque placuit admittere Gratiam Efficacem ex parte Actus Primi, profectò tamen eam non exquiſiverunt quaſi conſtitutivam Potentiæ Proximæ, quæ ſine illa ſemper adæquatè ſupponitur in Operante completa per aliam Gratiam Sufficientem; ſed eam collocabant in Actu Primo, tanquam aliquod requiſitum, non ut Liberum Arbitrium *poſſet* abſolutè operari, ſed tantummodo ut *operaretur*. Janſeniani autem contendunt, ad conſtituendam Potentiam, ſive Actum Primum, in ordine ad ſalutare opus in Actu Secundo producendum, neceſſariam eſſe in ipſo Actu Primo Gratiam Efficacem Medicinalem Chriſti, ac Delectationbm Victricem, adeo ut ſine ipſa Liberum Arbitrium non ſit proximè potens ad opus ſalutare. Contra ipſos tantùm evici, quod abſque hac ſecunda Gratia, neceſſaria, ut ipſi opinantur, ad conſtituendam Potentiam, alia nulla Gratia eſſet verè Sufficiens.

Nihil prodeſt Janſenianis, quod Concilium dicat obſervanda eſſe Præcepta, quantum quiſque poterit.

§. VI.

PEtrus Suavis Polanus perpetuus Sacri Concilii Tridentini Cavillator, omnia in illud tela depromens, quæ prodeſſe poterant Hæreticis, qui eò uſque inſurrexerant, unum ſuggerit, quo uti poſſent erupturi deinde e Tartaro Janſeniſtæ, videlicet, quod Sacra Synodus in Decreto Seſſionis Secundæ hortata omnes fuerat ad ſervanda Divina Præcepta, *quantum quiſque poterit*; quæ limitatio, ut ipſe inquit, erat impia, ſi ſervari abſolutè poterant omnia, ſicuti deinde Synodus eadem definivit.

Sed facillimè hoc telum infringitur; aliud enim eſt, ſervare *abſolutè*, aliud ſervare *perfectè*. Servari *abſolutè* poterant omnia, ſed non *perfectè*, videlicet abſque tepiditate, & abſque incurſu in Veniales Culpas, a quibus neque Juſti ipſi exempti ſunt, ut in eodem Decreto Synodus declaravit. Aliud profectò eſt dicere: *Quantum quiſque poterit*, & aliud fuiſſet dicere: *quæ*, vel, *quoties quiſque poterit*: ſicuti dicendum fuiſſet, ſi vel *aliquod* ex Divinis Præceptis ſervari non poſſet, vel *aliquando* alicujus ex ipſis eſſet impoſſibilis obſervatio. Non negavit igitur hic S.Synodus id, quod alibi apertè affirmavit, videlicet, quod *omnia* Divina Præcepta ſervari a Juſtis poſſint.

Reſpondetur Propoſitionibus Primæ Janſenianæ damnationem ſubterfugere fruſtra laborantibus.

§. VII.

AD primam, videlicet: *Defuit Petro Gratia, ſine qua nihil poſſumus, quando Chriſtum negavit*: Reſpondeo, hanc includi tanquam particularem in illa univerſali Janſeniana: *Aliqua Dei Præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia. Deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant*. Profectò enim jubebatur tunc Petrus a Dei præcepto non negare Chriſtum Dominum, neque illi tunc deerat Gratia ſufficiens in Actu primo, qua poſſet hoc præceptum ſervare, ſi hæreticum eſt dicere, quod defuerit. Cum autem liqueat ex Definitione S.Concilii, quod obſervari poſſint *omnia* Divina præcepta, & ſemper adſit Gratia Divina neceſſaria ad hoc præſtandum, incaſſum Arnaldus detrahere tentavit odium Propoſitioni Janſenianę illam coarctando ad S.Petrum, cui certè non defuit Gratia neceſſaria ad Chriſtum non negandum, cum ex univerſali definitione S.Concilii: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini, etiam juſtificato, & ſub Gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, Anathema ſit*: præter alia generalia Decreta, & Canones ſuperius allegatos.

Ad ſecundam, videlicet: *Adeo neceſſaria eſt ad rectè operandum Gratia Efficax, ut ſine ea non poſſit homo rectè operari. De Juſto ergo Gratia Efficaci deſtituto optimè verificatur, deeſſe illi Gratiam, ſine qua nihil poſſumus*: Reſpondeo, hanc Propoſitionem contradictoriè opponi alteri Catholicæ: *Non eſt neceſſaria Gratia Efficax, qua de facto rectè homo operetur, ut verum ſit, ipſum poſſe rectè operari.* Nam certè Petrus v.g. poterat rectè operari non negando Chriſtum Dominum, licet rectè operatus non fuerit. Id etiam, quod infertur a Propoſitione jam expenſa, contradictoriè opponitur Catholicæ Illationi, videlicet: *De Juſto ergo Gratia Efficaci deſtituto*, v. g. de Petro Chriſtum negante, *non verificatur, deeſſe illi Gratiam, ſine qua nihil poſſumus*.

Ad tertiam, videlicet: *Nec tamen cogimur aſſerere eſſe aliqua præcepta hominibus juſtis impoſſibilia: deeſſe quoque illis Gratiam, qua poſſibilia fiant. Abſit a nobis, ut tam perversè de Deo ſentiamus. Benignus, & Miſericors eſt, dives in omnes, qui invocant illum:*

Reſpon-

Reſpondeo, quod veriſſima, & Catholica eſt hæc Propoſitio; ſed ſi ſtatuatur poſt antecedentem, videlicet: *Adeo neceſſaria eſt &c.* vel non percipitur vis ejuſdem antecedentis: vel videtur alia ſubdolè adjecta ad velandam Impietatem prioris Propoſitionis; niſi enim ſubſequens apertè contradicat antecedenti, non poteſt loqui de Gratia verè Sufficienti, qua poſſibilia fiant Præcepta omnia, poſtquam immediatè ante affirmatum eſt, dari Præcepta, *pro quorum obſervatione deſit Juſto Gratia, ſine qua nihil poſſumus*: atque expreſſum fuit, quod ſine Gratia efficaci *homo non ſolùm non operatur rectè, ſed etiam non poteſt rectè operari*: Et hoc quidem affirmatum fuit univerſaliſſimè, ſcilicet pro quocumque eventu, in quo non conferatur Juſto Gratia Efficax. Hoc autem contingit quotieſcumque, qui prius erat Juſtus, tranſgreditur Dei præcepta. Igitur ſi præcedens Propoſitio percipiatur, fruſtra ejuſdem venenum cælare ſatagitur hac altera Propoſitione, cum pateat eam non ſolùm coincidere in illas Janſenii, & Arnaldi, ſed etiam eſſe illis univerſaliorem. Janſenius enim agit ſolummodo de aliquibus Præceptis impoſſibilibus Juſto, & Arnaldus exemplum ſolummodo affert de uno. Hæc autem ſecunda Propoſitio, cujus nequitiam fruſtra conatur occultare Tertia, extenditur ad qualemcumque Præceptorum tranſgreſſionem; quotieſcumque enim hæc contingit, profectò Juſtus Efficaci Gratia deſtituitur.

Ad quartam, ſcilicet: *Damnatus a S. Concilio ſolùm fuit error Lutheri, & Calvini, affirmantium impoſſibilia ſemper eſſe Præcepta omnibus Juſtis, utcumque Spiritu Dei adjuventur*: Reſpondeo, quod cum demonſtraverimus, a Concilio univerſaliter definiri, quod ſervari poſſint *omnia* Divina Præcepta, manifeſtiſſimum eſt, non damnari tantùm Lutherum, & Calvinum, negantes ſervari poſſe *ullum* ex Divinis Præceptis, ſed etiam Janſenium ipſum afferentem, eſſe impoſſibilem *alicujus* ex illis obſervationem. Præterea cum compertiſſimum eſſet Apoſtolicæ Sedi damnatas a Concilio fuiſſe hæreſes Lutheri, & Calvini, loquentium de Impoſſibilitate ſervandi ullum ex Divinis Præceptis, profectò eadem S. Sedes non ignoravit diſcrimen inter *Omnia*, & *Aliqua*, dum poſt damnatam hæreſim Lutheri, & Calvini, loquentem *de omnibus*, hæreticam quoque deinde declaravit Propoſitionem, quam amplexus erat Janſenius, coarctatam *ad aliqua*.

CAPUT II.

SECUNDA PROPOSITIO JANSENIANA.

Interiori Gratiæ in Statu Naturę Lapſæ nunquam reſiſtitur.

Subterfugia quò ad Secundam Propoſitionem Janſenianam.

1 DAntur Auxilia Dei extrinſeca, & remota, reſiſtibilia, v. g. hoc theatrum Univerſitatis obiiciens intellectui notitiam Creatoris ſui: Prædicatio Evangelii, & alia hujuſmodi.

2 Dantur etiam aliæ Gratiæ Interiores diverſæ ab illis, quæ univerſis impenduntur Nationibus, ſcilicet Illuſtrationes quædam, & Motiones reſiſtibiles; licet præter illas neceſſaria ſit alia Gratia Efficax irreſiſtibilis præveniens hominem ad conſtituendam Potentiam Obſervationis Dei Præceptorum, vel alterius operis ſalutaris faciendi.

3 Ipſæ Illuſtrationes, & Motiones vocari poſſunt Gratia Efficax in ordine ad illos ipſos actus, in quibus ipſæ conſiſtunt.

4 Quamvis Gratia Efficax ſit irreſiſtibilis tunc, quando infunditur, nihilominus non eſſet talis in ſenſu diviſo, ſive ſe teneat ex parte Actus Primi, ſive Secundi.

5 Ipſa Gratia Efficax appellari poteſt etiam ſufficiens, quia certè ſi producit opus bonum, ſufficit ad illud producendum.

6 Ideo non eſt malè damnata hæc Propoſitio: *Interiori Gratiæ in Statu Naturæ Lapſæ nunquam reſiſtitur*; quia, licet omnis Gratia ſit Efficax quò ad proximum ſuum effectum, propter quem datur, nihilominus eidem ſæpe reſiſtitur quò ad effectus remotos, videlicet, quia licet ſemper Gratia obtineat effectum, v. g. Converſionem ad Fidem, vel Pœnitentiam, aliquando tamen contra Delectationem Gratię majorem exurgit aliqua Delectatio Concupiſcentiæ minor, quæ quidem neceſſariò debet cedere Gratiæ, facit tamen ſemper aliquam reſiſtentiam.

Propoſitiones Antijanſenianæ.

Gratia Dei Præveniens, reddens nos ſimpliciter potentes ad opus ſalutare, quam conſiſtere in Illuſtrationibus Intellectus, & pijs Motibus Voluntatis, verum putamus, eſt Abiicibilis, & Reſiſtibilis.

§. I.

TAngente Deo cor hominis per Spiritus Sancti Illuminationem neque homo ipſe nihil omnino agit Inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt; neque tamen ſine Gratia Dei movere ſe ad Juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poteſt. (1)

In Sacris Literis cum dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: Libertatis noſtræ admonemur. Cum reſpondemus: Converte nos, Domine, ad te, & convertemur, Dei nos Gratiâ præveniri confitemur. (2)

Cum Concilium declarat quolibet Mortali peccato amitti Gratiam, ſed non Fidem, poſt enumeratas varias ſpecies peccatorum ſubdit: *Maledicos, rapaces, cæteroſque omnes, qui lethalia committunt peccata, a quibus cum Divinæ Gratiæ adjumento abſtinere poſſunt.* (3)

Affirmat igitur Concilium, *adeſſe Divinæ Gratiæ adjumentum*, quod certè ſit abiicibile, etiam illis, qui Mortalia committunt peccata, quique certè tunc non habent Gratiam illam, quam Janſeniſtæ dicunt nedum intrinſecè Efficacem, ſed etiam cui nunquam reſiſtitur, aut reſiſti poteſt illam *abiiciendo*, & cum qua proinde incurrere nullatenus quis poteſt in Culpam lethalem.

Si quis dixerit Liberum hominis Arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſsentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam Juſtificationis Gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit &c. Anathema ſit. (4)

Eſt igitur apertiſſimè definitum a Concilio, quod *poſſit abiici Gratia Dei* nos præveniens, & *eidem poſſit diſsentiri*, videlicet poſſit fieri, vel non fieri, opus ſalutare, in ordine ad quod Deus nobis confert ſuam Gratiam prævenientem ſimpliciter neceſſariam. Neque enim Concilium docet *poſſe abiici* ipſam Illuminationem Spiritus Sancti (idem proportionaliter dicendum de prævio illo Motu, qui præcedit, & cauſat hos Actus in Sententia Thomiſtarum) aut Motum, quo Deus tangit cor hominis; hi enim actus excitantur a Deo *in nobis ſine nobis*, ut docet S. Auguſtinus, & patet experientiâ: *ſine nobis* videlicet eligentibus Illuminationem, & Motum illum, qui tamen a Deo *in nobis*, perque noſtros actus vitales, producuntur. Significat igitur Concilium, quod Gratia eſt *Abiicibilis*, ac *Reſiſtibilis* per hoc, quod illâ poſſimus non uti ad producendos alios actus ſalutares, in ordine ad quos nos Deus prævenit & præparat, v. g. ad Converſionem ad Fidem, vel ad Pœnitentiam: & quod poſſumus *eidem Gratiæ prævenienti diſsentire, ſi velimus*, non faciendo id, ad quod Gratia præveniens nos invitat, ſed ipſimet Gratiæ prævenienti reſiſtendo.

Ex his inferimus Gratiam Prævenientem conſiſtere in Illuſtrationibus Intellectus, & piis Motibus Voluntatis, cum Concilium affirmet, quod Præparatio ad Juſtificationem, & proportionaliter ad quodcumque aliud ſalutare opus, *ſit a Deo per Spiritus Sancti Illuminationem* ex parte Intellectus, & per hoc, quod *Deus tangat cor hominis* per ſuaves Motus in Voluntate. Per hos Motus, & Illuminationes dicitur *homo a Deo moveri, & excitari*; ideoque hanc eſſe Interiorem Gratiam Dei nos Prævenientem, veriſſimum puto. Thomiſtæ verò cenſent, quod licet Illuſtrationes Intellectus, & Motus Voluntatis dentur quidem, & requirantur juxta Concilium, non tamen ſint Prima Gratia Præveniens, ſed hoc nomine appellentur in ordine ad alios effectus ſubſequentes.

Gratia eadem præveniens poteſt abiici, eique poſſumus diſsentire tunc, quando nobis confertur.

§. II.

TAngente Deo cor hominis per Spiritus Sancti Illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agit Inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt. (5)

Si quis dixerit, Liberum hominis Arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſsentiendo Deo excitanti, atque vocanti &c. neque poſſe diſsentire, ſi velit &c. Anathema ſit. (6)

Loquitur igitur Concilium *de Actuali Motione, & Actuali Illuminatione*, cum dicat: *tangente Deo cor hominis &c. illam & abiicere poteſt*; videlicet tunc, quando actu Deus tangit. Et pariter Synodus dicit, quod poſſumus *diſſentire Deo excitanti, atque vocanti*: videlicet tunc, quando actu excitat: & manifeſtiſſimum eſt, non *poſse abiici* Gratiam, quando illa non confertur actu: *neque poſse diſsentiri Deo vocanti*, quando ille non vo-

(1) *Seſs.6.Dec.5.* (2) *Seſs.6.Dec.5.*
(3) *Seſs.6.Dec.13.* (4) *Seſs.6.Can.4.*

(5) *Seſſ.6.Dec.5.* (6) *Seſs.6.Can.4.*

vocat. Et licet Canon 4. mox relatus accipiatur a Thomiſtis ut favens Gratiæ ex intrinſecis efficaci, adhuc tamen fatentur, tunc, quando hæc datur, haberi Potentiam ad ipſi reſiſtendum, eſto, non ad componendum cum ipſa diſſenſum, ut alibi clariùs expendetur.

Concilium ſupponit, quod reipſa abiiciatur Gratia eadem præveniens, quæ nempe potentes nos reddit ad opus ſalutare, illique reſiſtatur.

§. III.

CUm Concilium declarat, quolibet Mortali Peccato amitti Gratiam ſanctificantem, ſed non Fidem, poſt enumeratas varias ſpecies peccatorum, ſubdit: *Maledicos, rapaces, cæteroſque omnes, qui lethalia committunt peccata, a quibus cum Divinæ Gratiæ adjumento abſtinere poſſunt.* (1)

Affirmat igitur, adeſſe *Divinæ gratiæ prævenientis adjumentum* ſimpliciter neceſſarium etiam illis, *qui lethalia committunt peccata*, quique certè *abiiciunt hoc adjumentum*, illique diſſentiunt; alioqui enim non peccarent lethaliter.

Præterea Concilium in toto Decreto de Juſtificatione loquitur tam de illis, qui a Deo per Gratiam prævenientem invitantur ad Fidem, quàm qui ad Pœnitentiam, cum prius eſſent Fideles. Ex utraque autem Claſſe innumeri ſunt, qui *Gratiam* prævenientem *abiiciunt, eidemque diſſentiunt*, renuentes accedere ad Fidem, aut ad Pœnitentiam, cum ex Oraculo Divino Chriſti Domini: *Multi ſint vocati, pauci verò electi. Matt.* 22.

Nimium quantum experimur, quod frequenter reſiſtitur Divinæ Gratiæ Prævenienti (in quocumque ea conſiſtat) non faciendo id, ad quod alliciunt Illuminationes, & Inſpirationes Divinæ, atque ſuaves Motus a Deo excitati in voluntate. Hæc autem a Catholicis negari nequeunt intellecta de Gratia Prævenienre, quæ ſit neceſſaria ad complendam Potentiam proximè expeditam ad Actus Supernaturales, de qua loquimur. Imò Thomiſtæ contendunt, hujuſmodi Gratiæ non ſolùm frequenter, ſed ſemper reſiſti, quotieſcumque non ſuccedit etiam ex parte Actus Secundi alia Gratia Efficax.

Concilium nullam Prævenientem Interiorem Gratiam agnovit præter Abiicibilem, & Reſiſtibilem.

§. IV.

HOc patere primò videtur ex eo, quod de nulla alia Gratia præveniente Synodus loquatur. Eſt autem penitus incredibile, quod ſi, præter *Gratiam abiicibilem*, ac talem, *cui poſſit diſſentiri*, Concilium exiſtimaſſet neceſſariam eſſe aliam quoque Gratiam prævenientem diverſiſſimæ rationis, videlicet nedum intrinſecè, & ex natura ſua eſſentialiter efficacem, ſed & *inabiicibilem*, & cui, cum a Deo confertur, *diſſentiri, ac reſiſti non poſſit ab homine*, nullum de illa verbum feciſſet Synodus Sacroſancta.

Excluditur Gratia inabiicibilis ex verbis adhibitis a Synodo.

§. V.

SI quis dixerit, liberum hominis Arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam Juſtificationis Gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit; ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere, Anathema ſit. (2)

Hìc primò S. Synodus attribuit *liberam cooperationem hominis Arbitrio moto, & excitato a Deo per aſſenſum præſtitum ipſi Deo excitanti, atque vocanti*. Cognoſcit præterea Concilium in eodem hominis Arbitrio *potentiam diſſentiendi, ſi velit*: & addit *Præparationem Arbitrii, & Diſpoſitionem ad obtinendam Gratiam Juſtificationis non fieri ab homine, velut a re quapiam inanimi, nihil omnino agendo, merèque paſſivè ſe habendo*. Ex hoc autem loquendi modo patenter excluditur Gratia illa Præveniens, quam Janſenius decernit eſſe nedum eſſentialiter Efficacem, ſed & *Inimpedibilem, Inabiicibilem, & Irreſiſtibilem*, atque ſitam unicè in Cæleſti Delectatione Victrici, quæ debeat eſſentialiter ſuperare Delectationem Terrenam Concupiſcentiæ abſque Potentia in oppoſitum. Quamvis enim Janſenius affirmet, Delectationem illam Cæleſtem eſſe Actum Vitalem per modum Complacentiæ, aut Deſiderii, non tamen ſolummodo dicit eſſe Indeliberatum, & minimè liberum, (quod Catholici omnes concedimus de Illuſtrationibus Intellectus, & piis Motibus Voluntatis excitatis a Deo *in nobis ſine nobis*, in quibus, ſi non unicè, præcipuè ſaltem conſiſtit Gratia præveniens, quam juxta Sacrum Concilium *poſſumus abiicere, illique reſiſtere*) ſed præterea Janſenius aſſerit, Delectationem illam Cæleſtem ejuſmodi eſſe, ut homo nullatenus impedire potuerit, ne ſibi cælitus infunderetur: & poſtquam eſt infuſa, *nullatenus poſſit illam abiicere, vel illi diſſentire, aut reſiſtere*, ſi futura eſt Gratia verè Sufficiens;

(1) *Seſs.6. Dec.* 13.

(2) *Seſs.6. Can.* 4.

ciens; nam aliam excitantem, hæſuram in Deſideriis inefficacibus, Janſenius non cenſet Sufficientem. Igitur, licet conſiſteret in Actu Vitali, nihilominus *quò ad illius intra ſe receptionem, aut reſiſtendi Potentiam, ſe homo haberet, velut inanime quoddam, nihil omnino agendo, merèque paſſivè ſe habendo.*

Lutherus etiam, & Calvinus, collocare videntur Gratiam Prævenientem in aliquo Actu Vitali, ac tamen illis exprobrat Concilium, quod opinentur, Gratiam Dei nedum intrinſecè, & eſſentialiter Efficacem, ſed & per ipſos Inimpedibilem, *Inabiicibilem, & Irreſiſtibilem,* ſuſcipi ab homine, velut *a re quapiam inanimi, nihil omnino agendo, merèque paſſivè ſe habendo.* Ergo æquè per eadem Synodi verba excluditur Gratia omnino ſimilis deſcripta a Janſenio.

Expenduntur alia Synodi verba eidem Gratiæ inabiicibili repugnantia.

§. V I.

D*Eclarat præterea, ipſius Juſtificationis exordium in adultis a Deo per Chriſtum Jeſum præveniente Gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus Vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem Gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum Juſtificationem eidem Gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponantur: ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti Illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat Inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt.* (1)

Explicatur hic a Concilio totum id, quod præſtat Deus Optimus Maximus, dum hominem præparat ad Juſtificationem, ideoque proponuntur ea omnia, in quibus, præcipuè ſaltem ex dictis, conſiſtit Gratia preveniens, ſcilicet, *Illuminatio Spiritus Sancti, & Divinus Attactus humani cordis* per ſuavem Motum Voluntatis. Et in ordine *ad hæc recipienda intra ſe* definit Concilium, quod *homo ipſe* aliquid agit (idem enim eſt *agere aliquid, & agere non omnino nihil*) *Inſpirationem illam recipiens*. Ac deinde Synodus oſtendit, quid ſit hoc ipſum *agere non omnino nihil,* addens: *quippe qui illam & abiicere poteſt.* Ergo Concilium excludit Gratiam ejuſmodi prævenientem, quæ infundatur homini nullam habenti Potentiam abiiciendi eamdem, illique reſiſtendi. Nulla igitur alia Gratia præveniens tanquam ſimpliciter neceſſaria admittitur a Concilio, niſi quam poteſt liberum hominis Arbitrium *abiicere*, illique reſiſtere, ſeu qua poteſt uti, & non uti, in ordine ad Converſionem, vel alium actum ſalutarem, ad quem per Inſpirationem illam, & cordis Attactum diſponebatur, & præparabatur a Deo.

(1) *Seſſ. 6. Dec. 5.*

Ex Merito, quod Synodus in homine agnoſcit, excluditur Gratia præveniens, quæ a Janſenio dicitur Victrix, prorſus Inabiicibilis, & Irreſiſtibilis.

§. V I I.

S*I quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe Dona Dei, ut non ſint etiam ipſius juſtificati Merita, aut juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei Gratiam, & Jeſu Chriſti Meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum Gratiæ, Vitam Æternam, & ipſius Vitæ Æternæ, ſi tamen in Gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam Gloriæ augmentum, Anathema ſit.* (2)

Oſtendemus Capite ſequenti contra Tertiam Propoſitionem Janſenianam, *non ſufficere ad Meritum Libertatem a Coactione, ſed requiri etiam Libertatem a Neceſſitate.* Hanc autem Libertatem a Neceſſitate patenter excluderet Delectatio illa *Inimpedibilis, Inabiicibilis, Irreſiſtibilis, & cui nullatenus diſſentiri poſſet,* in qua conſiſteret Gratia Dei præveniens, Efficax intrinſecè ex natura ſua, & eſſentialiter talis. Igitur cum Concilium agnoſcat in homine veram rationem Meriti in ordine ad augmentum Gratię, atque conſecutionem, & augmentum Gloriæ, non potuit eadem Synodus admittere Gratiam Efficacem, prout pingitur a Janſenio.

Detegitur Synodi mens illi eſſentialiter Victrici, & Irreſiſtibili Gratiæ contraria ex Cauſa formandi Decreta, & Canones contra Pelagianos, & Semipelagianos.

§. V I I I.

S*I quis dixerit, hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per Legis doctrinam fiant, abſque Divina per Jeſum Chriſtum Gratia juſtificari poſſe, Anathema ſit.* (3)

Si quis dixerit, ad hoc ſolum Divinam Gratiam per Chriſtum Jeſum dari, ut facilius homo juſtè vivere, ac Vitam Æternam promereri poſſit, quaſi per liberum Arbitrium ſine Gratia utrumque, ſed ægrè tamen, & difficulter, poſſit, Anathema ſit. (4)

Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti Inſpiratione, atque ejus adjutorio, homi-

(2) *Seſſ. 6. Can. 32.* (3) *Seſſ. 6. Can. 1.*
(4) *Can. 2.*

minem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei Juſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit. (1)

Ex his tribus Canonibus liquet, Cauſam illos, alioſque formandi fuiſſe Concilio non ſolam impugnationem Lutheranorum, aliorumque Hæreticorum omnia tribuentium Gratiæ Divinæ, liberumque hominis Arbitrium evertentium; ſed etiam Pelagianorum, & Semipelagianorum, ex adverſo nimis extollentium vires humani Arbitrii, & negantium neceſſitatem Gratiæ Divinæ, vel talem neceſſitatem imminuentium, ut clariùs explicabitur Capite 4. Interim ex hac Cauſa damnandi hoſtes Gratiæ Divinæ inferimus, quod ſi Concilium cenſuiſſet ſimpliciter neceſſariam eſſe, ut poſſit quis bene operari, non ſolùm Gratiam abiicibilem, & cui poſſit diſſentiri (per quam reddimur ſimpliciter potentes operari opus ſalutare) ſed & aliam *Inabiicibilem*, & eſſentialiter Efficacem, & *Irreſiſtibilem*, omnino definire debuiſſet talis Gratiæ neceſſitatem.

Idem confirmatur ex Cauſa damnandi Lutheranos, & alios humanæ Libertatis everſores.

§. IX.

EX ſexdecim Decretis, atque Triginta tribus Canonibus Seſſionis 6. ferè omnes ſunt contra Lutherum, alioſque recentiores Hæreticos, qui licet Veterum errores ferè omnes ab Inferis revocaverint, ideoque nonnulli ex ipſis Pelagio adhæſerint, nihilominus plerique toti ſunt in neganda humani Arbitrii Libertate, & aſtruenda Neceſſitate peccandi, quando Divina Gratia præveniente deſtituimur, cui Gratiæ totaliter attribuunt bonum opus, quando ab homine perpetratur. Si ergo Sacra Synodus credidiſſet ſimpliciter neceſſariam eſſe Gratiam illam prevenientem nedum eſſentialiter Efficacem, ſed & *Inabiicibilem*, & *Irreſiſtibilem*, profectò explicare debuiſſet, quonam pacto nihilominus illa poſſet non lædere humani Arbitrii Libertatem, quam omnino ſubſiſtere Concilium frequenter inculcat. Hoc autem nedum Concilium non explicat, ſed omnino repugnans eſſe declarat, dum integram libertatis rationem in eo ſupponit conſiſtere, quod liberum hominis Arbitrium Gratiæ Prævenienti, quæcumque ea ſit, *poſſit diſſentire, ſi velit*. Patet, quod majus periculum Libertati immineret ab illa Gratia nedum intrinſecè Efficaci, ſed & *Inabiicibili, cuique diſſentiri non poſſet, quàm ab altera abiicibili, & cui queat humanum Arbitrium diſſentire*. Ergo cum Synodus explicuerit, quo pacto cum hac ſtare poſſit humana libertas, multò magis conata fuiſſet explicare, quomodo eadem Libertas ab illa alia Gratia non extingueretur, ſi verè neceſſariam eſſe illam quoque aliam Gratiam Synodus cenſuiſſet, & putaſſet, illam quoque cum humana Libertate conciliari poſſe.

Expenditur Sedulitas Concilii in explicanda Gratia præveniente.

§. X.

CArdinalis a Monte, qui deinde fuit Julius III. ſan: mem: tunc primus Præſidens S. Concilii Tridentini Bononiam tranſlati, ſic alloquutus fuit Patres: *Scimus, quod cum eſſemus Tridenti, & crederemus, ſpatio quindecim dierum expediri poſſe Decretum Juſtificationis, coacti fuimus inſudare in eo ſeptem continuis menſibus, non intermittendo unum diem, & habendo ſæpe duas Congregationes in uno, & eodem die. Ubi agitur de Fide, de Dogmatibus, de confundendis Hæreticis, oportet, nos cum pede plumbeo procedere, & interdum in unius verbuli diſcuſſione longo tempore immorari*. (2)

Etiamſi ſemel tantùm in die per ſeptem Menſes habitæ fuiſſent Congregationes, iſtæ prætergrederentur numerum ducentarum, multòque plures illas fuiſſe affirmavit Primus Concilii Præſidens, dum Patres, quorum plurimi eiſdem interfuerant, alloquebatur. Quis ergo in animum poſſit inducere, quod cum verba omnia tam ſolerter diuturno examini ſubiiciebantur, nullum factum fuerit de illa Efficaci eſſentialiter, & *Inabiicibili* Gratia præveniente, quæ ſi eſſet ſimpliciter neceſſaria ad quodcumque opus ſalutare, profectò Spiritus Divinus pluri-mis ſuggeſſiſſet, ut eadem neceſſitas explicaretur, neque Synodus traderet ſolam Doctrinam de alia Gratia *abiicibili, & cui poſſit diſſentiri?*

Veritas magis dilucidatur ex qualitate Præſulum, aliorumque Theologorum, qui Synodò aderant ante Decreta Seſſionis Sextæ.

§. XI.

PRæter multos Epiſcopos aſſumptos ex variis Religioſis Ordinibus, & celeberrimos Theologos, v. g. Dominicum Sotum Ordinis Prædicatorum, reperimus in ſubſcriptionibus poſt Seſſionem Sextam R. P. Franciſcum Romæum Generalem ejuſdem Ordinis Prædicatorum, R.P. Bonaventuram Pium

(1) *Can.* 3.

(2) *In Alloquutione ad prorogandam Seſſ. xi.*

Pium Generalem Ordinis Minorum Conventualium, R.P.Hieronymum Seripandum Generalem Ordinis Eremitarum S.Auguſtini, R. P. Nicolaum Audetum Generalem Ordinis Carmelitarum, R. P. Auguſtinum Bonucium Generalem Ordinis S.Mariæ Servorum: ex quibus Seripandus,& Boncius paulò poſt relati fuerunt in Sacrum Cardinalium Collegium. Omnes autem erant viri doctiſſimi, primique Magiſtri in Scholis SS.Auguſtini, ac Thomæ, inque illis Scoti, Baconii, & Henrici. Manifeſtum autem videtur, quod ſi tunc ab ulla ex hujuſmodi Scholis cognita fuiſſet hæc prætenſa neceſſitas Gratiæ nedum intrinſecè,ac eſſentialiter Efficacis, ſed & *Inabiicibilis, & Irreſiſtibilis*, aliquis ex illis Sacræ Synodo ſupplicaſſet, ut de illa ſaltem quæſtio inſtitueretur, & in Decretorum, & Canonum formatione, niſi talis neceſſitas decernenda fuiſſet, ita ſaltem Veritas Catholica circa reliquos Articulos explicaretur,ut nullum præjudicium inferri poſſet ſententiæ, quæ apud Catholicos Theologos viguiſſet.

Cautela hæc a Concilio adhibita fuit quò ad alias materias plurimas, ut conſtat ex Actis, & ex Hiſtoria Cardinalis Pallavicini, qui quò ad hanc ſolùm commemorat, a P.Magiſtro Chriſtophoro a Padua Succeſſore Seripandi in Auguſtinianorum Generalatu, & a P.Jacobo Lainez, tunc in Synodo Theologo Pontificio, ac deinde Generali Societatis Jeſu, ſuggeſtum fuiſſe, Vocationes nonnullas extraordinarias,& rariſſimas, v.g.illam S.Pauli, tales eſſe,quibus homines nequeant reſiſtere: atque hanc fuiſſe S. Auguſtini Sententiam, licet Sanctus Doctor cenſuerit communes Vocationes *reſiſtibiles, & abiicibiles* eſſe, Patavinus affirmavit. Nihilominus Patres noluerunt explicare quidquam circa rariſſimas,& penitus extraordinarias hujuſmodi Vocationes, ſed ſolùm in Canone, ubi ſtatuitur, quod *poſſumus diſſentire Deo vocanti*, loco *hominis* (quod nomen appoſitum fuerat in forma Canonis præparati) appoſuerunt *Liberum hominis Arbitrium*,pro ut nunc exſtat: *Si quis dixerit, Liberum hominis Arbitrium &c. neque poſſe diſſentire, ſi velit*.Ita cautiſſimè loquuti ſunt, quia in eo caſu Vocationis extraordinariæ,ac neceſſitantis, non remaneret *Libertas Arbitrij* juxta propriam, & communem illius ſignificationem; ideoque non fuit inſtituta Quæſtio, utrum propoſitus Caſus Vocationis neceſſitantis ſit poſſibilis *in homine*, cum ſatis fuerit declaraſſe, non eſſe poſſibilem *in Libero Arbitrio hominis*.

Ex hoc ultro apparet, alieniſſimum fuiſſe Concilium ab opinione, quod quæcumque Dei Vocatio compleatur per Gratiam nedum intrinſecè & ex Natura ſua eſſentialiter Efficacem, ſed & *Irreſiſtibilem*, *Inabiicibilem*, & cui nequeat diſſentiri, eamque a nulla Catholica Schola fuiſſe admiſſam. (1)

Ea, quæ ſubiiciam in hoc, & ſequentibus Paragraphis uſque ad decimumſextum incluſivè, nexum habent cum Sententia, quod Deus ab æterno cognoverit non ſolùm res omnes contingentes abſolutè futuras, ſed etiam futuras conditionatè: atque illas quidem cognoverit in intrinſeca earum veritate, abſque eo, quod neceſſe illi fuerit formare in priori Signo Decreta abſoluta ex parte Actus, & conditionata ex parte Objecti, ut in illis Decretis cognoſcere poſſet Veritatem illorum objectorum conditionatè futurorum. Cum autem de hoc modo Divinæ Scientiæ vigeat controverſia in Catholicis Academiis, meum conſilium non eſt urgendi Janſenianos hac unica via, ſed eam ſolùm proponendi, quæ vera mihi videtur, Textuique Concilii conformior. Superſunt aliæ, quas ineunt alii Theologi doctiſſimi ad eoſdem Janſenii Aſſeclas revincendos. Sed mei inſtituti non eſt in hoc breviſſimo Enchiridio ſemitas omnes ſemper arripere.

Major Gratia Præveniens conſiſtit in majori Illuſtratione, & Motione Divina.

§. XII.

Liquere mihi videtur ex dictis,quod,cum ex Doctrina S.Concilii Divina Gratia præveniens nihil aliud ſit, quàm *Illuminatio* ex parte Intellectus, & *Motio* ex parte Voluntatis, per quas, ut inquit S.Auguſtinus, *Appareat,quod latebat,& ſuave fiat,quod non delectabat*: tunc hæc Gratia præveniens eſt major in ſe, quando major eſt Illuminatio, & ſuavior Motus, magiſque alliciens ad Converſionem, vel alios actus ſalutares, ad quos nos Deus præparat, & diſponit; ſed ita ſemper, ut *Motus* ille, ſicut *Illuminatio*, fiat per actus vitales Voluntatis, & Intellectus in nobis a Deo excitatos, & a nobis *abiicibiles*, & reſiſtibiles: ſive, *quibus poſſimus diſſentire*, ſaltem cum ſervanda eſt Libertas humani Arbitrii, ut explicuimus §. antecedenti.

Aliquando datur Major Gratia præveniens diſſenſuro, quàm conſenſuro, ſi ſpectetur intrinſeca Gratiæ Natura.

§. XIII.

Afferri poſſent innumera exempla ad hanc Veritatem oſtendendam; ſed ſuffi-

(1) *Seſs.6. Can.* 4.

ſufficiat inter ſe comparare Judam Proditorem, & Bonum Latronem. Cum ex Definitione Concilii Gratia præveniens conſiſtat in *Illuminatione*, & *Motione vitali*, leguntur in Evangelio mirifica ſigna Amoris a Chriſto Domino exhibita Judæ, quæ omnia, licet fuerint Gratiæ extrinſecæ, nihilominus eadem ſigna, præſertim oſtenſa immediatè ab ipſo Reparatore noſtræ Salutis, comitari ſolebant Internæ *Illuminationes*, & *Motiones*, ad Judam ab immani ſcelere compeſcendum; multòque pauciora exhibita Bono Latroni. Si ergo ſpectentur intrinſeca prædicata totius Gratiæ prævenientis, multò major fuit complexio illius tributæ Judæ, quàm collatæ Bono Latroni; & nihilominus Judas *illam abjecit*, *eique diſtenſit*; Latro illam fuit amplexus, & conſenſum eidem præſtitit.

Nihil ſimile dici poteſt a Janſenianis, quamvis profiteantur, Delectationem Victricem, in qua juxtà ipſos conſiſtit Gratia Efficax, eſſe relativam, atque tunc eſſe Victricem, quando ſuperat Delectationem Concupiſcentiæ; ideoque ſtante Delectatione aliqua Cæleſti eadem entitativè, atque in eodem gradu intenſionis, poſſe nihilominus illam non eſſe Gratiam Efficacem in ordine ad opus ſalutare, ac ſolummodo excitandum ab illa eſſe deſiderium inefficax ejuſdem operis, ſi conſurgat prævalens Delectatio Concupiſcentiæ; ſi verò hæc ſit minor, tunc eamdem ipſam Delectationem Cæleſtem fore Victricem, & Gratiam Efficacem.

Vaniſſima profectò eſt hujuſmodi eluſio, quia cum Deus decreverit per Janſenianos infundere Delectationem Victricem ante omnem abſolutam, aut conditionatam Prævisionem humani Conſenſus, aut Diſſenſus; & illa, quæ futura eſt Victrix, non ſolùm ſit ab homine Inimpedibilis propter Carentiam indicatæ antecedentis Previſionis; ſed etiam, dum actu confertur, ſit omnino Inabiicibilis, & Irreſiſtibilis ex Natura ſua: & è converſo alia, quæ in Deſideriis inefficacibus eſt hæſura, ſit eſſentialiter talis: & Janſenius Delectationi illi Cæleſti ab homine abiiciendæ ne nomen quidem *Gratiæ Sufficientis* attribuat: manifeſtiſſimum eſt, nullatenus a Janſenianis dici poſſe, quod *aliquando detur major Gratia Præveniens diſtenſuro*, *quàm conſenſuro*, *ſi ſpectetur intrinſeca Gratiæ Natura*, cum per ipſos diverſiſſima ſit harum Natura Gratiarum, & multò præſtantior intrinſecè, atque eſſentialiter, ſit illa, quæ conſenſuro tribuitur.

Verum quidem eſt, quod Gratia per nos collata homini conſenſuro, v.g. Bono Latroni, poteſt appellari major intenſivè, quàm collata non conſenſuro, licet huic poſſit conferri major extenſivè, ſicuti re ipſa major extenſivè fuit attributa Judæ, quàm Bono Latroni. Sed hæc intenſio ſolùm conſiſtit in ipſa Congruitate, videlicet in eo, quod Deus Optimus Maximus volens omnino obtinere conſenſum Boni Latronis elegerit ex theſauro ſuorum Auxiliorum illud, cui prævidit dandum infallibiliter eſſe conſenſum. Et certè Auxilium illud, quantumvis dici queat majus intenſivè, non fuit ejuſmodi, *ut non potuerit abiici*, *eidemque diſtentiri*; hoc enim eſſet contra univerſalem Sacri Concilii Definitionem de Auxilio qualicumque, quod conſertur libero hominis Arbitrio.

Si verò quæratur, cur etiam pro Juda non ſelegerit Deus aliquod ex illis Auxiliis finalibus, cui prævidiſſet ipſum quoque conſenſurum, alia reſponſio dari nequit, præter illam Apoſtoli: Rom. 11. *O Altitudo Divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei*, *quàm incomprehenſibilia ſunt Judicia ejus*, & *inveſtigabiles viæ ejus*! In hoc Selectu Divino Auxiliorum congruorum (quæ ſcilicet, licet in ſe intrinſecè ſint talia, *ut poſſint abiici*, *eiſque poſſit diſtentiri* juxta Concilium, nihilominus præviſa ſunt a Deo conjungenda cum Perſeverantia finali in bono, vel Converſione ad illud) præcipuè conſiſtit Prædeſtinatio pendens a libero Arbitrio Divino, ſed talis, ut excluſi a numero Prædeſtinatorum conqueri non poſſint, niſi de ſe, qui præviſi ſunt diſſenſuri Auxiliis illis, quæ ex intrinſeca natura ſua fuiſſent ſufficientiſſima ad obtinendam finalem eorum Perſeverantiam in bono, vel Converſionem ad illud.

Si verò conſiderentur ea omnia, quæ circumſtant extrinſecè Gratiam Prævenientem, major eſt illa, quæ datur conſenſuro.

§. XIV.

Dubitari non poteſt, præſuppoſitum fuiſſe a Sapientiſſimis Sacri Concilii Patribus, quod infinita Dei Sapientia præcognoverit ab æterno qualemcumque uſum bonum, vel malum, Gratiæ ſuæ prævenientis hominibus tribuendæ, videlicet cuinam Auxilio Petrus v.g. eſſet conſenſurus, & cuinam Judas diſſenſurus, ex innumeris illis Auxiliis, quæ habebat in Theſauro ſuæ Omnipotentiæ, quorum plurimis diſſenſurus fuiſſet Petrus, & aliis plurimis Judas conſenſurus. Per quamcumque demum Scientiam, & quocumque nomine appellandam, iſta omnia præcognoverit Deus, certiſſimè ſuppoſuit Concilium, quod nihil illum latuerit, non ſolùm ex illis, quæ futura erant re ipſa, ſed etiam ex illis, quæ futura fuiſſent,

ſent, ſi datæ fuiſſent, vel eſſent dandæ, aliæ circumſtantiæ, quæ nunquam datæ ſunt, & nunquam dabuntur. Legerant v. g. Patres Concilii in Evangelio exprobratum fuiſſe a Chriſto Domino Betzamitis, & Corozaitis obſtinatis in malo: *Si in Tyro, & Sidone, factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in Cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Matt. 11. In Tyro autem, & Sidone, neque prædicaverat unquam, neque Miracula ediderat, aut editurus erat; ideoque hæc Revelatio Divina de Converſione Tyriorum, & Sidoniorum, verſata fuit circa objectum, quod nunquam futurum erat, ſed futurum fuiſſet in circumſtantiis nunquam purificandis.

Manifeſtum porrò eſt, opinari non potuiſſe Sacram Synodum, quod Chriſtus Dominus præviderit hanc Converſionem Tyriorum, & Sidoniorum tanquam eventuram poſt Decretum Divinum de Gratia nedum intrinſecè Efficaci, ſed & *Inabiicibili, & Irreſiſtibili*, danda Tyriis, & Sidoniis, tum quia nullam vim habuiſſet Exprobratio facta Betzamitis, & Corozaitis, quibus eamdem Gratiam non dederat; alioqui enim etiam ipſi converſi fuiſſent: tum quia (ut ſolis a Concilio petitis argumentis utamur) cum Synodus definiverit Gratiam Divinam Prævenientem, quæ de facto datur hominibus, *eſſe abiicibilem, & cui poſſit diſſentiri*, ideoque *reſiſtibilem*, impoſſibile eſt, quod eadem Synodus opinata fuerit, cognitam a Chriſto Deo fuiſſe Converſionem illam conditionatam, tanquam eventuram poſt Decretum de danda Tyriis, & Sidoniis Gratia præveniente omnino diverſa, imò etiam contraria, illi, quam de facto dari Concilium definivit.

Cum igitur Deus præcognoverit ab Æterno (ut certè Concilium ſupponit) cuinam Gratiæ prævenienti ſinguli homines ſint conſenſuri, vel diſſenſuri, ſi ſeligat illam, cui re ipſa aliquis conſentiet, hæc dicitur major extrinſecè ob hanc ipſam Prævisionem, licet in ſe realiter, & intrinſecè fortaſſe ſit minor, ſicut minor intrinſecè fuit Gratia præveniens tributa Bono Latroni, quàm collata Judæ; ſed nihilominus major extrinſecè fuit illa Boni Latronis. Præſtantia hæc extrinſeca unius Gratiæ prævenientis conſiſtit in hoc ex Doctrina S. Auguſtini, quod *Deus decernat vocare hominem eo modo, quem ſcit illi eſſe congruum, ut repulſam non det vocanti*: ſive, ex forma loquendi adhibita a Concilio, decernat vocare ita, *ut non abiiciat*, & reddat fruſtraneam Gratiam ſuam, *nec eidem diſſentiat*.

Explicuimus modum, quo ſtatuitur Præſtantia unius Gratiæ prævenientis ſupra aliam, quamvis *Liberum hominis Arbitrium cuilibet Gratiæ poſſit diſſentire, illamque abiicere*: hunc, inquam, modum expoſuimus ineundo unam ex viis, cui multi Catholici Doctores inſiſtunt. Diverſas arripiunt alii; ſed omnes inhærent Definitionibus Sacri Concilii, ac ſtrenuiſſimè defendunt Concluſiones penitus oppoſitas illis Janſeniſtarum.

Gratia præveniens conſiderata in ſe intrinſecè eſt indifferens, ut conjungatur cum conſenſu, vel diſſenſu; licet ſit extrinſecè determinata Divina circa illam Præſcientia.

§. XV.

Quod ſit intrinſecè indifferens, apertiſſimum mihi videtur ex Definitione Concilii affirmantis, quod *abiici poſſit, eique poſſit diſſentiri*. Atque hìc notandum videtur id, quod ex authenticis Actis narrat Cardinalis Pallavicinus, videlicet, propoſitum fuiſſe a R.P.M. Bonaventura Pio Minorum Conventualium Generali, ut adderentur Decreto circa Gratiam prævenientem hæc verba, *cum ſit in noſtra poteſtate illam recipere*; ſed opportunius viſum fuiſſe declarare Catholicam Veritatem illis aliis verbis: *quippe qui illam & abiicere poteſt*: quæ ſubiiciuntur illis aliis: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti Illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agit Inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt.* Opportunior, inquam, viſa fuit hæc loquendi forma, quàm illa: *cum ſit in noſtra poteſtate illam recipere*, quia cum Deus *in nobis ſine nobis* excitet *Illuminationem illam Intellectus, & Attactum* Voluntatis, non eſt in noſtra poteſtate illam recipere, vel non, ſed eſt in noſtro Arbitrio, ut *illam abiiciamus eidem diſſentiendo, vel eam retineamus conſentiendo*. (1)

Eſt ergo intrinſecè indifferens, ut conjungatur cum conſenſu, vel diſſenſu; ſed nihilominus eſt extrinſecè determinata Divina circa illam Præſcientia, quia infunditur a Deo certiſſimè prævidente, utrum illi homo ſit conſenſurus, vel diſſenſurus.

(1) *Seſſ. 6. Dec. 5.*

Omnis Gratia præveniens dici poteſt quodammodo Efficax, non quia trahens infallibiliter Actum, ſed quia potentes reddens ad illum ponendum; licet non ſit Efficiens, hoc eſt ſemper illum trahens: nec, propriè loquendo, dicendum eſt ab homine addi Efficaciam Gratiæ Divinæ.

§. XVI.

EX eo, quod Synodus neget dari ullam aliam Gratiam Prævenientem, præter illam, quam dicit *eſſe abiicibilem, & cui poſſit humanum Arbitrium diſſentire*, congruenter inferri poteſt, quod ſi *Efficacia* ſumatur pro Potentia producendi actum bonum, v. g. Converſionem, in ordine ad quam a Deo tribuitur homini Gratia præveniens, omnis talis Gratia nuncupari poſſit Efficax, quia verè omnis Gratia præveniens conſtituit talem Potentiam ex parte actus primi, licet ex parte actus Secundi requiratur alia Gratia Cooperans ſimul cum homine re ipſa ſe convertente ad Deum per conſenſum præſtitum Gratiæ prævenienti. Quamvis igitur non omnis Gratia præveniens ſit *Efficiens* re ipſa, ſcilicet producens effectum intentum a Deo illam conferente; omnis tamen dici poteſt *Efficax*, in quantum omnis tribuit homini Potentiam ad producendum effectum bonum, licet homo ipſe culpâ ſuâ effectum bonum frequentiſſimè non producat *abiiciendo Gratiam Dei* prævenientem, *eidemque diſſentiendo*.

Dum ergo opponitur, inconveniens eſſe, quod homo ipſe addat *Efficaciam* Gratiæ Divinæ ſecundùm ſe indifferenti, ut ſit Efficax, vel non, negandum omnino eſt ab homine addi ullam Efficaciam poſitivam eidem Gratiæ illam ex ſe habenti; & ſolùm concedendum eſt, ab homine conſentiente Gratiæ non poni eidem Gratiæ Obicem, quem poſſet ponere, atque per hoc compleri quodammodo Gratiam in ratione *Efficientis*. Quod Arbitrium creatum aliquid conferat ad *Efficientiam* Gratiæ in actu ſecundo, liquet ex illo Apoſtoli: *Non ego, ſed Gratia Dei mecum*: & ex illo Auguſtini: *Nec ego ſolus, nec Gratia ſola, ſed Gratia mecum*; illud tamen ſemper, & conſtanter retinendo, quod Arbitrium creatum concurrat ad *Efficientiam* Gratiæ in actu Secundo dependenter ab ipſa Gratia, & non aliter, niſi cum Adjutorio ipſius. Ita ſi quæratur, utrum homo poſſit addere Soli *Efficaciam* illuminandi? Reſpondetur non poſſe addere Efficaciam poſitivam; illam enim Sol habet ex ſe: poſſe autem ab homine poni Obicem Soli, claudendo Palpebras, quas ſi occluderet, profectò Sol illum non illuminaret actu. Hæc potentia ponendi Obicem, ideoque reddendi *inefficacem*, ſeu verius *inefficientem* actu, Gratiam Divinam, & Solem, nullatenus imminuit utriuſque Gloriam.

Quod talem potentiam homo habeat, apertiſſimè definivit Sacrum Concilium, declarans, Divinam Gratiam Prævenientem *ab homine abiicibilem eſſe, eidemque Liberum hominis Arbitrium diſſentire poſſe*.

Incolumis igitur perfectiſſimè remanet Gloria Gratiæ Divinæ per hoc, quod ipſa præveniens habeat ex ſe vim producendi actum ſalutarem, niſi *homo illi diſſentiat, eamque abiiciat*: perque hoc, quod, ſi homo illi conſentiat, Conſenſus ipſe præſtetur ab homine per aliam Gratiam Cooperantem.

Fruſtranea eſſet Gratia Præveniens, quæ intrinſecè, & ex natura ſua eſſet merè ſufficiens, neque talis, quæ conſtituat nos proximè potentes ponere effectum.

§. XVII.

JAnſeniani affirmantes diverſam eſſe Naturam intrinſecam Gratiæ prævenientis, & unam eſſentialiter eſſe Efficacem, atque *Inabiicibilem, & Irreſiſtibilem*, & infallibiliter, & inſuperabiliter connexam cum effectu: & aliam eſſentialiter per ſe *inefficacem* & merè *ſufficientem*, ſive, ut ipſi loqui ſolebant, merè *excitantem*, & ex Natura ſua talem, ut nunquam cum effectu conjungi poſſit: fateri compelluntur, hanc ſecundam Gratiam eſſe fruſtraneam. Fruſtranea enim profectò eſt Potentia illa, quæ ex natura ſua cum effectu nunquam conjungi valet. Talis autem eſſet Potentia illa ad actum bonum, v. g. ad Converſionem, quam Janſeniani agnoſcerent in præveniente Gratia appellata Sufficienti, nunquam valente in actum prodire ex intrinſeca, & eſſentiali conſtitutione ſui.

Si verò Gratia præveniens talis naturæ ſit, ut per ipſam Effectus haberi poſſit, eſto, re ipſa nunquam habendus ſit, ſive quia collata fuerit *ſub Præviſione Diſſenſus ab homine præſtandi* juxta Principia, quæ omnino vera cenſemus: ſive quia ex aliorum Theologorum ſententia non ſit intrinſecè Efficax, & ex ſuis conſtitutivis infallibiliter cum conſenſu connexa, non tamen ob id ullo modo dici poteſt fruſtranea in ſe ipſa, quia talis ſemper redditur ex culpa hominis uti nolentis adæquatâ, & expeditâ Potentiâ producendi conſenſum, quam Potentiam in Gratia Prævenienti ſimpliciter ad id neceſſaria Catholici omnes agnoſcunt.

Per ſummam abuſionem vocabuli appellaretur ſufficiens Gratia, quæ neceſſariò indigeret conſortio alterius non tantùm, ut operaretur, ſed etiam ut poſſet operari.

§. XVIII.

Innuimus hoc §. 5. Capitis primi, & inculcandum nunc eſt,cum ex profeſſo impugnatur Secunda Hæretica Janſeniana Propoſitio affirmans, *Interiori Gratiæ in Statu Naturæ lapſæ nunquam reſiſti*. Fruſtra tegere conantur Hæreſim ſuam Janſenii Affeclæ dicentes,quod,licet *nunquam reſiſtatur Gratiæ* ex Natura ſua Efficaci, per ipſos *Inabiicibili, & Irreſiſtibili*; datur tamen alia Gratia *Sufficiens, cui ſemper reſiſtitur*. Fruſtra, inquam, ad has latebras confugiunt, quia non niſi per ſummam abuſionem vocabuli appellari ab ipſis poteſt *Sufficiens* Gratia illa, quæ ſe ſola non conſtituit *per ipſos* adæquatam Potentiam producendi actum ſalutarem, cum ad eam adæquatam Potentiam conſtituendam neceſſariò præterea requiratur *per ipſos* alia Gratia Præveniens nedum *eſſentialiter Efficax*, ſed & *Inabiicibilis, & Irreſiſtibilis*. Ergo *per ipſos nunquam reſiſtitur Interiori Gratiæ verè ſufficienti*.

Sed *ſufficientiſſima* in omni vera acceptione vocabuli dici poteſt Cratia illa præveniens, qua potentes ſimpliciter efficimur ad opus ſalutare, quamque admittit S. Concilium *abiicibilem, & cui poſſit diſſentiri*, quia certè ſufficit illa, quæ non indiget conſortio ullius alterius ad conſtituendam totam illam potentiam producendi actum ſalutarem, v. g. Converſionem, quam Deus ex parte ſua tribuere debet homini,ut poſſit ſalutares actus producere. Adeo, inquam, ut hæc,*cui nimis frequenter*, vel, ut aliis placet,ſemper reſiſtitur, niſi ſuccedat Præmotio ex parte Actus Secundi, dici poſſit etiam *Efficax*: præſertim in noſtris Principiis, licet non *Efficiens*: juxta quæ Principia ſi ſpectetur, *Efficax* vocatur illa, quam Deus tribuit ex Prævifione Conſenſus: *Sufficiens*,quam poſt Prævifionem Diſſenſus.

Ex eo, quod homo poſſit abiicere Gratiam, & illi diſſentire, non ſequitur, quod conſentiens diſcernat ſe primò & primariò a non conſentiente.

§. XIX.

Petrus Suavis famoſus hoſtis Sacri Concilii Tridentini, & Lutheranorum, atque Calviniſtarum Interpres, illos ſub tacito Theologorum, quos Catholicos exiſtimari optat,nomine inducit inſurgentes contra Sanctæ Synodi declarationem, quod Gratia Dei præveniens *ſit abiicibilis, eidemque poſſit diſſentiri*. Ex hoc enim, inquit,ſequeretur, Vaſa Miſericordiæ ſeparanda eſſe ab illis Iræ ab ipſis hominibus,& non a Deo, contra illud, quod ſupponit Apoſtolus interrogans hominem: *Quis enim te diſcernit?* (1.Cor.4.)Nam ſi Divina Gratia præveniens eſt intrinſecè indifferens, & determinatur ad Efficaciam per humanum conſenſum, diſcernitur, & ſeparatur ille, qui eſt conſenſurus finaliter,ideoque futurus Vas Miſericordiæ, a diſſenſuro finaliter,qui proinde futurus eſt Vas Iræ, ab ipſo homine finaliter conſenſuro, & non a Deo.

Mirum non eſt, quod hæc celeberrima objectio allata fuerit a Suavi,& a manifeſtis Hæreticis, quorum tutelam ipſe ſuſcepit; ſed vehementer admirari poſſumus, quod eamdem frequenter in medium afferant Janſeniani,qui ab ipſo quoque Janſenio, nedum a Luthero, & Calvino, abhorrere ſe profitentur, ideoque obſequentiſſimè a ſe coli gloriantur Sacroſancti Concilii Tridentini Definitiones.

Duplici autem tramite ingrediuntur Theologi Catholicæ Fidei retinentiſſimi ad nodum hunc diſſolvendum; qui enim, ex ſupra indicatis, diſtinguunt Gratiam Sufficientem ab Efficaci ex intrinſecis utriuſque Gratiæ conſtitutivis, ex eo videlicet, quod Sufficiens detur ad ſimpliciter *poſſe*, ſitque intrinſecè penitus indifferens, adeo ut conjungi valeat cum alterutra Contradictionis parte; Efficax autem detur *ad actum* infallibiliter exititurum,cum quo ab intrinſeco dicat connexionem, licet componi poſſit, & componatur cum Potentia, quam intactam relinquat, ad oppoſitum Actus eliciendi: hi, inquam, Theologi cenſent nullius roboris eſſe id, quod obiicitur, cum refundant Diſcretionem Conſentientis a Diſſentiente unicè in Dei Voluntatem ex ſolo ſuo beneplacito impertientis Diſſentienti Gratiam purè Sufficientem, quæ conſtituat quidem in illo completam Potentiam præſtandi Conſenſum ex parte Actus Primi, quem tamen Conſenſum Gratia illa ſecum non trahat, ſemperque verum ſit,quod homo ex ſui pervicacia reſiſtit Gratiæ:conſentienti verò docent attribui a Deo Gratiam ab intrinſeco Efficacem, *Abiicibilem* quidem, & *Reſiſtibilem*, ſed talis virtutis, ut nunquam ei voluntas reſiſtat, illamque abiiciat, licet poſſit eam *abiicere*,illique *reſiſtere*. Unde inferunt, falſum omnino eſſe,quod Vaſa Miſericordiæ a Vaſis Iræ diſcernantur per ipſummet Libertatis Aſſenſum.

Qui verò nobiſcum propugnant,& verè,

ut

ut cenſemus, Gratiam Sufficientem ab Efficaci non diſtingui entitativè, ſed ab extrinſeco, & ex Præviſione Conſenſus, aut Diſſenſus, & ex Amore ſpeciali Dei eligentis Gratiam, quam Auguſtinus appellat *Congruam*, tribuendam homini conſenſuro, nil reformidant concedere, quod ultima Diſcretio Conſentientis a Diſſentiente a Concilio attribuatur Libero hominis Arbitrio per hoc ipſum, quod dicat, Gratiam Prævenientem eſſe *abiicibilem*, & cui *humanum Arbitrium poſſit diſſentire, ſi velit*.

Hinc tamen non efficitur, quod primus, & primarius diſcretor Vaſorum Miſericordiæ ab illis Iræ ſit homo ipſe contra ſuppoſitum Apoſtoli; primus enim diſcretor fuit Deus ipſe decernens ab Æterno conferre Petro v.g. Vocationem illam finalem, & Gratiam Congruam, cui prævidit conſenſurum, loco alterius Gratiæ, ac Vocationis Incongruæ, cui prævidit diſſenſurum.

Ad interrogationem igitur illam Pauli: *Quis enim te diſcernit?* reſpondent conſequenter, non alium eſſe, quàm Deum, ſi ſermo ſit de prima, & primaria diſcretione, de qua ſola loquitur Paulus, agens de ipſa Prædeſtinatione, non de illius effectu. Secundam autem diſcretionem præſtat quidem aliqualiter homo ipſe per illud *non omnino nihil*, quod agit juxta Concilium, ſcilicet per liberum conſenſum Vocationi Divinæ, *cui potuiſſet diſſentire illam abiiciendo*: volente Deo hoc ipſum, videlicet, quod hæc ipſa Secundaria diſcretio liberè fiat ab homine, ſimul tamen cum ipſo Deo per aliam Gratiam cooperantem ſuperadditam prævenienti, per quam Deus hanc quoque Secundariam diſcretionem primariò præſtat, & verificatur aliud Apoſtoli Oraculum: *Non ego, ſed Gratia Dei mecum*.

Quod ultima diſcretio fiat ab homine ipſo confirmatur etiam ex eo, quod Apoſtolus in eadem Epiſtola hortetur Ethnicos converſos ad Fidem ad non ſuperbiendum, ne Ipſi quoque, ſicut Hebræi, à Deo relinquantur: perque tot Capita illos urgeat ad bona opera: & alibi Corinthios admoneat (Epiſt.2.cap.6.) *ne in vacuum recipiant Gratiam Dei*. Hæ autem hortationes, & admonitiones, omnino futiles, &, ut Pallavicinus inquit, *ſtultæ eſſent*, ſi, quos Apoſtolus hortatur, ponere nequiviſſent illud *non omnino nihil*, de quo loquitur Concilium, *& reddere vacuam Gratiam Dei* prævenientem *illi diſſentiendo*. Hæc omnia melius pateſient per ſequentes Paragraphos hunc dicendi modum corroborantes, altero nullatenus impugnato.

Vis humani Arbitrii a Deo confortati, conſequenter ad dicta, explicatur auctoritate Sacri Concilii.

§. XX.

Qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus. Ita non habet homo, unde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo movemur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum & acceptantur a Patre. Si ergo ex Divinis Oraculis allatis a Concilio *poſſumus omnia confortati a Deo per Chriſtum* Dominum, *licet ex nobis nihil poſſimus*, quid mirum, quod eo cooperante conſentientes Gratiæ prævenienti nos ultimò diſcernamus a non conſentientibus? præſertim ſi animadvertatur, quod ſic dicendo. (1)

Determinatio Gratiæ indifferentis facta ab homine nihil Dei Gloriam imminuit.

§. XXI.

Poſtquam S.Synodus declaravit poteſtatem humani Arbitrii *ad abiiciendam* Gratiam prævenientem, illique diſſentiendum, & alia ſubjecit de proprio Merito hominis per Dei Gratiam, addit: *Si quis dixerit, per hanc Doctrinam Catholicam de Juſtificatione a S. Synodo hoc præſenti Decreto expreſſam aliqua ex parte Gloriæ Dei, vel Meritis Jeſu Chriſti Domini Noſtri derogari, & non potius Veritatem Fidei noſtræ, Dei denique, ac Jeſu Chriſti, Gloriam illuſtrari, Anathema ſit.* Nil igitur Gloriæ Dei derogatur per hoc, quod Diſcretio Conſentientis a Diſſentiente ultimò refundatur in hominem, ſed potius illuſtratur, dummodo firmum, & inconcuſſum ſit, ipſum neutiquam viribus propriis utcumque ſe ultimò diſcernere, ſed poſt primam Diſcretionem Divinam ſuperius expenſam §. 19. & confortatum a Divina Gratia ipſi collata ex Meritis Chriſti Domini, quam licet *abiicere* poſſit, eique *reſiſtere*, virtute tamen ipſius Gratiæ nec *abiicit*, nec illi *reſiſtit*. Animadvertant igitur, quam juxta hæc Principia in ipſos ſententiam tulerit Sacrum Concilium, Janſeniani illi, qui dicunt, parum honorificam Deo, & ejus Gloriæ derogantem, eſſe ultimam hanc diſcretionem conſentientis a non conſentiente homini tributam ab ipſa Synodo. (2)

Aa 2 In

(1) *Seſſ.*14.*Dec.*4. 2.*Cor.*3. *Galat.*6. *Lucæ* 3.
(2) *Seſſ.*6. *Can.* 33.

Digitized by Google

In quonam prima diſcretione Concilium ſupponat conſiſtere Divinam Electorum Prædeſtinationem.

§. XXII.

PRoſequimur cætera explicare ex indicatis, quæ amplectimur, Principiis, ut pateat clarius, juxta ea a Concilio omnia tribui Deo, quæ poſſunt ſalva hominis Libertate. Cum ex Auguſtino Prædeſtinatio ſit *Præſcientia, & Præparatio Beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur*: horum Beneficiorum, & Auxiliorum Seriem pro Electis liberrimè ſelegit Deus, & præcipuè ſelegit ultimum, cui prævidit ipſos finaliter conſenſuros, licet eidem *poſſent diſſentire* juxta Concilii Definitionem.

Hanc Electionem fecit Deus ex Amore ſpeciali erga Electos, & ex præcipua ſua propenſione ad Conſenſum finalem ab ipſis præſtandum Vocationi ſuæ. Hinc eſt, quod ſi prævidiſſet Deus illos non conſenſuros plurimis Vocationibus ſuis, ſelegiſſet aliam, cui certè finaliter eſſent liberè conſenſuri.

Ex hoc ſpeciali Amore, præter Scientiæ de conſenſu præſtando certitudinem ſuperius expenſam, rurſus oritur, quod primus, & primarius diſcretor conſentientis a non conſentiente ſit Deus ipſe.

Quid ſignificet illa Eccleſiæ ad Deum Oratio: Ad te noſtras, etiam Rebelles, compelle propitius Voluntates.

§. XXIII.

HUjus Orationis uſum licitum amplius Eccleſiæ non fore blaſphemat *Suavis*, poſtquam Concilium definivit: *humanum Arbitrium poſſe diſſentire Deo Vocanti*. Janſeniani autem contemnentes vim Synodalis illius Definitionis, ex hac Oratione inferunt, *Gratiam Dei prævenientem eſſe inabiicibilem, & irreſiſtibilem, & cui nequeat diſſentiri*. Sed per eas vetuſtas, & ſapientiſſimas preces, profectò non ignoratas, & receptas a S. Synodo, ſolummodo poſtulatur a Deo Vocatio aliqua omnino Conſenſum, etiam a plerumque obſtinatis, habitura; non tamen talis, quæ *vocatis auferat libertatem diſſentiendi*. Aptiſſimè notat Sfortia Cardinalis Pallavicinus referens hanc Suavis objectionem, quod verbum illud *Compelle* fuit adhibitum etiam in Evangelio a Domino illo; qui repulſam paſſus ab aliis ad ſuum Convivium invitatis dixit Servo: (Luc. 14.) *Exi citò in plateas, & vicos Civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos, introduc huc &c. exi in vicos, & ſepes, & compelle intrare.* Neque tamen præcepit, ut illos ſuis ipſe humeris deferret, aut diſſentiendi libertate privaret; ſed ſolùm, ut ſedulò eos invitaret, ac tam ferventer hortaretur, & rationibus, & precibus, ita urgeret, ut re ipſa venirent, licet ex ſe ipſis immerentes, & deſtituti oculis, aut cruribus ad pronum, & expeditum acceſſum. Igitur *compulſi* non ſunt, imò ipſi quoque præſtiterunt illud *non omnino nihil*, quo ſe a diſſentientibus ſepararunt. Idem contingit, dum Deus ab Eccleſia exoratus invitat etiam Rebelles ad immortale Convivium ſuum Vocatione illa inſolita, & vehementiſſima, quam ſcit eiſdem eſſe congruam, ut, licet conſueti repulſam dare aliis Vocationibus, illi tamen daturi non ſint.

Quod ſi Janſenianis modus diſcurrendi hactenus allatus minimè arrideat, eum amplecti non compelluntur, & alterum propugnare poſſunt ſuperius indicatum: videlicet, Diſcretionem Conſentientis a Diſſentiente antecedenter ad liberi Arbitrii uſum, ejuſque Prævisionem, haberi a Divina Voluntate liberè decernente conferre uni Gratiam, quæ ex ſuis intrinſecis conſtitutivis habeat infallibiliter necti cum futuro conſenſu, quam Gratiam alteri ſtatuit denegare. Hæc autem cum ſit ſpeciale quoddam beneficium, nedum homini penitus indebitum, ſed & nullatenus neceſſarium, ut conſtituatur in homine ipſo Potentia bene operandi, & conſenſum præbendi; unicè dependet a gratuita Dei Beneficentia, & Clementia illud impertiri, cui velit, ac per hujuſmodi Gratiam ad Conſenſum, *reſiſtibiliter* tamen, quaſi *compellere*. Etenim ſic ratiocinando, dummodo firmum ſit, Diſſentientibus Deum nunquam deficere in ſimpliciter neceſſariis, ſed eis ſemper præbere Gratiam undequaque ſufficientem, cum qua poſſint, ſi velint, præſtare Conſenſum, adeout Diſſenſus, quantumvis infallibiliter futurus, nullo modo tribui valeat Carentiæ Gratiæ, quæ det *ſimpliciter poſſe*, ſed ſolius humanæ voluntatis malitiæ; in Conſentientibus verò adeſſe Potentiam reſiſtendi, abiiciendique Gratiam illam, licet intrinſecè *Efficatem*, eſto, nunquam ſint abjecturi: ſi hæc, inquam, dicant, non erit amplius inter nos, & ipſos, ulla colluctatio, niſi Scholaſtica, ac proinde diſcrimen Sententiarum, quarum utraque defendi queat, ſalva ſemper Fidei Catholicæ Unitate, vinculoque pacis, & charitatis.

Quænam ſit Gratia illa Præveniens Efficaciſſima, de qua nonnunquam loquuntur SS. Patres.

§. XXIV.

NOn alia profectò eſt, quàm quæ fuit explicata §. antecedenti, ſcilicet quæ, vel ex intrinſecis efficax, *abiicibilis* tamen, ac *reſiſtibilis*: vel oblata in Circumſtantiis opportuniſſimis, & cum tanta Illuſtratione ex parte Intellectus, tamque Suavi Motu ex parte Voluntatis, ut ad bonum allicientia motiva, quæ prius latebant, appareant in maxima claritate: quæque prius non delectabant, mirificè deinde animum afficiant; ſed nihilominus relinquant *diſsentiendi poteſtatem*, ſi futuræ ſunt Vocationes præbitæ libero hominis Arbitrio, circa quas nimis aperta, & nullatenus in dubium revocabilis, eſt Concilii Definitio, quod *illis poſſit diſſentiri*.

Fortaſſis etiam Patres aliqui putarunt, ut ſuperius animadvertimus §. 11. quod in rariſſimis caſibus vocatus aliquis ita fuerit a Deo, ut reſiſtere non potuerit: ſicuti ſic a Deo fuiſſe vocatum S. Paulum, fuit S. Auguſtini ſententia ex relatione Chriſtophori a Padua. Sed ex eo, quod hæc Vocatio irreſiſtibilis reperiri poſſet *in homine*, ſuſpenſo quò ad illam *Libero Arbitrio*, non ſequitur, quod eadem dari poſſit in ipſo Libero Arbitrio hominis, circa quod habemus expreſſam S. Concilii Definitionem, quod videlicet cuicumque Gratiæ prævenienti conſentire poſſit, & diſſentire.

Diximus, quod in iis rariſſimis caſibus, v. g. in Vocatione S. Pauli, ſuſpenſus quò ad illam fuiſſet uſus liberi Arbitrii, ſi eadem Vocatio fuiſſet *irreſiſtibilis*, quia certè Apoſtolus nequiviſſet vel expreſsè diſſentire illi Vocationi, vel purè omittere Conſenſum; ideoque quò ad ipſam Vocationem liberum ejus Arbitrium exercere non potuiſſet quamcumque ſpeciem actuum, vel omittere liberè Actum qualemcumque. Sacrum autem Concilium, ut explicuimus in allegato §. 11. non negat poſſibilitatem Vocationis hujus irreſiſtibilis in aliquibus caſibus, qui dari poſſint in homine; ideoque conſultò immutavit vocem illam, *homo*, quæ erat in primo exemplo Canonis præparati, in hanc aliam, *Liberum hominis Arbitrium*, dum voluit definire, quod ipſum *Liberum Arbitrium a Deo motum, & excitatum, poteſt diſſentire, ſi velit, Deo excitanti, atque vocanti*. (1) Hæc autem Definitio deinde facta amplectitur omnes Vocationes, ideoque quamcumque Gratiam Prævenientem, quam Deus confert Libero Arbitrio hominis in Ordine Conſueto Providentiæ ſupernaturalis, licet in rariſſimis caſibus contuliſſet S. Paulo, & aliis fortaſſe quibuſdam, Vocationem *Irreſiſtibilem*, quæ data fuerit, vel danda ſit *homini*, ſed *non libero Arbitrio hominis*, de quo ſolo Canon loquitur.

Fruſtra Janſenius conſugit ad diſcrimen inter Statum Naturæ Integræ, ac Stantis, & ejuſdem Infirmæ, ac Lapſæ, ut inſerat, Neceſſariam nunc eſſe Gratiam Chriſti Medicinalem, & Victricem, *nedum intrinſecè & eſſentialiter Efficacem, ſed & per ipſum* Inabiicibilem, & Irreſiſtibilem.

§. XXV.

FRuſtra, inquam, diutiſſimè in hoc explicando diſcrimine inter utrumque Statum deſudavit, atque elaboravit Janſenius, niſi profiteri voluit, apertum a ſe bellum indici S. Concilio Tridentino, quod manifeſtè loquutum fuit de Statu Naturæ lapſæ poſt Adæ culpam, dum definivit, Gratiam prævenientem, quæ nunc nobis a Deo confertur, eſſe *abiicibilem*, eique *poſſe liberum hominis Arbitrium diſſentire*, omnemque aliam prævenientem Gratiam rejecit, ut multiplici, & ineluctabili ratiocinatione confecimus. Janſenius autem per ſummam temeritatem poſt hujuſmodi Definitiones affirmavit, *abiicibilem* fuiſſe ſolummodo illam, quæ tributa fuit Angelis, & Primis Parentibus in Statu Naturæ Integræ; nunc verò aliam non dari Gratiam *verè Sufficientem*, & omnino neceſſariam, ut nos ad quodcumque opus ſalutare præveniat, quàm illam, quæ ſit etiam nedum *intrinſecè, & eſſentialiter Efficax ex natura ſua, ſed & prorſus inabiicibilis, infruſtrabilis, & irreſiſtibilis, quam Victricem, & Medicinalem Chriſti Gratiam* appellavit, cum aliam Indifferentem, *Abiicibilem*, & *Reſiſtibilem* in Statu Naturæ Integræ nuncupaverit *Gratiam Sanitatis*. (2)

Supervacaneum eſt ulterius progredi, ut oſtendatur, hanc etiam partem Janſeniani Syſtematis everſam fuiſſe a Synodo Sacroſancta, cum hoc liqueat ex dictis. Non immoramur igitur in explorandis aliis a Janſenio fusè tractatis, v. g. *de Ignorantia invincibili Juris Naturæ*, quæ dari queat in Statu ipſius Naturæ Lapſæ, ac ſecum trahat neceſſitatem peccandi; ſatis enim eſt decreviſſe Auctoritate Sacri Concilii, quod *Deus* nobis, utcumque in Protoparente lapſis, *Impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis: & petere, quod non poſſis: & adjuvat, ut poſſis*. (3)

Præ-

(1) *Seſs.6. Can. 4.*

(1) *Seſs.6. Dec.5. & Can.4.* (2) *Seſs.6. Dec.21.*

Prætermittimus etiam, quæ Janſenius frequenter inculcat de *Adjutorio, quo, & Adjutorio, ſine quo non*, quorum primo ſignificari putat Gratiam illam indifferentem, quæ data fuerit Angelis, & Adamo; Secundo aliam eſſentialiter determinatam, *inabiicibilem, & irreſiſtibilem*, quæ conferenda neceſſariò ſit in Natura Lapſa, eò quòd ſine illa nequeant homines ſalutariter operari. Hæc, inquam, perinde omittimus, ac reliqua de utriuſque Status diſcrepantia, nam *etiam in noſtro Statu Adjutorium eſſe vel intrinſecè indifferens*, vel, ſi determinatum, nunquam ſaltem tale, quod non poſſit *abiici*, illique *reſiſti*, a Sacra fuit Synodo definitum. Dum ergo S. Auguſtinus, cujus in Operibus verſatiſſimi erant plurimi ex Concilii Patribus, agit de hoc gemino Adjutorio (de quo verbum nullum extat in Synodo) ſub nomine Adjutorii, *quo*, intelligit Gratiam Adjuvantem, ſive Cooperantem: vel, ſecundum Thomiſtas, Gratiam, quam putant quoque Prævenientem, licet eam collocent ex parte actus Secundi, intrinſecè Efficacem, quæ tamen poſſit *abiici*, *eique reſiſti*. Sub nomine autem Adjutorii, *ſine quo non*, Gratiam Excitantem, & abſque dubio Prævenientem, qua completur Potentia proxima ad operandum.

Efficaciam, ſeu verius *Efficientiam extrinſecus advenientem Auxilio ex Divina Præviſione omnium, quæ futura ſunt, aut eſſent*, admittit Janſenius ipſe pro Statu Naturæ Integræ, ut liquet ex iis; quæ ab ipſo retulimus Capite 1. §. 5. Fœlicem illum, ſi Tridentinis Definitionibus acquieſcens non ſomniaſſet, neceſſarium eſſe in Statu Naturæ lapſæ Auxilium nedum eſſentialiter Efficax, ſed & per ipſum *Inabiicibile, & irreſiſtibile*, ideoque *neceſſitans*, ut ipſe concedit, hominem ad aſſenſum.

Fruſtra Janſeniani ex Concilio expiſcantur loca ſibi faventia.

§. XXVI.

CRedi vix poteſt, auſos eſſe Janſenii Aſſeclas aliquid ex hac Sacroſancta Synodo, a qua in anteceſſum damnati apertiſſimè ſunt, pro ſe depromere. Sed ſicut Sacras ipſas Literas Hæretici perversè interpretantur, ita idem præſtant de Sacris Conciliis.

Primò igitur notant, affirmari de Adoleſcentium ætate, quod, *niſi a teneris annis ad Pietatem, & Religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, nunquam perfectè, ac ſine maximo, ac ſingulari propemodum Dei Omnipotentis Auxilio in Diſciplina Eccleſiaſtica perſeveret*. Hoc autem, *maximum, ac ſingulare auxilium* eſt, inquiunt, Gratia nedum intrinſecè Efficax, ſed & *Inabiicibilis, & Irreſiſtibilis*. Ergo verè datur talis Gratia. (1)

Sed negatur Minor Argumenti Propoſitio, cujus falſitatem oſtendunt ea omnia, quæ ſtatuimus. *Maximum* illud, *& ſingulare Auxilium* conſiſtit vel per nos in perfecta Illuminatione Intellectus, & ſuaviſſimo Attactu Voluntatis, ut explicuimus: vel per Thomiſtas in Gratia ex ſui natura Efficaci, quæ, eſto, ducat ſecum infallibiliter Effectum, talis nihilominus ſit, ut *abiici* queat a libero hominis Arbitrio, eique *reſiſti*.

Expendunt ſecundò Canonem tertium Seſſionis ſextæ, quo affirmatur, *hominem ſine præveniente Spiritus Sancti Inſpiratione non poſſe credere*. Sed quis hoc negat? Neque actus Fidei, neque ullus alius elici poteſt ſine præveniente Spiritus Sancti Illuminatione. Sacra verò Synodus affirmat hanc Illuſtrationem *eſſe abiicibilem, & cui poſſit diſſentiri*, non *inabiicibilem, & irreſiſtibilem*.

Allegant tertiò Canonem vigeſimumſextum ubi dicitur, *Chriſtum in Fideles, ut Caput in membra, influere*.

Sed explicat etiam Sacra Synodus hujuſmodi Influxum, qui fit per *Illuſtrationes, & Attactus abiicibiles, & reſiſtibiles*.

Confugiunt quartò nunc nonnulli ad ſenſum compoſitum, & diviſum, & potentiam antecedentem, & conſequentem, affirmando nos poſſe diſſentire Deo Vocanti in ſenſu diviſo ab ipſa Vocatione, non in ſenſu compoſito cum illa: & poſſe diſſentire potentia antecedenti, ſcilicet antequam ipſa Vocatio detur; non autem potentia conſequenti, videlicet poſtquam ipſa data eſt.

Sed, præter dicta §.2.& dicenda Capite ſequenti, nimis aperta ſunt verba Concilii definientis nos *poſſe diſſentire Deo Vocanti*, hoc eſt quando ipſa Vocatio datur, atque proinde in ſenſu compoſito cum ipſa Vocatione, & potentia conſequente poſt collatam nobis Vocationem eamdem. Quænam eſt potentia diſſentiendi Vocationi, quando non vocamur, & antequam vocemur? Dicunt quidem Thomiſtæ, cum Vocatione ad Conſenſum non dari Potentiam ad conjungendum cum ipſa Diſſenſum; ſed quod cum ipſa Vocatione non conjungatur Potentia ad Diſſenſum, nemo non Janſeniſta aſſerere audet.

Afferunt quintò verba illa Concilii, *Liberum Arbitrium a Deo motum, & excitatum poſſe diſſentire, ſi velit*, ex quibus inferunt, admitti a Concilio præviam, & Efficacem Divi-

(1) *Seſſ.23.Dec.18.de Reformatione.*

Diviſam Motionem, & nihilominus negari, quod ex illa tollatur humana Libertas, cum ſupponat ſubſiſtere Liberum Arbitrium, quod moveatur, & excitetur.

Sed prævius ille *Motus* Divinus, de quo loquitur Synodus, quemque nullus Catholicus negat, vel non eſt Efficax ab intrinſeco, vel ſaltem non eſt *irreſiſtibilis*, ſed potius *abiicibilis*, & fruſtrabilis, ut apertiſſimè definivit Synodus, quæ alibi *Motum* illum appellat *Attactum: Tangente Deo cor hominis*. Cum hoc ſupponit jure optimo Concilium ſubſiſtere Libertatem humanam, non autem cum *Delectatione nedum intrinſecè, & eſſentialiter Efficaci; ſed & nullatenus abiicibili, & prorſus irreſiſtibili*, quam inducunt Janſeniani.

Non reformidant demum ſextò examen inſtituere Canonis ſexti, in quo affirmatur *Vocationem Divi Pauli propriè, & per ſe eſſe opus Dei*; ex quo inſerunt, quod eadem Vocatio provenerit a Gratia nedum eſſentialiter Efficaci, ſed & *inabiicibili, & irreſiſtibiliter* effectrice.

Sed Canon hic alia nobis contra Janſeniſtas, quibus non utebamur, arma ſuppeditat. Ejus verba ſunt. *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona, Deum operari non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeo ut ſit proprium ejus opus non minus Proditio Judæ, quàm Vocatio Pauli, Anathema ſit*.

In primis autem de Sancti Pauli Vocatione jam ſupra notavimus §. 11. quod fortaſſe fuit irreſiſtibilis, & facta in *homine*, ſuſpenſo interim *libero hominis Arbitrio*; ideoque ab illa, & ab aliis fortaſſe nonnullis penitus extraordinariis, deſumi non poteſt argumentum ad cæteras, quibus omnibus Concilium definivit *poſſe diſſentire liberum Arbitrium*.

Secundò; Reſpondeo univerſaliter, quemcumque conſenſum Vocationi Divinæ ad actum bonum eſſe *opus per ſe Dei*, vel quia per Thomiſtas Deus contulit Gratiam ab intrinſeco Efficacem, ita ſecum ferentem infallibiliter opus ſalutare, ut ei tamen *reſiſti* poſſit: vel, & ut nos omnino verum cenſemus, quia Deus dedit Gratiam Prævenientem ex prævisione Conſenſus ejuſdem, & ex Intentione ſpeciali Conſenſus præſtandi, & ex Amore præcipuo erga hominem, quem vidit conſenſurum, & ex concurſu ad eumdem conſenſum per Gratiam cooperantem. Quemlibet autem diſſenſum non eſſe *opus per ſe Dei*, quia licet a Deo prævisum, non tamen intentum, nec amatum, imò illi diſplicentem.

Præſcindo a quæſtione, Utrùm Gratia cooperans neceſſaria ſit ſolùm ad actus Virtutum Theologalium, & non requiratur ad illos Virtutum Cardinalium, pro quibus ſufficiat ordinarius Concurſus Dei, eò quòd hi non ſuperent Vires Naturæ; vel Gratia cooperans neceſſaria ſit etiam ad actus Virtutum Cardinalium, quando vincendum eſt vehemens impedimentum; in hoc enim caſu certè non ſufficiunt ordinariæ Vires Naturæ; ſicuti v. g. licet poſſit a robuſto viro elevari grave pondus, hoc tamen fieri nequit per ſolas ordinarias ejus vires, ſi alii contra nitantur, vel pondus id ſit infixum terræ. Ab hac, inquam, quæſtione præſcindo, cum præſenti Controverſię neceſsaria non ſit ejus ſolutio; nam quamvis non concurreret ad aliquem actum Virtutum Cardinalium Specialis Gratia cooperans, tamen ille ex aliis Capitibus eſset *opus per ſe Dei*, videlicet, ex meis indicatis Principiis, quia Deus dediſset Gratiam prævenientem non ſolùm ex prævisione conſenſus præſtandi ad illum actum ſalutarem eliciendum, ſed etiam ex intentione ſpeciali ejuſdem conſenſus, & ex amore præcipuo erga hominem conſenſurum.

Tertiò; Dico, quòd ſi Vocatio Apoſtoli dicenda idcirco eſset *opus proprium Dei*, quia Deus Paulum, & alios omnes ſalutariter operantes impuliſset, & ſemper impelleret *irreſiſtibiliter* ad opus bonum per Gratiam prævenientem inabiicibilem, ſicut Janſeniſtæ opinantur, etiam Proditio Judæ fuiſset *opus proprium Dei*, ut mox oſtendemus.

Retorquetur in Janſeniſtas Locus Concilii comparans Vocationem S. Pauli cum Proditione Judæ, ac demonſtratur ab ipſis attribui Deo Scelera hominum.

§. XXVIII.

PErpetuò inculcat Janſenius neceſsariam eſse in Statu Naturæ Lapſæ Gratiam nedum intrinſecè, & eſsentialiter Efficacem, ſed & *inabiicibilem, & irreſiſtibilem*, propter ſanandam infirmitatem ejuſdem Naturæ, quę omnino ſit impotens reſiſtere tentationibus, & ullum opus ſalutare producere, niſi ad illud habeat impulſum a Victrice, ac Medicinali Gratia Chriſti. Judas ergo hujuſmodi Gratiâ privatus non potuit per Janſenium reſiſtere tentationi ad prodendum, & producere contrarium actum ſalutarem Fidei ſervatæ Divino Magiſtro ſuo. Quamvis igitur Janſenius expreſsè neget attribuendum eſse Deo ſcelus illud immane Judæ, certè tamen affirmat neceſsariam eſse Gratiam Medicinalem Delectationis Victricis *ad conſtituen-*

tuendam Potentiam ſceleris illius evitandi. Et præterea ſemper inculcat Delectationem Victricem, quando infunditur, eſse *inabjicibilem*, & *irreſiſtibilem*.

Et quidquid ſit de Janſenii quò ad hoc mente, certè multi ejus Aſseclæ, dum procumbunt ad Sacerdotis pedes, Deum potius, quàm ſe ipſos accuſant, dicentes: Defuit mihi Gratia ad vitandum Adulterium, Homicidium &c.

Inſaniunt quidem illi, ſed quando admitterentur impia eorum Principia, quomodo juſtè damnare poſset homines Deus, illiſque exprobrare: *Perditio tua ex te; tantummodo in me Auxilium tuum*, ſi ante omnem Prævisionem Abſolutam, aut Conditionatam, ſceleris alicujus a Juda, vel ab aliis Reprobis committendi, decreviſset eos privare *Auxilio* eſsentialiter neceſsario ad conſtituendam Potentiam ſceleris ejuſdem evitandi? (1)

Reſpondetur Propoſitionibus ſubterfugia quærentibus ſecundæ Janſenianæ.

§. XXVIII.

AD primam, qua dicunt: *Dantur Auxilia Dei extrinſeca, & remota, reſiſtibilia, v. g. hoc Theatrum Univerſitatis objiciens intellectui notitiam Creatoris ſui: Prædicatio Evangelii, & alia hujuſmodi.* Reſpondeo, veriſſimam eſse hanc Propoſitionem, ſed a nobis afferri ad explicandum ſubterfugium frequens, ad quod ſe plurimi recipiunt, ne videantur negare Gratiam omnem in aliqua ſignificatione ſufficientem; licet hæc, quam admittunt, ſit extrinſeca, & remota; ideoque illius conceſſio, & poſſibilitas illi reſiſtendi nihil conferat ad tegendam Hæreſim negantium, quod unquam reſiſtatur Interiori Gratiæ in Statu Naturæ Lapſæ. Apoſtolica Sedes definivit *reſiſti* poſſe etiam *Gratiæ Interiori*, quæcumque ea ſit, aut nempe purè Sufficiens, aut Efficax, ſive ab Intrinſeco, ſive ob Prævisionem Conſenſus, ac Sufficienti *reſiſti* re ipſa.

Ad ſecundam, videlicet: *Dantur etiam aliæ Gratiæ interiores diverſæ ab illis, quæ univerſis impenduntur Nationibus, ſcilicet Illuſtrationes quædam, & Motiones reſiſtibiles; licet præter illas neceſſaria ſit alia Gratia Efficax Irreſiſtibilis præveniens hominem ad obſervantiam præceptorum, vel aliud opus ſalutare faciendum*: Reſpondeo, quod pulcherrimam ſpeciem habet prima pars hujus Propoſitionis; videtur enim concedere Gratiam Interiorem verè ſufficientem, cui in Statu Naturæ Lapſæ reſiſtatur, ideoque contradicere Secundæ Janſenianæ affirmanti: *Interiori Gratiæ in Statu Naturæ Lapſæ nunquam reſiſtitur*. Sed in primis falsò ſupponitur, quod *univerſis Nationibus impendantur ſolummodo Auxilia extrinſeca, & remota*, & non etiam ſæpe intrinſeca, & proxima. Atque hæc ſuppoſitio videtur eſſe contraria Oraculo illi Divino Chriſti Domini: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob in Regno Cælorum*: (2) & declarationi Sac. Concilii, quod *Deus dat omnibus affluenter, & non improperat: Et Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos* (3) in ordine Naturali, ex quo efficaciſſimè infertur, quod etiam in Supernaturali Gratiam Interiorem verè Sufficientem proximè, vel remotè, omnibus impendat, & omnibus de ſe, ac ex parte ſua, offerat Auxilium proximum, licet non omnibus actu illud det, quia plurimi ſceleribus immerſi abutuntur Auxilio remoto: v. g. multis datur Vocatio, & Inſpiratio ad audiendam Concionem, vel legendum Librum Spiritualem, quam ſi audirent, vel quem ſi legerent, converterentur ad Fidem, vel ad Pœnitentiam, ad quam haberent Auxilium proximum, quo ex culpa ſua carent, quia non conſenſerunt primæ Inſpirationi, quæ erat Auxilium remotum in ordine ad Converſionem. Præterea prima pars Propoſitionis deſtruitur a ſecunda, quia Gratiæ illæ Interiores, quæ appellantur *Illuſtrationes quædam, & Motiones reſiſtibiles*, nequeunt eſſe Gratiæ verè Sufficientes, ſi *præter illas* (ut declaratur in Secunda parte Propoſitionis) neceſſaria eſt alia Gratia Efficax *Irreſiſtibilis* præveniens hominem &c. Ita igitur explicatur Propoſitio hæc, ut oſtendat cum Janſenio, quod *Interiori Gratiæ* verè ſufficienti *in Statu Naturæ Lapſæ nunquam reſiſtatur*. Demonſtravimus §. 18. quod Janſeniſtæ per ſummam vocabuli abuſionem appellant *ſufficientem* Gratiam illam prævenientem, quæ verè non ſufficit ad conſtituendam Potentiam ullius ſalutaris operis faciendi, niſi præterea neceſſariò detur alia Gratia Efficax ex natura ſua *Inabjicibilis, & Irreſiſtibilis*. Ergo licet reſiſteretur *Gratiæ illi Interiori*, quam ipſi appellant *Sufficientem*, non tamen ſalvaretur ſenſus Catholicus Propoſitionis contradictoriæ illi, quam Sedes Apoſtolica tamquam Hæreticam condemnavit, qui ſenſus Catholicus eſt, quod poſſit reſiſti, quodque re ipſa *reſiſtatur* Interiori Gratiæ verè ac propriè ſufficienti, quando non eſt vel ab intrinſeco Efficax, vel data ſub Prævisione Conſenſus.

Ad tertiam, videlicet: *Ipſæ Illuſtrat iones*

(1) *Oſeæ* 13. 9.

(2) *Matt.* 5. (3) *Seſſ.* 2 *init. Decreti.*

Digitized by Google

nes, & Motiones vocari poſſunt Gratia Efficax in ordine ad illos ipſos actus, in quibus ipſæ conſiſtunt. Reſpondeo, quod, quidquid ſit de hoc modo loquendi, certè tamen, quamvis eſſet aptus, nihil conferre poſſet ad oſtendendum, quod, qui eo utuntur, alieni ſint a Janſenio ſtatuente nunquam reſiſti Gratiæ Interiori non producendo actum ab illa diſtinctum. Certè Deus Efficaciter, & Efficienter excitat Illuſtrationes illas, & Motiones, quas producit *in nobis ſine nobis*. Sedes autem Apoſtolica decernit *dari Gratiam Interiorem, cui propriè reſiſtatur*, non producendo ſcilicet actum ſalutarem, ad quem nos prævenit Deus Illuſtrationibus, & Motionibus illis.

Ad quartam, videlicet: *Quamvis Gratia Efficax ſit Irreſiſtibilis tunc, quando infunditur, nihilominus non eſſet talis in ſenſu diviſo, ſive ſe teneat ex parte Actus primi, ſive ſecundi:* Reſpondeo, nullam a me cenſuram ferri de hac Diſtinctione adhibita a magnis quibuſdam Catholicis Theologis, ex illa inferentibus Concluſiones pariter Catholicas, & admittentibus veriſſima Principia, v. g. quod detur etiam in Statu Naturæ Lapſæ Gratia *reſiſtibilis* verè ſufficiens, cui reſiſtatur. Sed in ſenſu negantium eſſe *reſiſtibilem* Gratiam ullam verè ſufficientem hæc Propoſitio coincidit in illam Janſenii affirmantis, quod *Interiori Gratiæ* verè Sufficienti *in Statu Naturæ Lapſæ nunquam reſiſtatur*. Hæc igitur diſtinctio ab illis adhibita eſt pulvis excitatus contra ſolem Veritatis: tum quia per Senſum Compoſitum non ſolùm Janſeniani intendunt negare Conjunctionem Actus Diſſenſus cum Vocatione per ſe efficaci ad Conſenſum, ſed & Conjunctionem Potentiæ ad Diſſenſum, cum dicant Vocationem ad Aſſenſum eſſe *Irreſiſtibilem, & Inabjicibilem*: tum etiam quia per ipſos neque poſſet reſiſti in ſenſu diviſo ab hac numero Vocatione Efficaci, & Gratia Victrici, quia etiam in quocumque alio caſu deberet dari alia Vocatio Efficax, & Gratia Victrix etiam tunc prorſus *Inabiicibilis, & Irreſiſtibilis*. Demum Sedes Apoſtolica declarat hæreticam Propoſitionem dicentem, quod *nunquam de facto reſiſtatur Interiori Gratiæ propriè Sufficienti*, quæ det ſimpliciter *poſſe*, quæque per ipſos eſt ſola Gratia Efficax *Inabjicibilis, & Irreſiſtibilis*.

Quid autem prodeſt recurſus ad Interiorem Gratiam Efficacem *Irreſiſtibilem*, quæ ſe teneat ex parte actus ſecundi? Summi Pontifices damnantes Propoſitionem Janſenianam loquuntur manifeſtiſſimè *de Gratia præveniente Interiori*, quæ ſit neceſſaria ad ſimpliciter poſſe, cui Janſenius dixerat nunquam reſiſti. Loqui non poteſt Apoſtolica Sedes de Gratia illa, quæ ſe tenet ex parte actus Secundi, ſive Præveniens ea dicatur, *ut contendunt Thomiſtæ: ſive, & , ut opinor, verè, tantùm Cooperans*. Huic enim impoſſibile eſt, ut reſiſtatur, cum actus ſalutaris, qui de facto elicitur per *Gratiam Cooperantem, habeat neceſſitatem illam*, quam appellant Philoſophi Conſequentem; nam unuſquiſque actus, quantumvis liberrimus in ſua Cauſa, nihilominus poſtquam liberè fuit elicitus, neceſſariò exiſtit.

Prætermittimus, quod ſi hæc Gratia Efficax accipienda eſſet pro Delectatione Victrici præparante ad Actum Salutarem, deberet præcedere Actum Secundum. Quid enim eſt *præparare*, niſi exiſtere antequam eliciatur actus Secundus? Et quod ſi ex parte actus Secundi deberet ſuccedere Præparatio, & impulſus hic alligatus uni tantùm parti contradictionis, ſive per modum Cauſæ, ſive per modum Applicationis neceſſariò requiſitæ (ad quod tamen Effugium inconſequenter recurrunt, qui opinantur, Delectationem Victricem requiri tanquam completivam Potentiæ ad agendum) non potuiſſet dari Actus primus indifferens ad utramque, prout requiritur ad Libertatem: Et quod, ſi præter Gratiam indifferentem ex parte Actus Primi, eſſet neceſſaria hæc alia determinata ex parte Actus Secundi *ad complendam adæquatam Potentiam producendi Actum Salutarem*, non eſſet verè *Sufficiens* illa, quæ ſe teneret ex parte Actus primi ad hanc adæquatam Potentiam conſtituendam. Demum neque poſſet reſiſti illi, quæ ſe teneret ex parte Actus primi, ſi, utcumque dicatur Indifferens, eſſet tamen omnino conjungenda cum hac eſſentialiter Determinata ſe tenente ex parte Actus Secundi. Ideo neque hæc Gratia Efficax, neque alia cum hac neceſſariò connexa, poteſt eſſe illa, cui Sedes Apoſtolica dicit reſiſti de facto.

Magni Theologi, qui per ſummam Calumniam a Janſeniſtis allegantur, amplectuntur Concluſiones Catholicas contradictorias illis Janſenii, v. g. *quod nulla Præcepta Dei ſint hominibus Juſtis impoſſibilia: Nunquam deſit Gratia neceſſaria, qua poſſibilia fiant: In Statu Naturæ Lapſæ reſiſtatur re ipſa Interiori Gratiæ verè, ac propriè ſufficienti, id eſt conſtituenti adæquatam potentiam operandi utiliter ad ſalutem: A nulla Dei Gratia præveniente afferatur homini neceſſitas operandi &c.*

Urgeo demum Janſenianos hoc utrimque vulnerante Argumento. Vel ad conſtituendam *adæquatam potentiam producendi Actum ſalutarem*, v.g. Converſionem ad Fidem,

Digitized by Google

dem, aut ad Pœnitentiam, ſufficit Gratia illa præveniens, qua ad opus ſalutare ſimpliciter potentes efficimur, *abjicibilis, & reſiſtibilis*, de qua loquitur Synodus: Vel non ſufficit, & præterea eſt neceſſaria alia Gratia *eſſentialiter Efficax, & prorſus Inabjicibilis, & Irreſiſtiblis* præveniens, quæ ponatur ex parte Actus primi? Si prima ſufficit, profectò hæc alia eſt ſuperflua, neque contra Sac. Synodum inducenda eſt. Si prima non ſufficit, enimverò non eſt Gratia illa *verè ſufficiens*, quam Concilium dicit *abjici poſſe, illique diſſentiri, ac reſiſti*: Et S. Sedes Apoſtolica declarat eidem re ipſa reſiſti in Statu Naturæ Lapſæ.

Ad quintam, ſcilicet: *Ipſa Gratia Efficax appellari poteſt etiam ſufficiens, quia certè ſi producit opus bonum, ſufficit ad illud producendum*: Reſpondeo, profectò ſufficientiſſimam eſſe Gratiam Efficacem. Sed quid hoc confert ad perſuadendum, quod recedatur a Janſenio affirmante, *nunquam reſiſti Gratiæ Interiori in Statu Naturæ Lapſæ?* Enimverò ipſi Gratiæ Efficaci *Inabjicibili, & Irreſiſtibili*, nunquam reſiſtitur. Quis non videt inane artificium afferentium hanc explicationem, ne videantur negare Gratiam omnem veriſſimè ſufficientem? Iſta porrò Gratia ſufficiens, quam concedunt, videlicet talis, ut ſimul ſit Efficax, non eſt ejuſmodi, ut illi unquam reſiſtatur. Ex hac ipſa Explicatione clariſſimè apparet, quænam ſit intentio illam afferentium, videlicet, quod nulla verè Sufficiens Interior Gratia proximè præveniens detur, præter Efficacem, cui quia nunquam reſiſtitur, idcirco, velint, nolint, convincuntur adhærere Janſenio, & repugnare Sacro Concilio Tridentino definienti, *Gratiam Interiorem prævenientem eſſe abjicibilem, & cui poſſit diſſentiri*, quæque de facto ſæpe abiiciatur, *eidemque* frequentiſſimè, & per Thomiſtas ſemper, quando non ſuccedit Præmotio, *reſiſtatur*, licet non ex defectu Gratiæ, ſed liberi Arbitrii creati.

Ad ſextam, videlicet: *Ideo non eſt malè damnata hæc propoſitio: Interiori Gratiæ in Statu Naturæ Lapſæ nunquam reſiſtitur, quia licet omnis Gratia ſit Efficax quò ad proximum ſuum effectum, propter quem datur; nihilominus eidem ſæpe reſiſtitur quò ad effectus remotos, videlicet, quia licet ſemper Gratia obtineat effectum, v. g. Converſionem ad Fidem, vel ad Pœnitentiam, aliquando tamen contra Delectationem Gratiæ majorem exurgit aliqua Delectatio Concupiſcentiæ minor, quæ quidem neceſſariò debet eidem Gratiæ cedere, facit tamen ſemper aliquam reſiſtentiam.* Reſpondeo, interrogando, quid blaterent de poſſibili reſiſtentia Gratiæ Efficaci quò ad effectus remotos, licet impoſſibilis ſit reſiſtentia quò ad proximos? Per ipſos *nulla Chriſti Gratia effectu operis, ad quod producendum voluntati datur, ullâ voluntatis pervicacia fruſtrari poteſt.* Nunquam igitur per ipſos Interiori Gratiæ reſiſtitur in Statu Naturæ Lapſæ contra Pontificiam Definitionem, & contra præviam Definitionem Concilii ſtatuentis, omnem Dei Gratiam Prævenientem eſſe *Abjicibilem, & Reſiſtibilem*, & aliquam ſaltem, cui re ipſa *reſiſtatur*. Effectus proximus Gratiæ ex intentione Dei illam conferentis deberet eſſe opus ſalutare productum ab humana voluntate, v.g. Converſio ad Fidem, vel ad Pœnitentiam. Hoc autem effectu Gratiam fruſtrari poſſe conſtat ex ſupradictis Definitionibus. Delectatio illa Concupiſcentiæ minor aliquando exurgens contra Delectationem Gratiæ majorem, quantumvis aliqualiter reſiſtat, nihilominus incongruè appellatur Effectus remotus Gratiæ, quæ intendit etiam immediatè, & proximè ſuperare reſiſtentiam ejuſdem Concupiſcentiæ. Et quamvis iſta reſiſtat, nihilominus non tollit, imò frequenter auget Victoriam Gratiæ, quæ ſi, non obſtante repugnantia Concupiſcentiæ, ſemper obtinet, nec poteſt non obtinere ſuum effectum, videlicet opus ſalutare, propter quod humanæ voluntati datur, ut Janſeniſtæ affirmant, manifeſtiſſimum eſt, quod nunquam illi reſiſtitur contra Pontificiam, & Conciliarem Definitionem.

CAPUT III.

TERTIA JANSENIANA PROPOSITIO.

Ad merendum, & demerendum, in Statu Naturæ Lapſæ non requiritur Libertas a Neceſſitate, ſed ſufficit Libertas a Coactione.

Propoſitiones Tertiam Janſenianam inani tegumento cælantes.

1 MERITÒ damnata eſt Propoſitio Janſenii, ſi cum Luthero ſignificat, amitti in Statu Naturæ Lapſæ rationem Voluntarii, vel cum Calvino, rationem Liberi, & ſolùm verificari, quod homo eligens bonum, vel malum, non cogitur, aut violenter trahitur externo motu, ſed ſponte agit ſua.

2 Li-

2 Licet qui habet Gratiam Efficacem irreſiſtibilem prævenientem ad opus bonum, non habeat tunc actu eligendi facultatem, quæ ſit in utramque partem libera, & ſoluta; nihilominus non poteſt dici habere Neceſſitatem, quia ſi diviſa eſſet humana Voluntas ab illa Gratia irreſiſtibiliter alliciente, & movente ad bonum, eſſet perfectè libera ab omni neceſſitate.

3 Etiam quando voluntas irreſiſtibiliter movetur ad bonum, remanet libera, quia conſervat Libertatem ad alios actus; & ſolùm illi deeſt Indifferentia conſequens impulſum Delectationis Victricis, non autem illum antecedens, quæ ſuſpenſa quodammodo eſt poſt impulſum inabiicibilem, & irreſiſtibilem.

Propoſitiones Antijanſenianæ.

1. Sacra Synodus Tridentina affirmat, poſt Culpam Adæ remanere veram hominis Libertatem.

§. I.

SI quis liberum hominis Arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imò titulum ſine re, figmentum denique a Sathana invectum in Eccleſiam, Anathema ſit. (1)

Vera igitur res ſignificata per nomen liberi Arbitrii *remanet in homine poſt Adæ peccatum*; hæc autem res (ut fateri cogitur Calvinus Capite 5. ſceleſtiſſimi libri, quem appellat Antidotum ad Seſſionem ſextam Concilii Tridentini) eſt eligendi facultas, quæ ſit in utramque partem ſoluta, & expedita.

Concilium declarat, cum Gratia præveniente ad bonum remanere Libertatem a Neceſſitate.

§. II.

SI quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum (per Gratiam ſcilicet prævenientem ad bonum) *nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam Juſtificationis Gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, &c. Anathema ſit.* (2)

Poſſe autem diſſentire, ſi velit, profectò non ſolùm eſt *non cogi, aut non trahi violenter externo motu*, ideſt habere Libertatem a Coactione, ſed etiam eſt habere facultatem eligendi expeditam, & ſolutam in utramque partem, ideoque habere Libertatem a Neceſſitate.

Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti Illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agit Inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt. Hæc *potentia abiiciendi Illuminationem, & Attactum Divinum*, videlicet illis non utendi ad actua ſalutares, in ordine ad quos a Deo prævenimur *Illuminatione*, & *Attactu illo*, explicat evidentiſſimè Libertatem humani Arbitrii exempti ab omni Neceſſitate. (3)

Ne quis opinari poſſet, quod antecedens Motio Divina ſignificata per ſuavem *Attactum*, de quo Synodus loquuta fuerat, ullatenus lædere poſſet humanam Libertatem, ſtatim ſubiicit Sacrum Concilium Decreto 6., quod homines ipſi, niſi velint *abjicere* Divinam Vocationem, *liberè moventur in Deum*, per hæc verba: *Diſponuntur autem ad ipſam Juſtitiam, dum excitati Divinâ Gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum.*

Synodus loquitur de humana, ſicut de Divina, Libertate; ideoque omnem ab homine antecedentem Neceſſitatem excludit.

§. III.

IN Sacris literis cum dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: Libertatis noſtræ admonemur. Cum reſpondemus: Converte nos, Domine, ad te, & convertemur: Dei nos Gratiâ præveniri confitemur. Adeo cordi eſt Concilio explicatio, quod ſarta tecta, etiam poſt Adæ peccatum (*per quod liberum arbitrium viribus attenuatum, & inclinatum remanſit*) ſervetur ſubſtantia Libertatis a Neceſſitate, ut prius de illa loquatur, quàm de Libertate, qua utitur Deus Optimus Maximus ſuâ nos Gratiâ præveniendo. Sicut igitur Deus hoc præſtat cum perfectiſſima Libertate a Neceſſitate, ac non ſolùm a Coactione, ita utramque Libertatem humano Arbitrio attribuit Synodus Sacroſancta. (4)

Synodus explicat dari Libertatem a Neceſſitate in ſenſu compoſito cum Vocatione ad bonum.

§. IV.

TAngente Deo cor hominis per Spiritus Sancti Illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agit Inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt. Declarat igitur, *quod homo poteſt Inſpirationem abiicere tunc, quando Deus tangit illius cor.* (5)

(1) *Seſſ.6.Can.5.* (2) *Seſſ.6.Can.4.*

(3) *Seſſ.6.Dec.5.* (4) *Seſſ.6.Dec.5.*
(5) *Seſſ.6. Dec. 5.*

Digitized by Google

Si quis dixerit, liberum hominis Arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, &c. neque poſſe diſſentire, ſi velit, &c. Anathema ſit. Tunc igitur, *quando liberum hominis Arbitrium a Deo movetur, & excitatur, poteſt diſſentire, ſi velit, Deo excitanti, atque vocanti.* Enimverò non video, potuiſſe Synodum uti clariori forma loquendi, ut explicaret, diſſentiri poſſe Divinæ Vocationi in ſenſu compoſito cum ipſa Vocatione: ita ſaltem, ut (etiam per Thomiſtas) cum ipſa Vocatione ad Aſſenſum ſtet ſimul Potentia ad Diſſenſum, quæ dici ſolet Simultas Potentiæ; quidquid ſit de Potentia Simultatis, quam etſi negent Thomiſtæ, quoties Vocatio eſt per ipſos ex intrinſecis Efficax, admittunt nihilominus cum omnibus Catholicis, quoties eſt purè Sufficiens conſtituens ſimpliciter *poſſe* cum abſoluta Indifferentia ad alterutram Contradictionis partem. Aliter ſi hæc Potentia ad Diſſenſum verificari deberet dumtaxat in Senſu Diviſo a Vocatione, quatenus, ſi Vocatio non daretur, admitteretur Potentia ad Diſſenſum, Liberum Arbitrium non poſſet diſſentire *Deo Vocanti, ac Excitanti*, ut definit Concilium; ſed Deo, quando non adhuc vocaret. (1)

Hoc animadvertens Janſenius non niſi ſemel attulit diſtinctionem Senſus Compoſiti, ac Diviſi; ſed audacter contemnens Sac. Concilium perſtitit in ſua Aſſertione, quod ad merendum, ac demerendum, non requiratur in Statu Naturæ Lapſæ Libertas a Neceſſitate, ideoque nihil formidavit Senſum compoſitum, a quo eadem auferretur. Captioſi autem plurimi Janſeniani frequentiſſimè recurrunt ad Senſum Diviſum, ne nimis ſtrenui noſtræ Libertatis everſores videantur. Incaſſum autem laborant, ut vidimus, ac porrò clarius intuebimur, ſi ſtandum eſt Declarationibus Sac. Concilii.

Apertè præſumitur a Synodo, excludendam eſſe omnem Neceſſitatem antecedentem ab homine inimpedibilem, & inabiicibilem, *ut ſalvetur humana Libertas.*

§. V.

DEmonſtravimus, nullam admitti a Concilio Gratiam Prævenientem, quæ non ſit *Abjicibilis*, & cui *reſiſti* non poſſit, & per hujuſmodi *Abjicibilitatem, & Reſiſtibilitatem* ſalvari ab eodem Libertatem humanam. Sequitur autem ex hoc manifeſtè, quod nulla Gratia Præveniens ſit intrinſecè & ex natura ſua *Inabjicibilis*, & prorſus *Irreſiſtibilis*; nam ſi eſſet talis, enimvero non poſſet homo illam *abjicere*, aut illi *diſſentire*, contra Concilii Definitionem. Quod validè omnino cenſemus evinci in noſtris Principiis, juxta quæ cum omnis Dei Gratia præveniens e ſententia Concilii ſit de ſe indifferens, ut conjungatur cum Conſenſu, vel Diſſenſu, aliqua evadit *Efficax*, ſive potius *Efficiens* (nam omnis ex Intentione Dei conferentis, & ex perfectione ſuorum Prædicatorum eſſet *Efficax quantum ad ſe*, videlicet nihil illi deeſſet ad præſtandum effectum, niſi obſtaret humana malitia, ut oſtendimus §.15. Capitis ſecundi) aliqua, inquam, evadit *Efficax*, ſive *Efficiens*, per hoc, quod liberum Arbitrium hominis correſpondens Intentioni Dei vocantis *non abjiciat* Vocationem, *nec illi diſſentiat*, ſed producat ſimul cum alia Dei Gratia cooperante actum ſalutarem.

Concilium autem manifeſtiſſimè meâ quidem ſententiâ agnoſcens hanc Indifferentiam intrinſecam in ipſa natura cujuſcumque Gratiæ Divinæ Prævenientis, nihilominus certè ſuppoſuit, præcognitum ab æterno fuiſſe a Deo cuinam ſuæ Vocationi conſenſurus eſſet Petrus v. g. & cui diſſenſurus, atque ideo quænam Vocatio eſſet futura *Efficax*, ſeu potius *Efficiens*, & quæ non. Suppoſuit igitur Concilium, quod Deus ab æterno viderit hanc veritatem: Si dabo Petro Vocationem A, illi conſentiet: ſi dabo Vocationem B, illi diſſentiet. Cum porrò Concilium definiat, quod non minus Vocatio A ſit indifferens ex natura ſua, ut conjungatur cum Conſenſu Petri, quàm Vocatio B, liquet, quod idem Concilium ſupponit, *Efficaciam*, ſive potius *Efficientiam* Vocationis A, potuiſſe impediri ab ipſo Petro, quia ſi a Deo fuiſſet præviſus diſſenſurus Vocationi A, non potuiſſet Deus decernere collationem Petro talis Vocationis, ſi Deus voluiſſet infallibiliter obtinere Conſenſum Petri. Quamvis autem Vocatio A futura efficax fuerit impedibilis a Petro, non tamen fuit ab eo acquiſibilis eadem Vocatio, quia Conſenſus Petri vocationi A, præviſus a Deo, non influxit per modum Cauſæ, aut Conditionis, aut Congruitatis, aut ullo alio pacto in liberrimum, ac merè beneficum Dei Decretum de ponendo Petro in talibus circumſtantiis, in quibus prævidit ipſum conſenſurum eidem Vocationi A.

Ex hac apertiſſima ratiocinatione ſequi videtur manifeſtè, quod ex mente Concilii tunc, quando Petrus actu vocatur Vocatione A, non habet, aut ſubit Neceſſitatem ullam antecedentem a ſe inimpedibilem, quia ſi Petrus non fuiſset a Deo præviſus con-

(1) *Seſſ.6. Can. 4.*

conſenſurus liberrimè huic Vocationi, Deus volens infallibiliter obtinere Conſenſum Petri hanc illi Vocationem non contuliſset, ſed loco hujus illi tribuiſset aliam, cui prævidiſſet liberè conſenſurum. Senſus ergo compoſitus Petri cum hac numero Vocatione nullam affert Petro antecedentem Neceſſitatem a Petro inimpedibilem, quia, ut oſtendimus, non daretur Senſus Compoſitus, ſcilicet conjunctio Petri cum tali Vocatione, ſi Petrus prævisſus fuiſset illi diſsenſurus. Hæc elocutus ex meis Principiis attexo ab aliis defendi Catholicam Veritatem per Gratiæ *Abjicibilitatem*.

Concilium ſupponit lædi Libertatem humani Arbitrii ab omni Neceſſitate antecedenti prorſus Inimpedibili, atque omnino Inabjicibili ab eodem Arbitrio, inabjicibilitate excludente Potentiam ad actum bonum, vel malum.

§. V I.

SIve ſpectetur intrinſeca natura Gratiæ prævenientis, ſive intentio Dei eamdem dantis, conſtare mihi videtur, quod ex mente Concilii excludenda ſit omnia Neceſſitas antecedens prorſus inimpedibilis ab ipſo humano Arbitrio, atque *inabjicibilis* inabiicibilitate prædicta, ſi ſervanda eſt incolumis humana Libertas.

De intrinſeca natura prævenientis Gratiæ aperta eſt Concilii Definitio, quod eadem ſit *ab homine abjicibilis, illique poſſit noſtrum Arbitrium diſſentire*. Si autem expendatur Intentio Divina, certè ſuppoſuit Synodus illam conformari naturæ Auxilii prævenientis a Deo conferendi, adeoque ab eadem Intentione non poni Neceſſitatem, quæ non ponitur ab ipſo Auxilio.

Poneretur autem Neceſſitas omnino Inimpedibilis a Petro v. g., ſi vera eſſet Janſeniſtarum opinio, quod videlicet *Deus ante omnem Prævisionem ullius exercitii humanæ Libertatis* decreviſſet conferre huic, vel illi homini Gratiam prævenientem nedum *ex natura ſua eſſentialiter Efficacem, ſed & prorſus inabiicibilem, & irreſiſtibilem*; vel contra decreviſſet dare aliam ex natura ſua *eſſentialiter Ineſſicacem*. In hoc certè caſu ſenſus compoſitus Petri v.g. cum tali Auxilio prævenienti fuiſſet omnino inimpedibilis, & *inabjicibilis* a Petro, utpote excluſivus cujuslibet Potentiæ in oppoſitum. Ergo læderet illius Libertatem, *neque ipſe poſſet tale Auxilium abjicere, aut illi diſſentire*, contra Concilii Definitionem.

Neceſſitas antecedens impreſſa homini ab Auxilio illo Divino *inabjicibili*, & *irreſiſtibili*, contra Definitionem Concilii aſſerto a Janſeniſtis, eſſet ſimilis Neceſſitati impreſſæ lapidi v. g. ad deſcenſum a ſua innata gravitate, quam lapis nequit impedire, aut abiicere; ideoque, *ſive detur ſenſus compoſitus lapidis cum actuali deſcenſu, ſive diviſus*, ſemper verum eſt, quod lapis ex natura ſua nitatur deorſum: ita ex natura Auxilii *inimpedibilis*, *inabjicibilis*, & *irreſiſtibilis*, homo ſemper eò neceſſariò ferretur, quò eumdem duceret ipſum Auxilium, ideoque careret Libertate; neque illi quidquam ſuffragaretur diſtinctio ſenſus compoſiti, aut diviſi, ſicut eadem nihil juvat lapidi.

Materiale aliquod diſcrimen intercedit, quia homo, & non lapis, vellet eò ferri; ſed hoc ſolùm probat, *quod homo haberet Libertatem a Coactione*, quam non negat Janſenius, imò neque Calvinus loco ſuperius allegato; Sed certè idem homo *non haberet Libertatem a Neceſſitate*, qua illum ſpoliat Janſenius contra Sacri Concilii Definitionem.

A fortiori Synodus negat Neceſſitatem antecedentem prorſus inimpedibilem, & inabjicibilem ad actum malum.

§. V I I.

SI quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, itaut bona, Deum operari non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeout ſit ejus proprium opus non minus Proditio Judæ, quàm Vocatio Pauli, Anathema ſit. Affirmat Synodus *eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, neque poſſe mala hominis opera tribui Deo tanquam illa propriè, & per ſe operanti, cum eadem mala opera Deus tantummodo permittat*, nolens impedire liberum exercitium humani Arbitrii ſe liberè ad eadem mala opera determinantis. Igitur Concilium excludit omnem antecedentem inimpedibilem, ſimulque *inabjicibilem* ab homine, Neceſſitatem ad eadem mala opera. (1)

Exhorret igitur Synodus blaſphemiam Janſeniſtarum negantium dari a Deo Gratiam verè ſufficientem, ac ſimpliciter neceſſariam ad vitanda Peccata, ideoque illa ipſi Deo tribuentium, deque illis a ſe patratis ipſum Deum accuſantium.

Enimverò quomodo verum eſſe poſſet, quod Deus *ſolùm permiſerit* Proditionem Judæ, ſicuti Concilium definit, ſi, ante omnem Prævisionem liberi diſſenſus a Juda præſtandi vocationi ad non prodendum, ſtatuiſſet Deus infundere Judæ vocationem eſſen-

(1) *Seſſ. 6. Can. 6.*

Digitized by Google

ſentialiter ex ſui natura inefficacem, quæ in ſenſu Janſenii ne Sufficiens quidem Gratia vocari poſſet: & in ſenſu Janſeniſtarum omnium decreviſſet Deus, independenter ab omni Præviſione, privare Judam Gratia eſſentialiter efficaci ſimul, & *Irreſiſtibili*, ac *Inabiicibili* ad non prodendum, eſſentialiter per ipſos ſimpliciter neceſſaria ad vitandam Proditionem?

Natura veri Meriti, ac Demeriti a Concilio cognita in homine excludit omnem Neceſſitatem antecedentem prorſus inimpedibilem, inabiicibilem; & irreſiſtibilem.

§. VIII.

S*I quis dixerit hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam ipſius juſtificati merita, aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei Gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum Gratiæ, Vitam Æternam, & ipſius Vitæ Æternæ, ſi tamen in Gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam Gloriæ augmentum, Anathema ſit.* (1) Declarat igitur Synodus, quod homo verè meretur augmentum Gratiæ, Vitam Æternam, atque augmentum Gloriæ. Sed patet, quod ut ſit verum meritum, & Gloria non conferatur omnino gratis, ſed ſit Corona Meritorum, & *Corona Juſtitiæ a Juſto Judice reddenda*, ut inquit Apoſtolus, (2) nulla Neceſſitas antecedens *Inimpedibilis* ſimul, & *Irreſiſtibilis*, ac *Inabjicibilis*, præire debuit ipſum exercitium Operis meritorii. Idcirco Synodus declarat, ante tale exercitium nos præveniri Gratia *abjicibili*, & *cui poſſimus diſſentire*, ideoque Gratia excludente omnem *inimpedibilem*, ac *irreſiſtibilem* Neceſſitatem, imò Gratia tali, (de ea loquor, quæ neceſſaria abſolutè eſt, ut potentes ad ſalutare opus reddamur) cui re ipſa, ſi volumus, diſſentiamus, & reſiſtamus, quia confertur etiam Peccantibus actu, *Maledicis, rapacibus, cæteriſque omnibus, qui lethalia committunt peccata, a quibus cum Divinæ Gratiæ adjumento abſtinere poſſunt*. (3) Et exemplum Synodus affert in illis, qui Caſtitatem non ſervant negantes a ſe haberi tale Donum, contra quos definit, quod *Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur, nos, ſupra id, quod poſſumus, tentari*. Præſupponit igitur Synodus, nullam dari antecedentem *inimpedibilem*, & *inabjicibilem* Neceſſitatem, quæ ſi daretur, neque opus bonum eſſet verè meritorium Vitæ Æternæ, neque opus malum Æternæ Mortis. (4)

(1) *Seſſ.6.Can.*32. (2) 2.*Tim.*4.
(3) *Seſſ.6.Dec.*15. (4) *Seſſ.*24.*Can.*9.

Ut in hujus conſideratione aliquantulum immorer, Concilium perhorreſcens Deo tribuere Proditionem Judæ, v. g. quomodo eidem, & aliis omnibus Reprobis, attribuat Impœnitentiam finalem, ad quam habeant antecedentem *Inimpedibilem*, ac *Irreſiſtibilem*, neceſſitatem a Carentia Gratiæ efficacis ſimpliciter eis neceſſariȩ ad eamdem Impœnitentiam vitandam? Quid illis ſuffragaretur Libertas in ſenſu diviſo a tali carentia, diviſione indicante voluntatis indifferentiam, quam ante illam habebant, ſi ſenſus hic diviſus, & hæc antecedentia non eſſet in æternum danda, nec fuiſſet in poteſtate illorum, ut daretur? Quando adeſt hæc Poteſtas, ut non detur ſenſus compoſitus, nullatenus læditur Libertas, & opportuniſſimè adhibetur hæc diſtinctio. Ita v. g. in meis Principiis congruè dicitur, poſſe Antichriſtum non peccare in ſenſu diviſo a Præſcientia Divina de illius peccato, quia licet talis ſenſus diviſus nunquam dandus ſit, tamen dari potuit, & fuit in poteſtate Antichriſti, ut daretur, vel non daretur.

Præterea ex Janſeniſtarum Principiis repugnat dari talem ſenſum diviſum, ac talem antecedentiam, quia per ipſos repugnat produci ab homine actum ullum meritorium, vel demeritorium, in ſenſu diviſo a Gratia Efficaci *inabiicibili*, vel ab ejus Carentia, ac ante ſenſum compoſitum: ſive (ut conſuetis Janſenii verbis utar) *repugnat fieri ab homine actum ullum meritorium abſque ſenſu compoſito cum Medicinali, & Victrici Gratia Chriſti eſſentialiter irreſiſtibili: vel demeritorium abſque ſenſu compoſito cum carentia talis Gratiæ ſecum trahente Neceſſitatem producendi actum ipſum demeritorium.*

Repræſentant igitur Deum Optimum Maximum, ejuſque infinitam Miſericordiam, atque Juſtitiam, eſſe talem, qualem nulli, utcumque ſeveriſſimo, Regi tribuerent. Quò ad pœnam Damni Catholici magis communiter diſcrimen agnoſcimus inter Immortalem, Mortaleſque Reges, quia Sancta Fides, & etiam ratio oſtendit, convenientiſſimum fuiſſe, ut Arbitrium filiorum pependerit a voluntate primi Parentis; ideoque nil mirum eſt, quod ejus Culpa ſecum traxerit excluſionem filiorum omnium ab Immortali Gloria. Sed horribilis, & æterna pœna Senſus tribuenda peccatis perſonalibus cur illis irrogetur, qui nec impedire potuerint, nec abiicere Carentiam Efficacis Gratiæ ſecum trahentem neceſſariò Impœnitentiam finalem? Certè nullus Rex igni damnaret Militem, quem Rex ipſe conſultò, & ex mero arbitrio ſuo, ante omnem Præviſionem ſceleris alicujus a Milite perpetran-

trandi, ſpoliare decreviſſet Auxilio eſſentialiter requiſito ad hoc, ut ſcelus illud a Milite vitari valeret.

Reſpondetur Propoſitionibus Tertiæ Janſenianæ ſubterfugia quærentibus.

§. IX.

AD primam, videlicet: *Meritò damnata eſt Propoſitio Janſenii, ſi cum Luthero ſignificat amitti in ſtatu naturæ lapſæ rationem Voluntarii, vel cum Calvino rationem Liberi, & ſolùm verificari, quod homo eligens bonum, vel malum, non cogitur, aut violenter trahitur externo motu, ſed ſponte agit ſua.* Reſpondeo, quod Lutherum, & Calvinum damnaverat jam Apoſtolica Sedes confirmans Sac. Concilium Tridentinum. Deinde verò Cathedra Sancti Petri damnavit etiam Janſenium dicentem, *quod ad merendum, & demerendum, in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur Libertas a Neceſſitate, ſed ſufficit Libertas a Coactione*: quæ Aſſertio implicitè damnata quoque fuerat a S. Synodo, ut oſtendimus. Hæc autem proſcripta Propoſitio involvitur in illa, cui reſpondemus; ſi enim ſolùm verificatur, *quod homo eligens bonum, vel malum, non cogitur, aut violenter trahitur externo motu, ſed ſponte agit ſua*, ita nihilominus agens, ut non poſſit non agere (ſicut omnes Janſenii Aſſeclæ certò præſumunt, cum dicant, *reſiſti* non poſſe Gratiæ Victrici) enimverò nulla relinquitur alia Libertas, quàm illa a Coactione, ſed penitus extinguitur Libertas a Neceſſitate, quam dicunt non requiri ad merendum, vel demerendum. Non ſufficit autem vitare inſaniam Lutheri, neque ſatis eſt recedere ab illa Calvini, ſi incidatur in aliam pariter ab Eccleſia damnatam. Patenter erraſſet Lutherus, ſi dixiſſet, amitti rationem *Voluntarii*, quia certè homines non operantur, ut res inanimæ ab alio impellerentur, & utcumque homines ab alio impellerentur ad blaſphemandum v. g., nihilominus tunc, quando blaſphemant, verè vellent hoc ipſum facere, licet voluntate compulſa; ideoque non amitterent rationem *Voluntarii*. Sed non adeo rudis, aut ſtultus Lutherus fuit, ut influxum activum vitalem in actus ſuos humano Arbitrio negaret. Solùm ergo *velut inanime quiddam Arbitrium eſſe* docebat, quia Libertatem, & facultatem electivam putabat ei non adeſſe in ſuis Operationibus. Calvinus autem ex ſuis Principiis intulit id, quod ex iiſdem neceſſariò ſequitur, videlicet quod nequeat eſſe liber actus humanus, ad quem licet homo non trahatur violenter externo motu, tamen ad illum interius rapiatur a Delectatione illâ Cæleſti penitus *inimpedibili*, *inabiicibili*, & *irreſiſtibili*. Sed Janſeniani Impulſum hunc inteſtinum ſimilem penitus conſtituunt illi, quem dari affirmavit Calvinus. Ergo, niſi negare velint conſequentiam, quæ manifeſtè ſequitur ex præmiſſis, concedere coguntur cum Calvino amitti rationem *Liberi* ab actibus meritoriis, vel demeritoriis. Fruſtra dicunt, *quod homo ſponte agit ſua*, ſi urgetur, & impellitur ab impreſſa ſibi antecedente Delectatione Victrici nedum eſſentialiter efficaci, ſed & *inimpedibili, inabjicibili*, & *irreſiſtibili*; ideoque illi deeſt Libertas a Neceſſitate, ac ſolùm ſupereſt Libertas a Coactione. Quod autem hæc ſola ſecunda Libertas ſufficiat ad merendum, & demerendum, pronuntiavit Janſenius damnatus ab Apoſtolica Sede; ac Sancta Synodus Tridentina perfectam in homine, & exemptam ab omni antecedente Neceſſitate Libertatem agnoſcit, ut demonſtravimus.

Ad ſecundam, ideſt: Licet, qui habet Gratiam *Efficacem inabjicibilem, & irreſiſtibilem prævenientem, non habeat tunc actu eligendi facultatem, quæ ſit in utramque partem libera, & ſoluta; nihilominus non poteſt dici habere neceſſitatem, quia ſi diviſa eſſet humana voluntas ab illa Gratia Victrici irreſiſtibiliter alliciente, ac movente ad bonum, eſſet perfectè libera ab omni neceſſitate*: Reſpondeo, quod rurſus proteſtor nullatenus a me impugnari diſtinctionem ſenſus compoſiti, & diviſi, adhibitam ab aſſerentibus, quod Gratia quævis præveniens ſit ejuſmodi, *ut poſſit abjici, eique humanum Arbitrium poſſit diſſentire, ſi velit*, juxta Definitionem S. Concilii. Sed qui opinantur, Gratiam Victricem, alioquin per ipſos ſimpliciter neceſſariam, ut potentes ad opus ſalutare efficiamur, eſſe *inabjicibilem*, & *irreſiſtibilem* tunc, quando infunditur, & fuiſſe inimpedibilem ejus infuſionem, coguntur admittere Neceſſitatem producendi actum illum, quem Gratia Victrix ſecum *irreſiſtibiliter* trahit: & nihilominus affirmant, quod qui eum neceſſariò producit, meretur non obſtante tali neceſſitate. Igitur obdurant animum in Tertia Propoſitione Janſeniana: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur Libertas a Neceſſitate*, ſed *ſufficit Libertas a Coactione*. Quod fruſtra recurrant ad ſenſum diviſum, & ad potentiam antecedentem, apertè oſtendimus §. 6. 7., & 8., ideoque ſufficit addere, quod gratis, & inutiliter dicunt, *quod cum humana voluntas inimpedibiliter, inabjicibiliter, & irreſiſtibiliter, impellitur ad bonum*, remanet libera, quia conſervat Libertatem

ad

ad alios actus; licet hìc, & nunc illi deſit Indifferentia conſequens Impulſum illum conſiſtentem in Medicinali, & Victrici Gratia *inimpedibili*, *inabiicibili*, & *irreſiſtibili*, & Potentia ad oppoſitum; non autem Indifferentia, & Potentia ad oppoſitum illam antecedens. Concilium Tridentinum declarat eſſe hìc, & nunc actu perfectè liberos homines merentes, aut demerentes, & poſſe actu abiicere Illuſtrationem, Attactum, & Motum Divinum allicientem ad opera meritoria, adeout aut ipſe non actus conjungi queat cum dicto Motu Divino ad actum, ſi motus non ſit vel intrinſecè efficax, vel datus ſub actus prævisione, aut ſaltem ipſa ad non actum Potentia. Agnoſcit ergo S. Synodus in homine Libertatem expertem omnis Neceſſitatis, & non ſolùm Coactionis, tunc, quando homo meritoriè operatur, & poſtquam antecedenter illi collata eſt Gratia Præveniens.

Ad Tertiam, videlicet: *Etiam quando voluntas irreſiſtibiliter movetur a Gratia Victrici, remanet libera, quia conſervat Libertatem ad alios actus, & ſolùm illi deeſt Indifferentia conſequens eamdem Gratiam, non autem illam antecedens, quæ ſuſpenſa quodammodo eſt poſt Gratiam inabjicibilem, & irreſiſtibilem:* Reſpondeo, quod hæc prædicata *Inabjicibilitatis*, & *Irreſiſtibilitatis* apertè repugnantia Definitioni Sacri Concilii, admiſſa in Delectatione Victrici a ſolis Janſenii Sectatoribus, demonſtrant illos amplecti Tertiam damnatam Propoſitionem, quia certè poſt infuſam talem Delectationem habentem ea prædicata non ſupereſt Libertas a Neceſſitate, ac tamen per ipſos remanet facultas merendi, & demerendi. Demum neque ab ipſis dici poteſt, quod licet hìc, & nunc, poſt Impulſum *inimpedibilem*, *inabiicibilem*, & *irreſiſtibilem*, ſuſpendatur Libertas a Neceſſitate, tamen eadem conſervetur ad alios actus, quia per ipſos nulli alii actus meritorii ſunt poſſibiles, ad quos homo præparari non debeat a Deo per Delectationem eſſentialiter Victricem, *inimpedibilem*, *inabiicibilem*, & *irreſiſtibilem*: Et nulli ſunt poſſibiles Actus demeritorii, qui non ſint neceſſariò producendi propter Carentiam talis Delectationis Victricis, qua Deus ex mero arbitrio ſuo decrevit privare hominem ante omnem Prævisionem abſolutam, aut conditionatam, ejuſdem Actus demeritorii ab homine eligendi.

CAPUT IV.

QUARTA JANSENIANA PROPOSITIO.

Semipelagiani admittebant Prævenientis Gratiæ neceſſitatem ad ſingulos Actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

Propoſitiones ſubterfugia quærentes Quartæ Janſenianæ.

1 ERRABANT Semipelagiani exiſtimantes æqualem in homine lapſo dari Libertatem utendi præveniente Gratia ad bonum, & abutendi eâdem ad malum.

2 Falsò putabant Semipelagiani poſſe reſiſti, vel obtemperari, non ſolùm Gratiæ Sufficienti, ſed etiam Efficaci.

3 Et ad meritum requiri perfectiſſimam rationem indifferentiæ etiam ſub Auxilio Divino, & jam collata Gratia præveniente, neque poſt talem collationem ſufficere rationem ſpontanei in actu humano.

Propoſitiones Antijanſenianæ.

Sac. Synodus Tridentina damnat veros Pelagianorum, & Semipelagianorum, errores.

§. I.

SI quis dixerit, hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per Legis doctrinam fiant, abſque Divina per Jeſum Chriſtum Gratia juſtificari poſſe, Anathema ſit. Damnatur hìc primus, & præcipuus error Pelagii excludentis abſolutè neceſſitatem Gratiæ Divinæ prævenientis hominem ad obtinendam Juſtificationem. (1)

Quia verò deinde Pelagius, multòque magis Semipelagiani, fateri cœperunt Gratiam Divinam requiri non quidem ad poſſe ſimpliciter bene operari, ſed eamdem eſſe neceſſariam ad facilius poſſe; idcirco contra novos Semipelagianos addit Synodus; *Si quis dixerit, ad hoc ſolùm Divinam Gratiam per Chriſtum Jeſum dari, ut facilius homo juſtè vivere, ac Vitam Æternam promereri*

(1) *Seſſ. 6. Can. 1.*

Digitized by Google

veri poſſe, quaſi per liberum Arbitrium ſine Gratia utrumque, ſed ægrè tamen, & difficulter, poſſit, Anathema ſit. (1)

Præterea, quia alii Semipelagiani concedebant neceſſitatem Gratiæ Prævenientis ad alios actus ſalutares, non ſolùm facilius, ſed etiam ſimpliciter, & abſolutè producendos, præterquam ad initium Fidei, ſcilicet ad voluntatem primò credendi, ad quam dicebant poſſe hominem determinare ſe abſq; auxilio Gratiæ: idcirco Sacra Synodus formavit alium Canonem Generalem circa Gratiæ neceſſitatem in ordine ad quoſcumque penitus actus ſalutares, ideoque etiam ad primum. *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti Inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei Juſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit.* (2)

Omnes ergo veri Semipelagianorum errores, qui vigebant adhuc in animis quorumdam, a Sancta Synodo damnati ſunt; nam alium extinctum penitus fuiſſe colligitur ex hoc ipſo, quod nullus contra illum peculiaris, & expreſſus Canon editus fuerit, licet implicitè in jam allatis contineatur ejus damnatio. Hic autem error quorumdam veterum Semipelagianorum erat, quod homines a Deo ab æterno prævisi bene operaturi naturæ viribus, & abſque præventione Gratiæ Divinæ, in his, vel illis circumſtantiis, per hoc ipſum meruerint verè, & propriè ab æterno, ut deinde in tempore ponerentur a Deo in jiſdem Circumſtantiis. Hic, inquam, enormis error profectò non emerſerat rurſus e Tartaro ad ullius animum inficiendum, quia cæteroquin, ſicut alii omnes, ſic etiam iſte fuiſſet a Sacra Synodo expreſsè proſcriptus. Veritas docet, præviſa ab Æterno a Deo fuiſſe (& quidem, ut opinor, in eorum veritate objectiva) illa omnia, quæ evenient, quæque eventura eſſent, eo modo, quo eadem evenient, aut eſſent eventura, & non diverſo; certum enim eſt, quod nulla res occulta ſit infinitæ Sapientiæ Divinæ: quodque eadem errare nequeat, cognoſcendo res aliter, ac ipſæ in ſe futuræ ſint, aut futuræ eſſent. Nunquam autem eveniet, aut evenire poſſet, ut homines operarentur meritoriè, ac utiliter ad ſalutem, non præventi Gratiâ Divinâ, & illa quidem *abiicibili, & cui poſſet humanum arbitrium diſſentire*, cum Concilium definiverit, talem de facto eſſe Divinam Gratiam Prævenientem, quæ talis etiam futura eſſet in quocumque alio caſu, ut integra ſalvetur humana Libertas. Ergo Deus non cognovit, quod homines operaturi quidquam eſſent meritoriè, atque utiliter ad ſalutem, non præventi prius Gratiâ ſuâ.

Præterea fides docet, non ineſſe verum meritum actui, qui non exiſtit, præſertim ſi produceretur abſque auxilio Gratiæ prævenientis, quod pariter repugnat, ut diximus. Ergo enormiter errarunt Semipelagiani tribuentes rationem meriti actibus humanis a Deo præviſis, & præviſis quidem, ut producendis abſque auxilio Gratiæ. Potuit ergo Deus relinquere homines in ſtatu conditionato, & illos non producere abſolutè, aut non ponere in circumſtantiis, in quibus præviſi eſſent bene operaturi.

Prævidit igitur Deus quidquid ſinguli homines eſſent facturi in quibuſcumque circumſtantiis, vel bene, non abiiciendo Gratiam ſuam Prævenientem, ſed illi conſentiendo: vel malè, ſcilicet *abiiciendo Gratiam, eique diſſentiendo*. Sed primum objectum, videlicet bona operatio conditionata hominis Gratiæ conſenſuri, nullatenus influxit in Divinum Decretum ponendi de facto hominem in illis circumſtantiis. Non habuit, inquam, tale objectum, videlicet Conſenſus ab homine præſtandus, ullam Cauſalitatem, aut vim Moralem movendi Deum per modum alicujus Meriti, aut meritoriæ Diſpoſitionis, aut Congruitatis. Fuit ergo merè beneficum Arbitrium Dei erga homines conſenſuros, quod decreverit illos ponere in circumſtantiis, in quibus prævidit ab illis de facto præſtandum eſſe Conſenſum, præſertim finalem: atque in hoc præcipuè conſiſtit ſpecialis Dei Amor erga Prædeſtinatos. Hæc indicare juxta mea Principia opportunum putavi. Thomiſtæ verò nulla quò ad hoc indigent explicatione.

Adeo non erraſſent Semipelagiani, ſi dixiſſent, Prævenientem Gratiam, qua ſimpliciter potentes efficimur, eſſe talem, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare, ut in hac aſſertione amplexi fuiſſent ſententiam, quam deinde Sac. Synodus Tridentina definivit.

§. II.

IDem profectò eſt, *poſſe humanam voluntatem reſiſtere, vel obtemperare*, Gratiæ Prævenienti, *ac poſſe abiicere, vel non abiicere*, eamdem Gratiam, ipſique Gratiæ *poſſe humanum Arbitrium diſſentire, ſi velit.* Hanc autem *potentiam abiiciendi Gratiam, eique diſſentiendi*, manifeſtiſſimè tribuit humano Arbitrio Sacra Synodus Tridentina per celeberrima, & neceſſariò ſæpe alleganda Decreta, & Canones: *Tangente Deo cor hominis*

(1) *Can.* 2. (2) *Can.* 3.

nis per Spiritus Sancti Illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agit Inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt, &c. (1)

Si quis dixerit, liberum hominis Arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam Juſtificationis Gratiam ſe præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit &c. Anathema ſit. (2)

De alia nulla Dei Gratia præveniente Sacra Synodus loquitur, quàm de hac *abiicibili, & cui poſſit diſſentiri*, & omnem aliam excludit, ſicuti demonſtravimus cap. 2. Ergo declarat Sacra Synodus, qualemcumque Dei Gratiam Prævenientem *eſſe talem, cui poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*. Idcirco ſi hoc ipſum dixiſſent Semipelagiani, in hoc certè non fuiſſent Hæretici, quales eſſe nequeunt, qui ſequuntur Doctrinam a Sacro Concilio Tridentino definitam tanquam Catholicam. Hæretici fuerunt ob alios Errores enumeratos §. antecedenti a Sacro Concilio damnatos.

Præterea Sacra Synodus docet, non ſolùm Gratiam Prævenientem, quæ dat ſimpliciter poſſe, quæque nec intrinſecè efficax, & cum effectu connexa, nec data ſub prævisione conſenſus, *eſſe talem, cui poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*; ſed etiam talem, cui re ipſa reſiſtatur, nec illi obtemperetur: Declarat enim, *adjumentum Gratiæ Prævenientis tribui etiam illis, qui lethalia committunt peccata*, ideoque reſiſtunt, & non obtemperant, Gratiæ Divinæ. Hæc ſunt Sacri Concilii verba: *Maledicos, Rapaces, cæteroſque omnes, qui lethalia committunt peccata, a quibus cum Divina Gratiæ adjumento abſtinere poſſunt.* (3)

Reſpondetur Propoſitionibus velare laborantibus Quartam Janſenianam.

§. III.

AD primam, videlicet: *Errabant Semipelagiani exiſtimantes æqualem in homine lapſo dari Libertatem utendi præveniente Gratia ad bonum, & abutendi eâdem ad malum.* Reſpondeo adeo patenter contrariam Definitionibus Tridentinis eſſe quartam Janſenianam Propoſitionem affirmantem, *eſſe Hæreticum dicere, quod Gratiæ Prævenienti reſiſti, vel obtemperari poſſit*, ut ejus Impietatem tegere nequiverint Janſenii Aſſeclæ velo ullo eamdem impietatem aliquatenus diſſimulante. Quid ſibi volunt, dum dicunt, erraſſe Semipelagianos exiſtimantes æqualem in homine lapſo dari Libertatem utendi Præveniente Gratia ad bonum, & abutendi eâdem ad malum? Præſupponunt ne, opinatos fuiſſe, quod ſi homines utantur Gratia Præveniente ad bonum, non indigeant aliâ Gratiâ Cooperante? Si hoc dixiſſent, profectò in hoc fuiſſent Hæretici, ſed ſi admiſiſſent neceſſitatem Gratiæ Prævenientis, non negaſſent illam Gratiæ Cooperantis, quæ profectò non datur, quando homines malè utuntur ipſa Gratia Præveniente illam abiiciendo, eique non obtemperando. Ex hoc nullatenus ſequitur, quod fuerint Hæretici, ut Janſeniani ſomniant, in eo, quod licet admitterent *neceſſitatem Gratiæ Prævenientis ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei, nihilominus vellent, eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*; nam hoc dicentes affirmaſſent illud ipſum, quod deinde Sacra Synodus Tridentina definivit, ut oſtendimus.

Ad ſecundam reſpondeo, quod contra eamdem Sacram Synodum Tridentinam inſurgunt Janſeniani, dum ſubiiciunt, *falsò putaſſe Semipelagianos poſſe reſiſti, vel obtemperari, non ſolùm Gratiæ Sufficienti, ſed etiam Efficaci*. Inſurgunt, inquam, contra Sacram Synodum, quia contra illam definientem, quod omnis Gratia Præveniens *ſit abiicibilis, & cui poſſit humanum Arbitrium diſſentire*, ſupponunt dari aliam Gratiam Prævenientem, & quidem ſimpliciter neceſſariam, ut potentes ad opus ſalutare reddamur, quam appellant eſſentialiter Efficacem, per ipſos *inimpedibilem, inabiicibilem, & irreſiſtibilem*. Gratis præterea tribuunt Semipelagianis hanc inſaniam, ut dixerint, poſſe abiici id, quod ex natura ſua eſt eſſentialiter *inabiicibile*: ac poſſe reſiſti illi, quod ex natura ſua eſt eſſentialiter *irreſiſtibile*. Hoc certè non dixerunt Semipelagiani, de quibus dubium eſt, utrum admiſerint ipſam Gratiam Indifferentem, nedum aliam eſſentialiter *inabiicibilem*: ac certè neque ipſam Indifferentem putaverunt eſſe neceſſariam ad initium Fidei. Fruſtra igitur Janſeniani conantur tegere venenum quartæ Propoſitionis, cui apertiſſimè adhærent opinati, pertinere ad Hæreſim Semipelagianam, ſi cum Sacro Concilio Tridentino dicatur, omnem Gratiam *Prævenientem eſſe talem, cui poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*.

Ad tertiam, in qua affirmant fuiſſe Hæreſim Semipelagianam dicere, quod ad meritum requiratur perfectiſſima ratio Indifferentiæ etiam ſub Auxilio Divino, & jam collata Gratia Præveniente: neque poſt talem collationem ſufficere rationem Spontanei in actu humano.

(1) *Seſſ. 6. Dec. 5.* (2) *Seſſ. 6. Can. 4.*
(3) *Seſſ. 6. Dec. 13.*

Reſ-

Reſpondeo, quod Janſeniani rurſus abhorrere ſe oſtendunt a Sacri Concilii Definitione ſtatuente, quod perfectiſſima ratio Indifferentiæ, ſcilicet non ſolùm Libertas a Coactione, ſed etiam Libertas a Neceſſitate, requiratur ad meritum, ſicuti oſtendimus impugnando Tertiam Janſenianam Propoſitionem. Ratio illa *Spontanei* in actu humano, quam dicunt ſufficere ad meritum, non eſt alia, quàm intrinſeca tendentia voluntatis in objectum, aut ab eodem fuga, oppoſita Coactioni, & impulſui extrinſeco. Hanc ſufficere ad Meritum, & Demeritum dixit Calvinus, cui nec auſus fuit apertè ſubſcribere Janſenius, licet re ipſa in eumdem enormem errorem inciderit, concedens *ſufficere in ſtatu naturæ lapſæ ad merendum, & demerendum, Libertatem a Coactione.* Sed Sacrum Concilium Tridentinum adeo, præter rationem *ſpontanei*, requirit in homine perfectiſſimam rationem Indifferentiæ penitus excludentis omnem antecedentem *Inimpedibilem, & Inabiicibilem, ac Irreſiſtibilem*, Neceſſitatem, etiam ſub auxilio Divino, & jam collata Gratia Præveniente, ut apertiſſimè definiat, *nos poſſe abiicere ipſam Gratiam tunc, quando Deus nos illuminat, & tangit cor noſtrum: & Auxilio Divino poſſe diſſentire liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum*: (1) adeoque cordi fuit Sacræ Synodo declarare perſeverantiam humanæ Libertatis ſub Auxilio Divino, ut de illa prius loquuta fuerit, quàm de Libertate ipſius Dei, dicens - *In ſacris literis cum dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: Libertatis noſtræ admonemur. Cum reſpondemus: Converte nos, Domine, ad te, & convertemur: Dei nos Gratiâ præveniri confitemur*. (2)

(1) *Seſſ.6. Dec.5. Seſſ.6. Can.4.*
(2) *Seſſ.6. Dec.5.*

CAPUT V.

QUINTA JANSENIANA PROPOSITIO.

Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Hanc, intellectam in eo ſenſu, ut Chriſtus Dominus pro Salute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus fuerit, *Apoſtolica Sedes declaravit* impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ pietati derogantem, & Hæreticam: *addens alias Cenſuras huic ultimæ, videlicet, quod ſit* hæretica, *quæ eſt communis cæteris aliis quatuor, ex quibus etiam Prima ſimilibus Quintæ notis inuſta eſt*.

Propoſitiones Quintæ Janſenianæ ſubterfugia quærentes.

1 Nulla eſt ex aliis damnatis Propoſitionibus, quam tanto ſtudio eludere conati ſint, ſicut iſtam. Dicunt igitur a ſe concedi, quod Chriſtus Dominus dicatur pro omnibus mortuus in eo primùm ſenſu, quod exhibuerit Pretium ſufficiens omnium hominum Saluti, & hoc præſtiterit ex communi Cauſa.

2 Quod, licet non omnes homines ex Chriſti morte fructum perceperint, nihilominus non ſit mortuus dumtaxat pro ſalute Prædeſtinatorum, quia multis Reprobis, etiam Infidelibus, maximè autem Fidelibus, & præcipuè Juſtificatis, etiam iis, qui finaliter a Juſtitia excidunt, ſua morte promeruerit non ſolùm plura externa ſalutis adminicula, ſed etiam Gratias Interiores, quibus ad Juſtitiam, & Salutem pervenire poſſunt; tametſi nemo eis ad perficiendum bonum, aut in accepta Juſtitia perſeverandum bene utatur, niſi ulterioribus auxiliis, & efficaci Gratia adjuvetur.

3 Juxta hanc explicationem concedunt, Chriſtum pro Juda, imò & pro ſalute Judæ, mortuum eſſe, quia non ſolùm morte ſua ſolvit Pretium ſufficiens, verùm etiam Judæ plures gratias meruit, & re ipſa contulit, quibus niſi ſua pravitate abuſus fuiſſet, ad Salutem potuiſſet pervenire.

4 Dicunt, alium ſenſum ejuſdem Propoſitionis eſſe, ut dicatur Chriſtus mortuus pro omnibus Voluntate Antecedenti, & Inefficaci, non Conſequente Abſoluta, & Efficaci, quia Antecedenter optaverit applicari omnibus pretium Mortis ſuæ, licet hoc non voluerit Conſequenter. Sicuti ſolùm Voluntate Antecedenti Deus velit omnes homines ſalvos fieri.

5 Quod ſi ſermo ſit de Voluntate Conſequenti, mortuus fuerit pro Generibus ſingulorum, non pro ſingulis Generum, ſcilicet non pro ſolis Judæis, ſed etiam pro Gentilibus, & pro quocumque hominum genere, videlicet Regibus, Subditis, Viris, Fœminis quibuſdam &c.

6 Non tamen mortuum fuiſſe pro omnibus in eo ſenſu, ut dicatur, ſic omnibus, & ſingulis hominibus Gratias ſufficientes promeruiſſe, ut proprio eas quiſque arbitrio efficaces, vel inefficaces reddat.

7 Excludendos eſſe ab illis, pro quibus mortuus fuerit, innumeros Infantes, qui ſine Baptiſmo moriuntur, & qui ante illius adventum nihil de illo audiverant: & etiam poſtea Nationes, ad quas nondum auditus Fidei penetravit.

8 Reiiciunt hanc Univerſalitatem Mortis obitæ pro omnibus, quia ſi quilibet Chriſtianus certitudinem haberet, quod morte ſua illi promeruerit omnes gratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut vitare peccata, virtutes exercere, & Salutem re ipſa conſequi poſſit, non requireretur præterea ad volendum, & operandum, alia Gratia Efficax.

9 Demum, quia ex hoc ſequeretur, inquiunt, quod quilibet infallibiliter certus eſſet, quod Chriſtus ſibi promeruerit magnum illud Perſeverantiæ Donum, ſine quo nemo Salvus fit, proindeque inter Gratias ad Salutem conſequendam neceſſarias ſpeciatim numeratur.

Propoſitiones Antijanſenianæ.

Sacrum Concilium declarat, Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro omnibus.

§. I.

HUnc (ſcilicet Chriſtum Dominum, de quo Sac. Synodus loquebatur) *propoſuit Deus Propitiationem per Fidem in Sanguine ipſius pro peccatis noſtris; non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius Mundi.* Rom. 3. Jo: 2. Ergo non eſt Hæreſis Semipelagiana, ſed Catholica Veritas, quod Chriſtus Dominus pro ſingulis hominibus, nullo prorſus excepto, mortem obiverit. (1)

(1) *Seſs. 6. Decr. 2.*

Huic Univerſalitati Mortis obitæ pro omnibus nihil obſtat, quod non omnes re ipſa percipiant Fructum Mortis ejus.

§. II.

VErùm, etſi ille pro omnibus mortuus eſt, (2) *non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ij dumtaxat, quibus meritum Paſſionis ejus communicatur.* Loquitur hìc Sac. Synodus *de illis, qui per Chriſtum juſtificantur*, ut apparet ex Titulo Decreti. Hi autem profectò non ſunt omnes; ſed ex hoc non ſequitur, quod non præparaverit omnibus morte ſua Chriſtus Dominus Auxilia, per quæ recipere poſſent Beneficium ex Paſſione, ac Morte ſua. *Beneficium* hoc extenderetur ad omnes, *& omnibus communicaretur Meritum Paſſionis ejus*, niſi Adulti ex ſua perſonali malitia ſe tali beneficio privarent, & Parvulis decedentibus ante Baptiſmum deeſſet per accidens poſſibilitas communicationis talis Beneficii, ut infra declarabitur.

Interim noto, quod Catechiſmus Romanus explicans hunc Sacri Concilii Canonem hoc mortis Chriſti beneficium appellat *Fructum* per hæc verba: *Si Chriſti Paſſionis Virtutem inſpiciamus, pro omnium Salute Sanguinem a Salvatore effuſum eſſe fatendum erit. Si verò Fructum, quem homines ex eo perceperint, cogitemus, non ad omnes, ſed ad multos tantùm eam utilitatem pervenire, facilè intelligemus.* Nomen autem *Fructus* indicat *Arborem*, ex qua naſcitur fructus, & oſtendit, quod Arbor ipſa præparata pro omnibus erat, licet non omnes ex illa colligant fructus. Idcirco igitur potius ex hoc modo loquendi adhibito a Concilio, & a Catechiſmo, inferri poteſt Univerſalitas Mortis Chriſti Domini pro omnibus toleratæ.

Non ſolùm Chriſtus Dominus obtulit Pretium ſufficiens pro omnibus, & mortuus eſt pro Communi Cauſa, ſed omnibus præparavit Morte ſua Auxilia neceſſaria ad Salutem.

§. III.

DUm ſatisfaciendo patimur pro peccatis, *Chriſti Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, a quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur.* (3) Loquitur hìc Synodus de omnibus omnino hominibus, qui vel actu ſatisfaciunt, vel ſatisfacere poſſunt, *pro quorum omnium peccatis Chriſtum ſatisfeciſſe*, affirmat, *& ab illo noſtram omnem ſufficien-*

(2) 2. *Cor. 6. Seſs. 6. Dec. 3.* (3) *Seſſ. 14. Dec. 8.*

cientiam eſſe in ordine ad ſatisfaciendum, merendum,& impetrandum; ideoque etiam ad hæc omnia præſtanda, quæ certè præſtari nequeunt abſque Gratia neceſſaria, & verè ſufficienti,quam proinde omnibus a Chriſto Domino morte ſua præparatam eſſe Sacrum Concilium ſupponit. Igitur non ſolùm obtulit Pretium ſufficiens pro omnibus, & mortuus eſt pro Cauſa Communi Salutis omnium, ſed omnibus etiam præparavit Auxilia neceſſaria, & verè ſufficientia ad Salutem conſequendam.

Mortuus eſt pro omnibus non ſolùm Antecedenti Velleitate, quæ nempe nec aſſenſum creatum trahat, nec media ſimpliciter neceſſaria conferat; ſed etiam Conſequenti veriſſima Voluntate in ordine ad præparanda pro omnibus Auxilia ſimpliciter Neceſſaria, & verè Sufficientia ad Salutem conſequendam.

§. I V.

ABſtinemus ab explicatione diverſorum Signorum in Decretis Divinis, de quibus diſputant Theologi Scholaſtici, cum Polemicus hic Libellus ſcribatur pro communi omnium Inſtructione. Sufficit animadvertere, quod a Sacro Concilio prohibemur tribuere Chriſto Domino quandam purèAntecedentem Velleitatem Salutis omnium hominum, ſed jubemur credere in illo veriſſimam Voluntatem Conſequentem, ſcilicet habitam re ipſa in executione Mortis ſuæ, præparandi pro omnibus, & acquirendi merito effuſionis pretioſiſſimi Sanguinis ſui Auxilia talia,per quæ omnes aſſequi poſſent Æternam Salutem. Ex quo ſequitur,quod, quantum erat ex ſe,veriſſimè voluerit ſalvare omnes. Hoc explicat Sacra Synodus dicens: (1) *Qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil poſſumus*, (2.Cor.3.) *eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus*. (Philipp.4.) (1.Cor.1.) *Ita non habet homo, unde glorietur,ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt,in quo vivimus, in quo movemur*, (Gal.6.)*in quo ſatisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ*, (Luc.3.) *qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum & acceptantur a Patre*. De omnibus hìc quoque hominibus loquitur Sacrum Concilium, quia de omnibus veriſſimum eſt, *quod ex nobis, tanquam ex nobis, nihil poſſumus, & quod omnes in Chriſto ſatisfacimus, & fructus pœnitentiæ facti a quibuſcumque hominibus ab illo offeruntur Patri, & per illum & acceptantur a Patre*. Ergo ipſe veriſſima Voluntate præparavit morte ſua pro ſingulis hominibus media neceſſaria *ad hos dignos Pœnitentiæ fructus faciendos*.

Operæ pretium puto clarius explicare duplicem acceptionem Voluntatis Efficacis, & Inefficacis, ne ullus in re graviſſima æquivocationibus ſuperſit locus.

Voluntas Efficax plerumque accipitur pro ea, quæ omnino vult conſequi,& re ipſa conſequitur Effectum. In hac acceptione Deus ab æterno, & Chriſtus Dominus in tempore habuit Efficacem Voluntatem ſalvandi eos tantùm, qui Salutem re ipſa conſequuntur.Erga reliquos autem habuit Voluntatem præparandi pro illis Auxilia Sufficientia, quibus niſi abuterentur, adipiſci poſſent Immortalem Fœlicitatem.

Quoniam verò Interiora ipſa Auxilia Supernaturalia veriſſimè conſtituunt adæquatam Potentiam producendi opus ſalutare; hinc eſt,quod Voluntas Divina dici poteſt Efficax in ordine ad conſtituendam in omnibus hanc Potentiam, ſcilicet ad eadem Auxilia præparanda, quia efficaciter, & efficienter illa præparavit, & ea quidem talia, ut, niſi obſtaret humana malitia, per eadem poſſet acquiri Salus Æterna. In hac ſecunda acceptione, ſcilicet impletæ re ipſa hujus præparationis Auxiliorum pro omnibus,poteſt attribui Deo, & Chriſto Domino, Voluntas Efficax præparationis Auxiliorum ad Salutem omnium.

Voluntas Antecedens accipi ſolet pro amore quodam, & deſiderio inefficaci Finis ante expenſionem, & ſelectum Mediorum,& ante Decretum adhibendi eadem media, & Finis omnino conſequendi. In hoc ſenſu ne ipſi quidem Janſeniani inficiantur aliqualiter amatam,optatamque fuiſſe Salutem omnium a Patre Divino, ejuſque Filio humanitatem induto, & mortem obeunte.

Voluntas Conſequens, quam Janſeniani mordicus negant in ordine ad omnes ſalvandos, poteſt accipi dupliciter. Primò, ut per illam Deus decreverit ponere media ejuſmodi, per quæ Salutem omnes aſſequerentur: ſive id media habeant præſtare ex intrinſeca ipſorum natura, ſive quia collata ſub Prævifione Conſenſus, Hæc certè Voluntas reſpectu omnium non fuit in Deo, nec in Divino Reparatore. Secundò verò poteſt conſiderari talis Voluntas Conſequens (poſt Antecedentem illam Voluntatem, quæ amore, ac deſiderio aliquo fertur ad omnium ſalutem) ut velit conſequenter, & in executione Mortis a Chriſto Domino toleratæ, præparari pro omnibus Auxilia neceſſaria, & veriſſimè Sufficientia, quæ ſcilicet conſtituant adæquatamPotentiam producendi opera ſalutaria, ipſamque Perſeveran-

(1) *Seſſ.*14. *Dec.*8.

rantiam, aut Pœnitentiam finalem, per quam omnes conſequi poſſent Regnum Immortale. Hanc Voluntatem fuiſſe in Deo ab æterno, & in moriente Inſtauratore noſtræ Salutis, oſtendunt apertiſſimi jam allati Textus Sacri Concilii, & mox afferendi: & in eo, quod hæc Voluntas negetur, ſita eſt Hæreſis Janſeniana.

Angelicus Doctor S. Thomas (ut hujus Scholaſticorum Principis auctoritate ſemel nitar, quam centies allegare potuiſſem, niſi ſummæ in hoc Enchiridio brevitati conſulerem) Voluntatem Conſequentem quandoque etiam accepit pro illa, quæ poſt viſa jam poſita, vel non poſita, Media Finem intendit, vel non intendit; in prima enim Lectione in Caput ſecundum Epiſtolæ primæ ad Timotheum negans fuiſſe in Chriſto Domino Voluntatem ſalvandi omnes etiam poſt prævisa Peccata, & Impœnitentiam finalem, inquit: *Sed ſi conſideretur bonum Juſtitiæ, & quod peccata puniantur, ſic non vult, & hæc eſt Voluntas Conſequens*: & 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. *Deus antecedenter vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quoſdam damnari ſecundum ordinem ſuæ juſtitiæ*. Præclarè quidem more ſuo, ac veriſſimè; nam poſt eam Præviſionem Impœnitentiæ finalis plurimorum certè Voluntas Conſequens Divina non verſatur circa Salutem omnium, imò conſequenter tendit in Impœnitentium damnationem. Sed immediatè ante ſublimis Magiſter admiſerat in Chriſto Domino Voluntatem Conſequentem ſalvandi omnes in ea, quam explicuimus, acceptione, videlicet in ordine ad præparanda efficaciter, & executivè Media neceſſaria, & verè Sufficientia ad Salutem ab omnibus obtinendam; dixerat enim, quod Salvator *omnibus proponit Salutis Præcepta, Conſilia, & Remedia*. Hæc certè *Remedia* ſunt Auxilia verè Sufficientia præparata pro omnibus in ipſa Executione Mortis Divinæ: & in hoc ſolummodo Senſu a me attribuuntur Voluntati Conſequenti in Explicatione Sacri Concilii. Nec in contrarium eſſe poteſt quæſtio, niſi de ſolo nomine, cum in re ſignificata nulla videatur diſcrepantia.

Quod eidem Voluntati in hac acceptione Conſequenti attributa fuerint a S. Thoma patet manifeſtè ex eo, quod loquatur de *Remediis*, videlicet de Auxiliis veriſſimè Sufficientibus, in eodem Senſu, in quo loquitur de *Præceptis*, & *Conſiliis*, quæ certè Chriſtus Dominus dare voluit, ac dedit omnibus Voluntate Conſequenti, & Efficaci, ideſt exequendo re ipſa id, quod facere intendebat, præbens re ipſa omnibus hominibus Divina illa ſua *Præcepta*, & *Conſilia*; ideoque præparans etiam pro omnibus in ipſa Executione Mortis ſuæ Sanctiſſimæ *Remedia*, ideſt Auxilia veriſſimè Sufficientia.

Hæc animadvertimus ad cavendos abuſus Terminorum, qui aliquando adhibentur a Janſenianis. Cum Angelicus mirabili ſua ſapientia mortales erudiebat, Hæreſis nulla negabat Mortem Chriſti pro omnibus, ideoque neceſſe illi non fuit rem penitus enucleare, ſed loqui potuit breviſſimè non diſtinguendo ex profeſſo varios ſenſus, qui Divinis ſuis ſententiis attribui poſſent. Sed ſi eo vitam agitante orta fuiſſet Hæreſis Janſeniana, profectò ubertim ſtatuiſſet diſcrimen inter varias acceptiones Voluntatis Antecedentis, & Conſequentis, & inter Efficaciam acceptam in uno Senſu, aut in alio: ac explicuiſſet id, quod ſolùm indicavit, ut oſtendimus, videlicet fuiſſe in Chriſto Domino Voluntatem Conſequentem, ideſt habitam re ipſa in Executione Mortis ſuæ, præparandi pro omnibus *Remedia*, ideſt Auxilia neceſſaria, & verè Sufficientia ad Salutem comparandam; licet in eo non fuerit alia Voluntas Conſequens conferendi re ipſa omnibus Salutem poſt præviſam finalem innumerabilium Impœnitentiam: Ac pariter declaraſſet Sanctiſſimus Magiſter, quod quamvis non fuerit in Servatore Voluntas Efficax in ordine ad obtinendam re ipſa omnium Salutem ſingulis præparando media cum ipſa infallibiliter connexa, ſive ex intrinſecis ſuis, ſive quia nonniſi ſub Præviſione Conſenſus congruè collata; nihilominus in illo fuit Voluntas Efficax veriſſima, & ſinceriſſima præparandi pro omnibus efficienter *Remedia*, ideſt Auxilia neceſſaria, & verè Sufficientia ad Salutem adipiſcendam.

Voluntas Efficax, & Conſequens, in Senſu explicato negari nequit, niſi etiam negetur Mors Redemptoris noſtri obita pro omnibus.

Deus veriſſima Voluntate, ac non ſolùm Velleitate Antecedenti, vult omnes homines ſalvos fieri.

§. V.

Quia Voluntas Chriſti Domini in Morte obeundą, & ſemper in omnibus, conformata eſt Voluntati Patris, confirmatur Voluntas univerſaliſſima Chriſti Domini præparantis omnibus morte ſua Gratias neceſſarias ad Salutem conſequendam ex eo, quod hæc veriſſima Voluntas omnium Salutis, & non pura Velleitas, fuerit in Patre. Qui ſolùm in illo Antecedentem Velleitatem agnoſcunt, magnam vim infe-

Digitized by Google

inferunt apertiſſimo illi Divino Oraculo:(1) *Qui omnes homines vult ſalvos fieri*; neque enim verè vult rem aliquam, qui habet quandam Velleitatem circa illam; ſique ad rem illam obtinendam concurrere debent etiam alii, quibus debet præſtari Auxilium ab habente talem Voluntatem, hic non decernit dare alteri tale neceſſarium Auxilium. Sed, ut immoremur in ſolo Sacro Concilio, ab eo ſuppoeitur apertè, quod Deus habeat veram Voluntatem dandi omnibus hæc Auxilia neceſſaria, etiam proxima, niſi ipſi eiſdem obicem ponant malitiâ ſuâ; inquit enim:(2) *Sacroſancta Tridentina Synodus,&c. agnoſcens cum B.Apoſtolo Jacobo, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens a Patre Luminum*, (cap.1.)*qui iis, qui poſtulant a ſe ſapientiam, dat omnibus affluenter,& non improperat eis.* (Eccleſ.1.) Declarat igitur Sac. Synodus, quod Deus, *Luminum Pater dat omnibus affluenter Sapientiam*,ideoque Fidem veram, & omnia bona, quæ illam conſequuntur, ſi hæc bona ab eo poſtulentur. Et certè dat etiam Potentiam poſtulandi, cum velit hoc ipſum, & jubeat,ut poſtuletur,& non jubeat Impoſſibilia. Impoſſibile autem eſſet,ab eo, ut oportet, & utiliter ad Salutem, *poſtulari Sapientiam*, Fidem, & alia bona,niſi ſuo nos Auxilio præveniret. Declarat autem Sacra Synodus, (3) quod *Deus Impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere,quod poſſis; & petere, quod non poſſis; & adjuvat, ut poſſis*.(1.Jo.5.)Deus ergo veriſſima Voluntate, & non pura Velleitate, *vult omnes homines ſalvos fieri*, & Auxilium verè Sufficiens, ut tale,& ut abſtrahens a proximè,ac remotè Sufficienti, dat omnibus reipſa, & non ſolùm offert. Auxilium autem proximè Sufficiens dicitur præparare, ac offerre omnibus, quia vel actu illud dat, vel offert bene utentibus Auxilio remoto. Inter remotè autem Sufficientia ſpecialiter recenſetur Gratia orandi, & petendi, ſicut oportet: quæ certè eſt Auxilium intrinſecum, & ſimul remotum, ſeu remotè ſufficiens. Non eſt igitur pro eodem habendum Auxilium Remotum, ac Extrinſecum, quaſi non ſit auxilium ullum remotum,niſi purè extrinſecum. Deus ergo confert omnibus Auxilia, ſaltem Remota, ad obtinendam Æternam Salutem neceſſaria: ſique aliquibus non confert Auxilia proxima,id oritur ex eo,quod ipſi ſuis criminibus fruſtranea reddiderint Auxilia remota,ideoque obicem poſuerint aliis proximis. Ergo cum Pater Auxilia hæc omnia voluerit hominibus præparari per Paſſionem, & Mortem Chriſti, ſicut vidimus declaratum eſſe a Sacra Synodo, Chriſtus ipſe habuit veriſſimam Voluntatem illa omnibus præparandi, ideoque pro omnibus mortuus eſt.

(1) 1.*Tim*.2. (2) *Seſſ.2.initio Decreti*.
(3) *Seſſ.6. Dec.*11.

Qui negant mortuum pro omnibus fuiſſe Chriſtum Dominum, majores vires attribuunt in malum Peccato Adami, quàm in bonum Morti ejuſdem Chriſti Domini.

§. VI.

MAnifeſtiſſimum eſt id, quod in Titulo proponitur. Sed hoc ipſum apertè repugnat Declarationi Sacri Concilii *de Remedio*, quod Salvator attulit Culpæ Adami, per talem modum loquendi, a quo ſupponitur, tale remedium præparatum ab ipſo fuiſſe pro omnibus. (4) *Si quis hoc Adæ Peccatum, quod origine unum eſt, & propagine, non imitatione, tranſfuſum omnibus ineſt unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud Remedium aſſerit tolli, quàm per Meritum unius Mediatoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui nos Deo reconciliavit Sanguine ſuo* (1.Tim.2.) *factus nobis Juſtitia, Sanctificatio, & Redemptio* (1.Cor.1.) *aut negat, ipſum Jeſu Chriſti meritum per Baptiſmi Sacramentum in forma Eccleſiæ rite collatum tam Adultis, quàm Parvulis, applicari, Anathema ſit. Quia non eſt aliud nomen ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*; (Act.4.) *unde illa vox: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi.* (Jo.1.) Sicut igitur *ineſt unicuique proprium* peccatum Adæ:ita ex mente Concilii *Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi*, præparavit unicuique *Remedium*, ideoque pro omnibus mortuus eſt.

Concilium declarat, etiam poſt Adæ peccatum remanere in hominibus Libertatem, cujus homo uſu conſequi poſſint Salutem; ideoque ſupponit, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe.

§. VII.

IMpugnando alias Janſenii Propoſitiones oſtendimus declaratum a Concilio apertiſſimè fuiſſe, quod in ſtatu Naturæ lapſæ integra perſeveret in hominibus Libertas exempta ab omni antecedente *inimpedibili, & inabiicipili, ac irreſiſtibili* neceſſitate. Patet autem, quod illis, pro quibus Chriſtus Dominus Morte ſua non præparaſſet Auxilia neceſſaria ad Salutem conſequendam, deeſſet Libertas ad obtinendam per bona opera ejuſdem Salutis aſſecutionem. Ergo Concilium

(4) *Seſſ.5. Dec*.3.

cilium agnoſcens in omnibus hanc Libertatem præſuppoſuit, quod pro omnibus hæc Auxilia Morte ſua Chriſtus Dominus præparaverit, ideoque pro omnibus effuderit Sanguinem.

Explicat Synodus, quod Chriſtus Morte ſua præparaverit Auxilia etiam Fidelibus actu peccantibus, quorum plurimi damnantur.

§. VIII.

POſt enumeratas varias ſpecies hominum graviter peccantium ſubdit Synodus: (1) *Maledicos, rapaces, cæteroſque omnes, qui lethalia committunt peccata, a quibus cum Divinæ Gratiæ Adjumento abſtinere poſſunt.* Adeſt igitur etiam illis, *qui lethalia committunt peccata*, *Divinæ Gratiæ Adjumentum* ſimpliciter neceſſarium, ut vitari valeant; ideoque pro illis etiam mortuus fuit Chriſtus Dominus, quia per Mortem ſuam talia illis *Adjumenta* præparavit. Ex his autem innumeri damnantur, ideoque non eſt mortuus pro ſolis Prædeſtinatis.

Declarat quoque Synodus Chriſtum Dominum mortuum fuiſſe pro Infidelibus renuentibus ad Fidem accedere, ideoque damnatis.

§. IX.

LOquitur Synodus de omnibus, qui ad Fidem vocantur, dum in Decreto (2) *de neceſſitate præparationis ad Juſtificationem in Adultis*, dicit. *Declarat præterea ipſius Juſtificationis exordium in Adultis a Deo per Chriſtum Jeſum præveniente Gratia ſumendum eſſe, & hoc ab ejus Vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo averſi erant, per ejus excitantem, atq; adjuvantem Gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum Juſtificationem eidem Gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur. Ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti Illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat Inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt.* Id, quod hic declarat Synodus, valet pro omnibus, qui ad Fidem vocantur. Igitur illorum omnium *cor tangit Deus per Spiritus Sancti illuminationem*, videlicet per Auxilium Proximum, quod præparatum eſt a Chriſto Domino Morte ſua, certè obita pro illis omnibus, quibus moriendo tale Auxilium præparavit. Ex his autem innumeri ſunt, qui non ſolùm *poſſunt abjicere talem Inſpirationem*, ſicuti Concilium definit, ſed etiam (quoties videlicet Inſpiratio nec eſt ex intrinſecis Efficax, nec data ſub Præviſione Conſenſus) re ipſa illam abjiciunt, & obſtinato animo remanent in Infidelitate, ac Æternam Mortem incurrunt. Ergo pro his quoque Chriſtus Dominus mortuus eſt.

Auxilia neceſſaria ad Salutem Chriſtus Dominus Morte ſua præparavit pro illis quoque, qui nondum habuerunt auditum Fidei, ideoque pro illis quoque mortuus eſt.

§. X.

QUod plurimis ex his Deus contulerit Auxilia Proxima neceſſaria ad Salutem, conſtat evidenter ex eo, quod plurimi eamdem Æternam ſalutem aſſequuti fuerint juxta Divinum Chriſti Domini Oraculum: (3) *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in Regno Cælorum.* Loquitur autem manifeſtè de Barbaris, quibus non contigerat ante ſuũ Adventum habere auditum externum Fidei; & nihilominus aſſenſi fuerant internæ Inſpirationi docenti, (*Heb. 11.*) *quia Deus eſt, & inquirentibus ſe remuneratar ſit*, eumque amaverant, & doluerant de ſuis criminibus, pro ut oportet. Illa verò Auxilia collata ipſis a Deo fuerant intuitu Mortis obeundæ a Chriſto Domino, qui proinde pro ijs quoque illam obivit. Sicut autem ex his evidenter conſtat, quod mortuus fuerit pro aliquibus ex illis, & quidem voluntate ſpecialiter benefica, quæ re ipſa fortita ſit Prædeſtinationis effectum: ſic mortuum quoque eſſe pro reliquis, qui non percipiunt fructum Mortis ejus, non jam voluntate illa ſpecialiter benefica, & cum Prædeſtinationis effectu infallibiliter connexa, ſed Voluntate, quæ ſit vera Voluntas, & non nuda Velleitas, præparante nimirum, & conferente media ſimpliciter neceſſaria ad Salutem, ſive proxima ea ſint, ſive ſaltem remota, ex quorum recto uſu proxima pendeant, eruitur non minùs clarè ex Generali Declaratione Tridentini Concilii omnes omnino comprehendente: *Deus dat omnibus affluenter, & non improperat eis.* (4)

Qui dubitaret, utrum Chriſtus Dominus effuſione Sanguinis ſui lucratus fuerit Auxilia etiam pro illis, qui eum ætate præceſſerant, opinari videretur, ejus Merita non eſſe infiniti valoris; hæc enim Infinitas facit, ut ad omnia tempora protendi poſſint. Certè Sancti Patriarchæ, Prophetæ, ac alii, qui ſalvati ſunt ante illius Adventum, habuerunt Auxilia iiſdem comparata Morte dein-

(1) *Seſſ.6.Dec.15.* (2) *Seſſ.6.Dec.5.*

(3) *Matt.* 8. (4) *Seſſ.2.init.Decreti.*

Digitized by Google

deinde obita ab omnium Redemptore. Ergo eadem Auxilia ipſe lucrari potuit, atque certè adeptus eſt, pro omnibus, ideoque pro omnibus mortem oppetiit.

Pro Parvulis quoque ſublatis ante Baptiſmum mortuus eſt Chriſtus Dominus;

§. XI.

Licet per accidens *Beneficium Mortis Chriſti nequiverit Parvulis iſtis communicari*, neque ipſi recipere potuerint interiores Gratias, & Vocationes ad Fidem, & pœnitentiam, prò omnibus a Chriſto Domino morte ſua preparatas, nihilominus ex hoc non ſequitur, quod veriſſimè pro illis quoque non interierit. Sapientiſſimè Sacrum Concilium, poſtquam definivit Univerſalitatem Mortis Chriſti pro omnibus per hæc verba: *Hunc propoſuit Deus Propitiatorem per Fidem in Sanguine ipſius pro peccatis noſtris; non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius Mundi*: (1) per quæ verba patenter amplectitur etiam Parvulos, ſtatim agere incipit *de illis, qui per Chriſtum juſtificantur*, declarans, hoc donum re ipſa non conferri omnibus, dicens. *Verùm, etſi ille pro omnibus mortuus eſt*, (2. Cor. 5.) *non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ij dumtaxat, quibus Meritum Paſſionis ejus communicatur*. Et pauló poſt Synodus agit (2) *de neceſſitate Præparationis ad Juſtificationem in Adultis, & unde ſit*, inquiens: *Declarat præterea ipſius Juſtificationis Exordium in Adultis a Deo per Chriſtum Jeſum præveniente Gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus Vocatione, &c.* Differit ergo *de illis, quibus meritum Paſſionis ejus communicari poteſt*, & prætermittit illos, quibus per accidens non poteſt, videlicet Parvulos illos, quibus neque per Baptiſmum v. g. ſi decedant in utero Matris, neque per aliud Remedium, quod erat in Lege Naturæ, vel Scripta, neque per proprium conſenſum vocationi Divinæ, cujus erant incapaces, *beneficium Mortis Divinæ communicari poteſt*: neque ipſi colligere poſſunt ſaluberrimos *fructus* ex Arbore, cæteroqui pro omnibus conſtituta.

Prætermittimus alia, quæ præclari Theologi poſt Sanctos Patres addunt de Parvulis iſtis, & de beneficiis plurimis, quæ Morte ſua illis adeptus eſt Chriſtus Dominus: præſertim verò, quod illos immaturo fato abreptos Innocentiæ ſuæ perſonalis ſecuros reddiderit, & liberaverit a ſempiterno Incendio, in quod probabiliter plures ex iis corruiſſent; cum ſufficiat ex Sacri Concilii Decretis oſtendiſſe, quod accidentalis impotentia communicationis illis factæ Meritorum Paſſionis Divinæ nullatenus obſtet univerſali Definitioni de Morte Redemptoris obita *non ſolùm pro noſtris peccatis, ſed etiam pro totius Mundi*; (Rom. 13. Jo. 2.) ideoque etiam pro delenda in Parvulis omnibus Originali Culpa, quam re ipſa delet in innumeris, & obtulit Sanguinem ſuum pro illa delenda in omnibus; licet arcano Providentiæ Divinæ Conſilio per accidens impedita fuerit communicatio plurimis mirabilis hujuſce beneficii.

Non ſolùm pro Generibus ſingulorum, ſed etiam pro Singulis generum Chriſtus Dominus mortuus eſt.

§. XII.

Si ſermo ſit de Pretio re ipſa, & in executione oblato ab optimo Redemptore, & de Auxiliis neceſſariis ad Salutem Æternam ab illo præparatis, conſtat ex allatis apertiſſimis Textibus Sacri Concilii, quod hæc extenſa fuerunt ad Singulos generum, videlicet ad omnes omnino homines in quacumque illorum Claſſe conſideratos, & non ſolùm ad Genera ſingulorum, ſcilicet ad quoſdam ex Hebræis, quoſdam ex Gentilibus, &c.

Dum ergo Sancti Patres (qui profectò non tradiderunt Doctrinam repugnantem illi, quam deinde Sac. Concilium definivit) adhibent aliquando hanc diſtinctionem, non loquuntur univerſaliter de illis, pro quibus veriſſimè Mortem oppetiit Chriſtus Dominus, hi enim ſunt univerſaliſſimè omnes & ſinguli homines; ſed agunt de illis, *quibus re ipſa Meritum Paſſionis, & Mortis Chriſti communicatur* per conſequutionem Æternæ Salutis. Hac autem fœlicitate certè non fruuntur Singuli generum, ſed Genera ſingulorum, nam ex omnibus Generibus, & Claſſibus hominum plurimi re ipſa Immortalem Gloriam conſequuntur.

Specialis Oblatio Sanguinis Chriſti Domini, & ejus Oratio pro Prædeſtinatis nihil officit univerſalitati Mortis obitæ pro omnibus.

§. XIII.

Optimè declarat Catechiſmus Romanus, quod cum Chriſtus in Calicis conſecratione dixit: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*: per hæc verba: *Pro vobis*: eos, qui aderant, vel ſelectos ex Judæorum Populo, quales erant Diſcipuli, excepto Juda, quibus cum loquebatur, ſignificavit. Cum autem addidit: *pro multis*: reliquos Electos ex Judæis, aut Gentibus, intelligi voluit.

(1) *Seſſ. 6. Dec. 2.* (2) *Dec. 6.*

Rectè ergo factum, ut *pro univerſis* non diceretur, cum hoc loco tantummodo *de fructibus Paſſionis ſermo eſſet*, quæ Salutis fructus delectis ſolùm attulit. Idem dicendum de Precibus illis Divini Inſtauratoris noſtræ Salutis dicentis: (1) *Non pro Mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi*; hæ quippe oblatæ ſunt pro ſolis Prædeſtinatis, pro quibus inter cætera impetravit finalia illa Auxilia, quibus re ipſa conſenſuri eſſent. Ex hoc autem non ſequitur, quod non oraverit aliis vicibus etiam pro omnibus, *& gemitibus* quidem *inenarrabilibus* (2) (ipſi enim congruenter aptatur id, quod Apoſtolus inquit de Spiritu) offerens pro omnibus Sanguinem ſuum, ſuiſque meritis præparans omnibus Auxilia ad Salutem neceſſaria. Hoc ipſum immediatè ante Catechiſmus Romanus ſic explicuerat: *Si Chriſti Paſſionis Virtutem inſpiciamus, pro omnium Salute Sanguinem a Salvatore effuſum eſſe fatendum erit*. Hæc autem *Virtus* exercita de facto a Chriſto Domino ſita eſt in illa pro omnibus *Auxiliorum præparatione*, ac erectione *Arboris*, ex qua omnes decerpere *Fructus* poſſent, niſi vel ſua perſonalis malitia illos retraheret a talium fructuum collectione, vel Adami culpa ſecum ferret, ut multi Parvuli per accidens iiſdem fructibus privandi eſſent. Exponitur hoc a Catechiſmo per verba, quæ ſtatim ſubdit poſt illa mox allegata: *Si verò Fructum, quem homines ex eo perceperint, cogitemus, non ad omnes, ſed ad multos tantùm eam utilitatem pervenire, facilè intelligemus*. Hæc autem optimè congruunt Definitioni Sacri Concilii circa Mortem Divinam obitam *pro peccatis totius Mundi, licet non omnes homines Mortis ejus beneficium recipiant, ſed ii dumtaxat, quibus Meritum Paſſionis ejus communicatur*.

Ex præparatione Auxiliorum pro omnibus non ſequitur, quod homines illa reddant Efficacia addendo eiſdem Potentiam, quæ ipſis deſit.

§. XIV.

JAnſeniani affirmant, abſterreri ſe a confeſſione Mortis Divinæ toleratæ pro omnibus in eo ſenſu, ut dicatur, *Sic omnibus gratias ſufficientes promeruiſſe, ut proprio eas quiſque arbitrio efficaces, vel inefficaces, reddat*. Sed dum videri volunt obſequium præſtare Deo, tegere conantur impietatem ſuam, qua verè coarctant Mortem Divinam ad ſolos Prædeſtinatos, quibus ſolis per ipſos conferuntur finalia Auxilia nedum intrinſecè, & eſſentialiter efficacia, ſed & *per ipſos inimpedibilia, & irreſiſtibilia*. Pro cæteris enim negant præparata eſſe a Chriſto Domino Morte ſua Auxilia hujuſmodi, per ipſos omnino neceſſaria ad Salutem conſequendam, ideoque verè pro ipſis non interiiſſe Divinum Redemptorem.

Ne hic repetamus ea, quæ ſupra ſtatuimus, ſufficit indicare, quod fruſtra Janſeniani conantur auferre hominibus Libertatem *abiiciendi* Auxilia prævenientia, *illiſque diſſentiendi*, ob inanem timorem, quod ſic Auxilia per humanum Arbitrium inefficacia reddantur, cum hoc vel nullam abſurditatem involvat, quin potius ſit quid Concilio conformius, ut alibi indicavimus: vel hoc aſſerere non ſit neceſſarium, amplectendo ſententiam de Gratia per ſe intrinſecè efficaci, *abiicibili* tamen, ac *reſiſtibili*, uti defenditur a Thomiſtis. Ex ejuſdem Sacroſancti Concilii Doctrina conſtat, omne Auxilium dari a Deo ex animo ſincero, ut per illud ſaltem operari poſſimus, & omne, quantum eſt ex ſe, tale eſſe in actu primo, ut ſi ipſi actus ſecundus non correſpondeat, id nullatenus in Auxilii Infirmitatem, ac Defectum, ſeu intrinſecam poſitivam Inefficacitatem refundi poſſit, ſed ſolummodo in humanam malitiam, liberique Arbitrii pervicaciam nolentis illo Auxilio uti ad effectum, ob quem eſt conceſſum.

Ex eo, quod Janſeniani putent, ſimpliciter neceſſariam eſſe Gratiam nedum eſſentialiter Efficacem, ſed & inabiicibilem, & irreſiſtibilem *ſequitur, quod per ipſos Chriſtus mortuus ſit pro ſolis Prædeſtinatis.*

§. XV.

FRuſtra Janſeniani affirmant, quod in eo ſenſu dici poſſit Chriſtum non eſſe mortuum pro Salute dumtaxat Prædeſtinatorum, quia *multis Reprobis, etiam Infidelibus, maximè autem Fidelibus, & præcipuè Juſtificatis, etiam iis, qui finaliter a Juſtitia excidunt, ſua Morte promeruerit non ſolùm plura Externa Salutis adminicula, ſed etiam Gratias Interiores, quibus ad Juſtitiam, & Salutem pervenire poſſunt*: & quod in hoc ſenſu verificetur, *Chriſtum pro Juda, imò & pro ſalute Judæ mortuum eſſe, quia non ſolùm morte ſua ſolverit pretium ſufficiens, verùm etiam Judæ plures Gratias meruerit, & re ipſa contulerit, quibus niſi ſua pravitate abuſus fuiſſet, ad Salutem potuiſſet pervenire*.

Hæc, inquam, omnia, quæ attulimus in ſecunda, & tertia abſurdiſſimis Janſeniſtarum Explicationibus, nihil valent ad eorum hæreſim diſſimulandam, cum ſubiiciant, quod *neque Judas, neque alius ullus Reprobus bene*

(1) *Jo.* 17. (2) *Rom.* 8.

utitur illis Auxiliis ad perficiendum bonum, aut in accepta Juſtitia perſeverandum, niſi ulterioribus auxiliis & efficaci Gratia adjuvetur: videlicet *Gratia illa inabiicibili, & irreſiſtibili*, quam ipſi requirunt, & neceſſariam eſſe dicunt contra Sacri Concilii Definitionem *ad compleudam Potentiam* bene utendi Auxiliis Divinis, perficiendi Boni, & in accepta Juſtitia perſeverandi.

Demonſtravimus Cap.2.§.17.& 18.quod Janſeniani per ſummam abuſionem Vocabuli appellant Sufficientes Gratias illas, quæ verè non ſufficiunt,cum *ad compleudam Sufficientiam Potentiæ* ad ſalutariter operandum ſit præterea per ipſos neceſſaria Gratia Efficax *inabiicibilis, & irreſiſtibilis*. Hæc per ipſos neceſſariò requiſita ad talem Potentiam conſtituendam præparata per ipſos in ordine ad finalemPerſeverantiam non fuit a Chriſto Domino aliis, quàm Prædeſtinatis. Ergo per ipſos mortem obivit Chriſtus Dominus pro Solis Prædeſtinatis, quia certè pro illis tantummodo verè, & in executione mortuus eſt, pro quibus Morte ſua præparavit *Media neceſſaria ad Salutem conſequendam*.Hæc autem Media juxta Sacrum Concilium non ſolùm pro omnibus præparavit, ſed etiam illa dat ſimpliciter omnibus Adultis veriſſimè Sufficientia, ſaltem remotè: ac daret etiam Parvulis, niſi, ſuppoſitâ Culpâ Adami, aliquando poneretur per accidens Obex ab aliis cauſis.

Subiiciunt, ut notavimus in Octava ipſorum Explicatione, quod *ſi quilibet Chriſtianus certitudinem haberet, quod morte ſua ChriſtusDominus illi promeruerit omnesGratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut vitare peccata, virtutes exercere, & Salutem re ipſa conſequi poſſit,non requireretur præterea ad volendum, & operandum, alia Gratia Efficax*.

Sed hanc *certitudinem, quod Chriſtus Dominus promeruerit Gratias omnes neceſſarias ad vitanda peccata, Virtutes exercendas, & Salutem re ipſa conſequendam*, Sacrum Concilium Tridentinum non attribuit ſolis Chriſtianis,ſed omnibus prorſus hominibus, cum definiverit, (1) *quod Deus dat omnibus affluenter, & non improperat: Nulli jubet Impoſſibilia: omni a ſe bene poſtulanti concedit ſapientiam: & pro omnibus Chriſtus eſt mortuus*; ideoque omnibus præparavit Media neceſſaria ad Salutem, inter quæ Media Concilium non agnoſcit, tanquam neceſſariam ad volendum, & operandum, Gratiam aliam intrinſecè, & eſſentialiter *efficacem, inabiicibilem, & irreſiſtibilem*, imò hanc Sacra Synodus excludit (2) *tanquam humanæ*

Libertatis everſivam, ut demonſtravimus. Ideo dum Janſeniani contra Sacrum Concilium hanc neceſſariam eſſe dicunt, ac proinde ex illius defectu convincuntur negare Mortem Chriſti pro aliis, quàm pro Prædeſtinatis, non ſolùm non tegunt Hæreſim ſuam circa Quintam Propoſitionem, cui ſe mordicus adhærere oſtendunt; ſed etiam inculcant Hæreſim cæterarum Janſenii Propoſitionum.

Ex Morte Chriſti Domini pro omnibus abſurdiſſimè infertur Certitudo Perſeverantiæ finalis, & Salutis Æternæ.

§. XVI.

Ultimum ex effugiis Janſeniſtarum,quæ recenſuimus initio hujus Capitis, eaque omnia illis clauſimus, licet non ſequuti ſeriem Adverſariorum,in præcedentibus Paragraphis, eſt hæc abſurdiſſima ſequela Certitudinis Perſeverantiæ finalis, & Salutis Æternæ, quam ipſi dicunt oriri ex eo, quod Chriſtus Dominus mortuus fuerit pro omnibus: quam ſequelam ne concedant, affirmant, negandam eſſe ipſam Univerſalitatem Mortis Divinæ pro Cunctorum Salute.

Sed ex hac Univerſalitate inferunt abſurdiſſimè hujuſmodi certitudinem, nam, licet certiſſimi ſimus,quod Chriſtus Dominus Morte ſua Sanctiſſima præparaverit omnibus Media neceſſaria ad Salutem conſequendam, ſcilicet Gratias ex ſe verè ſufficientiſſimas, quamvis *abiicibiles, & reſiſtibiles* ex Definitione Sacri Concilii, nec indigentes conſortio alterius Gratiæ nedum intrinſecè, & eſſentialiter efficacis, ſed & *inabiicibilis, & irreſiſtibilis*; incerti tamen omnes ſumus (niſi habeatur de hoc ſpecialis Revelatio) utrum Deus collaturus de facto ſit nobis Gratias Congruas, videlicet illas, quibus prævidit nos re ipſa conſenſuros, & non potius illas, quibus prævidit diſſenſuros: vel, ut aliis placet, Gratias ab intrinſeco tractivas infallibiliter conſenſus, vel eas dumtaxat, quibus potentes unicè efficimur.

De incertitudine Perſeverantiæ, atque Æternæ Salutis, apertiſſima eſt Sac.Concilii Definitio: (1) *Si quis magnum illud uſque in finem Perſeverantiæ Donum ſe certò habiturum abſoluta, & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ſpeciali Revelatione didicerit, Anathema ſit*.

Ideo quotidie, ac perpetuò, petenda eſt humillimè a Deo Pœnitentia, & Perſeverantia finalis, & Gratia a nobis non abiicienda, & cui diſſentiri non ſimus; cum dubitare unuſquiſquiſque poſſit, eventurum fortaſſe, ut

(1) *Seſſ.2.initio Decr. Seſſ.6.Dec.xi. Seſſ. 6. Dec.* (2) *Seſſ.6.Dec.4.5.& 13.& Can.4.*

(1) *Seſſ.6. Can. 16.*

ut in pœnam occultæ ſuæ Superbiæ,vel alteriua Criminis, Deus Optimus Maximua juſtiſſimè illi collaturua potiua ſit aliam Gratiam neceſſariam ſolummodo ad poſſe operari, cui, licet ex ſe ſufficientiſſimæ, inſœlix homo culpâ ſuâ ſit diſſenſurns.

Majorem igitur Incertitudinem non habent Janſeniani,utrum conſecuturi ſint Gratiam, quam putant nedum eſſentialiter efficacem ſed & *inabiicibilem, & irreſiſtibilem*, quàm nos illam *abiicibilem, & reſiſtibilem*, de qua loquitur Synodus Tridentina, quam obtenturi ſimus ſive per Thomiſtas intrinſecè quidem Efficacem, non tamen completivam Potentiæ proximæ,eſto,cum Actu connexam: ſive intrinſecè Indifferentem, ut verum putamus,ſed ſub Præviſione Divina noſtri Conſenſus ſuturi. Nequeunt igitur ab hae perperam aſſerta certitudine, quam nohis vendicemus, deterreri a concedenda Univerſalitate Mortia Chriſti obitæ pro omnibua.

Reſpondetur Propoſitionibus Quintæ Janſenianæ Subterſugia quærentibus.

§. XVII.

AD prlmam,qua conceditur,quod *Chriſtus Dominus dicatur pro omnibus mortuus in eo primùm ſenſu,quod exhibuerit Pretium ſufficiens omnium Saluti, & hoc præſtiterit ex communi Cauſa*: Reſpondeo, veriſſimum eſſe,quod Chriſtua Dominus mortuua fuerit pro omnibua etiam in hoc ſenſu; ſed falſiſſimum, quod in hoc ſolummodo, & in aliis tantùm ſenſibus, qui ſubiiciuntur in aliis Propoſitionibua velantibua impietatem, qua negatur alius ſenſus Catholicus oppoſitus Quintæ Janſenianæ dicenti: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem ſudiſſe*: qui ſenſua Catholicua eſt, quod re ipſa, & in executione Chriſtus Dominus Morte ſua lucratus pro omnibua omnino hominibus fuerit Auxllia verè ſufficientia pro Salute conſequenda; ut ſupra explicuimus.

Ad ſecundam, qua affirmatur,quod *licet non omnes homines ex Chriſti morte fructum perceperint,nihilominus non ſit mortuus dumtaxat pro Salute Prædeſtinatorum, quia multis reprobis, etiam Infidelibus, maximè autem Fidelibus, & præcipuè juſtificatis, etiam ijs, qui finaliter a Juſtitia excidunt, ſua morte promeruerit non ſolùm plura externa Salutis adminicula, ſed etiam Gratias interiores, quibus ad Juſtitiam pervenire poſſunt;tametſi nemo eis ad perficiendum bonum, aut in recepta Juſtitio perſeverandum bene utatur, niſi ulterioribus Auxiliis, & Efficaci Gratia adjuvetur*: Reſpondeo primò, quod verſutè, ac ſubdolè additur hæc ultima para: *Tametſi nemo eis &c.* nam licet veriſſimum ſit, neceſſaria *eſſe ulteriora auxilia, & Gratiam Efficacem, ad hoc, ut quis perficiat bonum, perſeveret in accepta Juſtitia, & re ipſa conſequatur Æternam Salutem*; ea tamen ulteriora Auxilia, & Gratia Efficax, debent eſſe ejuſmodi, *ut poſſint abiici, eiſque poſſit diſſentiri*, juxta Definitionem Sacri Concilii; non verò ſint *inabiicibilia, & irreſiſtibilia*, ſicuti præſumitur in relata Propoſitione. Secundò adverto, quod prima Pars Propoſitionia oſtendit, eam proferentes opinari, quod Chriſtus Dominus mortuus non fuerit pro omnibus hominibus, cum Aſſertionem circa *Gratias interiores, quos Morte ſua Chriſtus promeruerit*,coarctent *ad multos*, & eam non extendant *ad omnes*. Ergo per ipſos Redemptor noſter moriendo lucratus non fuit pro omnibus *Gratios interiores verè ſufficientes, ſcilicet tales, quibus ad Juſtitiom,& Salutem pervenire omnes poſſint*. Tertiò convincuntur opinari,quod has Gratiaa *verè Sufficientes* meruerit pro ſolis Prædeſtinatis, quia declarant cæteria deeſſe Auxilia illa, quæ ſola per ipſos ſunt *verè Sufficientia*, ut quis re ipſa ſalvari poſſit. Ergo per ipſos pro Salute dumtaxat Prædeſtinatorum Chriſtus Dominus mortuua eſt,

Ad tertiam, ſcilicet: *Juxta hanc explicationem concedimus*, inquiunt, *Chriſtum pro Juda,imò & pro Salute Judæ, mortuum eſſe, quia non ſolùm morte ſua ſolvit pretium ſufficiens, verùm etiam Judæ plures Gratias meruit, & re ipſa contulit, quibus niſi ſua pravitate abuſus fuiſſet, ad Salutem potuiſſet pervenire.* Reſpondeo, quod prima illa verba,videlicet: *Juxta hanc explicationem*: manifeſtant errorea latentes ſub hac, & ſub antecedenti Propoſitione, ad quam iſta ſe refert. Interrogabantur enim illi,qui eam ediderunt,quid ſentirent de Morte Chriſti Domini *pro omnibus?* quæ concedenda eſt univerſaliter a Catholicis contra hæreticam Propoſitionem Janſenii eam ad omnes non protendentis. Et Scriptores eam coarctant *ad aliquos*. Ergo non profitentur ſe Catholicè ſentire. Præterea licet dicant, quod niſi Judaa ſua pravitate abuſua fuiſſet prioribus Auxiliis, ad Salutem potuiſſet pervenire; nihilominus non declarant, quod potuiſſet habere Auxilia finalia *verè Sufficientia*, quæ illi ſua Morte promeruiſſet Chriſtus Dominus. Neceſſarium autem erat hoc declarare; pro illis enim ſolummodo mortuus eſt, pro quibua meruit Auxilia, etiam finalia, verè Sufficientia; licet hæc re ipſa non con-

ſe-

Digitized by Google

ferantur omnibus ex Culpa abutentium primis Auxiliis proximis, vel remotis: vel deſint per accidens, ut illis, quibus conferri nequit Baptiſmus, vel aliud remedium Culpæ Originalis in Lege Naturæ, vel Scripta, ut oſtendimus §. 9. 10. & 11. hujus Capitis Quinti.

Ad quartam, qua dicunt, *alium ſenſum ejuſdem Propoſitionis eſſe, ut dicatur Chriſtus mortuus pro omnibus Voluntate Antecedenti, & inefficaci, non Conſequenti Abſoluta, & efficaci, quia antecedenter optaverit applicari omnibus pretium mortis ſuæ, licet hoc non voluerit conſequenter: ſicuti ſolùm voluntate antecedenti Deus velit omnes homines ſalvos fieri*: Reſpondeo novum hoc eſſe Pallium ad velandam impietatem Propoſitionis negantis mortem Chriſti pro omnibus, & voluntatem Patris Divini, ut pro omnibus moreretur, non ſolùm voluntate antecedenti, & inefficaci, ſed etiam conſequenti abſoluta, & efficaci in ordine ad ponenda media neceſſaria, quantum eſt ex parte ipſius Patris, & Chriſti Domini: videlicet volendo, ut re ipſa mereretur pro omnibus Auxilia *verè ſufficientia* ad Salutem conſequendam; licet hæc non fuerint pro innumeris *Efficacia* ideſt *Efficientia*, ex culpa hominum, ut ulterius explicuimus §. 4. & 5. hujus Capitis 5. & in fine §. 4. attulimus duplicem acceptionem Voluntatis Efficacis & Sufficientis, Antecedentis, & Conſequentis, decernendo, in quo ſenſu hanc, vel illam, Patri Divino, & Chriſto Domino tribuamus.

Ad quintam, qua additur, quod, *ſi ſermo ſit de Voluntate Conſequenti, mortuus fuerit pro Generibus ſingulorum, non pro Singulis generum, ſcilicet non pro ſolis Judæis, ſed etiam pro Gentilibus, & pro quocumque hominum genere, videlicet regibus, ſubditis, viris fœminis quibuſdam &c.* Reſpondeo, quod doloſa rurſus arte conantur Scriptores diſſimulare Senſum ſuum afferendo id, quod veriſſimum eſt in una Significatione, videlicet quod fructum Mortis Divinæ non Singuli generum, ſed Genera ſingulorum re ipſa percipiant. Ex hoc autem non ſequitur, quod Arbor, ex qua fructus hujuſmodi colligi poſſunt, ſcilicet Crux Inſtauratoris noſtræ Salutis, erecta non fuerit pro omnibus per hoc, quod Chriſtus Dominus dignatus in ea mori meruerit pro omnibus Auxilia verè Sufficientia ad ſalutem obtinendam, ut ſtatuimus §. 2. 12. & 13. hujus Capitis 5.

Ad ſextam, qua dicitur, *non tamen mortuum fuiſſe pro omnibus in eo ſenſu, ut dicatur ſic omnibus, & ſingulis hominibus gratias ſufficientes promeruiſſe, ut proprio eas quiſque arbitrio efficaces, vel inefficaces reddat.* Reſpondeo, quod dum Auctores Propoſitionis videri volunt omnia ſoli Deo tribuere, vehementiſſimam ſuſpicionem excitant artificii, quo diſſimulare velint errorem ſuum coarctantem ad ſolos Prædeſtinatos Mortem Divinam; nam illis tantummodo per ipſos conferuntur finalia illa Auxilia, quæ ipſi neceſſaria putant ad Salutem conſequendam, videlicet nedum intrinſecè, & eſſentialiter efficacia, ſed & per ipſos *Inabjicibilia*, & *Irreſiſtibilia*, contra Definitionem Sac. Concilii. Pro cæteris enim ſupponunt præparata non fuiſſe a Chriſto Domino Morte ſua hjuſmodi Auxilia; ideoque cenſent Salvatorem pro illis non objiſſe. Quomodo autem Efficacia Gratiæ multò magis proveniat ab ipſo Deo, quàm ab humano Arbitrio, explicuimus §. 14. hujus Cap. 5.

Ad ſeptimam, qua affirmatur *excludendos eſſe ab illis, pro quibus mortuus fuerit, innumeros Infantes, qui ſine Baptiſmo moriuntur, & qui ante illius Adventum nihil de illo audiverant, & etiam poſtea Nationes, ad quas nondum auditus Fidei penetravit*: Reſpondeo, quod hæc Propoſitio apertè opponitur veritati Catholicæ declaratæ a Sacro Concilio confirmato a Sancta Sede Apoſtolica: *Hunc* (ſcilicet Chriſtum Dominum) (1) *propoſuit Deus Propitiatorem per Fidem in Sanguine ipſius pro peccatis noſtris: Non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius Mundi*. Ideo autem mortuus pro omnibus eſt, quia promeruit re ipſa pro omnibus Auxilia verè Sufficientia ad Salutem, quamvis hæc per accidens applicari nequeant Infantibus, qui ſine Baptiſmo moriuntur: & quamvis applicata non fuerint plurimis Adultis, ſive ante, ſive poſt Adventum Chriſti Domini, ulteriora Auxilia proxima, quia culpâ ſuâ fuerunt abuſi Auxiliis remotis: ut oſtendimus §. 10. & 11. hujus Cap. 5.

Ad octavam, qua dicunt, *a ſe rejici hanc univerſalitatem mortis obitæ pro omnibus, quia ſi quilibet Chriſtianus certitudinem haberet, quod Dominus morte ſua illi promeruerit omnes Gratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut vitare peccata, virtutes exercere, & ſalutem re ipſa conſequi poſſit, non requireretur præterea ad volendum, & operandum, alia Gratia Efficax*: Reſpondeo, quod modus hic loquendi ſub prætextu diſtinctionis quæſitæ inter Gratiam Sufficientem, & Efficacem, operam dare videtur ad occultandum animum defixum in neganda Univerſalitate Mortis Chriſti Domini obitæ pro omnibus.

Cer-

(1) *Seſs.6. Decr.2.*

Certitudo illa, quæ Scriptoribus Propoſitionis videtur abſurdiſſima, tribuitur a Sacro Concilio non ſolùm Chriſtianis, ſed omnibus prorſus hominibus, cum definiverit, quod *Deus dat omnibus affluenter, & non improperat eis. Nulli jubet Impoſſibilia, &c. & pro omnibus Chriſtus eſt mortuus*: ideoque omnibus præparavit Media neceſſaria ad Salutem: inter quæ media Concilium non agnoſcit tanquam ſimpliciter neceſſariam ad volendum, & operandum, Gratiam illam ita intrinſecè, & eſſentialiter efficacem, ut ſit *inabiicibilis, & irreſiſtibilis*. Ideo dum Auctores Propoſitionis contra Sac. Concilium neceſſariam dicunt hanc Gratiam, convincuntur reſtringere Mortem Chriſti ad ſolos Prædeſtinatos, quia pro aliis non cenſent præparatam Gratiam hanc, quam ipſi neceſſariam putant.

Ad nonam, qua demum *ex hoc ſequeretur*, inquiunt, *quod quilibet infallibiliter certus eſſet, quod Chriſtus ſibi promeruerit magnum illud Perſeverantiæ donum, ſine quo nemo ſalvus ſit, proindeque inter Gratias ad Salutem conſequendam neceſſarias ſpeciatim numeratur*: Reſpondeo, quod aliud hoc ſiparium eſt ad occultandam pertinaciam in neganda univerſalitate Mortis Divinæ pro Cunctorum ſalute. Inaniſſimus eſt timor certitudinis illius de dono Perſeverantiæ, ad quam præſumptam certitudinem vitandam recuſant interim Scriptores Propoſitionis apertè fateri id, quod admittere debent tanquam veriſſimum, ſi recedere volunt a Janſenio, videlicet, quod Chriſtus Dominus pro omnibus omnino hominibus mortuus fuerit. Quod inaniſſimus ſit metus illius ſequelæ patet, quia majorem incertitudinem non habent Janſeniani, utrũ conſequuturi ſint Gratiam finalem ad perſeverandum, quam putant nedum eſſentialiter Efficacem, ſed etiam *Inabiicibilem*, & *irreſiſtibilem*, quàm incerti ſint Catholici, utrum habituri ſint illam, quam Sac. Synodus Tridentina declarat eſſe talem, ut ex natura quidem ſua *poſſit abjici, eique poſſit humanum Arbitrium diſſentire*; ſed eam obtenturi ſint in circumſtantiis, pro quibus Deus prævidérit eos illi conſenſuros, ac proinde talem Gratiam fore Efficacem ad finaliter perſeverandum: vel talem, quæ ex ſe trahat *abjicibiliter, & reſiſtibiliter*, effectum. Dum ergo ſomniant Scriptores, quod Catholici ſibi vindicent hanc certitudinem Perſeverantiæ, ad quam excludendam negant univerſalitatem Mortis Divinæ pro omnibus, oſtendunt ſe mordicus errori adhærere, ac præterea peſſimè ratiocinari. De incertitudine Perſeverantiæ uberius diſſerimus §. antecedenti.

Negantes Mortem Chriſti pro omnibus Impii, blaſphemi, & contumelioſi ſunt, ac derogant plurimùm Divinæ Pietati.

§. XVIII.

Cum, præter Cenſuras Hæreſis, has etiam expreſſerit Apoſtolica Sedes, illas Janſenianis breviſſimè objectamus, non trahentes moram in explicatione illius, quod apertiſſimum eſt, ac ſolùm indicamus, totam eſſe Sacram Synodum, præſertim Seſſ. 6. in oſtendendo Remedio Culpæ Adami allato a Chriſto Domino pro omnibus omnino hominibus, & inculcanda Divina pietate, *quæ dat omnibus affluenter, & non improperat eis*. Ideo manifeſtè repugnat Doctrinæ traditæ a Sacro Concilio perverſa Janſeniſtarum opinio coarctans ad ſolos Electos Mortem Divinam.

Quàm perperam Janſeniani jactent a ſe promoveri Gloriam Gratiæ Chriſti Domini.

§. XIX.

Statuunt Gratiæ Gloriam in eo, quod habeat omnipotentiſſimam poteſtatem obtinendi humanum conſenſum ab illis, quibus confertur Gratia nedum eſſentialiter Efficax, ſed & per ipſos *Inabiicibilis*, & *Irreſiſtibilis*, ideoque neceſſitans, contra Sacri Concilii Definitionem. Sed hæc Potentia, & Gloria ex illa reſultans, non eſt digna Deo, volente conferre Immortalem Salutem jis tantùm, qui liberè conſentiant Gratiæ ſuæ, perque hunc conſenſum finaliter ad ipſum Deum converſi Æternam Salutem conſequantur, non tanquam ſolummodo merum, & ultroneum Donum, ſed etiam tanquam Coronam Meritorum, & *Coronam Juſtitiæ*.

Potentia, & Gloria Divina ex ea reſultans, menſuratur a Sapientia, & Bonitate, tum in ordine Naturæ, in quo dum quæritur, quænam ſint poſſibilia? excluduntur omnia, quæ dedecent Divinam Sapientiam, & Bonitatem: tum in ordine Gratiæ, in quo præcipuè fulget Divina Potentia in Incarnatione, ac Redemptione, ad quæ Myſteria confluxerunt non minus Sapientia, & Bonitas, quàm Potentia.

Quæ Sapientiæ, vel Bonitati repugnat, non eſt vera Potentia. Ideo Deus non habet Potentiam errandi v. g. quia hoc eſſet contra Sapientiam: neque habet Potentiam peccandi, quia hoc eſſet contra Bonitatem. Alterutrum ex his poſſe facere, ſcilicet errare, vel peccare, eſſet vera Impotentia.

Quæ igitur eſſet Gloria Gratiæ Divinæ ſi juxta primam Janſenianam Propoſitionem,

Deus

Digitized by Google

Deus præciperet Impoſſibilia, ſcilicet obſervationem Præcepti, profectò impoſſibilem per Janſenianos, quando non confertur Gratia Efficax *inabicibilis*, & *irreſiſtibilis*, quam ipſi ſimpliciter neceſſariam eſſe dicunt ad talem obſervationem?

Quæ Gloria Gratiæ, ſi nunquam illi reſiſtatur, videlicet, ſi nulla detur alia Gratia vere Sufficiens, quàm Efficax *inabiicibilis*, & *irreſiſtibilis*, non collata plurimis, & certè non collata finaliter ulli ex jis, qui damnantur?

Quæ Gratiæ Gloria, ſi relinquat ſolam Libertatem a Coactione, atque auferat illam a Neceſſitate, ideoque neceſſariò damnentur, qui privantur Gratia finali *inabiicibili*, & *irreſiſtibili*?

Quæ Gloria Gratiæ, ſi cenſeatur Hæreſis Semipelagiana, quod ipſi Gratiæ reſiſti poſſit, & obtemperari, videlicet neceſſariò illi obtemperandum ſit, ideoque ab eadem deſtruatur humana Libertas?

Quæ Gloria Gratiæ, quod dicatur, præparatam a Chriſto Domino Morte ſua non fuiſſe omnibus illam, quæ neceſſaria eſt ad conſtituendam Potentiam Salutis conſequendæ, ideoque Mortem eamdem obitam pro omnibus non fuiſſe?

Vera ne Gratiæ Divinæ Gloria cenſeri poteſt, quod frequentiſſimè Janſeniani tribuant, etiam cum Sacram obeunt Confeſſionem, ipſius Gratiæ defectui ſcelera ſua? Et quod affirment, protruſos innumeros eſſe in ſempiternum Incendium, quibus defuerit ex mero Decreto Voluntatis Divinæ, formato ante omnem Præviſionem illorum diſſenſus ſuæ Vocationi præſtandi, Gratia neceſſaria ad conſtituendam Potentiam illud evitandi? In hoc dicunt fulgere Potentiam, ideoque Gloriam Altiſſimi? Sed reſponderet Job: (1) *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis Potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris?* Et hanc quidem ſiccam ſtipulam æternis flammis, a quibus nunquam penitus abſumatur, addicis?

Vera Gratiæ Gloria eſt, quod neceſſaria ad ſempiternum ignem vitandum, & aſſequendam Immortalem Fœlicitatem, detur omnibus verè Sufficiens, ſaltem remotè, ac offeratur omnibus alia ulterior Gratia Sufficiens proximè, cum qua ex ſola voluntatis humanæ pervicacia provenit, quod non habeatur conſenſus.

Quod illi, qui re ipſa Gloriam aſſequuntur, illam debeant Gratiæ Divinæ, quæ in ipſis operata ſit poſſe, & velle eidem Gratiæ conſentire; ſed ita nihilominus, ut potuerint non velle abiiciendo eamdem Gratiam, ipſique reſiſtendo.

Quod ferè omnis Efficacia, ſive Efficientia fuerit in ipſa Gratia, licet eidem Obicem ponere potuerint homines: ſicut Efficacia illuminandi eſt in Sole, licet obicem illi frequenter apponant, qui oculos conſultò claudunt.

Quod Gratia veri JuſtitiæSolis *Illuminantis omnem hominem venientem in hunc Mundum* (2) fulgeat pro omnibus, licet non in omnibus eoſdem producat Effectus: ſicut neque ipſe Sol ubique concurrit ad homines, aurum, & margaritas producendas.

Quod licet Deus intactam ſervare velit humanam Libertatem, habeat nihilominus omnipotentiſſimam Poteſtatem ad ſe trahendi eamdem, quantumvis plerumque rebellem, hominum voluntatem, atque hoc obtineat, vel per ſuam Gratiam intrinſecè Efficacem, ſed *Abjicibilem*, ac *reſiſtibilem*, ut contendunt Thomiſtæ; vel per *Indifferentem*, datam tamen ſub Præviſione Conſenſus, ut nos explicuimus, & verum eſſe cenſemus.

Ut rem breviſſimè conficiam, Janſeniſtæ Gratiam *neceſſariam ad Salutem* coarctant ad ſolos Electos, in quibus deſtruat humanam Libertatem. Catholici dicimus, Gratiam *neceſſariam ad Salutem*, quæ omnia poſſit obtinere, ſed ſalva humana Libertate, præparatam eſſe pro omnibus. Ergo patenter Gratiæ Divinæ Gloriam amplificamus, dum *omnium Amans* eſſe decernimus hoc *Dei Donum*, videlicet Auxilium Dei nos præveniens, ac omnibus ſimpliciter neceſſarium.

Quod omnia, in quibus vera Divinæ Gratiæ Gloria ſita eſt, obtineri poſſint, quamvis Gratia omnis præveniens *ſit abjicibilis*, & *reſiſtibilis*, eò quòd *illi poſſit liberum hominis Arbitrium diſſentire*, abunde in hoc Opuſculo declaravimus inhærentes Definitionibus Sacri Concilii. Hoc autem poſt rejectam Gratiam *inabjicibilem*, & *irreſiſtibilem* (in quibus prædicatis omnem Gratiæ Gloriam collocant Janſeniſtæ) Anathema jacit in illos, qui dicerent a ſuis Definitionibus Gratiæ Divinæ Gloriam obſcurari: *Si quis dixerit, per hanc Doctrinam Catholicam de Juſtificatione a Sacra Synodo hoc præſenti Decreto expreſſam aliqua ex parte Gloriæ Dei, vel merito Jeſu Chriſti Domini Noſtri derogari, & non potius veritatem Fidei noſtræ, Dei denique, ac Jeſu Chriſti Gloriam illuſtrari, Anathema ſit*. (3)

Con-

(1) *Job*. 13.

(2) *Joan*.1. (3) *Seſſ.* 6. *Can.* 33.

Concilium Tridentinum viſum eſt prævidere, excitandum paulò poſt, Hæreſim Janſenianam, quam in anteceſſum damnavit.

§. XX.

CUm Lutherus, aliique recentiores Hæretici ferè omnes veterum errores ore tartareo iterum protuliſſent, omnes iterum damnati ſunt a Synodo Sacroſancta, quæ præterea tam inſigni Divino Lumine perfuſa eſt, ut prævidere viſa fuerit Janſenianam Hæreſim, quæ nondum in apertum eruperat. Catholicam idcirco Doctrinam ita explicuit, ut arma præbuerit ad novam hanc Hydram jugulandam. Nulla fuit Antijanſeniana Propoſitio, quam Auctoritate Sacri Concilii Tridentini ſtatuere nequiverimus, vel expreſſa ejus verba afferentes: vel explorantes ea, quæ ab adhibita a Synodo loquendi forma apertiſſimè ſupponebantur: vel expendentes ea omnia, quæ condita Synodalia Decreta circumſtabant. Affirmare audemus freti Divinæ, quam tuemur, Cauſæ fiduciâ nihil reperiendum a nobis arbitrariè præſumptum, nihil per vim quodammodo attractum ad ſententiam confirmandam. Nihil a dubiis Theologorum Opinionibus, quò ad Articulos nondum definitos, mutuati ſumus, quod neceſſarium fuerit ad Hæreſes evertendas; ac ſolùm aſſumpſimus, quod Deus ab æterno præviderit, ſive, ut verum cenſemus, in veritate objectiva, ſive mediis Divinis Decretis, omnia, quæ futura erant, & in aliis circumſtantiis futura fuiſſent. Per quamcumque demum Scientiam infinita Dei Sapientia iſta cognoverit, illi certè occulta non fuerunt. Supervacaneum ferè ſemper cenſuimus afferre dicta Sanctorum Patrum, quæ diligentiſſimè fuerunt expenſa a Sacro Concilio; cum ſatis ſuperque nobis ſit Infallibilis, & Divina Auctoritas ejuſdem Sacroſanctæ Synodi ab Apoſtolica Sede ampliſſimè confirmatæ.

Quænam certa Fide credenda ſint ex aperta Definitione Sacri Concilii Tridentini.

§. XXI.

UNiverſalis a Theologis Regula ſtatui ſolet ad oſtendendum, quamnam obligationem præſtandæ certæ Fidei nobis imponant Sac. Concilii Definitiones in quacumque materia. Decernunt igitur, quod

Cum clara ſunt Concilii verba, Articulus definitus eſt plenè de Fide, ac fert ſecum abſolutum debitum eidem aſſentiendi abſque ullo dubio.

Cum verba ſunt ambigua in una parte, ac in ſenſu ſpecifico, & peculiari, ſed clara ſunt in alia parte, ac in ſenſu generico, tunc conſtituunt Articulum plenè de Fide in parte clara.

Præſuppoſita certiſſima hac Regula, dicimus adeo claras, & apertas eſſe allatas hucuſque Concilii Definitiones, ut omnino Catholica Fide credendum ſit, quod.

Nulla Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibilia: & nunquam deeſt Juſtis Gratia neceſſaria ad conſtituendam Potentiam obſervandi Præcepta.

Re ipſa reſiſtitur in ſtatu Naturæ lapſæ Interiori Gratiæ veriſſimè ſufficienti, noſque potentes ſalutariter operari reddenti, cui proinde neceſſarium non ſit conſortium alterius Gratiæ ad conſtituendam adæquatam Potentiam producendi opus ſalutare.

Ad merendum, & demerendum, in ſtatu Naturæ lapſæ non ſufficit Libertas a Coactione, ſed requiritur etiam Libertas ab antecedente inimpedibili ſimul, & inabiicibili, ac irreſiſtibili Neceſſitate, quæ tollat potentiam in oppoſitum.

Adeo non eſt Hæreſis Semipelagiana affirmare, quod Gratia Dei præveniens verè ſufficiens, & completiva Potentiæ proximæ ad opus ſalutare, talis ſit, cui poſſit humanum Arbitrium reſiſtere, vel obtemperare, ut potius de Fide ſit, eam eſſe talem, quæ poſſit abiici, eidemque poſſimus diſſentire.

Chriſtus Dominus verè mortuus eſt pro omnibus re ipſa, & in executione, præparando pro omnibus Auxilia neceſſaria, & verè Sufficientia ad Salutem.

Has veritates Catholici omnes Theologi fatentur, quia execrantur Propoſitiones Janſenianas, quibus allatæ veritates contradictoriè opponuntur.

Quod eædem Veritates expreſsè declaratæ ſint a Sac. Concilio Tridentino, Catholicus nullus negabit, qui hoc Opuſculum legere non dedignetur. Dubium ſolùm ſupereſſe poteſt circa diverſos modos Divinæ Scientiæ, & alia quædam Principia nonniſi opinabiliter adducta,

Sed ne blandiantur ſibi Janſeniſtæ, quaſi habeant ſibi faventem ullam e Scholis Catholicorum. *Per ſummam injuriam, atque calumniam, hoc jactant*, contra quam ſcripta ſunt plurima, & prægrandia Volumina a Doctiſſimis Viris. Quidquid ſit de varietate Principiorum, *Catholici omnes conveniunt in Concluſionibus ſupra recenſitis.*

Plerumque Principia Catholicis omnibus Communia uſurpavimus, dum ſalubria, vitamque allatura tela, e Sacri Concilii arma-

ma-

mamentario deprompta, in Janſenianos intorſimus. Certas ex illis, quæ omnibus Orthodoxis Communia ſunt, Principiis Concluſiones eduximus. Raro ex noſtris propriis argumentati ea ratiocinando confecimus, quæ vera nobis videntur, diverſas quoque aliorum ſemitas ferè ſemper indicantes. Sed Veritates, quibus infallibilem Aſſenſum præſtare nos jubet Catholica Fides, evicimus ex apertiſſimis Textibus Sacri Concilii, abſque ullo neceſſario nexu cum propriis ullius peculiaris Scholæ Principiis.

Qui ſeriò igitur Hæreſim deteſtantur, illas ultro excipiant venerati Apoſtolicam Sedem Infallibilem Veritatis Magiſtram, quæ Janſenianas Propoſitiones damnavit, Sacrumque Concilium, quod Antijanſenianas in anteceſſum definivit. Janſenius ipſe moriturus infauſtum Libri ſui partum nondum evulgatum Apoſtolicæ Sedis Cenſuræ ſubjecit, quæ ſi eo ſuperſtite prodiiſſet, fortaſſe illam obſequenter fuiſſet amplexus.

Sed quidquid de illo ſit, qui nimis audacter recoxit ea, quæ reprobata viderat in Michaele Bajo, hunc potius Anteſignanum ſuum Janſeniſtæ imitentur, qui magnanima demiſſione animi cecinit Palinodiam, & coram tota Lovanienſi Univerſitate deteſtatus eſt Errores ſuos. Ad eum redarguendum miſſus Franciſcus Toletus e Societate Jeſu, tunc Pontificius Concionator, & eximius deinde S,R.E. Cardinalis, a Gregorio XIII. ſ. m. præcipuè uſus, ut opinor, eſt Sacri Concilii Tridentini pauló ante completi Definitionibus, quarum vim expendens Bajus confeſſus egregiè fuerit præteritas hallucinationes ſuas. Utinam meridiana earumdem Definitionum lux in oculos omnium incurrat.

LECTORI.

SUpervacaneum cenſebam iterum te in fine Primæ hujus Enchiridii Partis, Lector Optime, compellare. Sed hoc exequi juſſus a Reverendiſſimo Patre Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro, proteſtor illud ipſum, quod in priori Epiſtola, & frequentiſſimè ipſo in Opuſculo inculcavi, alieniſſimum videlicet me fuiſſe a conſilio ullam e Catholicorum Theologorum Scholis, præſertim verò doctiſſimorum Patrum Thomiſtarum, impugnandi. Inter cætera bis animadverti, ſubſcriptam fuiſſe Sacri Concilii Seſſionem Sextam, a qua præcipua in Janſenianos tela deprompſi, a Generalibus Ordinum Prædicatorum, Minorum, Auguſtinianorum, Carmelitarum, & S. Mariæ Servorum: ex quo ratiocinando confeci nullam enimvero ex Opinionibus, quæ ab illorum Academiis defendebantur, a Synodo improbatam fuiſſe; alioqui enim ſupplicaſſent Sacrarum illi Familiarum Præfecti, ſuorum ut Ordinum indemnitati aliqua Declaratione adiecta conſuleretur. Iis, quæ prædixi, nunc ſubiicio, inveniri Nomina Generalium Moderatorum omnino Septem variorum Ordinum, & Mendicantium quidem omnium, in fine Concilii; ideoque nec cætera, quæ ab aliis deſumpſi Seſſionibus, Argumenta militare valent contra ullam Catholicorum Sententiam. Mei certiſſimè inſtituti non fuit aliquam ex illis alicubi carpere. Imò ſummo percellor horrore, quotieſcumque percurrens Janſenianorum Volumina incido in temerarias, ineptaſque Jactationes, quibus audaciſſimè, falſiſſimèque, ut frequenter oſtendi, gloriantur ire ſe in ſententiam celeberrimæ unius Orthodoxæ Scholæ.

Quò ad Propoſitiones a me in Enchiridio rejectas, profiteor nonnullas ex iis eſſe, quæ ſanum Senſum habere poſſunt, & in eo a Catholicis Doctoribus defenduntur, ut explicui in Reſponſione ad eaſdem cap. 1. §. 7. cap. 2. §. 28. & cap. 5. §. 17. ſed ibidem pariter evici eas in pravo Senſu manifeſtiſſimè a Sectatoribus Janſenii uſurpari, qui Senſus ab illorum verbis expreſſus eſt Obvius, nativus, germanus, & nulli dubitationi obnoxius: atque præterea ex cæterarum, quas tuentur, Propoſitionum contextu in aperto ſole ſtatuitur. Eaſdem tamen pravo in Senſu aſſertas a Janſenii Aſſeclis Propoſitiones nullâ interim Hæreſis Cenſurâ perſtringo, cum polemicè ſolummodo contra illas diſputaverim, ſicuti contra Hæreſis ſuſpectas præſtari ſolet. Ulterius etiam progredi potuiſſem, quamvis enim ex iis Adverſariorum Propoſitionibus plurimę nondum eſſent Apoſtolica Auctoritate proſcriptæ, nulli tamen vetitum eſt ſuam de illis Sententiam ratiocinando proferre. Non ſolùm Sanctiſſimi Patres, Athanaſius, Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, Proſper, aliique paſſim, hęreticas videri ſibi dixerunt Propoſitiones plurimas antequam tales illas exiſtimandas eſſe definiviſſet Eccleſia, ſed hanc ipſam opinationem ſuam de plurimis aliis nondum proſcriptis ab Eccleſia Scholaſtici, & Polemici Scriptores protulerunt.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS LAURENTII LUCCHESINII

Lucenſis e Soc. Jesu

Sacræ Congregationis Rituum Conſultoris

POLEMICA HISTORIA JANSENISMI

Contexta ex Bullis, & Brevibus Pontificiis, Literis Cleri Gallicani, Sorbonæ Decretis, aliiſque Authenticis Actis, quæ omnia, nullo adempto verbo, dantur in fine Voluminis:

In quo ſtatuitur judicandum eſſe Infallibili Actu Fidei Divinæ, quod in Janſenii Libro Senſus, & Doctrina Hæretica contineatur.

OSTENDITUR

Vanam eſſe Oblationem Silentii, & fruſtra tentari alias quaſcunque Eluſiones a Janſenii Aſſeclis.

ENCHIRIDII PARS SECUNDA, & TERTIA.

Editio Altera.

Digitized by Google

Approbatio Reverendiſs. P. Joannis Antonii a Panormo Ciſmontani Ordini Minorum Obſervantium Excommiſſarii Generalis &c.

DE Mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis XI. Pont. Max. poſt Primam Partem expendi has etiam Secundam & Tertiam Enchiridii P. Joannis Laurentii Lucchefinii Theologi Soc. Jesu, & Sacræ Congregationis Rituum Conſultoris, in quibus ſumma cum animi jucunditate animadverti ſingularia multa, quæ maximum cenſeo emolumentum Lectoribus allatura. Nihil Polemicâ Hiſtoriâ magis authenticum deſiderari poteſt, cum contexta penitus ſit ex Conſtitutionibus, & Literis Pontificum Maximorum, & Gallicani Cleri, aliiſque publicis Actis. In poſterum non erit invenire, qui Phantaſma eſſe dixerit Janſeniſmum, contra quem viderit perpetuò decertaſſe tot Succeſſores S. Petri, ſapientiſſimos Reges, & ampliſſimos Epiſcoporum Cœtus: eò vel maximè, quòd clariſſimè illius originem detegit, progreſſum deſcribit, ac fautorum de Senſu Janſenii altercantium, & Subdolum Silentium offerentium, fraudes convincit, & Cavillationes ſolvit. Enimvero quicquid hic ſive Hiſtoricè, ſive Polemicè, ſive Theologicè pertractatum inveni, approbatione, & commendatione peculiari, & publicæ lucis theatro digniſſimum cenſeo. Per Græcam Enchiridii vocem in fronte ſibi præfixam ſe præ manibus habendum monere quodammodo videtur Libellus; ſed in profundiore adhuc receſſu id ipſum & vividius monet, & efficacius perſuadet. Id quippe ipſum meritiſſimò illi dari oportere convincit Styli ejus in dicendo Nitor, Vigor in docendo, atque in diſputando Soliditas peracuta. Utinam Enchiridion hujuſmodi ad manum habere, ejuſque Stylum e manu ad cor uſque ſuum contorquere ſtudioſè ſatagant illi, quibus demum ad ſanitatem confingendis in lucem prodit. Quare has etiam Secundam, & Tertiam Operis Partem publica luce digniſſimam cenſeo, ac neceſſariam. Ex Aracæli.

Fr. Joannes Antonius de Panormo Theologus Ordinis Minorum Obſervantium, & S. Univerſalis Inquiſitionis Qualificator.

Alia Approbatio.

OBtemperans humillimè Mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis XI. Pont. Max. ſedulò legi Primam Partem jam Typis editam, & deinde Secundam hanc, & Tertiam Enchiridii contra Janſeniſtas, de quibus nonnulla præfabor declaraturus deinde quid egregio de hoc Opere ſentiam. Veriſſimè ſcripſit Auguſtinus (1) *Errorem ſibi ipſi non conſtare*, teſtante Apoſtolo quod niſi (2) *Veritatem facientes in Charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus, erimus parvuli fluctuantes, & circumferemur omni vento Doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris*. Non mirum propterea, quod pervicaces Janſenii Aſſeclæ, quò ſe vertant, prorſus ignorent, innumeriſque contradictionibus obvoluti conſpiciantur; a Supremo namque Capite Chriſto abſcindi non dubitandum, qui ipſius Vicarii Definitionibus ſeſe ſubmittere, ejuſque mandatis renuunt obtemperare, cui idemmet Unigenitus Patris, *quod ſuum eſt*, ut loquitur Cyrillus, (3) *plenum, ſed ipſi ſoli, dedit*, cuique *omnes jure Divino caput inclinant, & Primates Mundi, tanquam ipſi Domino Jeſu, obediunt*. Negant eatenus, quod conceſſere: admittunt, quod jam negarunt, & ab Eccleſia extorres effici non verentur, ad quam prius, veluti Veritatis aſylum, confugerant. Auguſtini Diſcipuli quondam eſſe gloriabantur, quòd cum Magiſtro ſuo (4) autumarent Eccleſiam Sententias Auguſtini tanquam totius Doctrinæ fulcra conſecraſſe, & ſuas feciſſe: *Eccleſiam pro Doctrina Auguſtini ſuæ authoritatis molem oppigneraſſe*. In præſentiarum autem Eccleſiam ab Auguſtino, non Auguſtinum ab Eccleſia, authoritatis pondus mutuare contendunt, ideoque Auguſtinum Eccleſiæ præferendum ſomniantes poſſe quempiam *Doctrinam in Auguſtino clarè fundatam* (5) *abſolutè tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. Et utinam ſaltem de vero id protuliſſent Auguſtino? Impudenter certè fuiſſent loquuti, ut eidem repugnan-

(1) *Aug. lib. de hæret. num. 46.*

(2) *Ad Eph. 4.*

(3) *Cyrillus Alex. apud Angelicum Opuſc. 19. c. 3 prope fin.*

(4) *Cornel. Janſenius cap 29. lib. proœmial. in Tom. 2.*

(5) *Propoſitio 30. inter damnatas ab Alex. VIII.*

Digitized by Google

gnantea Auguſtino, qui licitum adſtruens, *ſalvâ honorificentiâ, quæ Sanctis Patribus debetur, aliquid in eorum ſcriptis improbare, aut reſpuere*: inde concludit: (1) *Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum*; non adeo tamen veſanè, ac cum in tantam prorupere blaſphemiam ſavore Auguſtini Wiclephi, Auguſtini Calvini, Auguſtini Cornelii; nec enim aliud indicat univerſalis illa; *Ubi quis invenerit &c.* doctus ille ſit, aut indoctus, hæreticus, aut orthodoxus, ſanæ mentis, aut fatuus. Sanctitatem, Diſciplinæque rigorem affectant *in victu, & habitu, habentes formam pietatis*, quales Arnaldiſtas deſcripſit Bernardus; (2) *Sed Virtutem ejus abnegantes eò decipiunt plures, quò transfigurant ſe in Angelos lucis*, cum ſint Sathanæ: vim habente Origenia Regula: (3) *Multò nocentior eſt hæreticus bonæ vitæ, & plus in Doctrina ſua habet authoritatis eo, qui Doctrinam converſatione maculet*. Silentium in pacis oſtentationem promittunt, a propugnantibus olim Conſtantis Typum pro Monothelismo phraſim complexi: *Non facit Typus Sacrarum Vocum ſublationem, ſed Silentium, ut hac diſpenſatione pacem tueamur*: (4) quibua Maximus Martyr Regium Vatem objecit: *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur Voces eorum. Quare niſi dicantur, & audiantur, nec penitus ſunt, juxta Scripturam*, & meritò: *Nihil namque Veritas erubeſcit, niſi* (5) *ſolummodo abſcondi, & quidem per Silentii officium*, quo proprias hæreſes obtegebant Valentiniani., in quos Tertullianua invehitur, verba ſuggerena ſilentes Janſeniſtas perſtringendi: *Abſcondat ſe ſerpens quantum poteſt, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet, in cæca detrudatur, per anfractus ſeriem ſuam evolvat, tortuosè procedat, nec ſemel totus lucifuga beſtia. Noſtræ Columbæ domus ſimplex etiam in editis ſemper, & in opertis, & ad lucem amat figuram Spiritus Sancti, orientem Chriſti figuram.*

Iſthæc, aliaque permulta, quæ Janſeniſticam peſtem perniciosiſſimam detegunt, in hac Secunda, & Tertia Enchiridii Parte P. Joannes Laurentius Luccheſinius Soc. Jeſu Sacræ Congregationis Rituum Conſultor *congerit, argumenta diſſolvens, ſophiſmatum diſſipans nebulas, variaſque ad uberiorem legentium profectum ad calcem attexens Romanorum Pontificum Epiſtolas, Decreta, ac reliqua Epiſcoporum, Univerſitatum &c. Documenta, ex quibus etiam in literaria palæſtra non plenè verſatis facillimum erit conîicere perpetuam Romanorum Pontificum vigilantiam*, ne concreditam cælitus Domini Vineam *exterminet aper de Silva*, (6) *obſtinatamque Janſeniſtarum vaſritiem*, qua reſipiſcere adhuc detrectant, alienique jam redditi a laude, quam *primam* vocavit Auguſtinus, *ſententiam falſam* aſſerens *nunquam* (7) *tenere prima laus*: nil curant, ſi indigni conſtituantur & alterâ: *Secunda mutare*: evidenti vel hoc declarantes ſigno, non *recta* eorum eſſe *ingenia*, quæ ex Plinio (8) *debilitat verecundia, ſed perverſa, quæ confirmat audacia. Dignæ proinde & hæ Enchiridii Partes publica luce, ut Opus ſummopere profuturum numeris omnibus abſolutum eluceat: obſequentiorem S. Romanæ Cathedræ conciliet reverentiam: Hæreticis efficaciores ad eam, quam debent agere, pœnitentiam* (9) *præbeat ſtimulos: cunctiſque Fidelibus ſecuritatem adaugeat* ſubſcribendi Cæleſtino hujus nominis Primo: (10) *Satis ſufficere credimus quicquid ſecundùm prædictas Regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt, ut prorſus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis Sententiis eſſe contrarium*. Sic ſentiebat, ac ſentire teſtabatur Operis reviſionem imperare dignato Sanctiſſimo Domino Noſtro, poſt Sanctorum Pedum oſcula.

Fr. Bonaventura Sant'Elia a Panormo Sacræ Theologiæ Magiſter Tertii Ordinis S. Franciſci, olim Examinator, & in Romana Curia Procurator, nunc Regens Generalis, Sacræ Congregationis Indicis Conſultor, Sanctæque Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificator.

(1) *Auguſt. Ep.* 111. *ad Fortunatū.*

(2) *Bernar. Ep.* 189.

(3) *Origen. hom* 7. *in Ezech.*

(4) *Habes apud Bar. ad annum* 657 *n.* 10.

(5) *Tertull. adverſ Valentinianos cap.* 3.

(6) *Pſ.* 79.

(7) *Auguſt. lib* 3. *cont. Creſconium cap.* 3. *poſt init.*

(8) *Plinius lib.* 4. *Ep* 7. *ad Lepidū.*

(9) *Auguſt. lib.* 1. *cont. duas Epiſt. Pelag. cap. ult. in fin.*

(10) *Cæleſt I. Epiſt ad Epiſc Galliæ, niſi hæc verba, ut aliqui opinantur, addita illi Epiſtolæ fuerint a S. Proſpero.*

Reimprimatur

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſt. Sacri Palatii Apoſtolici

N. Archiepiſcopus Capuæ Viceſgerens.

Reimprimatur,

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum S. P. Apoſt. Magiſter.

Digitized by Google

CANDIDO
LECTORI.

PRobè compertum habent, qui Eccleſiaſticas delibarunt Hiſtorias, nedum in illis verſati, vix ullam ex tot per vetuſta, vel recentia ſæcula exortis Hæreſibus fuiſſe, quam Pontificiis, aut Conciliaribus Decretis damnatam plurimi aliquandiu mordicus non retinuerint, eamque fulcire ſcriptis iniquiſſimis Voluminibus connìſi non fuerint. Supervacaneum eſt congeſtis exemplis confirmare pervulgatiſſimum hoc infortunium, quo poſt ipſum Nicænum, aliaque tria prima Concilia a D. Gregorio Magno Quatuor Evangeliis comparata, & cætera deinde omnia, comprehenſo ipſo quoque ultimo Tridentino, plurimi contra illa Hæretici Scriptores inſurrexerunt. Mirum proinde non eſt, quod idem contra Pontificias præſtiterint Conſtitutiones, & pauciſſimi e ſuperſtitibus poſt illas editas novarum Hæreſum Authoribus, & Propagatoribus, eas fuerint deteſtati, ut egregiè Michael Bayus errores ſuos, quos deinde recoxit Janſenius, execratus eſt ſubſcribens Apoſtolicis B. Pii V. & Gregorii XIII. Decretis.

Cum igitur etiam poſt promulgatam Sanctiſſimi D. N. CLEMENTIS XI. contra Janſenianos Conſtitutionem, qua nihil dici poteſt (ut de Innocentiana Gallicanæ Cœtus Eccleſiæ affirmavit) expreſſius, nihil clarius, prodiverint peſtilentes plurimi Libelli ejus vim enervare conati, omnino neceſſarium Viri Divinæ Gloriæ, Animarumque ſalutis incenſi ſtudio cenſuerunt generatim refellere abſurdas, imò, & hæreticas Interpretationes, quas omnes afferunt, & eaſdem ſemper iterando ingerunt, Apoſtolicarum Definitionum; ideoque Primæ mei Enchiridii Parti alias adjicere. In Prima invadens ipſam Impietatis Arcem occluſi omnes Inteſtinas, ut ita dicam, Janſenianorum latebras, in quas recipere ſe conſueverant ad arbitrium interpretati damnatas Quinque propoſitiones; non tamen Exteriora quodammodo perfidiæ propugnacula everti conſtructa ab Eluſoribus Pontificiarum Conſtitutionum aſſerentibus, vel in Libro Janſenii non reperiri damnatas Propoſitiones: vel ſupra Janſenianum Senſum non cecidiſſe fulmina a Vaticano intorta: vel certè irrita, & evanida fuiſſe, ſi ejus quoque Libri Senſum perperam impetere voluerunt. Ad hæc diruenda Externa quaſi Hæreſis munimenta (ad quæ nunc, diverſo a cæteris Præliis more, confugiunt poſt everſam Interiorem Arcem) mihi Sacroſanctum, a quo ſolùm illa deprompſi, Tridentinum Concilium arma non præbuit.

Aliunde nunc eadem deſumens, quoniam Sanctiſſimus D. N. primò commemorat ea, quæ ipſius Deceſſores contra Janſenii Hæreſim declararunt, Janſeniſmi ipſius Polemicam afferam Hiſtoriam, non agens actum ab aliis, quia licet eamdem Hiſtoriam non unus contexuerit, nullus tamen hanc ſibi legem impoſuit, ut ea ſolùm tradere aggreſſus fuerit, quæ illi ab Authenticis Actis ſuppeditantur. Religiosè hoc exequar nihil producens in medium, quod non petiverim ex iis, quas allegabo, Bullis, aut litteris Pontificum Maximorum, vel Gallicani Cleri, vel Sorbonæ Declarationibus, aliiſque hujuſmodi, quibus negare aſſenſum prudens nullus audeat veritatis amator. Ex hac pugnante Narratione patebit toto cælo aberrare, qui ſomniatum Phantaſma dicunt eſſe Janſeniſmum, contra quem per Annos pluſquam Sexaginta decertatum fuiſſe videbunt ab Apoſtolica Sede, ab Antiſtitibus Gallicanam Eccleſiam repræſentantibus, a Chriſtianiſſimo Rege, atque ab ampliſſimis Academiis.

Quia porrò ediſſerit cum Deceſſoribus ſuis Sanctiſſimus CLEMENS a Janſeniano Libro veriſſimè fuiſſe excerptas Quinque proſcriptas Propoſitiones, eas in eodem Janſenii Volumine Lectorum oculis ſubjiciam, vel ipſis prorſus verbis, vel maniſeſtè æquivalentibus exaratas, præter tot alia in hanc rem afferenda argumenta, tum ab extrinſeca auctoritate, tum ab intrinſeco fine, quem ſibi Janſenius præfixit, & a Serie, ac Titulis Librorum ejus, & Capitum, ut in meridie cæcutire neceſſe ſit eos, qui Janſenianas illas eſſe pergant inficiari.

Præcipuam deinde Quæſtionem diſſolvere adortus de Propoſitionibus illis non damnatis tantummodo quaſi in abſtracto, ſed etiam in concreto, videlicet prout extant, & explicantur in Janſeniano Volumine, cujus Doctri-

nam

Digitized by Google

nam damnatam fuiſſe *dicit Apoſtolicus Pater, ut huic ſolùm Damnationi* Doctrinæ *vindicem Infallibilitatem, dilucidè ſeparabo ea, quæ ſpectant ad Factum Dogmaticum, ab iis, quæ pertinent ad ipſam* Doctrinam, *ideoque ad Jus Fidei. Expendens Factum ultro concedam nullatenus ingreſſos fuiſſe Summos Pontifices Janſenii Mentem, nihilque contra illam declaraſſe, ac proinde, cum certè, quod Janſenius ita, vel ita ſenſerit in animo ſuo, non ſit aliud, quàm Factum aliquod, adeo circa hoc nulla tribuitur Infallibilitas Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ, ut ne ulla quidem erroris periculo ſubjecta Declaratio unquam prodiverit circa Senſum, quem Janſenius in Mente habuerit. Non appellatur Dogmaticum Factum hoc, ſicuti neque aliud, de quo poſſet inſtitui quæſtio, ſcilicet de Libro illo ſcripto potius a Janſenio, quàm ab alio quopiam ejus Antiſtitis Nomen uſurpante.*

Dogmaticum tantummodo Factum ſitum eſt in eo, quod Propoſitiones illæ verè ſint excerptæ ex Libro Janſenii Nomen præſerente, cujus author præterea eum adhibeat Doctrinæ Contextum, *ut illas explicare, & confirmare apertiſſimè laboret. Quò ad Factum hoc (quod ideo Dogmaticum dicitur, quia nectitur cum Jure Fidei jubente nos deteſtari* Senſum Doctrinæ *illius Libri tanquam hæreticum) referam tantummodo hiſtoricè fundamenta plurimorum Theologorum tribuentium Infallibilitatem illius etiam Facti Declarationi. Sed frequentiſſimè proteſtabor me nullatenus decernere veram eſſe illorum Sententiam, qui aſſeverant credendum eſſe Divina Fide, quod Cathedra Sancti Petri, & Eccleſia, in eo quoque Facto declarando errare nequeat; cum ſupervacaneum ſit hoc ſtatuere ad coarguendos Janſenii Sectatores, & ſufficiat oſtendere Divinam, ideoque infallibilem, fidem adhibendam eſſe Declarationi, quod* Libro *præferente Nomen* Janſenii Doctrina hæretica contineatur.

Poſt enucleata ea omnia, quæ ſpectant ad Senſum, & Doctrinam Voluminis Janſenio attributi, ac proinde ad Jus Fidei, progrediar ad ſubdolam, & inanem oblationem Silentii, cui acquieſcere non poſſe Moderatorem Eccleſiæ, atque ipſam Eccleſiam, demonſtrabo. Et quia, ut notat Hierarcha Sapientiſſimus, cum Silentium ſpondeant, quotidie Silentium rumpunt. . . . ſparſis undequaque Scriptionibus, ac Libellis exquiſita ad fallendum arte compoſitis: *atque idem animadvertit in Apoſtolicis Literis ad univerſos Catholicos in partibus Hollandiæ, & Provinciarum conterminarum conſtitutos*, Eccleſiæ ſimul, atque Reipublicæ Perturbatores ſub doloſis artibus, falſiſque narrationibus decipere conantur, Gregem Dei dividere tentant, ... *atque ii ſunt, ut quicumque* tot ab iis hac in cauſa editos Libellos videat, jurgiis, maledictis, mendaciis, calumniis, apertaque in Apoſtolicam Sedem irreverentia, ac temeritate undequaque ſcatentes, quos magno, vel ipſis heterodoxis, ſcandalo fuiſſe comperimus, ſtatim agnoſcat, quàm longè illorum Auctores, defenſoreſque a ſpiritu Dei ſunt &c. *ideo doloſas hujuſmodi artes attingemus, quaſdam ſeligentes ex plurimis, quas innumeras alii Scriptores recenſent.*

. *Quia, ut meritò, graviſſimèque conqueritur Sanctiſſimus Pater*, homines Veritati non acquieſcentes, & nunquam Eccleſiæ contradicendi finem facientes, variis Diſtinctionibus, ſeu potius Effugiis ad circumventionem Erroris excogitatis, Eccleſiam ipſam turbare, eamque interminatis quæſtionibus, quantum in ipſis eſt, involvere, & implicare conantur, *omnibus iſtis Diſtinctionibus, & Effugiis occurremus, & interminatas diſſolvemus, aut ſcindemus Quæſtiones, enodantes, & in adverſarios plerumque retorquentes, tum quæ obiiciebant olim, tum quæ nunc ſpecie novitatis ornare tentant. Vix ulla ſupererit eorum cavillatio, qua uſos non evincamus miſerè hallucinari, & inter cæteras, ab iis alieniſſimè comparari cum Janſeniana Cauſam Sancti Pontificis Honorii, uberrimè demonſtrabimus.*

Alios duos egregios Deceſſores ſuos, Clementem IX., & Innocentium XII. mirificè defendit Sanctiſſimè imperans Clemens. Sed quia non deſunt nonnulli ea mentis vertigine circumacti, ut adhuc hiſcere audeant de Pace, quam ſecum initam dicunt a Clemente IX., juxta cujus tantummodo a ſe præſumptum tenorem nuperam excipi a ſe Conſtitutionem affirmant, geſta, & verba Literarum Clementis IX., & Innocentii XII. explorabimus exactiſſimè. Ac ne amplius illuſoribus liceat in errorem innumeras Animas inducere quædam ſolùm ex Pontificiis Literis detruncata verba in medium afferendo, integras illas dabimus in Enchiridii fine.

Neque verò has tantùm per extenſum producemus Literas in forma Brevis Clementis IX., & Innocentii XII., ſed cæteras quoque omnes Apoſtolicas Conſtitutiones, & Literas: Epiſtolas etiam Antiſtitum Pariſiis congregatorum vel ad Pontifices Maximos, vel ad alios Epiſcopos per ampliſſimum Galliæ Regnum ſparſos, & Sacræ Facultatis Pariſienſis Declarationes, & omnia demum Authentica Acta ad Janſeniſmum pertinentia, quorum nonnulla in uno, & alia quædam in altero vidimus Volumine comprehenſa, ſed in nullo

omnia,

Digitized by Google

omnia, & ſingula, etiam recentiſſima.

Notas demum Margini appingemus exhibentes ea præcipua, quæ in corpore Conſtitutionum, aliorumque Actorum continentur. Qui verò Quarta unius horæ parte Notas hujuſmodi extantes in Margine percurrent, aliquam ſtatim aſſequentur non contemnendam notitiam Janſeniſmi. Videbunt illico ejus Originem, Progreſſionem, Dolos, Effugia, ab ipſo Damnationis initio tentata, & regreſſum Audabatarum horum ad primas inextricabilis ſui Labyrinthi vias, atque perpetua certamina contra peſſimam hanc, & ſuperbiſſimam Sectam agitata ab Apoſtolica Sede, a Venerabili Cœtu Gallicanorum Antiſtitum, ab aliis Epiſcopis, a Chriſtianiſſimo Rege, atque a ſapientiſſimis Academiis.

Et erit, qui vel nunquam exortum fuiſſe, vel ferè ſtatim evanuiſſe Janſeniſmum dicat? Cum umbra, & Phantaſmate, tam diuturna Pugna ſuſcepta fuit? Utinam Portentum hoc Vineam Domini Sabaoth, quæ eſt Catholica Eccleſia, *depopulari ceſſet. Monſtro veriſſimo perſonam, & larvam detraxit Vigilantiſſimus Divinæ hujus Vineæ Cuſtos, & plurimos ex illius faucibus abſtraxit Conſtitutione, ac Literis ſuis. Sed cum Hæreſis Vexilliferi pergant* pectora fidelia, & ſimpliciter Chriſtiana turbare, *ad opem ferendam ſaltem iis, qui dubitant, aliiſque innumeris non obduratis in perfidia, vel novæ deceptionis diſcrimini obnoxiis, neceſſe eſt ſervare perpetuum Eccleſiæ Morem, quo Sancti olim Patres, & Polemici deinde Scriptores, contra Magiſtros Impietatis deſudantes in convellendis Pontificiis, aut Conciliaribus Definitionibus, edidere Volumina.*

Nullum ſingillatim ex tot Janſeniſmi Patronis adoriar, ſed quæ ab omnibus inculcantur, ita labefactare contendam, ut fretus Divinæ, quam propugno, Cauſæ fiduciâ ſpondere auſim, nihil Adverſariis præſtò futurum, quod reponant, niſi futile, ac prorſus evanidum.

PRÆCIPUÆ

CONCLUSIONES,

Quæ ſtatuuntur in Secunda Parte Enchiridii contra Janſenianos.

EX Bullis, & Brevibus Pontificiis, ex Literis Cleri Gallicani, Deliberationibus Sorbonæ, aliiſque Authenticis Actis, demonſtratur Janſeniſmum eſſe novam Hæreſim, & non merum Phantaſma.

Galli Antiſtites plaudunt Infallibilitati Pontificiæ declaranti Fidem.

Oſtenditur quinque damnatas Propoſitiones vel extare iiſdem prorſus verbis in Libro præferente nomen Janſenii, vel æquivalentibus, & confirmari ex Contextu Doctrinæ ejuſdem Libri.

Innocentius X. s. m. non ſolùm damnavit quinque famoſas Propoſitiones in ſe ipſis, ſed etiam in peculiari ſuo Brevi declaravit a ſe in illis fuiſſe damnatam Doctrinam Janſeniani Libri.

Dum Alexander VII. s. m., & ejus Succeſſores declararunt a ſe damnati Senſum Janſenii, loquuti non ſunt de Senſu, quem Janſenius ipſe in mente habuerit, circa quam Janſenii mentem nulla unquam prodivit Apoſtolica definitio, ſed egerunt de Senſu Libri Janſenio attributi.

Circa hoc igitur Factum, videlicet circa id, quod Janſenius ſenſerit in mente ſua, non obſtringimur ab Apoſtolica Sede, atque ab Eccleſia, ad præſtandum ullum aſſenſum vel infallibilem, vel etiam fallibilem.

Nihil etiam credere jubemur quò ad aliud Factum, ſcilicet, quod Liber præferens nomen Janſenii ſcriptus fuerit potius a Cornelio Janſenio Iprenſi Epiſcopo, quàm ab aliquo alio ejus nomen uſurpante.

Quæſtiones, quæ inſtituerentur circa Senſum habitum in mente a Janſenio, & circa Librum illum ſcriptum potiua a Janſenio ipſo, quàm ab alio, non verſarentur circa Factum Dogmaticum, quia non connecterentur cum Jure, & Dogmate Fidei, cui neceſſariò præſtandus eſt Aſſenſus Supernaturalis.

Factum Dogmaticum ſolummodo conſiſtit in hoc, quod Quinque damnatæ Propoſitiones excerptæ ſint a Volumine illo, quod Janſenio attribuitur, in quo extent vel iiſdem, vel æquipollentibus verbis, & ab ejuſdem Voluminis Contextu Propoſitiones illæ declarentur, & confirmentur.

Appellatur Dogmaticum hujuſmodi Factum, quia connectitur eſſentialiter cum Jure, ac Dogmate Fidei præſcribente deteſtationem illarum Propoſitionum tanquam hæreticarum in Senſu, & Doctrina patente ex Contextu ejuſdem Voluminia.

Theologi plures cenſent Infallibilem eſſe Cathedram S.Petri, & Eccleſiam, in declaratione Facti Dogmatici, cui proinde præſcribere poſſit præſtandum a Fidelibus Aſſenſum Supernaturalem. Sed nihil quò ad

hoc ſtatuimus præſcindendo prorſus a reſolutione hujus quæſtionis, quæ reſolutio neceſſaria non eſt ad Janſenianos convincendos.

Sufficit igitur, quod hæ veritates, videlicet, quod Propoſitiones damnatæ fuerint excerptæ ex eo Libro, & in eodem confirmentur, recipiantur tanquam certiſſimæ illis tribuendo aſſenſum certum, ex quocumque demum capite oriatur hujus aſſenſus certitudo, ſive appellanda ſit certitudo Fidei humanæ adhibitæ Summis Pontificibus, & Eccleſiæ, ſive qualiſcumque.

Aſſenſus certè veritatibus illis præſtandus adeo neceſſarius eſt, ut qui eum negaret, videri poſſet Inſanus, dum deinde affirmare cogitur ex jure Fidei, eſſe hæreticas Propoſitiones illas excerptas ex eo Volumine, atque in eo explicatas, & confirmatas, niſi admitteret in animum, quod verè ab illo fuerint excerptæ, atque in eo explicentur, & confirmentur.

Idcirco decernendum eſſet cum Melchiore Cano in re ſimili, quod negatio illarum veritatum non conſtitueret quemquam hæreticum, ſed Inſanum.

Aſſenſus Fidei Supernaturalis verſatur unicè circa ipſum jus, & Dogma Fidei, ſcilicet circa Senſum, & Doctrinam illius Libri, quæ Doctrina cenſenda eſt hæretica in obvio, germano, & nativo Senſu, qui patet in illis Propoſitionibus excerptis ab eodem Libro, & in eo confirmatis.

Quò ad declarationem Hæreticitatis contentæ in hoc Senſu Propoſitionum illarum Infallibilis eſt Cathedra S.Petri, & Eccleſia, quæ præſcribere poteſt Fidelibus aſſenſum quò ad hoc Fidei Divinæ, itaut qui eum interius negat, hæreticus omnino exiſtimandus ſit.

Niſi Cathedra S.Petri, & Eccleſia, poſſet certò, & infallibiliter decernere quiſnam ſit Senſus verus Sacræ Scripturæ, Traditionum, Definitionum Pontificiarum, & Conciliarium declarantium Articulos Fidei: & quis ſit Senſus falſus, & falſa Doctrina Propoſitionum, & Librorum, nulla ſupereſſet viva, & infallibilis Regula Fidei.

Si ſolùm declarari poſſet infallibiliter veritas, aut falſitas Propoſitionis alicujus in abſtracto ſumptæ, non decernendo quiſnam ſit verus, aut falſus ejuſdem Senſus, quæ vera, vel falſa ejus Doctrina, præſcribi ſolùm poſſet Fidelibus, ut pronuntiarent illas Propoſitiones tanquam Pſittaci non percipiendo earum Senſum.

Vel deberet Cathedra S.Petri, & Eccleſia permittere unicuique, ut Senſum, quem mallet, Propoſitionibus illis attribueret: ex quo arbitrio, nunquam permiſſo, ſed a plurimis uſurpato, natæ ſunt omnes Hæreſes.

Si Janſenianis indulgeretur, ut jactare poſſint ſe eſſe Catholicos, quamvis negent Infallibilitatem Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ, in damnatione Senſus, & Doctrinæ Voluminis Janſenio attributi, Calviniani, Lutherani, & alii Hæretici affirmare poſſent ſe quoque intra Eccleſiæ fines contineri; dicerent enim a ſe quoque attribui poſſe Propoſitionibus, & Libris Magiſtrorum ſuorum Senſum illum, qui verus ipſis videretur, ideoque concludere poſſe, v. g., cum Calvino, quod ſit Myſticus, & non Literalis, Senſus illorum verborum Chriſti Domini; *Hoc eſt Corpus meum*: & ex eorumdem verborum Senſu inferre cum Luthero Impanationem potiùs, quàm Tranſubſtantiationem.

Nulla eſt ratio, propter quam potiùs liceat Janſenianis aſſerere, quod non ſit Infallibilis, imò etiam, quod erraverit Apoſtolica Sedes, & Eccleſia, in damnando Senſu, & Doctrina Voluminis Janſenio attributi, quàm liceret aliis Hæreticis affirmare idem de Cenſura lata contra ſenſum aliorum Librorum; nam ſi condemnatio Senſus, & Doctrinæ illius Libri caderet ſupra merum factum, ut Janſeniani contendunt, perinde ſupra merum Factum caderet Condemnatio Senſus, & Doctrinæ librorum Calvini, Lutheri &c.

Janſeniani nunquam ſervarunt obſequioſum Silentium, quod toties promiſerunt, imò ediderunt frequentiſſimè Libros plurimos *Exquiſita ad fallendum arte compoſitos, ſcatentes jurgiis, maledictis, calumniis, &c.* & peſſimas artes adhibuerunt, ut in errorem incautos deducerent, ſicut illis meritò exprobrant Alexander VII., & Sanctiſſimus Dominus Noſter CLEMENS XI.

Etiamſi religioſè cuſtodirent promiſſum Silentium, nihilominus hoc non ſufficeret, ut eſſent Catholici, niſi *interius judicarent Janſenii Libro Doctrinam hæreticam contineri*, quemadmodum illis præſcribit in Apoſtolica Conſtitutione veram Fidem declarante Sanctiſs. D.N. qui Sapientiſſimè præſcindere voluit a Deciſione Pontificiæ Infallibilitatis in reſolvendis Factis Dogmaticis, ſed aſſeruit Definitionem ſenſus, & Doctrinæ hæreticæ Libri attributi Janſenio pertinere ad Jus, & Dogma Fidei, cum ſubjecerit, ut præſtiterant Prædeceſſores ſui, pœnis Hæreticorum omnes eos, qui *non judicant interius Janſenii Libro Doctrinam hæreticam contineri*.

Clemens IX. s. m. nihil Janſenianis indulſit contra id, quod declaraverant ejus Prædeceſſores, imò quò ad Senſum, & Doctrinam hæreticam Janſeniani Libri, ſcili-

cet

Digitized by Google

cet quo ad id, quod pertinet ad jus, & Dogma Fidei, expreſsè confirmavit eorum Conſtitutiones.

Id ipſum præſtitit Innocentius XII., qui dum dixit *Eccleſiam non judicare de occultis*, tantummodo decrevit non ſufficere vagam Janſeniſmi accuſationem ad hoc, ut quis repellatur ab Officiis, Beneficiis &c. ſi nullum penitus exterius ediderit ſignum, quod ullam ex Janſenii Propoſitionibus tenuerit. Sed idem expreſsè declarat ſufficere ad hoc, ut quis ab Officiis, Beneficiis &c. repellatur, quod dederit aliquod indicium, per quod juridicè probetur, quod *ſuſpectus ſit* de aliqua Janſenii Propoſitione ipſo etiam animo retenta. Hæc autem *ſuſpicio*, imò etiam evidentia probatur manifeſtiſſimè de illis, qui omnes Declarationes factas ab Alexandro VII., & a Succeſſoribus, affirmant ſpectare ad Factum connexum condemnationi Quinque Propoſitionum Janſenii, ac proinde negant pertinere ad Jus Fidei Condemnationem Senſus, & Doctrinæ Libri Janſenio attributi: & opinantur erraſſe, vel errare potuiſſe Apoſtolicam Sedem, & Eccleſiam, in ejus Senſus, & Doctrinæ Condemnatione, quam Janſeniani Libri Doctrinam putant Catholicam, dicentes a ſe damnari ſolummodo Propoſitiones illas in abſtracto, & in Senſu aliquo diverſo a Janſeniano, v. gr. in illo Calvini.

Concludentiſſimè ſolvuntur Cavillationes omnes olim, & nunc, intextæ a Janſenianis contra Catholicam Veritatem.

Manifeſtum Diſcrimen

Inter Quæſtiones Juris, & Facti, ſtatuendum Libro Tertio.

PAtet agitari Quæſtionem Facti, dum inquiritur, utrum excerptæ fuerint Quinque damnatæ Propoſitiones ex Libro, qui tribuitur Janſenio, & utrum explicentur, & confirmentur a Contextu ejuſdem Libri.

Perinde liquet inſtitui Quæſtionem Juris, dum expenditur, utrum hæreticus ſit Senſus, & Doctrina illius Libri, quatenus in eo explicantur, & confirmantur Propoſitiones eæ.

Plurimi Authores tribuunt Apoſtolicæ Sedi ſeorſum etiam ſumptæ, atque alii ſaltem eidem ſimul cum Eccleſia Infallibilitatem in Quæſtione utraque reſolvenda. Sed ad impugnandos Janſenianos neceſſe non eſt decernere divinitus promiſſam Immunitatem ab errore in ipſa quoque ſolvenda Quæſtione Facti: & ſufficit ſtatuere, quod veritatibus pertinentibus ad Factum, quæ nectuntur cum Propoſitionibus ſpectantibus ad jus Fidei, vel ab his omnino præſumuntur, detur alius Aſſenſus certus ad vitandam dementiam, in quam profectò incurreret, qui Supernaturalem Fidem adhiberet Propoſitionibus juris, & non admitteret in animum tanquam veras Propoſitiones alias evidenter nexas cum illis juris.

Demonſtratur hoc evidentiſſimè in plurimis aliis Propoſitionibus generalibus, & particularibus, v. g. in iis, quæ ſequuntur.

Senſus, & Doctrina Sacrarum Literarum declarata ab Eccleſia Romana eſt credenda per Fidem Divinam.

Senſus, & Doctrina Traditionum Apoſtolicarum, quæ patet ex communi Interpretatione Sanctorum Patrum, eſt de Fide.

Senſus, & Doctrina Verſionis Vulgatæ Sacrorum Librorum, explicata a Generalibus Conciliis confirmatis a Cathedra S. Petri, eſt de Fide.

Senſus, & Doctrina Divinorum Verborum Chriſti Domini: *Hoc eſt Corpus meum*, qui Senſus ab Apoſtolica Sede, & ab Eccleſia declaratur tanquam Literalis, eſt de Fide, quod non ſit tantummodo Myſticus.

Senſus, & Doctrina Librorum Lutheri, & Calvini, in quibus Divina illa Verba ita explicantur a Luthero, ut ſignificare videantur potiùs Impanationem, quàm Tranſubſtantiationem: & a Calvino itaut forment Senſum ſolummodo Myſticum: eſt Senſus, & Doctrina hæretica.

Omnes iſtæ Propoſitiones pertinent evidenter ad Jus, & Doctrinam Fidei, & nihilominus in qualibet ex ipſis continentur ex parte Subjecti aliæ Veritates apertè ſpectantes ad Factum; omnia enim, quæ ſequuntur, ſunt Facta non revelata, ſaltem explicitè, videlicet:

Quod Eccleſia Romana probaverit tanquam Catholicum potiùs unum, quàm alium Senſum Sacrarum Literarum.

Quod Sancti Patres convenerint in admittendo potiùs uno, quàm alio Senſu Traditionum Apoſtolicarum.

Quod celebrata fuerint Generalia Concilia, & a veris Epiſcopis, Baptiſmo luſtratis, promotis ad Sacerdotium, & conſecratis ad Præfecturam Eccleſiarum: quodque ab ipſis Conciliis admiſſus fuerit tanquam Catholicus potiùs unus, quàm alius Senſus Dogmatum Fidei.

Quod Summi Pontifices, & Concilia declaraverint præferendam eſſe Vulgatam aliis Verſionibus Sacrarum Literarum.

Quod emanaverit Declaratio de acci-

piendis in Literali Senſu Divinis illis Verbis: *Hoc eſt Corpus meum*.

Quod ſcripta fuerint Volumina illa præferentia nomen Lutheri, & Calvini, quodque in illis explicentur Divina Verba ita, ut præſumatur ab iiſdem ſignificari Impanationem, aut ſolum Senſum Myſticum.

Nulli ex his Veritatibus Facti, quæ pertinent ad Subjectum Propoſitionum juris, vel potiùs inferuntur in eodem Subjecto tanquam Præſuppoſita requiſita ad formandas Propoſitiones juris, neceſſe eſt præbere Aſſenſum Fidei Supernaturalis, ſed ſufficit iiſdem Veritatibus dare alium Aſſenſum certiſſimum, quem ſi quis negaret, inſaniret credendo Supernaturali Fide id, quod in illis Propoſitionibus pertinet ad Jus, cum ab hoc ſit inſeparabilis Veritas Factorum illorum.

Ita prorſus in caſu noſtro, cum credendum ſit Fide Divina, quod ſit hæreticus Senſus, & Doctrina Libri attributi Janſenio, quatenus ab eo ſunt excerptæ Propoſitiones illæ, atque in eodem explicantur, & confirmantur, neceſſe prorſus eſt admittere in animum tanquam verum alio Aſſenſu certiſſimo, quamvis non præſtito per Fidem Divinam, quod ex eo Libro Propoſitiones illæ fuerint excerptæ, atque in illo explicentur, & confirmentur. Quid apertius?

PAR-

PARTIS SECUNDÆ
LIBER PRIMUS.
POLEMICA HISTORIA
JANSENISMI,
ET CONTRA ILLUM CERTAMINUM
APOSTOLICÆ SEDIS:
Ex Conſtitutionibus, & Literis Maximorum Pontificum, & Gallicani Cleri, aliiſque authenticis Actis contexta.

§. I.

Prævia Janſenii Damnatio in ejus Magiſtro Bayo.

CUM Michael Bayus, Lovanienſis Univerſitatis Cancellarius, aliuſque in eadem Profeſſor, mitigare aggreſſi Hæreſes Lutheri, & Calvini a Sacro Tridentino Concilio damnatas, plurima ſcripſiſſent circa Divinam Gratiam, aſſerentem, ut opinabantur, Hominibus Neceſſitatem, & carentiam in iiſdem Libertatis Indifferentiæ, & pleriſque negatum Auxilium Cœleſte ſimpliciter neceſſarium ad peccata vitanda, reſque hiſce finitimas, Sanctus Pius V. Kal. Octobris anni 1567. contra illos edidit præclaram Conſtitutionem, cujus initium eſt: *Ex omnibus afflictionibus*; & poſt enumeratas Novem, & ſeptuaginta eorum Scriptorum Propoſitiones, declaravit, eaſdem, *quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum Senſu ab Aſſertoribus intento, Hæreticas, Erroneas, Suſpectas, Temerarias, Scandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpective.*

Gregorius XIII. f. m. quarto Kalendas Februarii 1579. alia Conſtitutione, quæ incipit: *Provifionis noſtræ*: S. Pii Bullam ſuis Literis inſertam ampliſſimè confirmavit.

§. II.

Errores, ac Hæreſes ſuas retractat Michael Bayus.

PAterno flagrans, & Apoſtolico Zelo errantem Ovem, multiſque futuram exitii cauſam, ad Ovile Chriſti revocandi Gregorius Franciſcum Toletum Societatis Jeſu Theologum, Pontificium tunc Concionatorem, & Clementis deinde Octavi juſſu coactum ornare Sapientiâ ſuâ Sacrum Purpuratorum Collegium, legavit ad Michaelem Bayum, quem doctiſſimis argumentationibus redargutum Franciſcus adegit ad Errores ſuos retractandos, quod egregiè præſtitit procumbens ad Toleti pedes coram univerſa Lovanienſi Academia, ubi lacrymis perfuſus illam edidit, quam ſubiicimus, Fidei formulam, quamque deinde Romam tranſmiſit.

Ego Michael de Bay Cancellarius Univerſitatis Lovanienſis, agnoſco, & profiteor, me ex variis Colloquiis, & communicationibus habitis cum R. P. D. Franciſco Toleto Concionatore Suæ Sanctitatis, & ad hanc rem ſpecialiter miſſo; ſuper diverſis Sententiis, & Propoſitionibus, jam olim a Sanctiſſimo D. Pio V. fel. rec. ſub data Kal. Octobris Anno 1567. & nuper a Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo, ſub data 4. kalendas Februarii 1579. iteratò damnatis, &

pro-

prohibitis, ita motum, & eò perductum eſſe, ut planè mihi habeam perſuaſum earum omnium Sententiarum damnationem, atque prohibitionem, jure, meritòque, ac nonniſi maturo judicio, & diligentiſſima excuſſione præmiſſis, ſactam, atque decretam eſſe. Fateor inſuper plurimas ex iiſdem Sententiis in nonnullis Libellis a me olim, & ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper iis Cenſuram conſcriptis, & in lucem editis contineri, & deſendi, *etiam eo Senſu, in quo reprobantur.* Denique declaro me impræſentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi a Sancta Sede ſactæ acquieſcere, neque poſthac illas docere, aſſerere, aut defendere velle. Datum Lovanii die 14. Martii anno 1580.

Michael de Bay.

§. III.

Janſenii Librum condemnat Urbanus VIII.

POntificia Errorum Bay damnatio, magnanimaque ipſius reſipiſcentia non deterruerunt Cornelium Janſenium Iprenſem Epiſcopum (quo animo affectum ſcit ſcrutator cordium Deus) quin eos ab Inſeris revocaverit, & execrandam hæreſim illis attexere non ſit veritus de Morte Chriſti Domini non obita pro omnibus, exarando Librum, quem inſcripſit *Auguſtinus*: perinde ac ſi nihil aliud in eo præſtaret, quàm in ordinem redigere Divini ejus Magiſtri Doctrinam, quam tamen detruncando, abſurdiſſimèque interpretando corrupit. Peſtilentiâ interiit relicto partu illo contagionem animis afflante, quem ejus amici clam ediderunt, ſparſum celerrimè per univerſum Belgium, & Gallias, cum horrore Catholicorum, videntium ferè renaſci Calviniſmum, miràque Proteſtantium lætitiâ, inter quos præcipui Hollandiæ Miniſtri ſuam illico eum in Linguam tranſtulerunt, & eruditus Grotius affirmavit Eccleſiarum Pacem facili negotio ſtatuendam, *ſi Janſenii Senſum Catholici amplecterentur.*

Admonitus de hoc Urbanus Octavus expendi a Theologis juſſit Opus illud, & inventum erroribus, & Hæreſi multiplici ſcatens, damnavit Pridie Nonas Martii 1641. Conſtitutione, cujus exordium eſt: *In eminenti Eccleſiæ militantis Sede*, cui prius inſeruit S. Pii, & Gregorii XIII. Bullas contra opiniones Bay: & deinde proſcripſit ejuſdem Janſenii Librum, cui Titulus: *Auguſtinus*, in quo compertum fuerat *multas ex Propoſitionibus jam damnatis contineri, & magno cum Catholicorum Scandalo, & Auctoritatis Apoſtolicæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones deſendi.*

Quoniam verò non parebant omnes Pontificio Decreto, vetanti, ne ſcribere, aut diſputare ullus auderet in favorem Janſenii, Literas Urbanus dedit ad Archiepiſcopum Mechlinienſem, quibus ab illo compeſci jubet temerè affirmantes falſum fuiſſe Pontificium Diploma contra Janſenii Librum, & errores irrepſiſſe in Conſtitutionis exemplum Coloniæ publicatum.

Cumque deinde per Joannem Sinichium, & Cornelium Papium Doctores Univerſitatis Lovanienſis exhibitæ fuiſſent Literæ, ac ſupplex ejuſdem Univerſitatis Libellus pro ſtatuenda relatæ Bullæ veritate, & indaganda circa illam Sanctitatis ſuæ intentione, ſelecti ſunt a Sacra Congregatione Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis tres præclariſſimi Cardinales, Bernardinus Spada, Joannes Baptiſta Pamphilius, & Lælius Falconerius, qui poſt auditos ab ipſis, & ab Univerſo Sacro illo Cœtu Sinichium, & Papium, juſſi ſunt illis tradere typis editum exemplum Bullæ, cui obtemperandum eſſet, perpetuo Silentio impoſito controverſiæ.

§. IV.

Innocentius Decimus promovet Damnationem Janſeniani Libri, & Catechiſmi de Gratia, aliorumque editorum a Janſenii aſſeclis.

PRimo ſui Pontificatus anno, videlicet 2. Martii 1645. Innocentius X. per Literas excitavit Marchionem Caſtri Roderici Belgii Gubernatorem ad compeſcendos Janſenianos iterum ſpargentes doctrinam Michaelis Bay, *cujus*, inquit Pontifex, *improbatis opinionibus vehementer commotus Philippi II. claræ memoriæ Regis animus ea æſtuavit ſolicitudine, ac zelo, ut præcipuis ille monitis ſuo in Urbe Oratori acriter præſcripſerit, impensè ageret cum Pontificibus prædictis, Pio, ac Gregorio, ut eas abolitas omnino vellent, ac damnatas: eodemque ſtudio tranſmitti in Belgium impetravit religioſum virum Franciſcum Toletum conſecuto mox tempore S. R. E. Cardinalem, quò is ea de re Diplomata in Lovanienſi Academia publica fieri, ac recipi ſedulò curaret.*

Tres Duacenæ Univerſitatis Doctores, Gregorius Colvenerius, Franciſcus Sylvius, & Valentinus Randoure, in ſuſpicionem vocati adhærentis Janſenii erroribus animi contrariam Proteſtationem vulgarunt, negantes etiam a Janſenio tradi S. Auguſtini Doctrinam, ſummumque ſubeſſe periculum affirmantes, ne a ſcintillis pernicioſi ejus

Vo-

Voluminis magna excitarentur incendia,

Sed alii efferato contra Pontificiam Janſeniani Libri Condemnationem animo, non auſi apertè contra illam inſurgere, moleſtiam creare tentarunt Apoſtolicæ Sedi publicantes Gallico Idiomate Librum *de Gemino aſpectabili Eccleſiæ Capite*, conſtituto per Sanctos Apoſtolorum Principes, Petrum, & Paulum. Hunc porrò Librum, aliumque inſcriptum, *Magnitudo Eccleſiæ Romanæ ſtatuta in auctoritate Sanctorum Petri, & Pauli*, ac Epiſtolam ejuſdem argumenti examini ſubjecit Innocentius, & deinde Propoſitionem hanc: *Sanctus Petrus, & Sanctus Paulus, ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui unicum efficiunt: vel: Sunt duo Eccleſiæ Catholicæ Coriphæi, ac Supremi Duces ſumma inter ſe Unitate conjuncti; vel: ſunt geminus Univerſalis Eccleſiæ vertex, qui in unum diviniſſimè coaluerunt: vel: ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores, ac Præſides, qui unicum Caput conſtituunt: ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter Sanctum Petrum, & Sanctum Paulum, ſine ſubordinatione, & ſubjectione Sancti Pauli ad Sanctum Petrum in Poteſtate Suprema, & Regimine Univerſalis Eccleſiæ, Hæreticam cenſuit, & declaravit.*

Illuſtre ſpecimen obſequii ſui erga Apoſtolicam Sedem præbuit Archiepiſcopus Veſantionenſis, jubens, ut ſinguli ad curam animarum admittendi, poſt ſolennem Concilii Tridentini Fidei profeſſionem, legerent, ac juramento firmarent Formulam adjectam, qua profiterentur a ſe ſuſcipi obſequentiſſimè Bullam Urbani, in qua damnatur Janſenii Liber, eidemque obtemperare ſe velle, ac dare operam, ut idem præſtetur a cæteris.

Prohibuit etiam lectionem piorum in ſpeciem Operum Antonii Arnaud Sorbonici Doctoris de *frequenti Communione*, & Joannis Vergen de Haurann Sancti Cyranni Abbatis variorum Opuſculorum Authoris.

Emanavit paulò poſt a Suprema, & Generali Sancti Officii Congregatione prohibitio, & damnatio *Catechiſmi de Gratia*, aliorumque ſimilium Libellorum, qui Janſenii Hæreſes animis inſtillabant.

Philippus deinde Quartus Catholicus Rex in Diplomate dato Bruxellis ultimo Februarii 1651. poſtquàm narravit, pleroſque Doctores Lovanienſes promulgationi Bullæ Urbani contra Janſenium ſe oppoſuiſſe, varias cauſas apud Summum Pontificem, ipſumque Regem prætexentes, ſuam poteſtatem interpoſuit decernens eamdem Bullam executioni omnino mandari, atque tranſgreſſoribus pro prima vice pecuniariam pœnam, pro ſecunda exilium injunxit.

§. V.

Gallicani Epiſcopi flagitant ab Innocentio X. Examen, & Damnationem Quinque Janſenii Propoſitionum, quam futuram aſſerunt Infallibilem.

JUvat afferre initium Epiſtolæ, quam integram dabimus in Opuſculi fine, Lit. A. a Quinque & Octoginta Gallicanis Epiſcopis ſubſcriptæ, qui Pontificiam Infallibilitatem in declaranda Fide præclarè teſtantur. *Majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre, ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem Fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure ſuo poſtulat.*

Subiiciunt deinde turbas exortas a Libro Janſenii, quas frænare debuiſſet Auctoritas Sacri Concilii Tridentini, cum animadvertiſſent Sapientes illi Præſules illud ipſum, quod in Prima noſtri Enchiridii Parte demonſtravimus, videlicet quod *in anteceſſum Janſeniani errores fuiſſent a Sacroſancta illa Synodo condemnati. Decennium*, inquiunt, *eſt, ex quo vehementiſſimis turbis Gallia magno noſtro mærore commovetur &c. Tales quidem motus ſedari oportebat tum Concilii Tridentini Auctoritate, tum Bullæ illius, qua Urbanus Octavus fel. mem. adverſus Janſenii Dogmata pronuntiavit, & Decreta B. Pii V. ac Gregorii XIII. in Bayum edita confirmavit.*

Poſtea Quinque Præcipuas Propoſitiones excerptas ab Opere Janſeniano proponunt, & peculiares, quibus ſingulæ ſint inurendæ, Cenſuras poſtulant ab Oraculo Vaticani deceptioni nulli obnoxio. *Precamur S. T. quid hac in re ſentiendum ſit, clarè, diſtinctèque definiat. Obteſtamur ergo, ut has præſertim Propoſitiones, de quibus diſceptatio periculoſior, ac contentio ardentior eſt, S. T. expendat, & perſpicuam, ac certam de unaquaque ſententiam ferat.*

Poſtremò agnoſcentes fore nefas minimè formidandum, quod Pontificiæ Definitioni refragari Catholicus ullus auderet, hæc addunt in Epiſtolæ fine. *Experta eſt nuper Beatitudo Tua, quantum Apoſtolicæ Sedis in gemini Eccleſiæ Capitis errore profligando valuerit Auctoritas. Continuò ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem, & imperium, Venti, & Mare obedierunt: Quamobrem flagitamus, Beatiſſime Pater, ut clarâ, firmâque de Propoſitionum iſtarum Senſu prolatâ ſententiâ, cui Reverendiſſimus ipſe Janſenius morti proximus Opus ſuum ſubjecit, caliginem omnem diſcutias, animos fluctuantes componas, diſſidia probibeas, Eccleſiæ tranquillitatem, ſplendoremque reſtituas.*

§. VI.

§. VI.

Janſeniani confugiunt ad Apoſtolicam Sedem, quam certam Veritatis Magiſtram agnoſcunt: fatentur extare Quinque Propoſitiones in Libro Janſenii: & in obvio ejuſdem Senſu Catholicas illas eſſe aſſeverant.

ILla in hoc rerum articulo contigerunt, quæ præſtita tunc a Janſenianis oſtendunt eoſdem deinde ſecum pugnaſſe, dum de InfallibilitateApoſtolicæ Cathedræ dubia ſuſcitarunt, & negare non ſunt veriti ea, quæ prius ultro profeſſi fuerant, videlicet, quod extent Propoſitiones illæ inLibro Janſenii, propriuſque illius Senſus ſit ille, qui obvius, & apertiſſimus ultro patet.

Prius igitur, quàm perveniſſent ad Urbem delegati Præſulum, ſeſe Pontificios ad pedes alii a Janſenianis miſſi projecerunt, paratiſſimos ſeſe profeſſi ad excipiendam, tanquam ab ore Inſtauratoris noſtræ ſalutis prolatam, quamcumque ſententiam illius Vicarius protuliſſet. Et quamvis oculis uſurpaſſent, atque ſedulò expendiſſent animo Quinque illas Propoſitiones ad Romanum Tribunal jam delatas, nullus tamen ex ipſis hiſcere auſus fuit depromptas illas non fuiſſe ex Opere Janſeniano, ſed omnes faſſi apertiſſimè ſunt eas eſſe Janſenii, eumque Senſum ſingulis attribuerunt, qui nativus, & obvius exhibet ſeſe. Eumdem autem Senſum eſſe Catholicum aſſeruerunt, quia puram ipſam S. Auguſtini Doctrinam repræſentaret, cujus fidiſſimus Interpres fuiſſet Janſenius. Hunc ideo damnari non poſſe vociferabantur, quin ſimul in condemnationem incurreret Auguſtinus, cujus de Divina Gratia doctrinam eſſe Orthodoxam declaraverat S. Cæleſtinus Pontifex Maximus. Hæreſim proinde videri poſſe illam Adverſariorum, qui Janſenium tanquam ſuſpectum Hæreſis deferebant, eamdem inurentes notam Auguſtino.

§. VII.

Quinque Janſenii Propoſitiones damnantur ab Innocentio X.

FRuſtra ſibi lenocinati ſunt Janſeniani probandas eſſe ab Apoſtolica Sede Propoſitiones illas, quas non a Janſenio tantùm, ſed ab Auguſtino ſtatutas fuiſſe jactabant; nam poſt earum Examen ea ſedulitate inſtitutum, qua major optari non poteſt, auditoſque ſæpiſſimè, ac diutiſſimè ab ipſo Pontifice Maximo Cardinales Fidei Quæſitores, Præſules, alioſque Theologos, Pontificiique peritiſſimos juris, & expenſa eorum Suffragia, ſcripto etiam tradita, & aures accõmodatas ipſis quoque Janſenianis, preceſque, ac Supplicationes publicas Populo indictas, promiſſum a Chriſto Domino Succeſſori Petri Divini Spiritus lumen affulſit pro edenda celeberrima illa Conſtitutione, quæ habetur in fine Opuſculi Liter. B. publicata 31. Maii 1653. cujus initium eſt: *Cum occaſione impreſſionis Libri*, qua tanquam Hæreticæ damnantur Quinque illæ Propoſitiones, ac, præter Hæreſis notam inuſtam ſingulis, Prima etiam declaratur *temeraria, impia, blaſphema, & anathemate prius damnata*: Ultima verò præterea *falſa, temeraria, ſcandaloſa, & intellecta eo Senſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, impia, blaſpema, contumelioſa, & Divinæ derogans Pietati*.

Ne verò proſcribens illa Quinque cætera Janſenii Dogmata probare videri poſſet, ſequentia verba ſapienter adjecit Pontifex in fine Conſtitutionis: *Non intendentes tamen per hanc Declarationem, & Definitionem ſuper prædictis Quinque Propoſitionibus factam approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto Libro Cornelii Janſenii*.

Scripſit Innocentius eadem die Pontificias Literas Ludovico XIV. Chriſtianiſſimo Regi, *qui*, ait, *per Oratorem tuum pro Sanctæ hujus Sedis ſuper his Deciſione apud nos inſtiteras*. Nec omiſit alias Literas dare ad Epiſcopos Galliæ, quibus, quemadmodum Regi, alia miſit Conſtitutionis exempla: quæ Literæ extant in fine Lit. C.D.E.F.G. H. M.

§. VIII.

Catholici omnes, ac præcipuè Galliarum Epiſcopi excipiunt obſequentiſſimè Pontificiam Fidei Definitionem tanquam Infallibilem.

EXcepta fuit Apoſtolica Definitio a Gallicana, imò & ab univerſa Eccleſia, veneratione, ac obſequio ſummo, & Ludovicus Edicto lato 4. Julii 1653. admonuit Antiſtites omnes ampliſſimæ Ditionis ſuæ, ut in publicum ederent Decreta Fidei ab Eccleſiæ Magiſtro ſancita, quibus inconcuſſa adhibenda eſſet ab omnibus fides.

Peculiare quoque mandatum Pariſienſi direxit Univerſitati, ut ultro admitteret, quæ a Vaticano prodiverat, Definitionem Fidei, cui obtemperans Academia præclariſſima ſelegit Doctores Viginti, qui communi nomine gratias referrent Regi, & parituros omnes

nes proteſtarentur. Sed cum refragaturi deinde nonnulli viderentur, ſequenti Septembri Menſe ſtatuit Chriſtianiſſimus Rex, ut a Collegio illo delerentur eorum nomina, qui aliquid Pontificiæ Declarationi repugnans docere auderent.

Ex Epiſtola verò, quam 15. Iulii ejuſdem anni 1653. ſubſcripſerunt ad Innocentium deferendam Iulius Cardinalis Mazzarinus, ac Triginta Epiſcopi, hoc tantùm conſilio reſpondendi pro dignitate Sanctitati Suæ Pariſiis congregati, quædam delibanda omnino ſunt, cum Pontificiam præclarè teſtentur Infallibilitatem. Tota extat in fine Opuſculi Lit. l.

Excerptas primò ex Libro Ianſenii fuiſſe Propoſitiones illas ſic diſertè pronuntiant. *Optata pervenit ad nos tandem Conſtitutio illa, qua Veſtræ Sanctitatis Auctoritate, quid ſentiendum de controverſis Quinque Propoſitionibus, quæ ſunt excerptæ a Cornelii Janſenii Yprenſis Epiſcopi Libris, perſpicuè decernitur.*

A ſola deinde Pontificia Definitione ſperandum fuiſſe peſtilenti morbo remedium aſſeverant, illamque proinde præſumunt nulli ſubjectam errandi periculo. *Excitatæ in Belgio contentiones flagrabant etiam in Galliis, & latiſſimum incendium per univerſas Eccleſiæ partes minabantur, ni peſti graſſanti, & certiſſimam perniciem allaturæ, obſtitiſſet Beatitudinis Veſtræ indefeſſum ſtudium, & ex alto petita Poteſtas, quæ ſola acerrimam illam animorum colliſionem compeſcere poterat.*

Operoſo poſtea compendio complexi doctiſſimi Præſules Impietatem Ianſeniani Senſus, damnatam illam meritò fuiſſe aſſirmant a Sanctiſſimo Pontifice juxta Fidei Regulam, ſancitam quoque in antiquis, & recentibus Conciliis, videlicet (ut nos oſtendimus) in Tridentino, in quibus Conciliis cum conſtitutam fuiſſe dicant eamdem Fidei Regulam *Authoribus Summis Pontificibus*, demonſtrant a ſe præſumi, quod ipſorum Conciliorum Magiſtri, & Arbitri, ac proinde illis præſtantes, ſint Eccleſiæ Moderatores. Hæc ſunt Epiſcoporum verba. *Agebatur de re magni momenti, de aditu ſcilicet ad Salutem per neceſſaria Chriſtianæ Gratiæ præſidia, & humanæ voluntatis adjumentis illis excitatæ, ac foæ, conatus liberos: atque de Divina Chriſti Pietate, ac beneficentia in univerſum genus humanum. Hujus doctrinæ lucem recentioris illius Auctoris diſputationibus obſcuratam priſtino nitori reſtituit juxta veterem Fidei Regulam ex Scripturis, & antiqua Patrum Traditione in Conciliis olim, & nuper, Auctoribus Summis Pontificibus, conſtitutam, prolatum a Sanctitate Veſtra, poſtulantibus compluribus Galliarum Epiſcopis, Decretum.*

Pulcherrimè deinde comparant Ianſenii doctrinæ damnationem cum proſcriptione Pelagianæ, *Quo in negotio*, inquiunt, *illud obſervatione dignum accidit, ut, quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem Innocentius I. Pelagianam Hæreſim damnavit olim, ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum Conſultationem Hæreſim ex adverſo Pelagianæ oppoſitam Innocentius X. Auctoritate ſua proſcripſerit.*

Luculentius nihil excogitari poteſt ea, quæ ſubiicitur, atteſtatione Pontificiæ in declaranda Fide Infallibilitatis, cui Vetuſta Eccleſia cognoverit certiſſimum aſſenſum præſtandum eſſe, ſtatim atque illa prodiverit, etiam extra Concilia. *Enimverò Vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica, ſola Cathedræ Petri Communione, & Auctoritate, fulta, quæ in Decretali Epiſtola Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein Zoſimi altera ad Univerſos Orbis Epiſcopos Epiſtola ſubſecuta eſt, Pelagianæ Hæreſis Damnationi abſque cunctatione ſubſcripſit. Perſpectum enim habebat non ſolùm ex Chriſti Domini Noſtri Pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex Actis priorum Pontificum, & ex Anathematiſmis adverſus Apollinarium, & Macedonium, nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, a Damaſo paulò antea jactis, Judicia pro ſancienda Regula Fidei a Summis Pontificibus lata, ſuper Epiſcoporum conſultatione (ſive ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſive omittant, prout illis collibuerit) Divina æquè, ac ſumma per univerſam Eccleſiam Auctoritate niti: cui Chriſtiani omnes ex officio ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur.*

Ultima hæc verba, quæſo, perpendant, qui, Silentium obſequens doloſè ſpondentes, liberam opinandi contra Pontificias Declarationes facultatem relinqui ſibi flagitabant, de quibus multa opportuno loco ſubiiciemus.

Promittunt, *eâdem ſe quoque ſententiâ, & Veteris Eccleſiæ Fide imbutos*, daturos operam, ut Pontificia Conſtitutio ab omnibus humillimè ſuſcipiatur, *& contumaces, nullo conditionis, vel ſtatuum, diſcrimine facto, pœnis in Hæreticos latis perſtricturos.*

Meritò demum celebrant ſtudium Regis in tuenda integerrima Fide, ipſique plaudunt Innocentio, cujus ore, proinde Infallibili, loquutum fuiſſe Petrum affirmant: ſicut olim Chalcedonenſe Concilium hoc ipſum dixerat de S. Leone Magno. *Quare*, ajunt, *cum Rex Cæleſtis hac in cauſa fœderatum ha-*

beat Regem terrarum (ſi fas ita loqui cum Sixto III.) Sanctitas Veſtra per Petræ ſoliditatem jam contuſis veritatis hoſtium animis, ſecuros ab omni externa perturbatione de nova Hæreſi triumphos aget. Porrò nos Innocentio X. cujus ore Petrus locutus eſt, ut Leoni I. acclamat Quarta Synodus, hanc Divinam lauream gratulati, Sacros inter Eccleſiæ faſtos, quod olim de Synodis OEcumenicis fieri ſolitum, Conſtitutionem iſtam ab eo editam lubentes ex animo reponemus, cui optatiſſimam in longæva vita fœlicitatem adprecantur, qui ſunt cum ea, qua par eſt, veneratione,

Beatiſſime Pater,

Sanctitatis Veſtræ

Devotiſſimi, & addictiſſimi Filii, Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Galliæ in Pariſienſi Urbe congregati.

§. IX.

Janſenianorum Libros omnes Innocentius damnat.

UT naſcentem hæreſim in cunis, niſi hominum pervicacia obſtaret, Eccleſiæ Hierarcha elideret, examen inſtitui juſſit Voluminum, & Libellorum ſupra Quadraginta, quibus vel omnes, vel aliquæ ſaltem ex Janſenianis opinionibus tradebantur, atque Decreto edito 23. Aprilis 1654. damnavit iterum primò ipſius Ianſenii *Auguſtinum*, aliumque ejuſdem Librum inſcriptum: *Parollelus Errorum Maſſilienſium, & quorumdam Recentiorum: & Laudationem funeralem ejuſdem Janſenii dictam Lovanii a Fr. Ioanne a Lapide, Apologiam pro Janſenio, Catechiſmum Gratiæ, Theologiam familiarem Sancirani, Paſtorales Epiſtolas Archiepiſcopi Senonenſis, aliaque hujuſmodi plura Opuſcula, ac demum omnes, & quoſcumque Libros, Libellos, Epiſtolas, tam impreſſos, quàm manuſcriptos, ſeu impoſterum edendos, & publicandos, in quibus doctrina Auguſtini Cornelii Ianſenii Epiſcopi Yprenſis in prædictis Quinque Propoſitionibus damnata approbatur, aut aſſeritur, quocumque Idiomate ſcripti, ſive editi ſint.*

§. X.

Comitia Cleri Gallicani admonent omnes Regni Epiſcopos de technis Ianſeniſtarum, negantium excerptas fuiſſe ex Libro Ianſenii Quinque Propoſitiones, atque damnatas infallibiliter in ejuſdem Ianſenii Senſu.

FErè ſtatim poſt publicatam Damnationem Propoſitionum Ianſenii, ſpargi cœperunt Libelli ab illis ipſis, qui eaſdem, tanquam in ejus Operibus extantes, & in ipſius Janſenii Senſu Catholicas, defenderant, antequam anathemate perculſæ fuiſſent; poſt illud autem inflictum, perinde ac ſi ex Ianſenii Libris evanuiſſent, negare incœperunt, illas ex iiſdem Ianſenii Operibus excerptas fuiſſe: affirmantes præterea illas, undecumque collectæ fuiſſent, proſcribi non potuiſſe, nec porrò fuiſſe proſcriptas in ejuſdem Ianſenii Senſu, qui eſſet idem cum Senſu Divi Auguſtini; ſed fuiſſe damnatas in alio prorſus ſuppoſito Senſu Calvini. Ad hoc inſipientibus perſuadendum (neque enim Doctrinâ ullâ perfuſi aſſentiri poterant nugis hujuſmodi) collatis quodammodo tabulis tres ante ipſam Condemnationem ediderant Columnas, perversè dein ex iis Pontificias Declarationes interpretati.

Sed adeo abſurda fuerat, & ab apertiſſimo Senſu aliena explicatio illa tradita Propoſitionibus, ut Calviniani ipſi excanduerint, affirmantes, detorqueri perperam Magiſtri ſui verba, Senſumque verborum, ad ea, quæ ne ſomniaverat quidem, nunquam progreſſus, ut ajebant, ultra id, quod Ianſenius ipſe tuebatur. In ipſius autem Ianſenii Volumine enimverò non inveniuntur Propoſitiones illæ verbis iis expreſſæ, quæ formare queant abſurdiſſimum Senſum, quem Calvinianum eſſe Arnaldus, & alii affirmabant. Pontifex porrò declaravit damnatas fuiſſe illas, quæ ex Ianſenii Libro fuerant eductæ. Manifeſtum igitur eſt, proſcriptas fuiſſe in obvio, naturali, & aperto Senſu verborum illas, quæ Ianſeniano patent in Opere, quæque in Pontificia Conſtitutione referuntur.

Antiſtites Galliæ, quorum ſex ac triginta Pariſios ad Sacra Comitia confluxerant, excitandos a ſe cenſuerunt reliquos Præſules per ampliſſimum Regnum ſparſos ad obſiſtendum doloſis artibus Hæreticorum vana ſubterfugia quærentium, inſignemque idcirco ad illos exararunt Epiſtolam, quæ tota habetur in Enchiridii fine Lit. k. cujus in exordio proteſtantur, jus, & æquum poſtulaſſe, ut erroris omnino immunis haberetur Pontificia Definitio, ſed ab eadem, qua olim, hominum perverſitate tunc etiam tyrannidem in animos exerceri. *Quod Beato quondam*, inquiunt, *Auguſtino, & aliis Concilii Carthaginienſis, & Milevitani Patribus, magnis illis Divinæ Gratiæ Defenſoribus, aſſertoribuſque contigit, idem nunc prorſus eveniſſe nobis videtur. Sperabant illi, ſed fruſtra, poſt Librum quendam, cujus Auctor, Scriptorque fuerat Pelagius, ab Innocentio I. Papa anathematizatum, & damnatum, Pelagia-*

lagianos non auſuros ulterius de Gratia illa perverſa, & perniciosſa ſentiendo, loquendoque, pectora fidelia, & ſimpliciter Chriſtiana turbare, ſed tanti Præſulis Auctoritati ceſſuros. Et ſpes quoque nobis erat, homines eos, qui ſe Cornelii Janſenii Epiſcopi Ypreſis amatores, Sectatoreſque profitentur, poſt ejus ab Innocentio X. anathematizatas, & damnatas Quinque Opiniones, deſtituros tandem ab omni motu, atque cum ſuo ille Decreto imperaſſet ventis, futuram in Eccleſia tranquillitatem magnam.

Affirmant deinde clariſſimam eſſe Innocentianæ Conſtitutionis Declarationem, adeoque prorſus vanas, & inanes cavillationes, quibus ad abſurdiſſimum Senſum, & ab obvio, ac patenti alieniſſimum, eam per vim attrahere Janſeniani conabantur; ſic enim inquiunt. *Sed contra planè, quàm expectatum a nobis fuerat, accidit, mirarique ſatis non poſſumus, poſt æquiſſimam, Sanctiſſimamque Conſtitutionem illam, qua Beatiſſimus Pater Innocentius X. prædictas Quinque Propoſitiones damnavit: & iis quidem verbis, quibus nihil dici poteſt expreſſius, nihil clarius, homines illos affirmare, imò & perſuadere aliis velle res duas vanas omnino, & inanes: alteram, Quinque illas Propoſitiones non eſſe Janſenii: alteram, damnatas eſſe eo Senſu, qui ad Janſenium nihil pertineat.*

Adeo apertum, nativum, & obvium eſſe Propoſitionum illarum Senſum ajunt ſapientes Antiſtites, ut ultro incurrat in animos omnium, qui nolint ſeſe conſultò decipere, cum ita proſequantur. *Poteſt enim quidquam eſſe abſurdius, quàm tueri id velle, cui refellendo, revincendoque nihil opus ſit rationibus, nihil diſquiſitione etiam mediocri, aut levi, ſed ſola Pontificiæ Conſtitutionis, quæ per ſe ipſam rem totam apertè dirimit, lectione?*

Subiiciunt deinde, quod licet duæ res illæ, ab hoſtibus manifeſtæ veritatis excogitatæ, per ſe ſponte ruituræ, ideoque ſpernendæ prorſus, & negligendæ viderentur, quia tamen ignorantibus, infirmiſque non paucis offendiculo erant, ſelegerunt Archiepiſcopos quatuor, Turonenſem, Ebrodunenſem, Rothomagenſem, ac Toloſanum, atque totidem Epiſcopos, Eduenſem, Montalbanenſem, Rhedonenſem, & Carnotenſem, qui ſedulo ſtudio omnia explorarent, & quicquid inter ſe ipſi legiſſent, obſervaſſent, ſenſiſſent, referrent ad univerſum Cœtum. Quid verò compererint Delegati, quidque alii omnes, qui ſuffragii jus in Comitiis habebant, ita declarant. *Iis verò ex ipſa Conſtitutionis lectione, atque inſuper ex Opere Janſeniano, quod etiam, quantum ad Quinque illas Propoſitiones attinet, ſtudiosè legerunt, expenderuntque (quanquam ſola per ſe ad id ſufficiat Conſtitutio) manifeſtum, & perſpectum fuit, illas Quinque Propoſitiones verè eſſe Janſenii, & damnatas eſſe in vero, ac proprio verborum Senſu, & eo planè, quo a Janſenio traduntur, & explicantur. Atque cum id ipſi ad nos, ſcilicet in unum rurſus congregatos, retuliſſent, & a nobis quoque idem cognitum, & exploratum fuiſſet, declaravimus, & hoc noſtro judicio declaramus, & res planè ita ſe habere, & nullum dubitandi eſſe locum.*

Hæreticos tandem exiſtimandos decernunt eos, qui refragari audeant, & conſuetis pœnis compeſcendos. *Quare & eos, qui Quinque illas Propoſitiones tuentur, aut probant, verè eſſe ex eorum numero, quos Innocentius X. ſua illa in Conſtitutione vocat Contradictores, & Rebelles, & quos vult a Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, per Cenſuras & Pœnas contra Hæreticos, & eorum fautores &c. omnino coerceri, & compeſci.*

§. XI.

Iterum confugiunt Gallicani Epiſcopi contra Janſenianos ad Innocentium, deque falli neſcio Apoſtolicæ Sedis judicio præclarè loquuntur.

QUi cæteros Regni Præſules egregiè commonefecerant, Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Sacra Comitia conſtituentes obſequentiſſimam aliam exararunt Epiſtolam ad Innocentium extantem in fine Opuſculi Lit.L. qua primò narrant eam fuiſſe apud ipſos quoque Perduelles vim Pontificiæ Auctoritatis, ut veriti palam negare, quod ſtandum ſit ejus Definitionibus, callidis molitionibus ad ſimplicium, & incautorum mentes ſubvertendas irrepere tentaverint, deſperantes a ſe obtineri poſſe, ut per apertum Conſtitutionis editæ contemptum a Romana Fide recederetur.

Animadvertunt deinde oriri ex illibatæ Fidei Depoſito commiſſo Cathedræ Petri, ut hæc falli nequeat in iis quoque, de quibus tunc controverſia gliſcebat, ſcilicet in declarando, quod Propoſitiones illæ Janſenii ex Libris excerptæ in ipſius Janſenii Senſu hæreſis notâ perſtrictæ fuiſſent. *E vetere*, inquiunt, *Fidei depoſito, cujus cuſtodia Cathedræ Petri a Chriſto concredita eſt, partem adimere tentant, Decreti Apoſtolici majeſtatem ad fictas controverſias dirimendas turpiter deiiciendo. Quinque etenim Propoſitiones Decreto illo proſcriptas damnare ſe quoque profitentur; ſed alio planè Senſu, quàm qui a Janſenio traditus, & explicatus eſt, ad*

quem Propoſitiones illas nullatenus pertinere conſtantiſſimè aſſerunt. Hac arte reſtaurandis diſputationibus iiſdem ſibi locum apertum relinquere parant, & rediviva litis prolixam materiam.

Commendant poſtea Conſtitutionem, qua vetuſta Eccleſiæ Divinæ de Gratia, & Libero Arbitrio Doctrina declaratur, iterumque affirmant eamdem olim in aliis Conciliis, & nuper in Tridentino fuiſſe ſancitam *juxta Capitula a Sede Apoſtolica tranſmiſſa*, quæ proinde Synodis antecellat, ut earum Magiſtra, nec in explicanda Fide queat errare. *Nihil quippe aliud egit Conſtitutione ſua Innocentius X. quàm ut Auctoritatis ſuæ præſidio antiquam Fidem muniret, non dicendo nova, ſed dicendo novè, juxta receptas in Scholis Theologicis locutiones, quibus Janſenius quoque utitur, eo pacto, quo B. V. liquidò explicuit, atque confirmavit Regulam Fidei de Gratia, & Libero Arbitrio, quam ex parte prius aſſertam adverſus Manichæos, quod attinet ad Arbitrii Libertatem, poſtea Deceſſores Veſtri Innocentius I. & Zozimus, cooperantibus Africanorum Conciliorum Literis, contra Pelagianos planè conſtabiliverant: quamque deinde Cœleſtinus I. ac Concilium Arauſicanum, juxta Capitula a Sede Apoſtolica tranſmiſſa, & ſuperiori ſeculo Tridentinum, ſolicitè atque diligenter enucleatam definierant.*

In Genuino demum Senſu, atque apertiſſimo ex ipſius Conſtitutionis verbis, hanc a ſe perpetuò ſpondent defendendam, pœnas in Hæreticos latas Contradictoribus irrogando. *Quapropter & Conſtitutionem ordine Canonico latam, & Genuino in Senſu intellectam, quem Literæ iſtæ patefaciunt, devotiſſimo obſequio nos ſuſcipere teſtamur.*

Amantiſſimè reſpondit Literis hiſce Innocentius, effuſus, ut videri poteſt in fine Opuſculi Liter. M. in optimorum Antiſtitum laudem ob publicatam ab iis Conſtitutionem ſuam, cui veriſſimam explicationem tribuebant *damnatæ a ſe in Quinque Propoſitionibus Cornelii Ianſenii Doctrinæ ejus Libro contentæ*, ac ejus executioni ſedulò inſtabant.

§. XII.

Iidem Epiſcopi Galliæ quærunt præſidium ab Alexandro VII. contra negantes Infallibilem eſſe Definitionem Apoſtolicæ Sedis in damnandis Propoſitionibus a Janſenii Libro excerptis in Senſu Janſenii.

SUb initium Sacri Regiminis, cui admotus fuit Alexander VII. acrius exarſit in Gallia, & Belgio, certamen promotum ab Arnaldo, aliiſque miſerè Ianſenium depereuntibus, quorum nonnulli affirmabant, utcumque Infallibilis habenda ſit Pontificia Definitio quò ad Quæſtionem Iuris, errare certè illam poſſe quò ad Controverſias Facti. Ad Factum autem, non ad Ius, pertinere Declarationem, quod Propoſitiones illæ ſint in Libro Ianſenii, & in ejuſdem Senſu damnentur. Antonius quoque Arnaldus Ius ipſum a Petri Cathedra definitum carpere adortus famoſam illam edidit Propoſitionem, qua exemplum illius, quod Ianſenius aſſeruerat in ſua Prima, de quorumdam Præceptorum obſervatione Iuſtis Impoſſibili, attulit in Divo Petro Chriſtum negante, defuiſſe tunc illi ſubiiciens Gratiam ſimpliciter neceſſariam ad conſtituendam Potentiam ſervandæ Fidei Divino Magiſtro ſuo. Sed ad Sorbonam delatis duabus Epiſtolis ejuſdam Arnaldi, & examini ſubjectis, ac deprehenſis continere quædam Catholicæ Fidei repugnantia, fruſtraque datâ ab amicis operâ ad eum in veritatis ſemitam revocandum, contumax idem, & ad tribunal detrectans accedere, fuit expunctus ex albo illius Academiæ Doctorum, & deinde in exilium a Rege amandatus.

Septuaginta e Supremo, ac e Secundo Gallicani Cleri ordine, atque inter hos *obſequentiſſimi*, ut ſubſcribunt, *& devotiſſimi Filii Cardinales Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Eccleſiaſtici viri in Generalibus Cleri Gallicani Comitiis congregati*, Epiſtolâ datâ ad Alexandrum VII. P. M. 2. Septembris 1656. & allata per extenſum in fine Opuſculi Lit. N. commemorant primò ſubdolas artes paucorum quorumdam, *qui de Ianſenii Doctrina nihil conſtitutum fuiſſe palam cum ſimularent, intimis animorum ſenſibus ex illius damnatione urebantur.*

Referunt deinde quid contra horum cavillationes ipſi præſtiterint (quod e ſuperius recenſitis Literis conſtat) *atque ad vindicandam Religionem ab infeſtis Calvinianæ hæreſeos ſectatorum molitionibus impetraverint a clementia Chriſtianiſſimi Regis Edictum, quo nefarios illorum conatus repreſſum iri ſibi meritò pollicebantur. Priorem curam exceptam fuiſſe*, dicunt, *ab alia illi germana ob erroris ſocietatem de profliganda Janſeniana Doctrina Brevis Apoſtolicis Majeſtate, quod frequenti cœtu legi, promulgari, in acta redigi, omniumque ſubſcriptionibus muniri decrevimus.*

Hæreſis *peremptoriam*, ideoque impotem falli, a ſe agnoſci dicunt, ut olim ab Africanis Patribus, Pontificiam Definitionem, *Eadem ſane mentis alacritate illud* (Breve)

Digitized by Google

ve) *ſuſcepimus, qua Concilii Africani Patres ab ipſis expetitam Zozimi Epiſtolam amplexi ſunt, quæ Pelagii, atque Cæleſtii errores, quas clanculum propagabant, peremptorio Decreto proſtravit.*

Notant ſubinde iiſdem artificiis tunc niti Janſenianos, quibus olim alii Hæretici uſi ſunt, ſed aliam quoque a Novis adjectam fuiſſe Priſcis incognitam artem, excogitatum videlicet diſcrimen inter Facti, & Iuris controverſiam. *Iiſdem*, inquiunt, *artibus graſſantur Novæ Sectæ Diſcipuli: ac præterea, ut a capitibus ſuis fulminis Apoſtolici amoliantur ictum (licet obfirmato animo Quinque Propoſitiones Ianſenio iterum abjudicent) ad Facti Quæſtionem, in qua Eccleſiam falli poſſe docent, controverſiam deducere nituntur.*

Indicant poſtea id, quod infra manifeſtè ſtatuemus, videlicet eſſe Definitionem Iuris, & non ſolius Facti, quod Ianſenianus Quinque illarum Propoſitionum Senſus, ipſa ſcilicet *Janſenii Doctrina* in illis incluſa, ſit hæretica. *Quas*, ajunt, *ingeniorum verſutias vera, prudentique verborum complexione infregit Breve Apoſtolicum, quod, tricis illis ſyllabarum ad umbratiles Scholarum Diſputationes relegatis, deciſioniſque auctoritate ad Juris Quæſtionem reſtricta, Doctrinam Janſenii, quam Opere ſuo illo explicuit, in Propoſitionum confixarum materia, Pontificia Conſtitutione damnatam fuiſſe declarat.*

Aliud deinde afferunt ſubterfugium, videlicet Auguſtini auctoritatem, cui adhærere ſe Ianſeniani per ſummum jactabant mendacium. *At enim, ut ſe Damnationi ſubducant, celeberrimum B. Auguſtini nomen obtendunt, cujus Doctrinæ ſe profitentur eſſe Sectatores, repudiato etiam, ſi res eorum ita ferant, ipſo Janſenio. Hujus tamen pravas, & detortas, quas ad Doctoris egregii locos adhibent, interpretationes amplectuntur: ſicque Magiſtrum illum optimum, a Cæleſtino laudatum, dum verbis colunt, adultero Senſu violant. Quod a nobis adnotari oportuit in actis de Brevis promulgatione confectis, ut eorum calliditatibus iretur obviam, quibus incautorum, & ſimplicium animis illudunt: ac ſi Auguſtinum aſſererent ipſi, a cujus tamen ſententia pertinaciter diſcedunt, quæ per Conſtitutionem de iis, quæ ſunt Regulæ Fidei adverſa, latam conſtabilita eſt: ſicque in priorem illam fulguriti Janſeniani erroris Damnationem recidunt.*

Poſt inſignem deinde, ac meritiſſimam laudem Alexandro tributam eò, quòd *fuiſſet particeps curarum, & præcipuus Innocentio Adminiſter in Hæreſi Janſeniana damnanda*, flagitant Reſcripta Apoſtolica, quibus, tanquam Irreformabilibus, inconcuſſam fidem adhibendam cum Auguſtino conclamant. *Finita*, inquiunt, *eſt Cauſa Reſcriptis Apoſtolicis: utinam finiatur & error; ſi licet verbis Auguſtini vota noſtra concipere, quorum compotes erimus, ſi Alexandri VII. Pontificis Maximi Sanctitas juxta veterem ritum Divino Numini illa conſecraverit.*

§. XIII.

Alexander VII. declarat Quinque Propoſitiones excerptas fuiſſe ex Libro Janſenii, atque damnatas in ejuſdem Janſenii Senſu.

Quam novam Janſenianorum Claſſem, præter proſcriptam ab Innocentio X., anathemate perculerit Alexander.

PRodivit 16. Octobris 1656. optatiſſima illa Catholicis omnibus Conſtitutio extans in fine Opuſculi, Lit. O. quam ſic orditur Chriſti Vicarius. *Ad Sanctam Beati Petri Sedem, & Univerſalis Eccleſiæ Regimen*: contra illos, quos *Perturbatores publicæ tranquillitatis, & Filios iniquitatis*, appellat. In ea exponit, quìd hujuſmodi homines *ad eludendam* Innocentianam contra Ianſeniſtas Bullam *in vulgum ſpargere non erubeſcant*, videlicet *vel Quinque confixas Propoſitiones in Libro Janſenii non reperiri, ſed fictas, & pro arbitrio compoſitas eſſe: vel non in Senſu ab eodem intento fuiſſe damnatas.*

Narrat deinde ſe tunc S. R. E. Cardinalem *omnibus illis Congreſſibus interfuiſſe, in quibus Apoſtolica Auctoritate Cauſa illa diſcuſſa fuerat eâ profectò diligentiâ, qua major deſiderari non poſſet*. Declarat novam a ſe publicari Conſtitutionem *ad defendendam Catholicam Fidem*, quam impugnabant doloſi Innocentianæ Conſtitutionis Interpretes. *Nihil*, inquit, *nobis antiquius ex Muneris noſtri debito eſſe duximus, quàm ut Sanctæ Fidei noſtræ, & Sacrorum Dogmatum integritati tradita nobis a Deo Poteſtate opportunè conſuleremus. Ac licet ea, quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus abunde fuerant definita, novæ Deciſionis, ſive Declarationis acceſſione nequaquam indigeant, quia tamen aliqui Publicæ Tranquillitatis Perturbatores illa in dubium revocare, vel Subdolis Interpretationibus labefactare non verentur.* Affirmat igitur Alexander extitiſſe tunc Subdolos Interpretes Innocentianæ Conſtitutionis, quos ipſe tanquam veros Ianſenianos Pontificiâ Cenſurâ perſtringit, veluti curantes evertere Damnationem Quinque Ianſenii Propoſitionum, quas cum tuerentur tanquam veras, ideoque jam eſſent ab Innocentio proſcri-

ſcripti, nihilominus conabantur ſpeciem Catholicorum præſeferre.

Poſt inſertam deinde totam Innocentii Conſtitutionem affirmat Alexander eam a ſe penitus confirmari contra captioſas Interpretationes eidem attributas: atque hoc præſtare *pro conſervanda Fidei Unitate*, a qua proinde ſupponit ſeparari *Filios illos Iniquitatis*, videlicet latere optantes Ianſenianos, qui ſubdolè, atque malignè Innocentiana Decreta explicabant. *Cum autem*, inquit, *ſicut accepimus, nonnulli Iniquitatis Filii prædictas Quinque Propoſitiones vel in Libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii non reperiri, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe: vel non in Senſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum Chriſti Fidelium ſcandalo non reformident: quamcumque Dubitationem ſuper præmiſſis in poſterum auferre volentes, ut omnes Chriſti Fideles in ejuſdem Fidei Unitate ſeſe contineant, ex debito Paſtoralis Officii, ac matura deliberatione, præinſertam Innocentii Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, Declarationem, ac Definitionem, harum ſerie confirmamus, approbamus, & innovamus.*

Declarat exinde a ſe Propoſitiones illas damnari in Senſu Ianſenii, atque hoc a ſe fieri, ſicut immediatè ante profeſſus fuerat, *ex Debito Paſtoralis Officii*, atque ideo ex Cathedra. Definit igitur, ut Eccleſiæ Magiſter, hæreticas eſſe Propoſitiones illas in Senſu Ianſenii, ac hæreticos proinde eſſe illos, qui obdurato Veritatem hanc animo inficiari audeant. *Et quinque illas Propoſitiones ex Libro præmemorati Janſenii Epiſcopi Yprenſis, cui Titulus Auguſtinus, excerptas, & in Senſu ab eodem Cornelio Janſenio intento, damnatas fuiſſe, definimus, & declaramus: & uti tales, inſtà ſcilicet eâdem ſingulis notâ, quæ in prædicta Declaratione, & Definitione unicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus.*

Supervacaneum cenſuit Pontifex Sapientiſſimus *expreſſè*, *& ſignatè* profiteri, quod ſuæ Poteſtatis eſſet definire illa, quæ ad Facti Controverſiam pertinere Ianſeniani jactabant, tum quia Quæſtio Senſus ſpectabat ad Ius, ut quamprimùm demonſtrabimus: tum quia, ſi Facti quoque ea Quæſtio aliqua ex parte fuiſſet, certè tamen erat ejuſmodi, ut Præceptori Eccleſiæ, imperanti aſſenſum ſuæ Deciſioni præſtandum, obedire firmiſſimè obſtringerentur omnes, ut oſtendemus.

Pernego præterea declaratum ſatis ab Alexandro non fuiſſe, quod ſuum ad Munus pertinerent illæ, quas edidit, Definitiones, nam eas proferens præſumpſit apertiſſimè, ac, ſaltem *implicitè, atque exercitè*, proteſtatus eſt ad illas publicandas protendi Iuriſdictionem, & Magiſterium ſuum. Imò palàm edixit hoc ipſum, dum poſt recenſitas Ianſenianorum verſutias, urgeri ſe affirmavit *ex debito ſui Paſtoralis Officii* ad eas damnandas, ideſt, ad arcendas Oves a pabulo venenatæ Doctrinæ, quæ in Ianſenii Libro continebatur.

Præcipit demum Patriarchis omnibus, cæteriſque Antiſtitibus, ut Tranſgreſſores Conſtitutionis ſuæ (in qua de alia re nulla loquitur, præterquam de Fidei Integritate) puniantur tanquam Hæretici. Ex hoc autem manifeſtè liquet, quod quamvis Ianſeniani affirment cenſeri ſe non poſſe hoſtes Eccleſiæ, eò quòd Apoſtolicæ Sedi negent Infallibilitatem quò ad Facti Controverſias, qualem aſſeverant eſſe illam de Senſu Janſenii; nihilominus Alexander VII. P. M. illos tamquam Hæreticos Cenſurâ ſuâ perſtrinxit, & Eccleſia omnes Alexandrinæ Conſtitutionis Declarationes ultro ſuſcepit. *Mandantes omnibus Chriſti Fidelibus, ne prædictam Doctrinam teneant* (videlicet, quod Hæreticæ non ſint Quinque Propoſitiones in Senſu Ianſenii) *prædicent, doceant, verbo, vel ſcripto exponant, vel interpretentur, publicè, vel privatim, palam, vel occultè, imprimant, ſub Pœnis, & Cenſuris contra Hæreticos in Jure expreſſis ipſo facto, abſque aliqua Declaratione, incurrendis.*

Præter illos igitur, quos Hæreticos Innocentius X. declaraverat, alii quoque in Rebellium Claſſem ab Alexandro relati ſunt. Ianſeniani quidem ſunt omnes, ſed diverſam viam pro defendendo Ianſenio ineuntes; illos quippe invaſerat Innocentius, qui manifeſta rei veritate adacti fatebantur extare Propoſitiones illas in Ianſenii Volumine, nec de Senſu ejuſdem Voluminis poterant dubitare; ſed Hæretici erant in eo, quod veras eſſe Propoſitiones illas in Senſu Ianſenii opinarentur, & affirmarent erraſſe in iis confingendis Innocentium, & a decepta Eccleſia perperam fuiſſe ſuſceptam Apoſtolicam Definitionem. Alii verò, quos Perduellibus *Iniquitatis Filiis* accenſuit Alexander, pernegabant damnari potuiſſe, ac fuiſſe damnatas Propoſitiones illas in Senſu Janſenii, atque in alias prorſus diverſas irruiſſe Pontificium Fulmen affirmabant, quas in una ex famoſis tribus Columnis exhibebant: ſique Senſum quoque Ianſenii proſcribere intendiſſent Innocentius, & Alexander, in hoc deceptos illos fuiſſe, ac in errorem Eccleſiam induxiſſe.

§. XIV.

§. XIV.

Summo cum plauſu ſuſcipitur à Catholicis Pontiſicia Conſtitutio, tanquam Infallibilis, non ſine fremitu Hæreticorum.

VIx unquam aliàs tam apertè patuit Infallibilem ab Eccleſia exiſtimari Præceptorem ſuum Petri Succeſſorem, & Aſpectabile Caput Myſtici Corporis Chriſti Domini, quàm cum ab Apoſtolica Sede prodiverunt Innocentianæ, ac Alexandrinæ contra Ianſenianos Conſtitutiones. Illico enim omnes, quæ Catholico Nomine gloriantur, utriuſque Orbis, videlicet nuper quoque detecti, Regiones, Epiſcopi, Academiæ, Reges, cæterique Principes, ultro illas, tanquam e Cælo miſſas ab Apoſtolorum Principe amplexi, ac venerati obſequentiſſimè ſunt. Nullus fuit, qui a Generali aliquo Concilio expendendas illas eſſe, vel ſaltem præcipuorum examini Epiſcoporum ſubiiciendas eſſe, muſſitaverit. Illi quoque Doctorum Virorum Cœtus, quorum aliqui diverſis in temporum, aut rerum articulis non eſſe penitus Irreformabiles Pontificias Fidei Declarationes ante Conſenſum Eccleſiæ, vel poſtea hoc ipſum temerè aſſeruerunt, nihil ſimile de latis in Ianſenianos Sententiis affirmarunt.

Ianſenii ſolummodo Sectatores tanquam geminato vulnere ſciſſi Serpentes contrita membra iterum coagmentare conati ſunt, neque a ſpargendo ſacrilegis e faucibus veneno deſtiterunt. Præſertim verò illis, quas expoſuimus, verſutiis ad diſſimulandos Ianſenianos errores utebantur, qui cum præcipuè per Belgium, ubi exorti fuerant, ſerperent, ad ejuſdem Gubernatorem Ioannem Auſtriacum amantiſſimas dedit Literas Alexander illum hortatus ad eos frænandos, *qui magno cum audientium Scandalo, ac pernicie, damnatas jampridem ab hac Fidelium omnium Matre, ac Magiſtra* (Apoſtolica videlicet Cathedra) *Cornelii Janſenii Yprenſis olim Epiſcopi Sententias, aliò Sanctæ hujus Sedis Senſum, ac mentem perversè trahentes, docere, & propugnare non verentur. Adeo enim palam apertum eſt quid de his Propoſitionibus Beati Petri Cathedra pronuntiaverit, decreveritque, ut vel graviter hanc contemnere, vel hujuſmodi homines ſe ipſos, atque alios ſeducere, neceſſe ſit: quodque ait Propheta, Bonum malum, ac Malum bonum dicere, ponentes Tenebras Lucem, ac Lucem Tenebras.*

§. XV.

Janſeniſtarum Libros damnat, & eorum eluſiones multipliciter refellit Alexander VII.

CIrcumferebantur ea tempeſtate octodecim Paſchalis, ideſt Ludovici Montalti, Epiſtolæ, in quibus, ut affirmant quatuor Epiſcopi, aliique Novem Theologi ad eas expendendas a Chriſtianiſſimo Rege ſelecti; quorum Atteſtatio habetur in fine Opuſculi Lit. P. Ianſenianæ Hæreſes propugnabantur: ſicut etiam in Notis Willelmi Wendrochii, & in adjunctis Diſquiſitionibus Pauli Irenæi, ſcilicet Antonii Arnaldi: *atque id ita manifeſtum erat, ut ſi quis hoc ipſum negaſſet, neceſſe foret vel non legiſſe, vel non intellexiſſe, vel certè non putare id hæreticum eſſe, quod a Summis Pontificibus damnatum fuerat ut Hæreticum.* Teſtantur præterea *maledicentiam, & petulantiam tribus illis Auctoribus adeo eſſe familiarem, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis Janſeniſtis, non Summo Pontifici, non Epiſcopis, non Regi, non præcipuis Regni Adminiſtris, non Sacræ Facultati Pariſienſi, non Religioſis Familiis*; ideoque dignos eſſe *illorum Libros pœna Libellis famoſis, & Hæreticis a jure conſtituta.* Eos omnes confixerat Alexander 6. Septembr. 1657. unà cum duabus Arnaldi Epiſtolis, aliiſque Ianſeniſtarum Opuſculis. Literas autem Provinciali directas a Paſchali Decreto quoque deinde ſuo Rex ita proſcripſit, ut, præter cæteras animadverſiones, infami etiam Carnificis manu palam comburi decreverit.

Archiepiſcopatu Pariſienſi propemodum vacante, cum procul a Regno ageret Cardinalis de Retz, magnus ejus Urbis Vicarius a Ianſeniſtis deceptus declaravit non obſtringi quenquam ad credendum, quod Quinque illæ Propoſitiones eſſent Janſenii, ac in ejus Senſu damnatæ. Certior rei factus Alexander per Literas in forma Brevis, quas integras damus in Enchiridii fine Lit. Q. graviſſimè illum coarguit tanquam mendacem, & Schiſmatis Auctorem. *In tuo*, inquit, *Edicto non minus temeraria, quàm mendaci, narratione profertur, tempore fel. rec. Innocentii X. non aliud actum fuiſſe, quàm inquiſitum, an Propoſitiones illæ Quinque de Gratia veræ, & Catholicæ, an potius falſæ, & Hæreticæ cenſendæ forent; cum eo planè tempore nedum de Propoſitionibus ipſis cognitio habita fuerit, verùm, quod e Janſenii Libro, Auguſtinus nuncupato, extractæ eſſent, & ita in Senſu ab eodem Janſenio intellecto dam-*

damnatæ , ut nos ipſi Conſtitutione noſtra 17. *Kal. Novemb.* 1656. *luculenter expreſſè declaravimus . Quod cum adeo falſum , patenſque mendacium in re tali aſſerere minimè veriti ſitis, ubique malorum Zizaniorum in agro Dominico Seminatores , Eccleſiæ Catholicæ Perturbatores, & , quod in vobis eſt , Auctores turpiſſimi Schiſmatis eſſe deprehendimini .*

Exponit poſtea Indolem Janſeniſtarum , obſtinationem, dolos, omniſque Divinæ, humanæque Poteſtatis contemptum. *Porrò autem* , inquiens , *ſi protervia in vobis dignoſcitur , Cavillationibus Subdolis , & circuitibus obviam eundi Eccleſiæ Definitionibus, quibus etiam totius Franciæ Epiſcoporum , & Prælatorum obſequium , & Zelus , & Chriſtianiſſimi Regis pietas tam anxiè præſtò eſt .*

Vicarium demum hortatur ad meliorem frugem permiſcens extremæ ruinæ minas imminentis omnibus, qui Univerſalis Paſtoris vocem audire detrectant. *Nos tamen Pontificiæ Charitatis manſuetudine nondum ſævâ viâ procedere , ſed paternâ clementiâ potius uti voluimus , ſperantes nimirum fore, ut Univerſalis Paſtoris vocem audituri ſaltem ſitis , & ſuis Literis acceptis Edictum ſtatim abrogaturi , ne Sanctæ hujus Sedis indignationem , & auctoritatis vim experiamini , memores verborum Dei : Omnis , qui ceciderit ſupra illum lapidem , conquaſſabitur : ſupra quem ceciderit , comminuet illum . Cæterùm vobis , ut bene agere velitis , intellectum , & reſipiſcentiæ Spiritum a Domino precamur .*

Aliud ſcripſit Alexander 29. Julii 1663. Pontificium Breve ad Epiſcopos Galliæ , quod extat in hujus Libri fine Lit. R. *non mediocri gaudio perfuſum fuiſſe dicens animum ſuum, quoniam acceperit illorum in dies creſcere numerum, qui recta ſapiunt ; decreſcere aliorum , qui a veritate auditum avertunt , & variis inanium interpretationum argumentis decepti Decretis Apoſtolicis refragantur. Is fuit egregius ſanè laborum veſtrorum fructus ,* (orationem convertit ad Epiſcopos) *majoris ſcilicet, & potioris partis , ut multi , iique cæterorum nomine primarii, exemplo veſtro, conſilio , & opera , ad ſaniorem Doctrinam inducti , ea, qua par eſt , ut credimus, animi demiſſione ſeſe paratiſſimos exhibuerint ad illa omnia præſtanda , quæ ipſis a Sede Apoſtolica præſcribentur .*

Cæptum fœliciter ab Epiſcopis opus felicius perficiendum ſperat , *implorato etiam , ſi opus fuerit , Regis Chriſtianiſſimi ſubſidio , cujus in hac præſertim cauſa maximus Zelus mirum in modum enituit : quod re vera , ut ſumma laude dignum reputamus , ita eidem maximæ gloriæ , & ſingulari apud Deum merito verſum iri judicamus .*

§. XVI.

Studia Regis , & plurimorum Antiſtitum Galliæ pro extinguendo Janſeniſmo infallibiliter damnato a Cathedra S. Petri , & contra ſubdolam oblationem Silentii .

QUid præſtiterit defendendæ Fidei ſtudioſiſſimus Rex , exponunt e Comitiis Pontifici Maximo Cardinalis Antonius Barberinus Præſidens , aliique Archiepiſcopi , & Epiſcopi Galliæ , qui ad ea confluxerant , conqueſti de aliis execrari Janſenianos errores detrectantibus. *Ubi primùm* (inquiunt in Literis ſignatis 2. Octobris 1663., quæ integræ dantur in Opuſculi calce Lit. S.) *Sanctitatis Veſtræ Breve datum* 29. *Julii* 1663. *in Galliam perlatum eſt , de his , quæ in eo continentur certior factus Rex noſter Chriſtianiſſimus pro ea, qua eſt, pietate, & in Hæreſim Janſenianam odio , ſtatim moneri voluit illius fautores , ut qui Literis ad Sanctitatem Veſtram eorum nomine miſſis omne obſequium fuerant polliciti, fidem ſincerè tandem liberarent . Hi paucis poſt diebus ſcripto ad Regem Chriſtianiſſimum miſſo declararunt , ſe Conſtitutionibus Apoſtolicis obtemperare ex animo , neque poſſe majoris obſervantiæ dare argumentum .*

Recenſent deinde illa , quæ præſtari juſſerat Rex , & præſertim expenſionem ſcripti traditi a Janſenii fautoribus . *Subinde Rex Chriſtianiſſimus juſſit convenire Cardinales , Archiepiſcopos , & Epiſcopos, qui tum aderant in Aula Regia , coram queis Sanctitatis Veſtræ Breve , ac Janſeniſtarum illud ſcriptum legeretur , ut eo diligenter perpenſo , & excuſſo, conſtaret, an id probandæ eorum Fidei ſufficeret .*

Referunt plauſum Alexandro datum ob paternam erga Eccleſiam Gallicanam charitatem , *qua Janſenianam Hæreſim , quæ ibi plurimorum animos veneno ſuo , veluti dira quædam peſtis , afflavit , omnino extinguere molitur .*

E ſcripto autem Janſeniſtarum in Quinque diviſo articulos , quod integrum ſeorſum mittebant , Quartum dumtaxat hiſce Literis inſerunt , *quo præcipuam offenſionis cauſam contineri* arbitrantur, *cum contra Janſeniani illo cumulatè ſuo tum officio , tam erga Sedem Apoſtolicam obſequio , ſe ſatisfacere aſſererent .*

Hæc porrò ſunt Quarti ejus Articuli e Gallico Idiomate in Latinum converſa verba : *Quod ſpectat ad Deciſiones Facti , quæ continentur in Conſtitutione Alexandri VII., quibus definitum eſt , Quinque Propoſitiones*

ex

ex Janſenii Libro excerptas eſſe, ac in ſenſu ab eodem Auctore intento damnatas, declaramus, nos eas definitiones omni cultu, obſequio, & obſervantia, quam exigit a Fidelibus Eccleſia in ſimilibus cauſis, & in ejuſmodi naturæ rebus, proſequi, & ſemper eſſe proſecuturos: arbitrati ad privatos Theologos nullatenus pertinere in Sanctæ Sedis Deciſiones inſurgere, eas oppugnare, vel iis reſiſtere.

Obſequens igitur tantummodo *Silentium* ſpondebant (de quo plurima dicemus Quarto Libro hujus Secundæ Partis) non verò certum aſſenſum interiorem Pontificiæ Definitioni præſtandum. Meritò in eum *ſubdolum, & non Catholicum* loquendi modum invehuntur Antiſtites Sacra Comitia conſtituentes, cum dicant. *Mirifica noſtrum omnium, quotquot aderamus, in his verbis reprehendendis extitit conſenſio. Viſa ſunt enim ſubdola, ſimulatum dumtaxat obſequium præſeferentia, mente verſipelli, & callida concinnata, eòque pericoloſiora, quod Formulæ, ideo in Conventibus noſtris inſtitutæ, ut Veſtræ Sanctitatis Conſtitutioni debita reverentia magis, ac magis ſanciretur, uniformitatem diſſolvant, & evertant. Iſtud itaque Scriptum reiiciendum cenſuimus tanquam fictum, & nullatenus Catholicum, neceſſumque eſſe duximus, ut mentem apertius exponant, exprimantque luculentius implicatas animi cogitationes, cum ex eorum Scriptis, & Sermonibus, liquidò conſtet eos in id juxta incumbere, ut obſequium Silentio dumtaxat, non verò mutatâ Sententiâ, & Doctrinâ, ſignificent.*

Deſpondent exinde nihil ſibi tam fixum animo fore, quàm ſedulam curam, ut Conſtitutiones Apoſtolicas omnes ſeriò exequantur, quod conſecuturos ſeſe confidunt, *præſertim cum in eo toti ſint Janſeniſtæ, ne Quinque Propoſitiones e Cornelii Janſenii Libris excerptas, & in Senſu ab eodem Auctore intento damnatas ſyncero animo reiiciant, & damnent, parati aliàs ad omne obſequium erga Sanctam Sedem Apoſtolicam, dummodo illius Auctoris Doctrinam, ut Orthodoxam, non anathematizent. Porrò eorum pertinaciam ſe facilius fracturos confidunt Auctoritate Alexandri, ac Regis præſidio, quem habent non modò adjutorem, ſed & auctorem, & acerrimum Defenſorem:* cuique, addunt, *nunquam pares Principes in Religionis, & Sanctæ Sedis tuendæ ſtudio habitura ſit Eccleſia. Augurantur demum longævos Alexandro annos, ut Petri Navis, Janſenianæ Hæreſeos procellis jactata vehementius, in portu tandem ejus ductu fæliciter conquieſcat.*

Præterea 15. Julii 1663. Conventus ille ampliſſimus Encyclicam miſit Epiſtolam ad omnes Regni Epiſcopos, qua eos commonefacit hæreditatis a majoribus Gallicanæ Eccleſiæ relictæ Obſequii, & Obedientiæ præſtandæ Sancti Petri Succeſſori, exemplis plurimis ab ipſo initio receptę a Gallis Chriſtianæ Fidei petitis, & Sanctione Nationalis Synodi ſub Carolo Magno celebratæ. Ardentiſſimas faces eorum pectoribus admovet ad ultro ſeſe ſubiiciendos Apoſtolicis Definitionibus inhærentes veſtigiis veterum Galliæ, totiuſque Catholici Orbis Antiſtitum, inter quos recenſet normam traditam a S. Alcimo Avito Viennenſi operam ſuam contra Arianos Sancto Pontifici Hormiſdæ deferente: a S. Auguſtino *finitam eſſe Cauſam* affirmante poſt S. Innocentii Declarationem: a S. Alexandro Patriarcha Alexandrino de Ario S. Sylveſtrum conſulente: ab altero pariter Alexandrino S. Sixtum de Sabellio: a S. Cyrillo de Neſtorio S. Cęleſtinum: ab Epiſcopis Cypri S. Theodorum de tunc exortis in illo Regno Hęreticis. Quemadmodum autem Antiqui illi Sanctitate, ac Sapientia inclyti Præſules poſt accepta a Vaticano veritatis Oracula nullum diſputandi locum reliquerant Heterodoxis, ita tunc eſſe inſiſtendum Regulæ S. Cæleſtini, qui, ut refert S. Proſper, audire amplius noluit proſcriptum Cæleſtium, *ſciens damnatis non examen Judicii, ſed ſolùm pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum.*

Sub idem tempus duo Sorbonæ Doctores ſuo, & aliorum quorumdam, de quibus coorta erat ſuſpicio, nomine Convenarum Epiſcopum exorarunt, ut communem exciperet proteſtationem, qua Pontificis Alexandri Decretis parituros ſeſe ſpondebant; ſed eadem deprehenſa poſtmodum eſt doloſè contexta, neque enim ad affirmandum, quod Errores eſſent in Janſenii Volumine, inque illius Senſu meritò damnati, protendebatur.

§. XVII.

Præſcribit Alexander Formam declarandæ Fidei. Clemens IX. jubet ſervari ſuorum Prædeceſſorum Decreta.

PEr ſuum in Urbe Oratorem Chriſtianiſſimus Rex Alexandro Pontifici Maximo exponi curavit, nullum aliud opportunius remedium peſtiferæ contagionis Janſenianæ Hæreſis reliquiis extirpandis adhiberi poſſe, quàm ſi omnes certam Formulam ſubſcriberent Apoſtolica Auctoritate firmatam, in qua Quinque Propoſitiones ex Janſenii Libro excerptæ ſyncerè damnarentur; ac proinde illam quantocius ab Eccleſiæ Ma-

Magiſtro expediri ad quælibet effugia præcludenda, omneſque removendos obtentus, flagitavit.

Formulam eam præſcripturus Alexander Conſtitutione edita Kal. Martii 1664., quæ tota extat in fine Opuſculi Lit. T. præclarè primò pingit indolem Hæreſis illius dicens eam, in Galliis præſertim, ſerpentem ab Innocentio X. fel. rec. ferè oppreſſam, *adinſtar Colubri tortuoſi, cujus caput attritum eſt, ire in varios gyros, & cavillationum deflexus*: obliquis enim itineribus ſubducere ſe conabatur in latebras doloſus hic ſerpens, ne lapidibus appeterentur ſemimortua ſua membra, ex quibus ſuperſtitibus nova fortaſſe non fabuloſæ hydræ capita ſuboritura eſſent.

Statuendam porrò a ſe Formulam Fidei ſubſcribi diſtrictè mandavit Alexander *ab omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, necnon aliis quibuſcumque Eccleſiaſtici Ordinis tam Regularibus, quàm Secularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliiſque Collegiorum Rectoribus, atque Magiſtris*.

Formula verò eſt ea, quæ ſequitur. *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die* 31. *Maii* 1653. *& Conſtitutioni Alexandri VII. datæ* 16. *Octobris* 1656. *Summorum Pontificum, me ſubiicio, & Quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii Libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in Senſu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſyncero animo reiicio, ac damno, & ita juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia*.

Clarius, & brevius nihil formari potuit, ideoque mirificè Catholicis omnibus arriſit Pontificia Definitio, & Conſtitutionem ab omnibus admitti producto in longum ſeveriſſimo Edicto, quoſcumque tergiverſandi prætextus intercludente, Chriſtianiſſimus Rex imperavit, idemque Decretum inſertum eſt Regalis Curiæ perpetuis Actis.

Formularii ejuſdem ſubſcriptio fatale quodammodo indicium fuit eorum, quæ in animis deliteſcebant. Ferè omnes Alexandro Servatoris vices agenti obtemperarunt: nec defuere tamen, qui refragarentur, & inter hos Epiſcopi Quatuor, quorum publicata typis ſubterfugia, ſimul cum aliis Janſenianorum Libellis, damnata ſunt a Sac. Indicis Congregatione 18. Januarii 1667.

Ut eos ad parendum adigerent, plurimùm laborarunt electi Mediatores, Archiepiſcopus videlicet Senonenſis, & Epiſcopi Catalaunenſis, & Laudunenſis, quibus cum viſum fuiſſet ſeſe confecutos, ut alii nomen ſuum Formulario addidiſſent ſyncerè, juxta Innocentii, & Alexandri Pontificum Intentionem, & abſque Exceptione, aut Reſtrictione ulla, de hoc a ſuo in Galliis Nuntio admonitus Clemens IX., qui paulò ante demortuo Alexandro ſucceſſerat in Petri Sede, gratulatorias ille Literas dedit ad Regem Chriſtianiſſimum, ad Senonenſem, alioſque duos Antiſtites: nec dedignatus eſt aliâ Epiſtolâ compellare quatuor illos, qui viſi fuerant ſynceriſſimè amplecti Pontificia Decreta, deque illis a ſe ſignatis ipſum Clementem certiorem fecerant obſequentiſſimè. Hæ, aliæque Clementis IX. Literæ habentur in fine Libri, & aliæ ad illum, Literis V. X. Y. Z. AA. Sic ergo Epiſtolam in forma Brevis orditur datam 19. Januarii 1669. *Archiepiſcopus Thebarum Nuntius iſthic noſter miſit ad nos elapſis diebus Fraternitatum veſtrarum Epiſtolam, in qua cum ingenti obſequii nobis, & huic Sanctæ Sedi per vos debiti teſtatione ſignificabatis, vos juxta præſcriptum Literarum Apoſtolicarum a fel. rec. Prædeceſſoribus noſtris Innocentio X., & Alexandro VII. emanatarum, ſyncerè ſubſcripſiſſe, & ſubſcribi feciſſe Formulario in ejuſdem Alexandri VII. Literis edito*.

Subjicit deinde fidem a ſe adhiberi nuperis eorum apertiſſimis Proteſtationibus; alioqui enim Exceptionem, aut Reſtrictionem nullam admittendam fuiſſe a ſe, qui lata a Prædeceſſoribus ſuis Decreta non probabat ſolùm utcumque, ſed etiam validiſſimè confirmabat. *Etſi autem*, inquit, *quædam de hac re ſecus circumlata occaſionem nobis præbuerant in tam gravi negotio ſerius procedendi, nam dictorum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus firmiſſimè inhærentes, nullam circa illud Exceptionem, aut Reſtrictionem admiſſuri unquam fuiſſemus; in præſens tamen, cum nova, & gravia iſthinc acceperimus documenta veræ, & totalis obedientiæ veſtræ, qua & Formulario ſyncerè ſubſcripſiſtis, & damnatis abſque ulla Exceptione, aut Reſtrictione Quinque Propoſitionibus in omnibus Senſibus, in quibus a Sede Apoſtolica damnatæ fuerunt, alieni prorſus eſtis a renovandis in hac re Erroribus illis, qui ab eadem damnati ſunt, tribuere vobis volumus hoc paternæ benevolentiæ noſtræ argumentum*.

Graviſſimè demum illos hortatur ad evellendas omnes, ſi quæ ſuperſint, ex agro Dominico Hæreſis Janſenianæ radices. *Fidentes planè Divinæ Gratiæ, ac virtuti, & pietati veſtræ, quod omni conatu facturi ſitis in poſterum, ut ſynceræ obedientiæ, ac ſubmiſſionis a vobis in hoc actu nobis præſtitæ plenitudo ſemper magis appareat, doctrinam, ac probitatem veſtram in id potiſſimùm adhibentes, ut unà cum obſequio nobis, & huic Sanctæ Sedi per vos debito Catholicam Veritatem firmiter*

ter tueamini, Zelo, curæque Pontificis ſedulò cooperantes in extirpando ab Eccleſia Dei novitates omnes, ac perturbationes Fidelium Animarum.

Ad ea, quæ contra Pontificias has Clementis IX. Literas, quaſi aliquid Janſenianorum Effugiis indulgentes, nonnulli jactarunt, reſpondebimus Libro Primo Partis Tertiæ, ubi aliæ quoque omnes Perturbatorum Eccleſiæ Cavillationes diſſolventur. Et alia Brevia Lit. CC. DD. ſubjiciemus Clementis IX. Janſeniſmum ardenter inſectantis.

Didita tunc ſama eſt per externa Regna ſtatutam in Galliis fuiſſe Eccleſiæ Pacem, & animum Janſenianos deſpondiſſe deſtitutos eo, quo prius nitebantur, Epiſcoporum quorumdam præſidio. Sed paulò poſt innotuit ſynceram non ſuiſſe Præſulum illorum quatuor, & aliorum ex inferiori hominum claſſe plurimorum, fidem, qui ſuum Formulario Alexandrino adjecerant nomen, & obſtinato Gallos multos, & Belgas animo inficiari, quod errandi periculo ſubjecta non eſſet Pontificia Definitio quò ad Quæſtiones Facti, quales eſſe aſſeverabant illas de Quinque Propoſitionibus extantibus, necne, in Libro Janſenii, deque iiſdem in ejus Senſu damnatis. Hæreticos proinde cenſeri ſe non poſſe affirmabant, qui quò ad hæc non admitterent Deciſionem Pontificis Maximi, a quo prodeuntem aliam circa Jus venerarentur, videlicet, ajebant, circa confixionem Propoſitionum earumdem in Senſu Calvini.

Eò progreſſa eſt plurimorum audacia, ut Janſeniſmum non eſſe Hæreſim, ſed Phantaſma quoddam ab hoſtibus Diſcipulorum S. Auguſtini, præſertim verò a Jeſuitis, confictum, imponi a ſe poſſe univerſo mortalium generi non deſperaverint. Fabula hujuſmodi, quæ interire ſtatim debuiſſet, pervagata eſt diu multumque, cum interim, qui eam ſpargebant, Hæreticarum Janſenii Propoſitionum acerrimos ſe eſſe Defenſores editis in vulgus Voluminibus, Libelliſque innumeris, apertè oſtenderent.

§. XVIII.

Alexander VIII. damnat plurimas Janſeniſtarum Opiniones.

Sicuti non omnes Pontifices novis Conſtitutionibus inſectantur aliorum Hæreticorum perfidiam, neque recentia quotidie cudunt Decreta contra Lutherum, Calvinum, aliosque Perduelles ampliſſimè proſcriptos a Deceſſoribus ſuis: ita ſuperſederunt nonnulli a novis anathematiſmis jaciendis in Janſenianos ſatis everſos ab Urbano VIII. Innocentio X. & Alexandro VII. Sed cum eorum temeritas, qui vel erupiſſe nunquam ab Inferis jactabant Hæreſim Janſenianam, vel certè ab Orbe terrarum evanuiſſe, demonſtraret editis nefariis Libris illam nimium quantum ſupereſſe adhuc, atque vigere, neceſſarium cenſuit Alexander VIII. Pontifex ſapientiſſimus unam atque Triginta illorum Propoſitiones damnare; quod præſtitit Decreto edito 7. Dec. 1690.

Ad quaſdam eas revocabimus claſſes, nam 31. v. g. eos proſcindit, qui contra Primam Janſenii damnationem frementes affirmaverant *Bullam Urbani VIII. In Eminenti eſſe ſubreptitiam.* Janſenii Propoſitiones tuebantur 1. 2. 4. 5. & 6. ab Alexandro damnatæ, videlicet: 1. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale, & demeritum, ſufficit illa Libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in Cauſa ſua Peccato Originali, & voluntate Adami peccantis.* 2. *Tametſi detur ignorantia invincibilis Juris Naturæ, hæc in ſtatu Naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.* 4. *Chriſtus dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.* 5. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum; adeoque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni Gratia Sufficienti.* 6. *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm perniciosa eſt ſic, ut proinde meritò poſſimus petere: A Gratia Sufficienti libera nos, Domine.*

Nonnullæ inſtaurant errores alios in Bayo damnatos, ut 7. *Omnis humana Actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi. Si Dei, Charitas Patris eſt: ſi mundi, concupiſcentia carnis eſt, hoc eſt mala eſt.* 8. *Neceſſe eſt Infidelem in omni opere peccare.* 11. *Omne, quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.* 12. *Quando in magnis Peccatoribus deficit omnis Amor, deficit etiam Fides: & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.*

Plurimæ ſpectant ad Rigorem Summum, quo Janſeniſtæ gloriantur arrogantes ſibi munus Eccleſiæ reformandæ; ſed eo ferè pacto, quo Reformatæ Sectatores Eccleſiæ ſe nuncupant Calviniani; in hoc enim præcipuè ſtatunnt revocationem ad meliorem formam, ut rariſſimè Fideles accedant ad ſuſcipienda Divina Sacramenta; ideoque perversè decreverant ea, quæ damnantur in Propoſitione 3. videlicet: *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.* In 9. *Re vera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & diſ-*

convenientiam cum natura ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu: In 10. *Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum merè, ut cæleſtem obtineat Gloriam, non eſt recta, nec Deo placens*. In 13. *Quiſque etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, Charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet Beatitudinis operetur*. In 14. *Timor Gehennæ non eſt ſupernaturalis*. In 15. *Attritio, quæ Gehennæ, & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis*. In 16. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti Lex, & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante*. In 17. *Per illam praxim mox abſolvendi ordo Pœnitentiæ eſt inverſus*. In 18. *Conſuetudo moderna quò ad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu*. In 19. *Homo debet agere totâ vitâ pœnitentiam pro peccato originali*. In 22. *Sacrilegi ſunt judicandi, qui Jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint*. Et in 23. *Similiter arcendi ſunt a Sacra Communione, quibus nondum ineſt Amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers*.

Præter illas, quæ ſpectant ad conficienda Sacramenta, & enormes omnino ſunt, v. g. 27. *Valuit aliquando Baptiſmus ſub illa forma collatus: In nomine Patris &c. prætermiſſis illis: Ego te baptizo &c*. Et 28. *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat; intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit: Non intendo, quod facit Eccleſia*: Et una vergens ad Hæreſim Iconomachorum, ſcilicet 25. *Dei Patris ſimulachrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare*. Peculiari etiam animadverſione dignæ videntur, quæ graviſſimam injuriam inferunt Religioſis viris, quos præcipuè contra ſe pugnantes Janſeniani execrantur, videlicet 20. *Confeſſiones apud Religioſos factæ pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ*. Et 21. *Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſinis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis*.

Quid illæ, ſumma, & Hæreſi proxima, niſi verius Hæretica temeritate ſuperbiæ cornua attollentes contra Apoſtolicam Sedem? Scilicet 29. *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Œcumenicum Auctoritate, atque in Fidei Quæſtionibus Infallibilitate*. Ac 30. qua, ſpretis omnibus Pontificiis Definitionibus, propugnari a ſe poſſe Janſeniſmum, per vendicatum ſibi per incredibilem jactationem S. Auguſtinum, opinantur, ſcilicet: *Ubi quis invenerit Doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam*.

Quid demum deteſtabiles illæ blaſphemiæ, ac Hæreſes, contra Deiparam, Divinumque illius Filium expreſſæ in 24. *Oblatio in Templo, quæ fiebat a Beatiſſima Virgine Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quod indiguerit Purificatione: & quod Filius, qui offerebatur, etiam maculâ Matris maculatus eſſet ſecundùm verba legis*. Et 26. *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt*. Ex his Propoſitionibus, præter alias Notas, aliquæ declarantur reſpectivè *Hæreticæ*.

Grande vulnus Janſeniſmo inflictum eſt nefariarum hujuſmodi Propoſitionum proſcriptione, ob quam Octavus Alexander ad ſimile gloriæ faſtigium evectus eſt illi, quod Septimus Janſeniſtarum debellator fuerat aſſecutus.

§. XIX.

Innocentius XII. Literis datis ad Epiſcopos Belgii confirmat ſuorum Deceſſorum Decreta, jubetque Alexandrinam Fidei Formam in Obvio, proprio, & nativo Senſu præſtari.

PLurimi rebelles Cæleſti Lumini allato a Pontificia, quam ſcripſerat Alexander VII. Fidei Forma miſerrimè ſe ipſos decipientes ad. Senſus abſurdiſſimos detorquebant ejuſdem verba, non diverſos tantùm, ſed etiam diſparatos, imò & repugnantes nativæ ſignificationi eorumdem verborum. Ad hos compeſcendos prodiit hujuſmodi Decretum 28. Januar. 1694. *Sanctiſſimus D. N. D. Innocentius XII. auditis votis DD. Cardinalium, ad præcavendas omnes diſſidiorum cauſas, quæ Chriſtianam pacem dilacerant, tam verbis, quàm ſcriptis, ſuper interpretatione, ſeu declaratione Formularii Alexandri VII. in condemnationem Quinque Propoſitionum ex Libro Cornelii Janſenii, cui Titulus eſt, Auguſtinus, excerptarum, & damnatarum, quoſcumque alios Senſus Formularii prædicti, præter eum, quem in Senſu Obvio ipſius verba exhibent, aſſerri, uſurpari, aut de his diſputari, interdixit, & prohibuit &c.*

Obvium

Obvium igitur illum eſſe Senſum declarat, quem *ipſa verba* juxta propriam, nativam, & communem ipſis tributam ab antiquo, receptiſſimoq; hominum placito significationem ultro *exhibent*, circa quam ſignificationem nullus dubitandi locus ſupereſſe poteſt, niſi quis *diem* velit eſſe *noctem*, ac *lucem* vertat in *tenebras*. Quamcumque autem diverſam Interpretationem, præter omnibus obviam eorumdem verborum, ac diverſum proinde ab obvio Senſum earumdem Propoſitionum ex Janſenil Libro excerptarum, cuilibet ſeveriſſimè vetat, Libroſque omnes, qui editi, aut edendi fuiſſent, pro tribuendo diverſum ab obvio Senſum Formularii verbis. Integrum extat hoc Decretum in fine Voluminis Lit. EE. & deinde Lit. FF. GG. habentur Brevia Innocentii XII. de quibus mox agemus.

Quoniam autem admonitus per Literas fuit a Belgii Epiſcopis tradi adhuc a multis abnormes Interpretationes tum Innocentianæ, atque Alexandrinæ Conſtitutioni, tum ejuſdem Alexandri Formulario, in Literis ad eos datis in Forma Brevis 6. Febr. 1694. confirmat prius hæc omnia Deceſſorum ſuorum Decreta, quæ *Inutilia* reddi ſatagebant hoſtes veritatis peſſimis Interpretationibus ſuis, *non ſine gravi animarum detrimento*. *Cum autem*, inquit, *maximæ nobis curæ eſſe debeat, ut ſemper firmæ Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones permaneant in rebus, quæ ad Orthodoxæ Fidei Integritatem conducunt, ad diſſidia omnia, quæ Eccleſiæ, & Fidelium pacem perturbant, compeſcenda, in primis prædictis Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. exemplo Prædeceſſorum noſtrorum firmiter inhærendo, eaſque in ſuo robore fuiſſe, & eſſe declarando, mandamus Epiſcopis, ut contra omnes, & quoſcumque cujuſlibet ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, qui auſu temerario prædictas Quinque Propoſitiones ſic damnatas in Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. publicè, vel privatim, tam in Scholis, quàm in Concionibus, verbo aut ſcriptis, defendere præſumpſerint, (ſervato tamen Juris ordine) procedant, eoſque debitis pœnis in eiſdem Conſtitutionibus contentis puniri curent.*

Tum æquiſſimè jubet, pietatem, & prudentiam adhiberi in exigendo juramento a ſubſcribentibus Alexandri Formularium, ne ullius famæ injuria perperam inferatur. *Injungimus*, ait, *ut pro veſtra pietate, & prudentia, facultate iſta, qua per Conſtitutionem Apoſtolicam muniti eſtis, ita Formularii ſubſcriptionem, ſeu Juramentum, ad praxim reducatis, ut in exigendo Juramento prædicto zelus, & charitas veſtra quam maximè eluceat, ne alicujus fama indebitè lædatur, aut detractionibus, & murmurationibus locus detur.*

Abſque ulla Diſtinctione, Reſtrictione, aut Expoſitione, Jusjurandum exigi jubens quodlibet occludit ſubterfugium illis, qui ſe præcipites dare nolint in ſempiternum exitium, cum Deus irrideri non poſſit, & Chriſti Vicarius clarioribus verbis mentem ſuam nequeat aperire. *Quare præcipimus, ut quemadmodum ij, qui ad Juramentum adigendi ſunt, illud præſtare debeant ſyncerè abſque ulla Diſtinctione, Reſtrictione, ſeu Expoſitione, damnando eas Propoſitiones ex Libro Janſenii excerptas in Senſu Obvio, quem ipſamet Propoſitionum verba præſeferunt, prout Senſum illum damnarunt Summi Pontifices Prædeceſſores noſtri, damnataſque haberi voluerunt a Chriſti Fidelibus.*

Quoniam verò Epiſcopi ſuggeſſerant addi poſſe Alexandrino Formulario verba quædam, hujuſmodi additionem improbat Innocentius, cum eſſet ſupervacanea: rurſuſque damnat quoſcumque alios Formularii Senſus, præter eum, quem ipſius verba per ſe exhibent, perpetuum Silentium imponens cuilibet alteri Interpretationi: *cum ad Summum Pontificem dumtaxat pertineat, Senſum, quem in his Propoſitionibus damnaverit, & ut damnatum a Fidelibus credi cenſuerit, declarare.*

Servari demum præcipit ordinem juris, neque fidem adhiberi vagis accuſationibus, niſi prius conſtiterit de juſta Janſeniſmi Suſpicione ad hunc, vel illum, excludendum ab Officiis, Muniis, Beneficiis &c.

Sicut e ſaluberrimo quovis pabulo Serpens venenum effingit, ita Janſeniani nonnulli fomentum peſtilenti ſuo morbo ſumpſerunt a verbis illis: *in Senſu Obvio*: ſubmurmurantes Obvium illum, & naturalem Senſum non eſſe Senſum Janſenii, adeoque ſe jurantes, quod reiiciant Propoſitiones illas in Senſu Obvio, ſtatuere poſſe apud animum ſuum, quod illas non execrentur in Senſu Janſenii. Admonitus de hac inteſtina eluſione quorumdam a Belgis Epiſcopis Innocentius ſapienter reſpondit altero Brevi 24. Novemb. 1696. *Mala, quæ quò ad Janſeniſmum expoſita fuerant, non procedere ex eo, quod Breve a ſè datum ulla prorſus indigeat explicatione. Quod ſi prætenſi Janſeniſtæ internè, & abſque eo, quod deveniunt ad ullum Actum Externum, dum jurant Formularium, non aliter damnent Quinque Propoſitiones, quàm in Senſu Obvio, non habito reſpectu Obvii Senſus dicti Formularii, ſuoque arbitrio effingant hujuſmodi Senſum Obvium, Eccleſia non judicat de Occultis, quæ ſoli*

Deo

Deo cordium Scrutatori innoteſcunt.

Cæterùm ſe confirmaſſe dicit Innocentii, & Alexandri Conſtitutiones, quibus declaratur Propoſitiones illas excerptas eſſe ex Libro Janſenii, & Hæreticas eſſe in ejuſdem Janſenii Senſu, qui Senſus ſit ille, *quem Obvium ipſa verba per ſe exhibent:* quo loquendi modo clarior nullus reperiri poteſt. Si contra apertiſſimam hanc Declarationem inteſtina quorumdam perſuaſio exterius appareat, contra illos, tanquam Perduelles, ab Epiſcopis procedi ad pœnas imperat Innocentius. *Sin verò iidem præſenſi Janſeniſtæ, voce, aut ſcriptis, edant proprios Senſus Apoſtolicarum Conſtitutionum, prædictique Brevis Senſui diſſentaneos, debent Epiſcopi prout de jure contra eos procedere non tantùm auctoritate ordinaria, ſed etiam ſpeciali facultate ipſis indulta a Conſtitutionibus Prædeceſſorum noſtrorum fel. rec. Innocentii X., & Alexandri VII. quas nos quoque confirmavimus, ita ut ſervatis ſervandis congruè puniantur, cum ea omnia facilè probari poſſint, quia agitur de Actibus Externis.*

Conqueritur deinde de Calumnia contra ſe ſuſcitata, quaſi *alteraſſet, aut reformaſſet* Conſtitutionem Alexandri VII. dicens, *ſe non ſine admiratione intellexiſſe auſos fuiſſe nonnullos affirmare a ſe priori Brevi alteratam fuiſſe, ſeu reformatam Conſtitutionem, & Formularium Alexandri VII. cum potius eo in Brevi utrumque ſpecificè confirmetur, & omnino intendat iiſdem adhærere, & nequaquam ſinere, ut aliquid addatur, vel dematur a Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, ſed quod in omnibus, & ſingulis, ad amuſſim obſervetur.*

§. XX.

Sanctiſſimus D.N.CLEMENS XI. Apoſtolicas Literas dat ad Regem Chriſtianiſſimum, & ad Cardinalem Archiepiſcopum Pariſienſem, contra Eluſores Pontificiarum Conſtitutionum, & ad univerſos Catholicos in partibus Hollandiæ, & Provinciarum conterminarum conſtitutos, detegens Perduelles ſub ſpecie Summi Rigoris in Morum Diſciplina Populum decipientes.

PRodierat in lucem æternis tenebris dignus Libellus, cui Gallicè titulus: *Cas de Coſciencè propoſe par un Confeſſeur:* quo quid contineatur mox explicabimus. Quam perniciem idem effet allaturus, mirificè declarat Sanctiſſimus D. N. Literis datis ad Chriſtianiſſimum Regem, & Cardinalem de Noailles, Apoſtolico Zelo eos urgens ad ſumendas pœnas de Libelli Auctoribus, deque illis, qui eumdem viſi fuerant approbaſſe. Literas ipſas Sanctiſſimi Patris allaturi in fine Opuſculi Lit. II. KK. LL. nunc inſignem fructum ex iis relatum innuimus, nam ex Quadraginta, quorum plerique decepti Sorbonæ Doctores nomen ſuum recenſuerant inter Libelli ejus Approbatores, duo tantùm ſuperfuerunt illud delere detrectantes, in quo Decreto ſi perſtitiſſent, extorres agendi erant a celeberrimo illo Collegio, ut jam exulare ferebantur ab Urbe præclara.

Juvat attexere, quid de Libello illo, cujus Damnatio affertur in fine Liter. HH. ſentire ſe profiteatur S. Facultas Pariſienſis in ſua edita Deliberatione, ſic enim hæc inſcribitur, in qua pariter apparet ejuſdem famoſi Libelli argumentum. Narrat primò, Auctorem peſtiferi Scripti opinari, *Clerico, qui ſubſcripſit Formulæ Alexandri, ſufficere Obſequium, quod vocant, Silentii, & Reverentiæ: ex quo ſequitur, licere ipſi aliter de hoc ſentire, quàm ab Eccleſia definitum eſt: intus credere, Eccleſiam in ea re definienda, nempe in damnando Janſenii Libro, & Senſu, erraſſe: falsò Hæreſim tribuiſſe Janſenio: pugnare ab Annis Quinquaginta, & amplius, adverſus Umbram: ſine cauſa ipſam tantopere conqueri: immeritò Sanctos Sacerdotes, pioſque Veritatis Defenſores ab ea vexari.* Subiicit deinde Sententiam ſuam. *Quæ omnia factioſæ opinionis conſectaria horrent aures piæ: Videre ſe*, dicit, *in diſcrimen adduci præcipua antiquæ ſuæ Doctrinæ, & Pietatis monumenta, nempe Cenſuram adverſus Epiſtolam Antonii Arnaldi latam Anno* 1656. *& Decretum ſuper Formula Fidei Anno* 1661. Cenſet, Opinionem illam, ex qua tot naſcuntur abſurda, eſſe *Temerariam, Scandaloſam, Injurioſam Summis Pontificibus, & Epiſcopis Galliæ, atque etiam præbentem occaſionem renovandæ ex integro poſt damnationem Janſenianæ Doctrinæ. Et in quantum eadem Propoſitio docet, illud Obſequium Reverentiæ, & Silentii ſufficere etiam iis, qui ſubſcripſerunt Formulæ Fidei, quæ adjunctum habet Juramentum ex Sanctione Alexandri VII. prædictis Notis hanc eſſe adiiciendam, ut & illam Facultas adiicit, nempe quod faveat Mendacio, & Perjurio.* Dum hæc Cenſura lata eſt, aderant in Sorbona Doctores ſupra centumquinquaginta.

Nihil ſupereſſe videbatur opportunius extinguendo Janſeniſmo, quàm ut Impietatis Magiſtrorum Hypocriſis detegeretur. Hoc autem flagrantiſſimo ſtudio incenſus eripiendi e Luporum faucibus Oves ſuas Supremus Paſtor Literis illis præſtitit, enimverò dignis, quæ a S. Leone Magno con-

contra Eutychianos decertante non abſimili facundia ſcriptæ fuiſſent, datis ad univerſos Catholicos in partibus Hollandiæ, & Provinciarum conterminarum conſtitutos. Liquebit ex iis, quas Lectorum oculis in Voluminis calce ſubiicio Lit. MM. qua Superbia, contumacia, livore, calumniis, conflati ſint illi, qui pro rigidiſſima in Eccleſiam revocanda Diſciplina laborare ſe dicunt. Sed Eutychiani quoque, aliique veteres Hæretici, inſignem exterius Vitæ Rigorem profitebantur, inter quos imaginem impii Neſtorii, quem *novum Judam* Epheſina Synodus dixit, ad Sanctitatis imitationem compoſitam graphicis deſcribit coloribus Theodoretus.

§. XXI.

Sanctiſſimus D. N. CLEMENS XI. confirmat, & innovat Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. editas adverſus Janſenianam Hæreſim, & novas adjicit Declarationes pro debita illarum obſervantia.

CORonam Polemicæ huic hiſtoriæ Janſeniſmi, & contra illum Certaminum Apoſtolicæ Sedis, imponamus narratione admirabilis, ac prope Divinæ Conſtitutionis extantis in fine Lit. NN. adverſus illum editæ a Sanctiſſimo Domino Noſtro 17. Kalendas Auguſti Anni 1705. Tam ſapiens, dilucida, & omnibus abſoluta numeris ca eſt, ut, niſi mentis oculos tandem aliquando Janſenii Sectatores aperiant, pluſquam cimmeriis eos tenebris conſepultos exiſtimari neceſſe ſit. Cum includat, quas ampliſſimè confirmat, Conſtitutiones Innocentii X. unam, & geminam Alexandri VII., loco ſuo afferendas in Operis fine, illam tantùm Clementinæ partem ultimo loco ſubiiciemus, quæ Sancta Regnantis Pontificis Mente concepta, Manuque exarata eſt. Non ſuis tantùm, Eccleſiæque indictis precibus ad eam publicandam, ſed & triduano ſe jejunio præparavit, Sacroque facto in Exquiliis ad Aram Deiparæ, quæ *cunctas hæreſes ſola interemit in Univerſo Mundo*, ejus præſidio ſupremum hoc fulmen contra Janſenianam intorſit.

Quædam animadvertemus ex innumeris, quæ in hac Conſtitutione ſunt notatu digniſſima. Quid illo illuſtrius Exordio: *Vineam Domini Sabaoth, quæ eſt Catholica Eccleſia, pro commiſſo Nobis divinitus Apoſtolicæ Servitutis munere* (Servitutem appellat Regimen ſuum, quod eidem alioqui ingratiſſimum ſolus perpetui Famulatus Generi Humano præſtiti immenſus labor ferendum reddit) *cuſtodire, atque excolere omni ſtudio, atque induſtria, jugiter ſatagentes, ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris ad ſuccreſcentes in illa pernicioſarum novitatum vepres, radicitus evellendos, prudenti ſalubrique conſilio conſtituta eſſe noſcuntur, ut, quibuſcumque Inimici Hominis molitionibus dejectis, firmius ſemper, atque exactius, obſerventur, Apoſtolici muniminis Noſtri præſidio libenter roboramus, atque alias deſuper ſolicitudinis, & providentiæ noſtræ partes interponimus, ſicut omnibus maturæ conſiderationis trutina perpenſis, ad fidelem, ac tutam Orthodoxæ veritatis cuſtodiam, necnon Animarum pretioſo Unigeniti Dei Filii Domini Noſtri Jeſu Chriſti Sanguine redemptarum ſalutem expedire in Domino arbitramur.* Nullam enimvero ſolicitudinis, & Providentiæ ſuæ partem omittit Sanctiſſimus Pontifex non pro conſervanda ſolùm Catholica Fide in Regionibus, in quibus eadem illibata viguit per plurima ſecula, ſed & pro illa reſtituenda Provinciis, & Regnis, per vetuſtum Schiſma, vel Hæreſes, ab eadem infœliciſſimè magna ex parte divulſis, & ad ultimos uſque Terrarum fines in Imperio Sinarum, & alibi, propaganda.

Poſt relatam deinde Alexandri VII. Conſtitutionem, cui altera Innocentii X. condemnans Famoſas Quinque Janſenii Propoſitiones inſerta eſt, & additam ſecundam ejuſdem Alexandri, publicatam, ut inquit Sanctiſſimus Clemens, *quò omnis Apoſtolicarum Definitionum eludendarum aditus intercluderetur*: & poſt ſubjectam Formulam Fidei ab Alexandro præſcriptam, diſertè pronuntiat Eccleſiæ Magiſter: *Sic equidem Cauſa finita eſt, non tamen ſic, ut par erat, finitus eſt error Apoſtolico toties mucrone percuſſus.*

Hoc oraculo declarari videtur Infallibilem eſſe in Fidei Articulis definiendis, & cum illa pugnante Senſu hæreticarum Propoſitionum, Apoſtolorum Principis Cathedram. Magnum inerat pondus verbis ſimilibus a S. Auguſtino quondam prolatis: *Apoſtolica Reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt. Utinam finiatur & Error.* Sed nulli, utcumque maximo, e Sanctis Patribus deſponſa eſt ab Inſtauratore noſtræ ſalutis illa, quam in Petro ejus quoque Succeſſoribus nunquam defecturam in Eccleſia erudienda Fidem ſpopondit. Cum igitur poſt allatas Innocentii, & Alexandri, Definitiones *finitam eſſe Cauſam* declaret Sanctiſſimus Clemens, nulli errandi periculo ſubjectam eſſe Apoſtolicam Sedem in damnando hæreticarum Propoſitionum Senſu præſumit. Eamdem illi adjudicaverant Infallibilitatē Octogintaquinque Galliarum Epiſcopi, dum obſequen-

ſequentiſſimè flagitaverant ab InnocentioX. ut declaratione ſua *caliginem omnem diſcuteret*, *animos fluctuantes componeret*, *diſſidia probiberet*, *Eccleſiæ tranquillitatem*, *ſplendoremque reſtitueret*. Et in altera Epiſtola, poſt acceptam Pontificiam confixionemHæreſis Janſenianæ,Apoſtolicæ Cathedræ plaudunt errare impoti, atque præſtanti Generalibus Synodis,quibus Fidei RegulamPontifices Maximi conſtituiſſent. *Doctrinæ*,inquiunt, *lucem recentioris illius Auctoris diſputationibus obſcuratam priſtino nitori reſtituit*, *juxta veterem Fidei Regulam ex Scripturis*,*&* *antiquaTraditione in Conciliis olim*, *&* *nuper*, *Auctoribus Summis Pontificibus conſtitutam*, *prolatum a Sanctitate Veſtra*, *poſtulantibus quampluribus Galliarum Epiſcopis*, *Decretum*.

Atque hoc ipſum ampliſſimè confirmat Ven. Gallicanæ Cœtus Eccleſiæ per verba ſupra relata §. 8. quibus enumerat Hæreſes una Summorum Pontificum Definitione, abſque ulla Conciliorum ope, proſcriptas, quam Definitionem *Vetuſtæ Ætatis Eccleſia cenſuerit Divina æquè*, *ac Summa Auctoritate niti*,*cui Chriſtiani omnes ex officio ipſius quoq;mentis obſequiū præſtare debeant*.Omitto alia ſimilia Gallorum effata Præſulum, ſancienda eſſe ſtatuentium Dogmata Fidei a Synodis, quando habentur, *juxta Capitula a Sede Apoſtolica tranſmiſſa*.

Narrat exinde Sanctiſſimus Pater obdurationem animi plurium etiam nunc aberrantium Janſenii aſſeclarum. *Neque enim*, inquit, *defuere*, *nec adhuc deſunt*, *homines Veritati non acquieſcentes*, *&* *nunquam Eccleſiæ contradicendi finem facientes*, *qui variis diſtinctionibus*, *ſeu potius Effugiis ad circumventionem erroris excogitatis*, *Eccleſiam ipſam turbare*, *eamque interminatis Quæſtionibus*, *quantum in ipſis eſt*,*involvere*, *&* *implicare conantur*. Quænam ſint præcipuæ *ex Diſtinctionibus*, *&* *Effugiis* iſtis declarat deinde, omittens interim ſapientiſſimo conſilio *interminatas* illas *Quæſtiones*, *quibus Eccleſiam involvere*, *&* *implicare conantur*. Non decuit enim eaſdem, penitus inanes, recenſeri a Pontificiæ Conſtitutionis majeſtate. Omnes falſiſſimo ſuppoſito nituntur, videlicet, quod nulla, præterquam meri Facti, Quæſtio ſoluta fuerit a Pontificibus Maximis in controverſia cum Janſenianis. In Facti autem Quæſtionibus errare illos poſſe dicunt, atque ipſa Concilia. Eidem deceptionis periculo ſubjectam eſſeEccleſiam quò ad Facta ipſa Doctrinalia. Divinam horum Fidem præſcribi non poſſe, quia non fuerint divinitus revelata. Nec prodeſſe, quod Humana,Scholaſtica,vel Theologica Fides imperetur. Hæ omnes,aliæque hujuſmodi Eluſiones Janſenianorum, plurimæ præciduntur Apoſtolicæ, quam ſubiiciemus, declarationis gladio, Senſum ipſum Janſenii Propoſitionum invadente. Porrò non Facti, ſed Juris, & Dogmatis eſt Quæſtio Senſus, ut apertiſſimè Tertio in Libro demonſtrabitur. Interim innuo, quod, niſi certò definiri poſſet Senſus Divinarum Literarum, & illis repugnantium hæreticarum Propoſitionum, omnia in Divina Fide fluctuarent: v. g.niſi certò decerni poſſet, Senſum Divini hujus pronuntiati: *Hoc eſt Corpus meum*:eſſe Proprium; Et hujus alterius: *Petra autem erat Chriſtus*: eſſe Improprium, & allegoricum: tueri ſe poſſet Calvinus, Myſticum ſolummodo priori PropoſitioniSenſum attribuens. Nullus ante Janſenianos Eccleſiæ Rebellis *interminatas* haſce controverſias excitavit. Faſſi ſunt Eutychiani, pertinere ad jus, & Dogma Fidei, Damnationem *Senſus hæretici* Propoſitionum Præceptoris ſui, latam a S.Leone Magno. Cæteri omnes Perduelles, cum condemnabantur Libri Arii, Pelagii, Lutheri, erubuerunt inficiari, quod fulguritæ ab Eccleſia Propoſitiones in eorum Libris extarent.Nullus ad Diſcrimen inter Facti, & Juris, Quæſtiones confugit, ſed in aliam inſaniam proruerunt omnes,aſſeverantes,in ipſo definiendo Jure Eccleſiam erraſſe. Niſi in hanc Janſeniani devolvantur, ſique Eccleſiæ concedant in definiendo Jure Infallibilitatem, Fide Divina credant hæreticum eſſe Janſenii Senſum: & alteri Veritati, quæ huic aſſenſui Fidei nectitur, aut potius ab hoc neceſſariò præſupponitur,videlicet,quod Propoſitiones illæ, quarum Senſus damnandus eſt ut hæreticus, excerptæ fuerint ex Libro Janſenii, adhæreant altera certitudine vel ex Fide humana, vel aliunde comparata. Idem prorſus contingit,dum damnantur Propoſitiones erutæ ex Libris Arii, Neſtorii &c. Niſi extractas ex illo Volumine eſſe ſibi perſuadeant, inſanient credendo per Fidem hæreticas eas eſſe in ejuſdem Voluminis Senſu.

Præter Divinam hanc Pontificiæ Infallibilitatis in hujuſmodi Controverſiis Declarationem, Quatuor alia enuntiat ſapientiſſimus Pontifex,quibus totidem Capita Janſenianæ Hydræ cæleſti planè flamma extinguit. Primum eſt Condemnatio non ferendæ temeritatis, qua indultum ſibi Janſeniani jactabant a Clemente IX. Diſtinctionum uſum, ac Exceptionum. *Quodque deterius eſt*, inquit Sanctiſſimus Clemens, *ipſamet Apoſtolicæ Sedis Decreta*, *redarguendis eorum pravis Senſibus condita*, *ac præſertim quaſdam p.m.Clementis Papæ IX.die* 19.*Ja-*

nuaris

Digitized by Google

nuarii 1669. ad Quatuor Galliæ Epiſcopos. datas Literas, in erroris ſui patrocinium advocare, temerario planè auſu non erubeſcunt. Horum os elidit, ac Deceſſoris ſui mentem mirificè defendit: *Perinde*, inquiens, *ac ſi memoratus Clemens Prædeceſſor, qui eiſdem ſuis Literis ſe Innocentii X. & Alexandri VII. Prædeceſſorum Conſtitutionibus ſupradictis, firmiſſimè inhærere, ac a dictis Quatuor Epiſcopis veram, & totalem obedientiam, adeoque Formulæ a præfato Alexandro Prædeceſſore, ſicut præmittitur, editæ ſyncerè per eos ſubſcribi voluiſſe declaravit, aliquam in tam gravi negotio Exceptionem, ſeu Reſtrictionem, quam nullam prorſus ſe unquam admiſſurum fuiſſe proteſtatus fuit, re ipſa admiſiſſet.*

Alterum huic ſimile, quod declarat Sanctiſſimus Clemens, ſpectat ad Innocentium XII. vocatum a Janſenianis per ſummam injuriam in ſui tutelam. *Necnon binas*, ait, *ſimilis mem. Innocentii Papæ XII. etiam Prędeceſſorum noſtrorum, die 6. Februarii 1694. & die 24. Novembris 1696. ad Epiſcopos Belgii in forma Brevis reſpectivè datas Literas in erroris ſui Patrocinium advocare temerario planè auſu non erubeſcunt. Perinde ac ſi &c. Dictus verò Innocentius XII. Prędeceſſor, dum ſapienter, ac providè, prędictas Quinque Propoſitiones ex memorato Libro Janſenii excerptas, in Senſu Obvio, quem ipſamet Propoſitionum verba exhibent, ac prę ſeferunt, damnatas eſſe pronuntiavit, non de ipſomet Obvio Senſu, quem in Janſenii Libro habent, quive ab eodem Janſenio intentus, ac a prę ſatis Innocentio X., & Alexandro VII. Prædeceſſoribus damnatus fuit, ſed de alio quopiam diverſo Senſu cogitaſſet, dictaſque Innocentii X., & Alexandri VII. Prædeceſſorum Conſtitutiones temperare, reſtringere, aut alio quovis modo immutare voluiſſet iiſdem ipſis Literis, quibus eas in ſuo robore fuiſſe, & eſſe, ſeque illis firmiter inhærere, verbis apertiſſimis aſſerebat.*

Optimo jure commendat Sapientiſſimus Pontifex adhibitam a Deceſſore ſuo verborum claritatem. Sed quid hac ejus Declaratione apertius, & dilucidius excogitari poteſt? Ulterius ne blaterabunt Janſeniani, nequaquam liquere de Pontificia mente? Erit, qui poſſit in animum ſuum inducere, quod S. Petri Cathedra illi permittat damnatum Quinque Propoſitionum Senſum ad diverſum a Janſeniano detorquere? Porrò dum ab Innocentio XII. *ſapienter, ac providè* declaratum fuiſſe affirmat Sanctiſſimus Clemens irruiſſe Pontificiam Condemnationem *in Senſum Obvium, quem ipſamet Propoſitionum verba exhibent, ac præſeferunt*, evidentiſſimè loquitur de Senſu Proprio, & nativo, quem verba ipſa habent ab Inſtitutoribus linguæ; Senſus enim Allegoricus, aut alio modo Improprius, & a nativo alienus, a nullo fuit unquam appellatus *Obvius*, aut hæc eidem abſque dementia tribui poteſt nomenclatura. Laudana igitur Sanctiſſimus Clemens Explicationem allatam a Deceſſore ſuo eamdem confirmat, ideoque ex geminato Vaticani Oraculo conſtat damnandas eſſe Propoſitiones illas in Senſu Obvio, Proprio, & Nativo, quem exhibent, & præſeferunt verba earumdem Propoſitionum ex Janſenii Libro excerptarum. Perinde manifeſta eſt hæc veritas, ac ſit ea, quam ſubiicimus contra Calvinum, videlicet: Hæc Chriſti Domini verba; *Hoc eſt Corpus meum*: credenda ſunt in Senſu Obvio, Proprio, & nativo, quem ipſa verba exhibent, & præſeferunt, & non in Improprio ſolùm & Myſtico, quem iiſdem Calvinus attribuit.

Progreſſurus ad Tertiam Eccleſiæ Magiſter Declarationem prius narrat Effugia a verſipellibus Janſenii Sectatoribus excogitata per hæc verba: *Præterea iidem inquieti homines ſparſis undequaque ſcriptionibus, ac Libellis exquiſita ad fallendum arte compoſitis, non ſine gravi Apoſtolicæ Sedis injuria, maximoque totius Eccleſiæ Scandalo, docere non ſunt veriti: Ad obedientiam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janſeniani Libri Senſum in antedictis Quinque Propoſitionibus, ſicut præmittitur, damnatum, interius ut hæreticum damnet, ſed ſatis eſſe, ſi ea de re obſequioſum (ut ipſi vocant) Silentium teneatur.*

Meritò affirmat hoc ab ipſis pronuntiari, *non ſine gravi Apoſtolicæ Sedis Injuria, maximoque totius Eccleſiæ ſcandalo*: cui ſapientiſſimæ Cenſuræ aliam addit pluribus ferè aureis ſententiis, quàm verbis, contextam. *Quæ quidem*, inquit, *aſſertio quàm abſurda ſit, & Animabus fidelium pernicioſa, ſatis apparet, dum fallacis hujus Doctrinæ pallio non deponitur error, ſed abſconditur: vulnus tegitur, non curatur: Eccleſiæ illuditur, non paretur: & lata demum Filiis inobedientiæ via ſternitur ad fovendam Silentio Hæreſim, dum ipſam Janſenii Doctrinam, quam ab Apoſtolica Sede damnatam Eccleſia Univerſalis exhorruit, adhuc interius abiicere, & corde improbare detrectant.* An non hæc quoque verba eodem excipi merentur plauſu, quem dedit Quarta Synodus Literis Leonis Magni, & Sexta Agathonis, affirmans in Cælo eas fuiſſe ſcriptas a Principe Apoſtolorum?

Non minori ſententiarum pondere in ipſa narratione perſtringitur alter Janſenianorum Error, dicendo: *Quin etiam eò impudentiæ nonnullos deveniſſe compertum eſt, ut, veluti*

naturalis boneſtatis, nedum Chriſtianæ ſynceritatis, obliti, aſſerere non dubitaverint, præfatæ Formulæ a memorato Alexandro Prædeceſſore præſcriptæ ſubſcribi licitè poſſe etiam ab iis, qui interius non judicant prædicto Janſenii Libro Doctrinam hæreticam contineri. Quaſi verò contra, quàm ſcriptum eſt: Qui loquitur Veritatem in corde ſuo: & Qui jurat proximo ſuo, & non decipit: hujuſmodi erroris Sectatoribus liceat Eccleſiam ipſam jurejurando decipere, ſimulque Apoſtolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejuſdem Formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Eccleſia loquitur, quod tamen ſentit ipſa, non ſentiunt: ſeque parere Conſtitutionibus Apoſtolicis profitentur, quibus animo contradicunt. Lucem addere Soli quis audeat aliquid in eamdem Sententiam ſubiiciens poſt relata ea, quæ ſuas præclariſſimè Vices agenti ſuggeſſit Sapientia Divina Humanitatem induta?

Exponit deinde Pater Sanctiſſimus neceſſitatem abſurdiſſima hæc Effugia præcludendi, & narrat, quænam ante promulgatam a ſe hanc Apoſtolicam Conſtitutionem contigerint. *Hinc eſt, quod nos ad opportunum & efficax tam exitiali morbo, qui, ut Cancer, ſerpit, & quotidie in deterius vergit, remedium adhibendum, non minus demandatæ Nobis omnium Eccleſiarum ſolicitudinis debito, quàm plurimorum Vener. Fratrum noſtrorum diverſarum Partium, & præſertim Regni Galliarum, Epiſcoporum zelo, ac precibus excitati, ne hujuſmodi pravi homines Catholicæ Eccleſiæ Pacem ſubvertere impunè pergant, & ſimplicium, ac puſillorum mentibus imponere, docentes, quæ non oportet: neve ullus apud eos quoque, qui bona, ut ajunt, fide, ac falſis rumoribus decipi ſe fortaſſè patiuntur, de mente, ac ſententia Apoſtolicæ Sedis amplius ambigendi ſuperſit locus, Divino prius tam privatis noſtris, quàm publicè indictis precibus, implorato præſidio, ac re maturè diſcuſſa, de nonnullorum Vener. Fratrum noſtrorum Sanctæ Rom. Eccl. Cardinalium conſilio, auditiſque complurium in Sacr. Theologia Magiſtrorum ſuffragiis.* Expendenda Lectori relinquo plurima ex illis, quæ in hac narratione ſunt ſplendidiſſima, nonnulla deinde animadverſurus, cum interim ad optatiſſimam Declarationem feſtinem, qua duæ ſuperius relatæ Propoſitiones damnantur, ideoque Tertia, & Quarta duabus prioribus Aſſertionibus additur, quibus Clementis IX. & Innocentii XII. fama vindicata eſt ab impiorum calumniis.

Primò quidem, ait Sanctiſſimus Clemens, *præinſertas Innocentii X. & Alexandri VII. Prædeceſſorum Conſtitutiones, omniaque, & ſingula in eis contenta, Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, approbamus, & innovamus. Ac inſuper, ut quævis in poſterum erroris occaſio penitus præcidatur, atque omnes Catholicæ Eccleſiæ Filii Eccleſiam ipſam audire, non tacendo ſolùm (nam & impii in tenebris conticeſcunt) ſed & interius obſequendo, quæ vera eſt Orthodoxi hominis Obedientia, condiſcant: Hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, Obedientiæ, quæ præinſertis Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo Silentio minimè ſatisfieri, ſed damnatum in Quinque præfatis Propoſitionibus Janſeniani Libri Senſum, quem illarum verba præſeferunt, ut præfertur, ab omnibus Chriſtifidelibus ut hæreticum, non ore ſolùm, ſed & corde, reiici, ac damnari debere. Nec alia mente, animo, aut credulitate, ſupradictæ Formulæ ſubſcribi licitè poſſe.* Adeo dilucida eſt Definitio hæc utriuſque Catholicæ Veritatis, ut, etiamſi Lucifer ſui omne acumen intendat ingenii, vix novum ullum Effugium Janſenii amatoribus ſuggerere poſſe videatur. Sperabant *Impii* aliquid ſibi eſſe indulgendum, & Apoſtolicam Sedem acquieturam in eo, quod *in tenebris conticeſcerent*, ſed inani ſpe fruſtrati ſunt.

Hæreticorum deinde ſuppliciis ſubiicit eos Sanctiſſimus Clemens, qui Declarationibus a ſe allatis auſi fuerint refragari, cum confirmet Pœnas omnes ab Innocentio X. & Alexandro VII. Janſeniania indictas. Primus autem ſubiecerat tranſgreſſores *Cenſuris, & Pœnis contra Hæreticos, & eorum Fautores in jure expreſſis*: & eadem prorſus verba in ſua Conſtitutione inculcaverat Alexander, addens, eaſdem Hæreticorum pœnas *ipſo facto, abſque alia Declaratione, incurrendas.* Sic igitur inquit Sanctiſſimus Clemens: *Ita ut, qui ſecus, aut contra, quò ad hæc omnia, & ſingula, ſenſerint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel ſcripto docuerint; aut aſſeruerint, tanquam præfatarum Apoſtolicarum Conſtitutionum Tranſgreſſores, omnibus, & ſingulis illarum Cenſuris, & Pœnis omnino ſubiaceant, eadem Auctoritate Apoſtolica decernimus, declaramus, ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes pariter &c. ſicque per quoſcumque Judices &c. ſublata eis &c. ac Irritum, & Inane &c. Quocirca Vener. Fratribus &c. invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, Brachii ſecularis auxilio. Nulli ergo &c.*

Indicare præſtat alia nonnulla, quæ non ſunt expenſa, dum Sacroſancta Præceptoris Eccleſiæ Verba referebantur. Et primò quidem paternum ſtudium, quo caveri ab Ovibus ſuis Divinus Paſtor exoptat Lupos, aliena pelle contectos, affirmans variis in locis *evertendas eſſe publicæ tranquillitatis ſubtili tectas calliditate machinationes: inter-*

clu-

eludendos aditus omnes Apoſtolicarum Definitionum eludendarum:& Effugia ad circumventionem erroris excogitata: & ad involvendam, & implicandam Eccleſiam Quæſtionibus interminatis:& ipſamet Apoſtolicæ Sedis Decreta in erroris ſui Patrocinium advocanda. Horum, veritati non acquieſcentium, & nunquam Eccleſiæ contradicendi finem facientium, hominum Libellos exquiſita ad fallendum arte compoſitos eſſe: fallacis Doctrinæ pallio, non deponi errorem, ſed abſcondi: vulnus tegi, non curari: Eccleſiæ illudi, non pareri: foveri Silentio Hæreſim: Eccleſiam jurejurando decipi: ſimulque Apoſtolicæ Sedis Providentiam falli: atque exitialem hunc morbum, qui ut Cancer ſerpit, quotidie in deterius vergere: Pacem Eccleſiæ ſubvertere, ac ſimplicium, & puſillorum mentibus imponere.

Nec ſapientiſſimum illud conſilium non attingam, quo *plurimorum* ſolummodo *Ven. Fratrum ſuorum diverſarum Partium, ac præſertim Regni Galliarum, Epiſcoporum Zelo, ac precibus, excitatum ſe fuiſſe* dicit ad condendam Conſtitutionem, nihil indicans de Præſulum eorumdem *Conſultatione*, ſed ſolùm commendans illorum *Zelum, preceſque* ſibi porrectas. Nihil enim neceſſè eſt Conſultationem hujuſmodi præire, ut Sententia ab Eccleſiæ Hierarcha feratur. Fatentur hoc Triginta Gallicani Epiſcopi cum Cardinali Mazarino in Literis datis ad Innocentium X. poſt exceptam obſequentiſſimè Pontificiam Hæreſis Ianſenianæ Condemnationem. *Perſpectum*, inquiunt, *enim habebat* (Vetus, de qua loquebantur, Eccleſia) *non ſolùm ex Chriſti Domini Noſtri Pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex Actis priorum Pontificum, & ex Anathematiſmis adverſus Apollinarium, & Macedonium, nondum ab ulla Synodo OEcumenica damnatos, a Damaſo paulò antea jactis, Judicia pro ſancienda Regula Fidei a Summis Pontificibus lata ſuper Epiſcoporum Conſultatione (ſive ſuam in Actis Relationis ſententiam ponant, ſive omittant, prout illis collibuerit) Divina æquè, ac ſumma, per Univerſam Eccleſiam Auctoritate niti, cui Chriſtiani omnes ex officio ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur.*

Demum ediſſerens Sanctiſſimus Pater, quod Ianſeniani, *dum ipſam Janſenii Doctrinam, quam ab Apoſtolica Sede damnatam Eccleſia Univerſalis exhorruit, adhuc interius abiicere, & corde improbare detrectant*, apertiſſimè oſtendit, *de Doctrina* ipſa loqui ſe, ideoque de Quæſtione Iuris, & Dogmatis, quam ſolvit affirmando, *damnatum in Quinque Propoſitionibus Janſeniani Libri Senſum, quem illarum verba præſeferunt, ab omnibus Chriſtifidelibus ut hæreticum, non ore ſolùm, ſed & corde, reiici, ac damnari debere: nec alia mente, animo, aut credulitate, ſupradictæ Formulæ ſubſcribi licitè poſſe.*

Hæc declarans omninò præſumit, imò & affirmat, traditam ſibi divinitus ad ea definienda fuiſſe Poteſtatem, cum dicat, hoc a ſe præſtari *demandatæ ſibi omnium Eccleſiarum ſolicitudinis debito*: quæ verba affert ante Declarationem: inquo ipſo Conſtitutionis initio profitetur hoc ſe aggredi *pro commiſſo ſibi divinitus Apoſtolicæ ſervitutis munere*. Quid, quod Ianſeniani illi, qui ſe Catholicos exiſtimari optant, hanc eamdem Cathedræ Petri adjudicarunt Auctoritatem, cum concuterentur metu ſummo edendæ Conſtitutionis, a qua ſupremum exitium formidabant.

LIBER SECUNDUS

IN QUO DEMONSTRATUR,

Quinque Propoſitiones excerptas eſſe ex Libro Janſenii, atque ſtatuitur, qua Cenſura afficiendi ſint hoc negantes.

§. I.

Atteſtatio Octoginta quinque Gallicanorum Epiſcoporum.

POſt allatam Polemicam Hiſtoriam eorum, quæ in hac controverſia contigerunt, præſertim verò Declarationum, quæ ab Apoſtolica Sede manarunt, obſequentiſſimè a Catholicis omnibus exceptæ, facile negotium erit, mentem ad res narratas retorquendo, curtum, ut inquit Vates ille, ſermone rotato, & multiplex enthymema torquere contra inficiantes, quod Propoſitiones illæ extractæ ſint ex Janſenii Volumine, ut nunc exequemur: ac infallibiliter declaratæ ſint Hæreticæ in ejuſdem Janſenii Senſu, quod Tertio Libro ſtatuemus.

Audivimus Quinque, & Octoginta Galliarum Antiſtites affirmantes in Janſenii Operibus eas reperiri, a quibus eaſdem excerptas apud Summum Pontificem accuſarunt. Illas ergo extare in eo Volumine non Jeſuitarum livor (ut Janſeniſtæ quidam obganniunt, a Franciſco Annato, Stephano Des Champs, aliiſque eo ex Ordine plurimis peſſumdati) ſed conflare potens Nationale Concilium tot Præſulum ſapientia, nulli prorſus peculiari Theologicæ Scholæ addicta, detulit ad Romanum Tribunal. Præſumi ergo prudenter nequit deceptos illos fuiſſe, vel animum induxiſſe ad Eccleſiæ Magiſtrum decipiendum,

§. II.

Confeſſio Janſenianorum ante Propoſitionum Damnationem.

ANimadvertimus, quod poſt Literas illas communi tot Antiſtitum nomine ad Innocentium exaratas, delegati prius a Janſenianis fuere, qui ſuas Romæ partes agerent, quàm alii pro ſe ſubmiſſi fuerint ab Epiſcopis. Qui porrò Janſenio favebant, adeo in dubium non revocabant illius eſſe, ac in ejus Operibus extare Propoſitiones illas, ut Auguſtinianas eſſe aſſeverarent. Præmittere potuiſſem, quod anno 1649. cum inſtabat examen Propoſitionum earumdem in Facultate Sorbonæ, Novatores illi dixerunt, eas quidem eſſe Ianſenii, ſed non minus D. Auguſtini, exclamantes, contra hunc proinde litem moveri. Sed abunde eſt confeſſio Sanctamorii, aliorumque, quos præpoſterè Socii legaſſent ad Urbem, & in ea diu, multumque, non ſine magna erogatione auri, detinuiſſent, ſi litem potuiſſent abrumpere affirmantes, nihil ad Ianſenium pertinere Propoſitiones vocatas in Hæreſis ſuſpicionem.

Prius hærebant Ianſeniani in unica Iuris Quæſtione, videlicet utrum Catholicæ habendæ eſſent Propoſitiones illæ; de Facto autem, ſcilicet utrum eſſent Ianſenianæ, nullatenus altercabantur. Poſtquam verò damnationi ſubjectæ ſunt tanquam Hæreticæ, Luthero illas, & Calvino tribuerunt, affirmantes in Ianſenii Volumine non reperiri. Ludibrio traduci ſtrenua hæc audacia poſſet, niſi pervicax potius Ianſenianorum impietas lacrymas extorqueret. Quid de illis dicendum eſſet, qui confeſſi prius ſuos eſſe

filios

filios illos, quos obiiſſe pro Patria, ideoque ſe illorum parentes gloria, & præmio dignos eſſe, jactaſſent: deinde, comperto, quod iidem tranſiviſſent ad hoſtes, a quibus fuiſſent extincti in deteſtationem perfidiæ, negare inciperent ulla ſibi fuiſſe conſanguinitate conjunctos? Sed hoc ipſum præſtiterunt, ac porrò præſtare pergunt Ianſeniani, qui prius partas ab ingenio Magiſtri ſui Propoſitiones illas prædicabant, cum ſpem fovebant fauſtæ illarum Declarationis; poſt infœlicem verò eaſdem eſſe Prolem Ianſenii plerique ipſorum diu pernegarunt.

§. III.

Sententia Theologorum, quos Innocentius X. conſuluit.

TRia ſunt, quæ magnam Cenſoribus hiſce conciliant auctoritatem. Primum eſt perpetua illorum conſuetudo allegandi verba ipſa Scriptorum, & paginas Voluminum, in quibus eadem extant, quotieſcumque referunt Sacris Congregationibus DD. Cardinalium Fidei Quæſitorum, vel Indicis, quld ſentiant de Libris prohibendis, necne? Alterum, quod in Cauſa Ianſenii non agebatur de illius Operibus utcumque vetandis, ſed de proferenda Pontificia Sententia ex Infallibili Apoſtolorum Principis Cathedra de Quinqne illis Propoſitionibus tanquam Hæreticis. Tertium, quod hoc Iudicium erat in omni rigore Contradictorium, cum Romæ adeſſent Ianſeniani, qui Dogmata Inſtitutoris ſui acerrimè propugnabant. Si ergo ſemper exactè notantur, & Purpuratis Patribus a Cenſoribus oſtenduntur loca Scriptorum condemnationem merentia, multò profectò magis hoc idem præſtitum eſt in eo rerum articulo; ideoque omnium oculis ſubiectæ fuerunt proſtantes in perniciosiſſimo illo Catholicæ Reipublicæ Libro damnatæ deinde illius Antiſtitis Opiniones.

§. IV.

Definitio Innocentii, aliorumque Summorum Pontificum confirmatio.

EA ineſt vis definitivæ legitimi Judicis Sententiæ, ut poſt illam contemnenda ſit qnaliſcumque Rcorum negatio criminis a ſe admiſſi. Præter commune hoc robur Judicialis Auctoritatis, plurima circumſtant Innocentianum Decretum, quæ immenſum illi pondus adiiciunt. Subreptitium illud fuiſſe fortaſſe hoſtes dicere audebunt? Subreptionem attribuentne ignorantiæ, vel negligentiæ? Sed quæſtio non erat de Facto, longinquo, præterito, occulto, circa quod, cum procedendum ſit ex aliena fide, declaratio deinde facta eſſe queat obnoxia errori. Præ omnium manibus erat Janſenii Liber: audivit ſæpiſſimè Summus Pontifex illius verba recenſentes; eadem expendit ipſe magno præſtans ingenio, ſapientiſſimus in Cæſareo, & Pontificio Jure, nec expers Theologicæ Facultatis: ejus ad pedes acceſſerunt non ſemel Ianſenii Patroni, ultro profeſſi eas, de quibus agitabatur controverſia, eſſe Magiſtri ſui Sententias. Num igitur fieri potuit, ut declarans illas excerptas fuiſſe Ianſenii ex Libro Innocentius deciperetur?

Quid de Summo Theologo dicam Alexandro VII. qui prius Congreſſibus omnibus interfuerat pro hac habitis Cauſa coram Prædeceſſore; & omnia per ſe ipſum exploraverat Janſeniana loca, antequam Propoſitiones illas extare in Ianſenio altera ſua Conſtitutione definiret?

Quid de cæteris ſubiiciam Pontificibus Maximis, ac præſertim de omnigena, & ab ipſis quoque Lutheri aſſeclis, unà cum Divinis aliis Dotibus, in excuſo Numiſmate ceſebrata Sapientia Clementis Undecimi, quem Sanctiſſimè Imperantem Deus Opt. Max. per plurima luſtra ſervet incolumem? Hærent omnes conſtantiſſimè in Declaratione Innocentiana de Propoſitionibus illis, non ad arbitrium conſictis, ſed extractis a Libro Ianſenii. Negari ergo nequit eaſdem ab illo fniſſe depromptas.

§. V.

Univerſæ Catholicæ Eccleſiæ Pontificiam Declarationem obſequentiſſimè ſuſcipientis Approbatio.

EXcepta fuiſſe narravimus ab Orthodoxis omnibus eximio cum obſequio Innocentiana, & Alexandrina Decreta, quibus Propoſitiones illas fuiſſe productas ex Ianſenii Libro ſtatuitur. Præter cæteras gentium omnium Academias, & Præſules, Centumviginti Sorbonici Doctores Collegam ſuum Arnaldum condemnaverunt declarantes, quod *ejus Propoſitio, negans Janſenii Factum, erat temeraria, ſcandaloſa, injuriam inſerens Pontificibus Maximis, & Epiſcopis, viamque aperiens renovationi totius Damnatæ Doctrinæ*. Ampliſſimi quatuor Conventus Cleri Gallicani gratias egerunt Innocentio, & Alexandro, hanc etiam ob Declarationem, quod Hæreſes illæ Quinque fuiſſent excerptæ a Ianſeniano Volumine, ac

pro

Digitized by Google

pro jubenda ſubſcriptione hoc ipſum explicantis Formulæ Fidei enixis precibus inſtiterunt. Hoc idem præſumpſere nuper pluſquam Centum quinquanginta Socii Sorbonici in eorum ſuperius allegato Decreto contra duos tantummodo refragari auſos.

Duobus illis, aliiſque nonnullis exprobraret Sanctus Auguſtinus: *Diſputare contra id, quod univerſa ſentit Eccleſia, inſolentiſſimæ ſuperbiæ eſt. Vos & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium eſt, quod nihil dignum auctoritate proferatis.* Illis quoque congruit id, quod Chalcedonenſe Concilium dixit Actione 4. dum Ægypti Antiſtites alloquebatur: *Non eſt juſtum, decem homines præjudicium facere Synodo ſexcentorum Epiſcoporum.*

§. VI.

Poſt ipſam quoque Condemnationem Janſeniani fatentur Propoſitiones illas eſſe Janſenii.

NOn qualemcumque Ianſenianis e caſtris militem, ſed præcipuum ejus agminum Ducem Arnaldum ad ſuffragium ferendum inducimus, qui ſumpto per antiphraſim Irenæi, quaſi pacem amantis, nomine, cum eamdem deteſtaretur, ultro affirmat, Primam Propoſitionem Romæ proſcriptam in Ianſenii Operibus reperiri. Ab ea porrò cæteras inferri fatetur. Reliquas etiam ibidem extare quamprimùm demonſtrabimus, Interim autem illud aſſumimus, ad quod concedendum compelli ſe animadvertit Arnaldus, videlicet quod aliæ quatuor Primam neceſſariò conſectentur. Nam, ſi *Præcepta quædam juſtis eſſent impoſſiblia, deeſſet quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant*, alia non daretur in ſtatu Naturæ lapſæ interior Gratia verè Sufficiens, quàm Efficax, & in Ianſenianis Principiis Irreſiſtibilis; ſi enim alia quoque verè Sufficiens nunc nobis indulgeretur, eadem conſtitueret Potentiam Præcepta omnia ſervandi contra id, quod Ianſenius decernit in Prima. Si porrò ſola Efficax nunc tribuitur, illi profectò nunquam reſiſtitur, ideoque *nulli Gratiæ interiori*, juxta Hæreſim Secundæ Propoſitionis, *obſiſtitur in præſentia.* Quoniam autem, licet juxta Primam ſervari nequeant quædam Præcepta, peccatur nihilominus, Auctore Ianſenio, ab eorum tranſgreſſoribus illa neceſſariò violantibus, hinc oritur Tertia, ſcilicet quod *in hoc ſtatu poſt Adami culpam ad merendum, vel demerendum, non requiratur Libertas a Neceſſitate, ſed ſufficiat Libertas a Coactione.* Cumque per Primam excludatur Gratia Sufficiens conſtitutiva Potentiæ ad Præcepta omnia ſervanda, hinc profluit Quarta ſtatuens *eſſe Pelagianum affirmare, quod detur nunc ejuſmodi Gratia, cui poſſit reſiſti pro arbitrio, vel obtemperari.* Ac demum ſi neque Iuſti ipſi muniuntur viribus Gratiæ, quæ Sufficiens ſit ad Potentiam Præcepta omnia cuſtodiendi, hanc illis lucratus non fuit Morte ſua Chriſtus Dominus, multòque minus illam præparavit pro Injuſtis, & Infidelibus, ideoque juxta Quintam *non obivit Mortem pro omnibus*, ſed pro ſolis Electis, pro quibus moriendo adeptus eſt Auxilia illa finalia, quæ conſtituant Perſeverantiæ Potentiam.

Non Primam tantùm, cujus eſſent conſectariæ ceteræ, ſed omnes Quinque in Ianſenii Libris extare profeſſus eſt Abbas de Bourzæis non ultimi nominis Ianſeniſta.

Poſtremæ duæ Provinciales Epiſtolæ vix innuunt negationem, quod extent in Ianſenio, ſed laborant pro defendendo earum Senſu tanquam Thomiſtico, quod obgannniunt per ſummam injuriam, ut centies oſtendimus in Prima Enchiridii Parte.

Interim hinc inſurgit Dilemma pro ſtatuendo eo, de quo in præſentia diſputamus; inquiro enim: De quibuſnam Ianſenii Propoſitionibus conantur probare Senſum Catholicum? De non damnatis? Sed quid iſtæ pertinent ad Ianſenii Propugnatores? De damnatis? Ergo illas fatentur eſſe Ianſenii, ejuſque in Operibus inveniri.

§. VII.

Teſtes oculi omnium, quibus permiſſa eſt lectio Janſeniani Voluminis, quò ad primam Propoſitionem.

AD elevandam Maximorum Pontificum, ac totius Catholici Orbis Auctoritatem exclamat Paſchalis, alios non eſſe Quæſtionum Facti Iudices, quàm oculos. Sed quos tandem? Ianſeniſtarum ne ſolummodo, quos Hæreſis venenum offuſcat, excluſis illis reliqui hominum generis? Spreto circumforaneo illo Declamatore, cujus Epiſtolæ, quàm ſolam merebantur, ab infami lucem incendio ſunt conſecutæ, nonnulla ex plurimis Ianſenii locis allegemus. Expreſſis verbis profert Primam damnatam Propoſitionem lib. 3. de Gratia Salvatoris cap. 13. paulò poſt medium, dicens: *Hæc igitur pleniſſimè, planiſſimèque demonſtrant nihil eſſe in S. Auguſtini Doctrina certius, ac fundatius, quàm eſſe Præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm Infidelibus, excæcatis, obduratis, ſed Fidelibus quoque, & Juſtis, volentibus, & co-*

Digitized by Google

& conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibilia: deeſſe quoque Gratiam, qua fiant poſſibilia; hoc enim Sancti Petri exemplo, aliiſque multis, quotidie manifeſtum eſſe, qui tentantur ultra, quàm poſſint ſuſtinere.

§. VIII.

Manifeſta eſt eadem Veritas quò ad Secundam Propoſitionem.

DUm excerptas omnes Quinque fuiſſe ex Libro Ianſenii declaravit Apoſtolica Sedes, neqnaquam aſſeruit, iiſdem prorſus verbis a Ianſenio fuiſſe prolatas, quibus exprimuntur in earum damnatione, ſed fermè iiſdem, licet aliquando contractis, ita nihilominus eamdem prorſus vim habentibus, ut manifeſtiſſimum ſit eamdem in Ianſenio proſtare Sententiam. Quis in illo non videat Secundam ex damnatis, videlicet: *Interiori Gratiæ in Statu Naturæ Lapſæ nunquam reſiſtitur*; cum toties inculcet, aliam nullam in hoc ſtatu dari Gratiam Interiorem, quàm Efficacem, cui certè reſiſtitur nunquam, neque per ipſum reſiſti poteſt? Agens de diſcrimine inter Statum Adami Innocentis, & noſtrum, ac ipſius Adæ jam lapſi, lib.2.de Gratia Salvatoris cap.25.ait; *Decimè, ejus Gratiæ Medicinalis Efficaciſſima natura declaratur ex eo, quod nulla prorſus effectu careat; ſed eum in omnibus, quibus datur, infallibiliter operetur.* Et pauló poſt, *Operæ*, inquit, *pretium eſt diſertis confirmare teſtimoniis, ne quaſi ad rem a me recenter excogitatam trepidet, aut perturbetur Auditor.* Inquirens deinde hujus rei radicem proponit: *Cur nulla omnino Medicinalis Chriſti Gratia effectu ſuo careat, ſed omnis efficiat, ut Voluntas velit, & aliquid operetur?* Hoc oriri dicit ex ipſo eſſentiali diſcrimine jam aſſignato, juxta quod *Prima Gratia Juſtitiam dabat homini, ſi vellet: Secunda, ut vellet.* Et alia plurima ſubdit ad perſuadendum, *nullam eſſe in hoc ſtatu Gratiam, niſi Efficacem, nullamque ſuo effectu carere.* Hoc autem prorſus idem eſt, ac *nullam dari nunc Gratiam Interiorem, cui reſiſtatur.*

§. IX.

Apparet in Libris Janſenii Tertia Propoſitio.

QUod *ad merendum, & demerendum in Statu Naturæ Lapſæ non requiratur Libertas a Neceſſitate, ſed ſufficiat Libertas a Coactione*, ut habetur in Tertia damnata Propoſitione, disertè pronuntiat Ianſenius; neque ſolùm hoc innuit in obſcuro aliquo uno, vel altero loco, ſed multiplici, & apertiſſimo, ſummoque conatu probare contendit tribus integris Libris, nimirum 6.7.& 8. Tertii Tomi de Gratia Chriſti Salvatoris, ubi etiam tentat oſtendere, ab Auguſtino, aliiſque Antiquis Patribus, Libertatem omnem in ſola *Spontanei* ratione conſtitutam fuiſſe. Hunc v. g. Titulum præfigit Cap.6. Libri 6. *Duplex Neceſſitas Auguſtino, Coactionis, & ſimplex, ſeu Voluntaria. Illa, non hæc, repugnat Libertati.* Circa medium autem illius Capitis: *Mira*, inquit, *videbitur Scholaſticis iſta Doctrina, & tamen in Auguſtini Principiis eſt indubitata.* Perque reliqua Capita uſque ad 34. congerit detruncata verba Sanctorum Patrum, relinquens ea, quæ præcedunt, & ſubſequuntur, & per manifeſtam prævaricationem abſurdiſſimè illa detorquens ad evincendum, *Voluntatem liberam eſſe eo ipſo, quod vult. quamcumque tandem Neceſſitatem experiatur*: etiam *ſimilem* (ut præſumit cap.8.) *Neceſſitati Beatorum ad Amorem beatificum, quem tamen liberrimum cenſet.*

§. X.

Negari nequit extare Quartam Propoſitionem in Janſenii Libro.

MEminiſſe oportet Quartæ Ianſenianæ Propoſitionis expoſitæ in Apoſtolicis Conſtitutionibus, ut evinci queat eamdem ex Opere ipſius Ianſenii deprómptam fuiſſe: ea porrò eſt hujuſmodi; *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ Interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Sed ea omnia, quæ in hac Propoſitione includuntur, petita ſunt a Ianſenio, qui lib.8.de Hæreſi Pelagiana cap. 6. probare aggreditur, quod *Gratia generalis Maſſilienſium* (ideſt Semipelagianorum) *eſt actualis Interna, & Sufficiens ad credendum.* Supponit igitur, quod Semipelagiani opinarentur neceſſarium eſſe generalem Gratiam Interiorem ad primam voluntatem credendi, ideſt *ad initium Fidei*. Ipſius ergo Ianſenii eſt primus error hiſtoricus incluſus in hac Propoſitione; ex Libris enim ipſorum Semipelagianorum, & ex duplici Epiſtola SS.Proſperi, & Hilarii ad Sanctum Auguſtinum de Maſſilienſium Erroribus, conſtat, quod non admiſerint hanc Interioris Gratiæ neceſſitatem ad Initium Fidei.

Alia verò pars Hæretica Propoſitionis de-

depromptæ eſt ex eodem Capite allegato Ianſenii, ubi poſt medium legitur. *In hoc ergo propriè Maſſilienſium error ſitus eſt, quod aliquid primævæ Libertatis reliquum putant, quo, ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum; ita lapſus homo ſaltem credere poſſet, ſi vellet; neuter tamen abſque Interioris Gratiæ adjutorio, cujus uſus, vel abuſus, relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio, & poteſtate*. Proprium igitur Semipelagianorum Errorem eſſe affirmat, quod crederent ineſſe Gratiæ Interiori prævenienti eam Indifferentiam ad bonum, vel malum uſum, de quo loquitur Propoſitio, quæ coarctavit quidem id, quod Ianſenius uberiori ſermone complexus eſt, ſed idem prorſus expreſſit.

Alibi quoque Ianſenius confirmat id ipſum, quod hæreticè in Pelagiana Hiſtoria pronuntiavit, v. g. lib. 7. de Gratia Chriſti Salvatoris cap. 14. probandum ſuſcipit, *Efficaciam Gratiæ Diametraliter repugnare Indifferentiæ Libertatis*. *Quæ quidem*, inquit, *contradictio* (inter Efficaciam videlicet Gratiæ, ac Libertatis Indifferentiam) *tanta eſt, & tam præciſa, ut ſi perfecta Cæleſtis Gratiæ Delectatio voluntati tribuatur, Indifferentiam illam Philoſophicæ Libertatis funditus interimat: ſicut hoc in Animabus ſua Beatitudine fruentibus manifeſtum eſt*. Cum igitur ipſe opinetur, neceſſariam eſſe Gratiam Efficacem Prævenientem, ut ex parte actus primi conſtituat Potentiam volendi primò credere, & cujuſcumque alterius operis ſalutaris, nec aliam ullam veram Interiorem Gratiam Prævenientem, præter Efficacem, Ianſenius agnoſcat, Hæreſis illi videtur Semipelagiana, ſi dicatur, Prævenienti Gratiæ ad credendum neceſſariè ineſſe Indifferentiam ejuſmodi, *ut eidem poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*.

§. XI.

Quinta Propoſitio ultro ſe exhibet in Opere Janſeniano.

Cum præ cæteris magnum contra Ianſenium conflaverit odium Quinta Propoſitio inquiens: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe*: omni contentione laborarunt ejus Sectatores ad hanc ab illo infamiam amoliendam. Sed irritus penitus fuit, & fruſtraneus labor, ab illius enim apertiſſimis verbis excerpta eſt quò ad omnes ſui partes, videlicet primò quò ad aſſertionem, quod Hæreſis ab ipſo præſumptæ Auctores fuiſſent Semipelagiani: tum quò ad ipſum hæreticum pronuntiatum de Morte Chriſti Domini non obita pro omnibus: tùm demum quò ad intelligentiam hujus Propoſitionis in eo Senſu, *ut Chriſtus pro Salute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit*: in quo Senſu dixit Innocentius primò, & poſt illum alii Pontifices Innocentiani Decreti Confirmatores, *impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam, declaramus, & uti talem damnamus*.

Prima igitur Pars, videlicet, quod Error, (qualem Janſenius præſumit eſſe affirmationem Mortis Chriſti Domini pro omnium ſalute ſuſceptæ) ortus fuerit a Semipelagianis, excerpta eſt ex lib. 3. de Gratia Salvatoris Cap. 2. ubi cum argumentatus fuiſſet contra ſe negantem conferri omnibus Auxilia Sufficientia, probans illa nulli deeſſe ex eo, quod pro omnibus Chriſtus Dominus mortuus fuerit, ideoque pro ſingulis illa lucratus Auxilia: Reſpondet abſque ullo metu: *Hoc Argumentum, ſicut omnia præcedentia, jam olim ad nauſeam uſque a Pelagianis, præſertimque Maſſilienſibus*, ideſt Semipelagianis, *inculcatum fuiſſe*. Ab illis igitur emanaſſe cenſet opinionem, quam ipſe refellit, Mortis Divinæ pro ſingulis obitæ.

Altera pars negans Catholicam veritatem circa univerſalem Cauſam Salutis omnium prorſus hominum habitam a Salvatore, extat in eodem jam allegato Janſenii Capite, ubi explicans quo Senſu dictum ſit ab Apoſtolo 1. ad Timot. 2. *Chriſtum Redemptionem ſe ipſum dediſſe pro omnibus*: hoc primò intelligit de magnitudine, & potentia Pretii, & de una Cauſa Generis Humani: deinde aliquid attingit de Sufficientia, non Efficientia, ejuſdem Pretii: quibus modis loquendi Catholici quoque non rarò Theologi utantur. non autem his tantummodo; ſed poſtea carpens D. Proſperum, cujus verba retulerat, eumque audacter, & falsò, cum D. Auguſtino committens, atque præſumens a ſe melius, quàm a Proſpero, Auguſtinum intelligi, evomit apertè venenum opinationis ſuæ dicens. *Sed quia in iſtis verbis apertè profitetur Proſper Redemptionis proprietatem haud dubiè penè illos eſſe, qui ſanctificantur in Sanguine Chriſti: & quia iſta phraſis, quæ dicitur ſe pro aliquo Redemptionem dare, præſeferre videtur Redemptionem ex redimentis animo in uſum, & libertatem captivorum offerri, ac dirigi, quæ oblatio, & directio Chriſti inanis eſſe non poteſt, & quia alioquin etiam pro Dæmonibus ſe dediſſe Redemptionem dici poſſet, quibus redimendis ſine dubio pretium Sanguinis ejus eſt ſufficiens: ac denique quia Proſpero antiquior, & Doctior Au-*

Auguſtinus nunquam in ſcriptis ſuis fatetur Chriſtum pro omnibus nullo excepto ſe dediſſe Redemptionem, vel crucifixum eſſe, vel mortuum, ſed tantummodo pro illis, quibus Mors ejus profuit, qui certo modo multi, & omnes ſunt: hinc genuinius, veriuſque reſpondemus, Chriſtum dici ſe dediſſe Redemptionem pro omnibus, hoc eſt pro univerſa ſua Eccleſia toto Orbe diſperſa, & conſequenter pro omnibus hominum Generibus, Regibus, privatis, nobilibus, ignobilibus, &c. prout Superiori Capite ex S. Auguſtino declaravimus.

Hic enimverò declarat ipſe Ianſenius multipliciter impietatem ſuam, nam primò affirmat, *ex redimentis animo, & ex oblatione, & directione Chriſti*, mortuum ipſum non fuiſſe pro omnibus.

Secundò, abſurdiſſimè arguit ex eo, quod Directio Chriſti *inanis eſſe non poſſit*, quaſi verò cum Salutem non omnes re ipſa conſequantur, offerre, ac dirigere nequiverit Salvator Mortem ſuam ad præparanda pro ſingulis hominibus Auxilia neceſſaria ad conſtituendam Potentiam ejuſdem Salutis obtinendæ. Quæro autem ex Ianſenio, utrum *inanem* fuiſſe putet petitionem, qua, ut *à ſe Calix tranſiret*, poſtulavit Chriſtus a Patre? Perinde igitur orare potuit pro Salute hominum omnium, & ad eam dirigere Mortem ſuam, quamvis non omnes Immortalem Fœlicitatem adepturi eſſent. Inanis certè non fuit illa pro ſe Oratio Chriſti Domini, licet effectum nullum ſortita fuerit. Multò igitur minus cenſeri poteſt *inanis Directio*, quam conſecuta fuit Præparatio Auxiliorum conſtituentium pro omnibus Potentiam acquirendi Immortalem Fœlicitatem.

Tertiò, ſicuti certè *pro Dæmonibus* non interiit Divinus Redemptor, ita non obiiſſe pro cunctis hominibus Ianſenius opinatur.

Quartò, Hæreſis ſuæ inſimulat Auguſtinum, qui eamdem exhorret, ut ab aliis ampliſſimè demonſtratum eſt; ſed in hoc immorari me vetant Compendii Leges.

Quintò, apertè ait mortuum tantummodo fuiſſe pro illis, *quibus mors ejus profuit*, videlicet pro ſolis Electis, ut mox illum decernentem audiemus adeo expreſsè, ut ſuperiora ejus verba protendi nequeant etiam ad alios, quibus aliquando contulerit Auxilia pro eis Morte ſua præparata.

Sextò, excluſa manifeſtè Morte Divina pro ſingulis tolerata, utcumque Apoſtolus dixerit, *Chriſtum Redemptionem ſemetipſum dediſſe pro omnibus*, affert explicationem illam de Morte lata *pro univerſa Eccleſia toto Orbe diſperſa*, & conſequenter *pro omnibus hominum Generibus*, quaſi hæc Interpretatio eſſet unica, quæ Pauli verbis tribui poſſet, & nullatenus eadem deberent extendi ad homines ſingulos in quovis eorum genere acceptos.

Senſus demum Ianſenianæ Propoſitionis aſſerentis *pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuum fuiſſe Chriſtum Dominum*, apparet evidenter ex deteſtabilibus, quæ in allegati Capitis fine ſubiicit, verbis dicens: *Quæ ſunt cùm in Auguſtini Doctrina perſpicua, certaque ſint*, (Ianſenio tamen ſolummodo, Auguſtini corruptori, talia videntur) *nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro Infidelium in Infidelitate morientium, vel pro Juſtorum non perſeverantium ſalute mortuus eſſe, Sanguinem fudiſſe, Patrem oraſſe, ſentiatur*. Et paulò poſt ait: *Ex quo factum eſt, ut juxta Sanctiſſimum Doctorem non magis Patrem pro Æterno liberatione ipſorum, quàm pro Diaboli, deprecatus ſit*. Extat igitur adeo manifeſtè in Ianſenii Libro Quinta Propoſitio, ut indulgentiſſimè declarata eadem fuerit ab Apoſtolica Sede non tam, ut ita dicam, decernente, quod Ianſenius eam intellexerit *in eo Senſu, ut Chriſtus pro Salute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit*, quàm explicante, quibus notis eadem ita intellecta inuratur. Cæterùm cum Ianſenius aſſeveret, *non magis pro Juſtorum non perſeverantium, quàm pro Diaboli Salute* Chriſtum Dominum interiiſſe, manifeſtè præſumit effuſum fuiſſe Divinum Sanguinem *pro Salute dumtaxat Prædeſtinatorum*.

§. XII.

Quæ Cenſura ferenda ſit contra negantes excerptas eſſe Propoſitiones illas ex Libro Janſenii.

PLerique ex iis, qui contra Ianſenianos huc uſque ſcripſerunt, ſeverè illos perſtringunt, non ſolùm quia inficiantur confixas fuiſſe Propoſitiones illas in Senſu Ianſenii, ſed etiam quia negant eaſdem ex Volumine illius Auctoris excerptas fuiſſe. Sunt, qui ob hoc ipſum eos inſimulent Schiſmatis, & vocent in Hæreſis Suſpicionem: nec deſunt, qui hoc quoque nomine illos Hæreticos cenſeant. Sed mitius agendum ratus animadverto diſcrimen, quod intercedit inter Quæſtionem, utrum Propoſitiones illæ in Auguſtino Ianſenii reperiantur? Et, utrum ſint Hæreticæ in Senſu Ianſenii? Prima ſpectare mihi videtur præſuppoſitivè ſolùm ad Jus Fidei, ſed formaliter, ac propriè, eſſe Quæſtio Facti. Præſuppoſitivè, inquam, ſpectat ad Fidem, quia niſi extarent in Libro Ianſenii, quæri non poſſet, utrum ſint hære-

Digitized by Google

hæreticæ, necne, in ejus Senſu? Sed inquiſitio, utrum in hoc ipſo Senſu ſint Hæreticæ, licet includat aliquod Factum, nihilominus eſt formaliſſimè Quæſtio circa Ius Fidei; ut ſequenti Libro oſtendam. Interim hoc diſcrimen innuo exemplis manifeſtiſſimis, v. g. quod Titius ſit interemptus à Cajo, eſt mera Quæſtio Facti præſuppoſita neceſſario ad Quæſtionem Iuris deinde inſtituendam, cum inquiritur, utrum Titius fuerit injuſtus aggreſſor, quem proinde Cajus potuerit occidere in ſui defenſionem? Et in materia Fidei eſt formaliter Quæſtio Facti, ſed præſuppoſitivè Iuris, utrum Hæreticis Propoſitionibus affluant Libri Lutheri, Calvini, aliorumque Impiorum? Sed Quæſtio formaliſſima Iuris eſt, utrum hæreticæ ſint Propoſitiones eædem in Senſu ab illis intento?

Hoc præjacto diſcrimine, quamvis nonnulla ex argumentis mox aſſerendis probare videantur, quod graviſſimis notis perſtringendi ſint Ianſeniani etiam ob hoc ipſum, de quo nunc diſputamus, ab iis tamen ſtabiliendis ſuperſedemus.

Nimis tamen levis videri poteſt Cenſura, qua dicantur temerarii, ac ſuſcitantes piarum aurium offenſionem; hoc enim judicium de illis ferendum erat etiam antequam declaratum eſſet ab Alexandro Propoſitiones illas excerptas fuiſſe à Libro Ianſenii; nam etiam tunc illud negabant pro arbitrio, contradicentes ſibimetipſis, & pugnantes contra Sapientum omnium perſuaſionem, ipſamque manifeſtam oculorum evidentiam. Num verò nihil deinde tot humanis demonſtrationibus adiecit Pontificia Conſtitutio Fideles omnes obſtringens ad aſſentiendum Apoſtolicæ Declarationi circa Factum illud ex poteſtate Clavium a Chriſto accepta ſub pœna læſæ Divinitatis incurrenda ab illis, qui parere abnuerent?

Sed ſtatuere ſufficiat, non obnoxiam Errori fuiſſe Apoſtolicam Sedem, etiam cum declaravit Propoſitiones illas deſumptas fuiſſe ex Libro Ianſenii, licet fortaſſe non fuerit Divina hujuſmodi Certitudo, dummodo Summo Pontifici hoc definienti præſtetur idem aſſenſus, quo creditur Doctrinam damnatam a Concilio Tridentino eſſe Lutheri, Calvini, Zuinglii; atque hoc affirmetur ſyncerè, & abſque cavillis, atque conſtanter Pontificiis Conſtitutionibus obtemperetur. Quod verò Propoſitiones eædem ſint Hæreticæ in Senſu Ianſenii, decrevit Eccleſiæ Magiſter Infallibilitate Divina, ut mox probandum ſuſcipiam.

§. XIII.

Sepoſita, de qua nihil decernimus, Infallibilitate Divina, quam plures tribuunt Pontifici Maximo, etiam in definiendo, quod Propoſitiones ſint re vera excerptæ ex Libro Janſenii, Catholici omnes tenentur eidem firmiſſimè obedire, præſtando ejus Declarationi certum aſſenſum.

MAnifeſtiſſimè hoc liquet in omnium Catholicorum Sententia, etiam eorum, qui negant eſſe de Fide, quod peculiaris aliquis Sanctus Cæleſti nunc Beatitate perfruatur. Quamvis enim ipſis videatur hanc eſſe Facti Quæſtionem, circa quam reſolvendam opinantur non eſſe tributam Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ, Infallibilitatem Divinam; nullus tamen Orthodoxus unquam negavit obſtringi Fideles ad firmiſſimè in animum admittendam hujuſmodi Veritatem. Quis enim unquam eſt auſus, vel audebit affirmare, libertatem Fidelibus indulgeri, ut pro arbitrio venerentur, aut contemnant, hunc, vel illum Sanctis aſcriptum?

In oppoſita autem Sententia, quæ longè probabilior eſt, & a ferè omnibus recepta Theologis; veritas hæc, quantumvis Facti, quia tamen ſpectans ad Univerſalis Eccleſiæ Regimen, & Directionem, cenſetur implicitè revelata, perinde ac revelatum ſupponitur Eccleſiam Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Hæc tamen veriſſima, ut opinor, Sententia admittit alia plurima ad eandem Veritatem ſtabiliendam prærequiſita, quæ, licet de Fide non ſint, negari tamen abſque temeritate, ac dementia, non poſſunt, v. g. quod Sanctus aliquis, quem ad Aras veneramur, Heroica Virtute, atque editis in Vita, & poſt obitum; Miraculis inclaruerit, non conſtat, niſi ex Fide humana, neque eſt Dogma, cui ſeſe opponentes mereantur illico cenſeri hæretici. Et nihilominus hæc Facti Veritas ita præſupponitur ad alias revelatas, ut illis contradici non niſi temerariè, impudenter, ac ſtolidè poſſit: accedente præſertim Maximi Pontificis Præcepto Fideles obligante ad eam amplectendam. Eodem pacto Fide Divina credendum eſt, quod Tridentinum, & alia Concilia, a Sancti Petri Cathedra probata, ſint Infallibilis Auctoritatis in ſuorum quò ad Fidei Articulos Canonum Definitione; ac nihilominus quot Facta non revelata, nec definita, præſupponuntur ab hiſce de jure Fidei. Propoſitionibus? Num enim divinitus revelatum eſt, quod Tridentinum, & alia Concilia celebra-

brata fuerint, & a veris Epiſcopis, & fuerint a Summis Pontificibus confirmata? Ex allatis exemplis apertè patet, quod, quemadmodum Eccleſiæ in ſuo Aſpectabili Capite parendum eſt ultro admittendo Facta illa, ſine quorum præſuppoſitione præſtari nequit aſſenſus Fidei Veritatibus pertinentibus ad Jus: ita idipſum ſervandum eſt quò ad aſſerendum, quod Propoſitiones illæ depromptæ fuerint ex Libro Janſenii, licet in hoc definiendo non fuiſſet divinitus Infallibilis Auctoritas Pontificia; undecumque tandem oriatur obligatio præſtandi hunc aſſenſum. Idem, ut optimè notat Melchior Canus lib.12.de Locis Theolog.cap.7.& 10. in ſimili caſu, negari nequit abſque inſania; ſi enim credenda eſt Fide Divina Propoſitio Iuris, & Dogmatis, videlicet quod Propoſitiones illæ ſint hæreticæ in Senſu, quem habent in Libro Ianſenii, omnino demens erit, qui neget aliam Propoſitionem Facti, ſcilicet, quod illæ eædem Propoſitiones ſint exceptæ ex ejuſdem Ianſenii Libro. Nimis ergo mitis eſſet Cenſura, qua ſolummodo temerarii dicerentur, qui pernegarent deſumptas illas fuiſſe ex Opere Ianſeniano; hanc enim notam incurriſſent inficiati id, quod a Theologis, Epiſcopis, totaque ferè Catholica Eccleſia, evidens jam cenſebatur. Majori ergo ſtigmate configendi ſunt, poſtquam evidentiæ hujuſmodi acceſſit pluries repetita Declaratio, ac Præceptum Apoſtolicæ Sedis. Sed ab aliis notis irrogandis abſtinentes hæremus in ea, qua illos perſtringit Melchior Canus, cujus verba opportuniori loco referemus §.22. Libri Tertii.

LIBER TERTIUS.

De Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiæ Infallibilitate in damnando Senſu Janſenii, ideſt in ſolvendis Quæſtionibus Doctrinæ, ac Juris, expendendo etiam ea, quæ ſpectant ad Factum.

§. I.

De quibus Factis affirment probabiliter aliqui, quod in iis declarandis exiſtimari queat Infallibilis Apoſtolica Sedes.

PLURIMA in hoc Libro, favente Deo, ſtatuemus. Primò ſcilicet, quod poſſint, & ſoleant reſolvi multæ Quæſtiones Facti. Deinde verò demonſtrabimus, quod Controverſia de Senſu Ianſenii eſt potius Iuris, quàm Facti. Et quod Pars illa Facti, quæ in eadem includitur, nullatenus operatur, ut altera Pars non ſit veriſſimè cenſenda Quæſtio Iuris. Quod ſoleat, & debeat Infallibiliter definiri Quæſtio Senſus: Et in ea reſolvenda ſpectandus ſit Senſus Proprius, & Obvius, & a verbis ipſis expreſſus, niſi oppoſitum declaretur a Pontifice Maximo, vel a Sacris Conciliis. Ac demum decernemus, quænam Cenſura ferenda ſit in auſos negare, quod fuerit Infallibilis Damnatio illarum Quinque Propoſitionum in Senſu Ianſenii.

Decreturi, quod Summis Pontificibus affulſerit Lumen Divinum, illos amovens a quovis errandi periculo, in declarando Hæretico Senſu Ianſenii, præſumimus prius cum ſapientiſſimo Cardinali Bellarmino, aliiſque Scholaſticis, & Polemicis Theologis ſubiectum eſſe Pontificem Maximum erroris diſcrimini quò ad Facta, quæ pertinent ad paucos, atque ſtabiliuntur in Privato Judicio, poſtquam inquiſitum fuit, utrum hic, vel ille v. g. ſit dignus eligi in Epiſcopum, utrum legitimè promotus fuerit, utrum deponi mereatur &c.

Aliud verò Factorum genus eſt Univerſale, ideſt reſpiciens Fideles omnes, ac toti Eccleſiæ propoſitum ab ejus Magiſtro, *cujus non defecturam* unquam veram *Fidem* in eadem Eccleſia erudienda ex Cathedra Chriſtus Dominus Petro ſpopondit. Quò ad hæc Facta multi, ut innuimus Lib. præcedenti, ei vindicandam cenſent Infallibilitatem ex eo, quod Eccleſia, ideſt tota Fidelium Congregatio, ſit *Columna, & Firmamentum Veritatis, contra quam Portæ Inferi non prævalebunt*. Sed ſi Summus Pontifex in Generali Conſtitutione ad Eccleſiam directa de-

Digitized by Google

cernens Facta (præſertim ſimilia illi, de quo eſt Quæſtio, ex quo non congruenter declarato orirentur abſurda graviſſima) poſſet eamdem Eccleſiam decipere, profectò hæc non eſſet *Columna*, *& Firmamentum Veritatis*; tenerentur enim Fideles ad audiendum Magiſtrum ſuum, ipſique obtemperandum, ac proinde ad excipienda illius Documenta, quæ falſa eſſent, & urgerentur ad contradicendum Veritati ex obligatione non repugnandi Iuſtitiæ.

Poteſtas quoque definiendi Facta videtur incluſa verbis illis: *Paſce Oves meas*, quibus Chriſtus Dominus Petro, ejuſque Succeſſoribus contulit ſupremam, perfectamque Facultatem Paſtoralem in ordine ad omnia, quæ requiruntur ad optimum Regimen Animarum, inter quæ omnino neceſſarium eſt, ut intuitu falli neſcio diſcernere queat, & Ovibus ſuis aliquando ſolenniter ex Cathedra indicare loca, in quibus venenatæ herbæ naſcuntur, & fontes, ex quibus mortiferæ profluunt aquæ, ideſt Volumina Erroribus in hoc, vel illo Senſu referta.

Neque ſatis eſt (inquiunt hujus ſententiæ Authores) quod oſtendere poſſit Paſtor ſalubres, aut noxias qualitates herbarum abſque eo, quod certò ſciat quibuſnam e Terris proveniant; neque enim ſufficit, ut hoc decernere queat de jam collectis imbutis veneno herbis, & fruticibus, ſed etiam neceſſe eſt, ut dum per Prata Grex, & Colles vagatur cum diſcrimine incidendi in pabula Mortem allatura, poſſit ab iis decerpendis voce, ac ſibilo Paſtoris averti.

§. I I.

Facta ſpectantia ad omnes Fideles, & Univerſæ Eccleſiæ propoſita ab ejus Magiſtro, dici poſſe implicitè revelata, quorumdam Theologorum opinio eſt.

SI Controverſia inſurgat circa Facta illa, quæ revelata fuerint explicitè per Verbum Dei Scriptum, vel Traditum, nobiſcum conveniunt Ianſeniſtæ in affirmando, quod eadem Facta poſſint infallibiliter a Summis Pontificibus, aut Generalibus Conciliis declarari: v. g. (ut ea relinquam, quæ Sacris habentur in Literis, & Exempla petam a Traditionibus) quod Eccleſia, etiam vetuſtiſſima, uſa fuerit Indulgentiis: quod Deipara fuerit Virgo perpetuò illibata, & alia hujuſmodi plurima.

Revelatum implicitè dicitur Factum illud, quod in Generali aliqua Propoſitione continetur: v. g. quod, *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*: &, *quæ ſeminaverit homo, hæc & metet*: quod *fulgebunt Juſti tanquam Stellæ*; quod dentur Sancti, quia Chriſtus Dominus dictus fuit *Sanctus Sanctorum*; ideoque regnabunt cum illo, qui heroica perfectione Virtutum hoc promeruerint. Per has igitur Generales Propoſitiones implicitè revelatum fuit, quod Immortale Regnum fuerit aſſequutus ille, quem inter Sanctos recenſuit Eccleſiæ Moderator in hac Declaratione nulli ſubiectus Erroris periculo, ſicut eamdem ejus Declarationem illico ſuſcipiens præſumit Eccleſia. Eodem pacto, quamvis revelatum non fuerit explicitè, atque in individuo, quod Propoſitiones illæ ſint excerptæ ex Libro Ianſenii, multi tamen opinantur decerni poſſe, quod implicitè, ideſt in confuſis, & generalibus Terminis revelatum fuerit hoc ipſum, quatenus Divina Loquutio pronuntiavit Eccleſiam eſſe *Columnam, & Firmamentum Veritatis*, ita proinde non obnoxiam Errori, ut quicquid ipſi credendum proponit legitimum ejus Aſpectabile Caput ex Apoſtolico Throno, ubi nunquam poteſt deficere Fides Petri, omnino verum ſit.

§. I I I.

Eccleſia in ſuo Capite, vel in Conciliis, conſuevit obſtringere Fideles ad admittenda ut vera quædam Facta, ſive Divina, ſive alia certitudine.

PRoteſtari libet, illa, quæ in hoc, & ſequentibus Paragraphis uſque ad Sextum incluſivè ſubiiciemus, afferri ſolummodo ad evincendam neceſſitatem præſtandi certum aſſenſum Factis annexis Definitioni Juris Fidei, non verò ad ſtatuendam Infallibilitatem Divinam Declarationi Factorum eorumdem, quam Infallibilitatem aſſerere nihil neceſſe eſt ad Janſenianos redarguendos.

A primis ipſis Eccleſiæ Temporibus Facta plurima declarata ſunt ad Hæreſes extinguendas, & Pontificiæ, vel Conciliari Factorum eorumdem Declarationi certiſſimè aſſentiendum eſſe Catholici cenſuerunt. Quot infamia Hæreſiarcharum Nomina per tria Secula, priuſquam Univerſalia Concilia celebrarentur, damnata ſunt a Pontificibus Maximis, quorum nutus excepti ſunt obſequentiſſimè ab Epiſcopis, aliiſque omnibus in Romana Fide perſeverantibus, abſque eo quod ullus deterreretur a tribuenda illis appellatione Impietatis Ducum, & ab illorum Nominum execratione, ob metũ incurrendi temeritatem Judicii circa QueſtionemFacti?

In

In Conciliis verò quot ſimiles Declarationes habitæ ſunt circa Perſonas, Opinioneſque ArtificumTartareorum novi alicujus Erroris? Omitto Arium, Euſebium Nicomedienſem, Theognidem Nicænum, damnatos a Primo, Neſtorium a Tertio, Eutychetem, & Dioſcorum a Quarto, & libenter immorarer in Theodoreto juſſo in eodem ab exclamantibus Epiſcopis apertè dicere anathema Neſtorio, niſi hoc ipſum ubertim expendiſſem in Polemica Hiſtoria ejuſdem Concilii. Confixus in Quinta Synodo fuit Theodorus Mopſveſtenus, & juxta plurium Sententiam etiam Origenes: Sergius in Sexta, aliique Conſtantinopolis Patriarchæ, & Cyrus Alexandrinus: Photius in Octava tanquam Schiſmaticus, & Hæreticus. Et, ut reliquas prætermittam, adacti ſunt Catholici omnes in Conſtantienſi, ut Eccleſiæ Filii haberentur, ad reſpondendum hiſce circa Factum Interrogationibus: *Utrum teneat, credat, aſſerat, Joannem Wiclef de Anglia, Joannem Huſs de Boemia, & Hieronymum de Praga, eſſe Hæreticos?* Ab hac jubenda Declaratione abſtinuit Tridentina ob immanem eorum numerum, qui vel novas invenerant, vel plerumque antiquas Hæreſes ab Inferis revocaverant.

Eadem, quæ Conciliis, poſtquam hæc haberi cœperunt, fuit etiam Summis Pontificibus Conſuetudo, ut S. Leoni Magno circa Pelagianos, & Manichæos, a quibus ad Eccleſiæ gremium redeuntibus exigebat, ut voce, atque ſcripto publicè damnarent Memoriam Magiſtrorum ſuorum. Præclarum eſt Innocentii Secundi Reſcriptum jubentis, *ut Viri Eccleſiarum Paſtores viriliter inſurgentes eorum prava Dogmata* (ideſt Sectatorum Petri Abailardi) *cum ipſorum Auctoribus condemnarent: quemadmodum*, ut de ſe inquit, *univerſa ipſius Petri perverſa Dogmata Sanctorum Canonum Auctoritate cum ſuo Auctore damnavimus.*

Multò autem facilius anathemati ſubiiciuntur Hæreticorum Scripta, quàm Hæretici ipſi, quoniam ad ea configenda neceſſe non eſt inſtituere Judicium circa mentem, & intentionem, ſicut in ferenda Sententia contra Perſonas. Notat Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Pater Cardinalis Baronius ab ipſis Eccleſiæ incunabulis Epheſi traditos flammis fuiſſe peſtilentes Hæreticorum Libros, ut deinde præſtitum eſt a Concilio Nicæno de illis Euſebii Nicomedienſis, & Arii, quos non proferentes in medium, ut igni traderentur, Capitis damnavit Conſtantinus Magnus. Et Magni pariter Theodoſii Codex legem ſtatuit de hac ipſa combuſtione, qua deinde in Epheſino arſerunt Scripta Neſtorii, Eutychetis in Chalcedonenſi, in Quinto Mopſveſteni, aliorumque, & ſumma cum celebritate Photii Volumen in celebrato Romæ poſt Octavum Orientis, prius ab omnibus proculcatum, & deinde momento abſumptum ab incendio, quod auctum fuit ab ingruente pluvia, prodeunte a nefariis paginis fœtore non ferendo: quod utrumque Miraculum plurima hominum millia ſpectaverunt, & naribus experta ſunt.

Adeo exactè vigebat olim hæc diſciplina, ut nulla nunc ſuperſint Veterum Hæreſiarcharum Opera, quamvis ex ipſis quædam elegantiſſimè ſcripta, & in ſolis Impugnatoribus legantur eorum errores. Perſuaſum igitur (inferunt hi Theologi) Catholicis omnibus fuit nulli decipiendi periculo fuiſſe obnoxiam Eccleſiam in decernendis Factis, quæ ad Perduellium Perſonas, eorumque Scripta ſpectabant.

§. IV.

Janſeniani ipſi agnoviſſe videntur in Pontifice Maximo Poteſtatem definiendi Facta.

In Neluctabili nunc ratiocinatione hoſtes veritatis invadunt Theologi illi, qui Pontificiam in declarandis Factis Doctrinalibus vindicant Infallibilitatem. Perpetuò Janſeniani inculcant Divina Fide credendum eſſe quicquid in materia Gratiæ ſcripſit S. Auguſtinus, nec ulli ejus effato negari poſſe aſſenſum, quin in impietatem Pelagianam proruatur. Si porrò quæratur ab ipſis, quiſnam maximo illi quidem, ſed certè privato, Doctori tantam conciliaverit auctoritatem? Reſpondent illico, & ſemper, tantum illi pondus acceſſiſſe, quia ejus in hac parte Doctrina probata fuerit ab Eccleſia, eamque Innocentius, Zoſimus, Cæleſtinus, aliique Pontifices Maximi confirmaverint. Ita ne verò? Satis igitur eſt, ut Infallibili Fide credatur Catholicam de Gratia Doctrinam contineri in Voluminibus Auguſtini, quod hoc verum eſſe cenſuerint Romani Pontifices? Satis profectò eſſe pronuntiant. Nunc porrò ab ipſis inquirunt ij Theologi, utrum æqualis, imò eadem, ſit cum illa cæterorum, quos celebrarunt, Auctoritas Urbani, Innocentii, & Alexandri, condemnatorum Janſenii? Inſanient profectò, ſi hoc pernegent. Eadem igitur Fide credendum eſt, quod Hæretica de Gratia Doctrina contineatur in Janſenii Libro. Num utraque non eſt eadem ex parte Quæſtio Facti? Num, qui declarare poteſt, ubi fulgeat veritas, perinde nequit definire, ubi lateat falſitas? Argumentati ſunt, ut dici ſolet, ad hominem contra Janſenianos

nos præſumentes latam ab Apoſtolica Sede fuiſſe Definitionem, quod vera ſit tota penitus D. Auguſtini Doctrina de Gratia. Hanc verò Univerſalitatem Pontificiæ Declarationis communiter negant Catholici Doctores.

§. V.

Facta etiam Recentia ſolent ab Eccleſiæ Magiſtro proponi tanquam certò affirmanda.

REdacti in anguſtias Adverſarii diſcrimen inter Antiqua, & Recentia, Facta commenti ſunt. Sed quot, (reponunt Theologi, quorum ſententiam referimus) ex hiſce, tanquam materia, circa quam Fides Divina verſetur, recenſeri poſſunt? v.g., ut innuimus, quod aliqnis noſtro Seculo aſcriptus albo Sanctorum Deum intueatur: Quod infans paulò ante natus, necdum Sacri Baptiſmi aquis perfuſus, ſit reus culpæ in Adamo contractæ.

Si ſubiiciant, hujuſmodi Facta, quia Recentia, non poſſe dici revelata, eò quòd novæ Sacræ Literæ poſt Apoſtolorum tempora ſcriptæ non fuerint, obliviſcuntur Revelationis Implicitæ, de qua ſupra loquuti ſumus, quæque ſola vim habet qnò ad innumera alia Vetuſta Facta jam expenſa, ut ab Eccleſiæ Præceptoribus, Sacriſque Conciliis declarata.

Animadvertendnm qnoqne eſt, pleroſque ex illis Theologis, qui negant, teneri nos ad præſtandam ultro Fidem Divinam recenſitis Propoſitionibus, fateri tamen eamdem eſſe Fidem adhibendam, poſtquam illæ fuerint ab Eccleſia ſuſceptæ. Quid igitur ſentiendum de iis, qui irritam, & inanem putant quamcumque circa Janſenii Senſum, ſpectantem ad ipſum Fidei Jus, jam latam ab Apoſtolica Sede, atqne exceptam ab Eccleſia Definitionem, quæ fundatur non ſolum in Implicita, ſed & in Explicita Revelatione Divina, nt oſtendemus?

§. V I.

Videtur quibuſdam apparere ex Divinis Oraculis, & Eccleſiæ, imò & Janſenii, Confeſſione, reſolvi poſſe Quæſtiones Facti.

QUod hæc Eccleſiæ in ejus Capite ſeorſum, vel in Corpore a Generalibus Synodis repræſentato, attributa a Chriſto Domino decernendi Controverſias Facti Poteſtas inſit, liquere multi pntant ex eo, quod eamdem toties, Catholico nullo reclamante exercuerit, ut oſtendimus: & ex eo, quod ſit *Columna, & Firmamentum Veritatis*: & Chriſtus Dominus Petro, inque illo ejus Suceeſſoribus, quibus in Eccleſia erudienda certitudinem Fidei promiſit, juſſerir in eadem *Fratres confirmare*: univerſæque Eccleſiæ ſpoponderit Adventum Divini Spiritus dicens: *Ille vos docebit omnia*: Infallibili certè Magiſterio, loquens per os ejuſdem Eccleſiæ Capitis, ant Corporis in Conciliis Generalibus Capiti cohærentibus, & ab eo confirmatis.

Nec ipſe Janſenius hoc diffitetur, cum Librum ſuum Apoſtolicæ Sedis Infallibili Cenſuræ ſubiecerit, in quo plurima continentur pertinentia ad Factum, v. g. ntrum D. Auguſtinus ſenſerit Præcepta quædam eſſe Juſtis impoſſibilia? Utrum Janſenius ipſe quò ad hoc, ac tòt alia, fuerit aſſequutus Senſum ejuſdem Auguſtini.

Quod Eccleſia igitur Poteſtatem hanc a Chriſto Domino acceperit, eſt veritas, quam plurimi cenſent credendam per Fidem: & ſancitam Auctoritate Sacrarum Literarum, Apoſtolica Traditione, ac immemorabili Conſuetudine, comprobatam ab Uſu tot Summorum Pontificum, & Generalium Synodorum, Miraculis etiam cælitus confirmatam, inter quæ attigimus ea, quæ contigerunt in Librorum Photii combnſtioue. Sed nihil indigemus Infallibilitate in reſolvendis Quæſtionibus meri Facti, ut mox patebit.

5. V I I.

Damnatio Prcpoſitionum in Senſu Janſenii cadit ſupra Senſum Libri Janſenio attributi, non autem ſupra Senſum, quem idem in Mente habuerit.

FRuſtranea videri poteſt hujuſce rei Declaratio, cum in Polemica Hiſtoria paſſim, & ubique oſtenſnm ſit accuſatam fuiſſe ab ampliſſimo Gallicanæ Eccleſiæ Cœtu *Doctrinam Libri Janſenii*, eamdemque fuiſſe proſcriptam a Pontificibus Maximis, abſque eo, quod Accuſatores, aut Judices Janſeninm ipſum unquam perſtrinxerint. Ne tamen cuipiam ſubrepat ſuſpicio, quod Condemnatio Senſus Janſenii afficiat Senſum ab illo in Mente habitum, & non Senſum Libri præferentis nomen Ianſenii, juvat aliquantiſper in hoc immorari. Immunis a qualicumqne Cenſura, nedum ab illa Hæreſis, relicta ſemper fuit ab Apoſtolica Sede Ianſenii Mens. Etiamſi Auctor illius Voluminis ipſe fuiſſet, ut præſumitur, declaratum tamen non fuit, quod hæreticum Senſum mente conceperit; cum enim mo-

moriens illud ſubiecerit Iudicio Apoſtolicæ Sedis, potuit contingere, quod materialiter errans non fuerit contumax in errore: vel etiam potuit evenire, quod Catholicè ſentiens, nihilominus hæreticas ſententias voluerit ſcripto tradere cupidus Famæ comparandæ per novæ Sectæ Inſtitutionem. Hujus vecordiæ reos ſe ante Sacrorum Quæſitorum Tribunal nonnulli aliorum Errorum Auctores, aut Propagatores confeſſi ſunt Teſtem Divinum Judicem appellantes ſub ipſam Mortem ſtatim obeundam, quod nunquam interius a vera Fide receſſiſſent, licet contra illam ore, vel calamo decertaſſent. Nihil igitur de Senſu Mentis Janſenii ſancitum eſt, ſed quotieſcumque in Conſtitutionibus, aut Literis Apoſtolicis habetur Sermo de Senſu Janſenii; de illo Pontifices Maximi Senſu loquuntur, qui patet ex Libro eidem aſcripto.

Id, quod Janſenius in Mente habuit, non eſt Factum, quod ullatenus appellari poſſit Dogmaticum, videlicet nexum cum Jure, & Dogmate Fidei, quantumvis enim Catholicus fuiſſet Janſenianæ Senſus Mentis, hæreticus tamen habendus eſſet Senſus, & Doctrina Libri illius, qui Janſenii nomen in fronte habet. Neque Dogmaticum cenſendum eſt Factum aliud, ſcilicet, quod Liber ille ſcriptus potius fuerit a Cornelio Janſenio, quàm ab alio, qui tribuere illum voluerit Yprenſi eidem Antiſtiti. Dogmaticum ſolummodo Factum ſitum eſt in eo, quod damnatæ illæ Propoſitionet ſint excerptæ ex Volumine præferente nomen Janſenii, cujus Auctor præterea, quicumque fuerit, eum adhibeat Doctrinæ Contextum, ut illas explicare, & confirmare apertiſſimè laboret ita, ut re ipſa forment Senſum Hæreticum. Idcirco Dogmaticum dicitur Factum hoc, quia cum deteſtari tanquam hæreticum jubeamur Senſum Doctrinæ Voluminis ejuſdem, quod Decretum manifeſtiſſimè pertinet ad ipſum Fidei Jus, cum hoc apertè nectitur Factum illud, videlicet quod Propoſitiones reiiciendæ tanquam hæreticæ ſint extractæ a Libro illo, & hæreticum Senſum habeant in ejuſdem Libri Contextu.

Quod de Senſu, & Doctrina Libri Janſenii, & non de Senſu Mentis ejuſdem Janſenii, loquantur Pontifices Maximi, manifeſtè patet (ut hic in compendium redigam, quæ ſparſa ſunt per Hiſtoriam) ex verbis adhibitis ab ipſo Innocentio X., nedum ab ejus Succeſſoribus dilucidius configentibus Janſenii Senſum. In Literis in forma Brevis, quas Innocentius dedit ad Cœtum Gallicani Cleri 29. Septembris 1654., quæ referuntur in fine lit. M. inquit, *Damnavimus in Quinque Propoſitionibus Cornelii Janſenii* Doctrinam, *ejus Libro contentam*. Et quod Doctrinam hanc, ſenſumque Libri damnaſſet, ſatis liqueret ex eo, quod annuiſſet Votis Octogintaquinque Epiſcoporum Galliæ, qui ſua in Epiſtola extante in fine lit. A. dixerant, *Decennium eſſe, ex quo vehementiſſimis turbis Gallia commovebatur ob Librum poſthumum, & Doctrinam Reverendiſſ. Cornelii Janſenii Yprenſis Epiſcopi*.

Similis Conventus Gallicanam Eccleſiam repræſentans in Literis ad Alexandrum VII. conqueritur *de motibus in Galliis excitatis ob Janſenii Yprenſis quondam Epiſcopi* Doctrinam *certis capitibus comprehenſam*. Et deinde narrat, quod Apoſtolicum Innocentii Breve *Deciſionis Auctoritate ad Juris quæſtionem reſtrictio* Doctrinam *Janſenii, quam Opere ſuo illo explicuit, in Propoſitionum confixurum materia Pontificia Conſtitutione damnatam fuiſſe declarat*. Et ipſius Libri Contextum expendens Cœtus ille ſapientiſſimus animadvertit, perperam in eo allegari B. Auguſtinum *per pravas, & detortas, quæ ad Doctoris egregii locos adhibentur, Interpretationes Magiſtrum illum optimum adultero Senſu violando*. Alexander autem in ſua Conſtitutione, poſtquam dixit a ſe Innocentianam confirmari ait; *Et quinque illas Propoſitiones ex Libro præmemorati Cornelii Janſenii Epiſcopi Yprenſis, cui Titulus eſt Auguſtinus, excerptas, ac in Senſu ab eodem Cornelio Janſenio intento damnatas fuiſſe declaramus, ac definimus*. Manifeſtiſſimè igitur oſtendit a ſe damnari Senſum intentum a Libro, nec loqui ſe de Senſu intento a Mente Janſenii, præſertim cum ſubiiciat, *eumdem Librum &c. omneſque alios &c. in quibus prædicta ejuſdem Cornelii Janſenii* Doctrina, *ut ſupra, damnata defenditur, vel aſtruitur, aut defendetur, vel aſtruetur, damnamus itidem, atque prohibemus: Mandantes omnibus Chriſtifidelibus, ne prædictam* Doctrinam *teneant &c.* Doctrinam ſcilicet Libri, cujus Senſum eſſe hæreticum definiverat.

In Formula quoque Fidei, dum damnandum declarat Propoſitionum *Senſum ab eodem Auctore intentum, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit*, enimvero agit de Senſu, qui patet intentus ab Auctore in ejuſdem Libri ſcriptione, qualiſcumque fuerit Senſus hærens in illius Mente; Conſtitutiones enim, ad quas Formula ſe refert, agunt apertiſſimè de ſolius Libri Senſu.

De Clemente IX. ſatis eſt innuere, quod in Brevi ad Quatuor Epiſcopos, quos exactè obtemperaſſe præſumebat, apertiſſimè profiteatur, ſe, *Prædeceſſorum ſuorum Conſtitu-*

ſtitu-

ſtitutionibus firmiſſimè inhærentem, nullam circa Formularium Alexandrinum Exceptionem, aut Reſtrictionem admiſſurum unquam fuiſſe.

Diſertiſſimè Conſtitutiones eaſdem confirmat Innocentius XII. vetatque *Diſtinctiones omnes, Reſtrictiones, ſeu Expoſitiones*, fieri ſolitas a Janſenianis:& prope finem Secundi Brevis extantis lit.HH.decernit *procedi ab Epiſcopis etiam ſpeciali Facultate ipſis indulta a Conſtitutionibus Innocentii X., & Alexandri VII., quas ipſe quoque confirmat, contra eos,qui voce,aut ſcriptis edant proprios Senſus Apoſtolicarum Conſtitutionum*,ſuique *prioris Brevis Senſui diſſentaneos, ita ut ſervatis ſervandis congruè puniantur, cum ea omnia facilè probari poſſint, quia agitur de actibus externis*. Declarat igitur cenſendos eſſe hæreticos illos, qui exhibent Externum aliquod ſignum, ex quo ſuboriri congruens Suſpicio poſſit de non exiſtimato hæretico Senſu, & Doctiina Libri attributi Janſenio; nam ſi Suſpicio ſolùm oriretur de opinantibus non fuiſſe hæreticum Senſum habitum in Mente a Janſenio,nulla illis pœna potuiſſet irrogari.

Sanctiſſimus demum D. N. Clemens XI. nihil unquam innuens de Janſenii Mente ampliſſimè confirmat Innocentii X. Conſtitutionem, & geminas Alexandri VII.,quas inſerit ſuæ, ideoque cum Deceſſoribus impetit Senſum Libri Janſenio attributi. De Senſu, & Doctrina Libri manifeſtiſſimè loquitur, dum condemnat eos, *qui ipſam Janſenii* Doctrinam, *quam ab Apoſtolica Sede damnatam Eccleſia Univerſalis exhorruit,adhuc interius abiicere, & corde improbare detrectant*. Quid verò illo apertius Oraculo, quo *naturalis honeſtatis, nedum Chriſtianæ ſynceritatis oblitos*, appellat illos, qui *aſſerere non dubitaverint Formulæ Alexandrinæ ſubſcribi licitè poſſe etiam ab iis, qui interius non judicant prædicto Janſenii Libro* Doctrinam hæreticam *contineri?* Ac demum ſubjicit Cenſuris, & pœnis omnibus, quas Innocentius, & Alexander indixerant, Cenſuris videlicet, & pœnis Hæreticorum, eos, *qui damnatum in Quinque Propoſitionibus* Janſeniani Libri Senſum,.... *ut hæreticum,non ore ſolùm, ſed & corde, reiici, ac damnari debere*, non fateantur, nec re ipſa damnent. Quod *Senſum* igitur, ac *Doctrinam Libri*, nihil decernendo de Janſenii Mente, damnare oporteat tanquam hæreticam, luce meridiana clarius eſt.

§. VIII.

Quod Hæreticus ſit Senſus Janſenii, eſt Quæſtio potius Juris, quàm Facti.

PRogredimur ad demonſtrandum, quod in Decreto ſtatuente Propoſitiones illas Hæreticas eſſe in Senſu Libri Janſenii ſolvitur Quæſtio potius Juris, quàm Facti, quod Jus in eodem Decreto formaliſſimè, ac magis,quàm Factum ipſum,includitur.Cum enim quæritur, utrum ſint hæreticæ in Senſu Libri Janſenii, ſit Quæſtio de ipſa Doctrina, quæ manifeſtiſſimè pertinet ad Jus, & Dogma Fidei.

Apparet hoc ex aliis Quæſtionibus, quæ quotidie inſtituuntur in diverſa materia, & in ipſa materia Fidei: v. gr. eſt Quæſtio meri Facti,utrum Titius a Cajo fuerit occiſus? Atque hæc Quæſtio præſupponitur reſoluta ante aliam Quæſtionem, utrum fuerit interemptus juſtè,quia fuerit violentus invaſor, vel potius injuſtè, quia illum Cajus per vim fuerit adortus? Hæc ſecunda enimverò cenſetur Quæſtio Juris, licet in ea pars aliqua Facti, videlicet ipſa Titii occiſio, includatur. Ita igitur inquiſitio, utrum Propoſitiones illæ fuerint excerptæ ex Libro Janſenii, in quo explicentur, & ſtudium adhibeatur ad eas confirmandas, eſt, ut ſupra ſtatuimus, formaliter Quæſtio Facti, & Juris tantummodo præſuppoſitivè, cumque ipſo Jure nexa, videlicet cum ſententia ferenda de illis Propoſitionibus tanquam Catholicæ Veritati conſentaneis, an non. Sed altera Quæſtio, utrum ſcilicet ſint hæreticæ in Senſu Libri Janſenii, eſt formaliſſimè Juris; cum enim expenditur Senſus, quem Propoſitiones habent in Libro Janſenii,involvitur quidem in hac Quæſtione Factum aliquod, ſcilicet, quod Propoſitiones eædem excerptæ ſint a dicto Libro, in quo eas confirmare Auctor laboret, ſed præcipua Inquiſitio eſt de ipſa Doctrina in eo Senſu intellecta. Reſolutio autem hujus Quæſtionis, quæ præcipuè verſatur circa Doctrinam ipſam,enimverò formaliter,& immediatè ſpectat ad Jus, & Dogma Fidei, & nonniſi præſuppoſitivè ad Factum. Neceſſarium quippe eſt ad Fideles erudiendos, ut ipſis proponatur Doctrina Fidei non confuſè, & quaſi in abſtracto, ſed apertiſſimè, & quaſi in concreto,ſcilicet in hoc potius, quàm in alio Senſu. Quæſtio igitur de Senſu Libri Janſenii pertinet præcipuè ad ipſam Doctrinam Articulorum, qui eo in Senſu credendi ſint, aut rejiciendi, atque ideo præcipuè ſpectat ad ipſum Fidei Jus.

In aliis

In aliis etiam rebus pertinentibus ad Fidem Divinam inſtituitur Quæſtio Juris, licet Factum aliquod includant: v. gr. (ut exempla ſuperius ab aliis allata pro decernendo, quod Facta quoque ipſa domiri queant, aptentur Veritati, quæ nunc expenditur, videlicet quod exiſtimandæ ſint Quæſtiones Juris etiam illæ, quæ Factum aliquod includunt) Fide Divina creditur, juxta communiorem ſententiam, quod aliquis aſcriptus Catalogo Sanctorum regnet cum Chriſto. Præſtatur autem aſſenſus rei pertinenti ad Jus Fidei, licet in ejus objecto includatur Canonizatio ipſa non revelata divinitus. Dum Fide Divina creditur, Infantem nondum Baptiſmo luſtratum eſſe reum culpæ originariæ, præſtatur aſſenſus rei ad Jus Fidei pertinenti, in qua tamen includitur ipſa Infantis Nativitas, quæ res non fuit divinitus revelata.

Præterea Janſeniani concedunt Revelationes Divinas nobis innoteſcere non ſolùm per Verbum Dei ſcriptum, ſed etiam per traditum. Traditiones autem nobis conſtare fatentur per communem Conſenſum Patrum ſtatuentium hanc, vel illam Propoſitionem eſſe veram in hoc potius, quàm illo Senſu. Fide igitur Divina credendus eſt ut verus Senſus ille, qui patet ex Traditione, quamvis Traditio ipſa declarata per communem Conſenſum Patrum, quæ eſt Factum nexum cum Jure Fidei, videlicet quod Patres re ipſa convenerint in eo Senſu explicando, non ſit Veritas divinitus revelata. Exemplum petitum a Sanctorum Canonizatione adhibetur ſolummodo ad oſtendendum, quod licet includat res plurimas ad Factum pertinentes, nimirum Probationes Heroicarum Virtutum, & Miraculorum, ipſamque Canonizationem celebratam, quarum rerum ne implicita quidem Revelatio data fuit; Divina tamen Fide credendum eſt juxta receptiſſimam ferè omnium Theologorum Sententiam, quod regnent in Patria Beatitatis illi, qui relati ſunt in Faſtos Divorum ab Apoſtolorum Principis Cathedra. Implicitam hi Theologi dari cenſent Revelationem hujus Veritatis pertinentis ad ipſum Fidei Jus, ut explicuimus §. 13. Libri Secundi, & §. 2. hujus Libri Tertii, & clarius decernemus §. 19. Libri Primi Partis Tertiæ, ubi inter alias ſolvemus Obiectionem deſumptam a paritate inſtituta inter Condemnationem Senſus, & Doctrinæ Hæreticæ, atque inter Declarationem, quod in Cælo triumphent illi, quos ad aras veneramur.

Porrò lenocinari ſibi nequeunt Janſeniani, quod ſufficiat Moralis Certitudo quò ad Hæreticitatem Senſus, & Doctrinæ Propoſitionum excerptarum ex Janſenii Volumine: ſicuti non alia, quàm Moralis, inquiunt, Certitudo habetur de hujus, vel illius Sancti ſempiterna Fœlicitate juxta illorum opinionem, qui negant, eamdem admittendam in animum eſſe aſſenſu Fidei Divinæ; Hæreſis enim Cenſuram illis non Inflixit Eccleſia, quamvis tanquam Erroneam, & Hæreſi proximam eorum Sententiam plerique ſugillent. Colligunt hinc Janſenii aſſeclæ, quod nec hæreſis nota inuri queat tribuentibus Moralem ſolummodo Certitudinem Pontificiæ Definitioni exceptæ ab Eccleſia, quæ tanquam hæreticum damnavit Senſum, & Doctrinam Propoſitionum illarum, prout eo in Volumine explicantur.

Sed miſeret me illorum infortunii, quo ſe ipſos verius illudunt, quàm aſſequi poſſint, ut Eccleſia Dei ab ipſorum Cavillationibus decipiatur. Quicquid enim ſit de pauciſſimorum quorumdam opinatione quò ad Sanctos, de quorum cæleſti Regno Implicita ſolummodo ad hunc, vel illum protenſa Revelatio habetur; transferri tamen hoc nequit ad Hæreticitatem Janſeniani Senſus, atque Doctrinæ, quia de hac habetur Revelatio Explicita in Divinis Oraculis, ad quorum normam expenſæ illæ Propoſitiones inventæ ſunt repugnantes Verbo Divino. Proinde non ſufficit Certitudo Moralis, qua hæreticus cenſeatur Senſus, & Doctrina Propoſitionum eo in Volumine explicatarum; ſed earumdem Hæreticitatem deteſtari oportet Infallibili Aſſenſu Fidei Supernaturalis.

Quid, quod ne Morali quidem Certitudine amplectuntur Veritatem Condemnationis, quæ prodivit ab Apoſtolica Sede, atque ab Eccleſia ſuſcepta eſt; ſed illam a ſe non reiici ſimulant, ut obſequentes videantur, cum interim ſpeciem tantummodo quamdam certitudinis indulgeant Condemnationi eidem, cui nihilominus ſubeſſe poſſe falſitatem præſumunt, & unam eam eſſe illis e rebus opinantur, de quibus dixit Philoſophus: *Multa falſa probabiliora veris*: & mordicus infixum animo retinent ſuum illud Syſtema *de Cæleſti* (ſic enim eam nuncupant) *S. Auguſtini Doctrina*, a quo ſtatutum fuerit Indeclinabilem, & Irreſiſtibilem eſſe Delectationem Indeliberatam, quæ nos præveniat ſive ad bonum, ſive ad malum. Ab hac porrò inferri Janſenianas illas quinque Propoſitiones affirmant.

§. IX.

Non ſolùm plurimæ, ſed omnes prorſus Propoſitiones de Jure Fidei includunt aliquod Factum non revelatum.

FActum certè divinitus non revelatum eſt ipſa Inſtitutio, & uſus verborum, ad quod Factum reſpicit quicumque Aſſenſus Fidei, qui præſtetur Propoſitioni alicui: v. g. *Deus eſt Trinus, & Unus; Beatiſſima Virgo eſt Deipara*. Neque verò Dogma Fidei ſitum eſt in qualicumque harum Souitu Vocum proferendo ab hominibus, ut a Pſittacis, ſed in Senſu per illas ſignificato. In eo porrò Senſu, qui magis proprius ſit, & nativus, attributo vocibus ab Inſtitutione, atque Uſu, prout vulgò adhibetur, & a Vocabulorum Collectoribus explicatur, niſi aliter a Summis Pontificibus, aut Conciliis declaretur circa Senſus diverſos a Literali. Cum igitur affirmatur Propoſitionem aliquam Fide Divina credendam eſſe in Proprio Verborum Senſu attributo verbis ipſis ab Inſtitutione, atque Uſu, conſtat Propoſitionem eſſe de Fide in tali Senſu, quem reſpicit Propoſitio ipſa, quamvis, quod eadem exprimat hujuſmodi Senſum, aliunde conſtet. quàm ex Revelatione Divina. Id, quod liquet de allatis Propoſitionibus, valet de ſingulis, nam omnes reſpiciunt ad Inſtitutionem ipſam, & Uſum Vocum, vel proprium, vel allegoricum &c.

Si ſeparandum eſſet in Dogmatibus Fidei Factum a Jure, ut Janſeniſtæ contendunt, nullus ſupponi poſſet Senſus in Vocibus, quibus exprimitur Dogma Fidei, quandoquidem Senſus ipſe, ut oſtendimus, includit neceſſariò ſuppoſitionem aliquam Facti, videlicet Inſtitutionem ipſam, & Uſum Vocum. Si ergo Factum hoc a Definitionibus Fidei, & Hæreſum Damnatione ſeparandum eſſet, definirentur, aut proſcriberentur ſolummodo Voces, non verò Res per illas ſignificatæ, & a proſcribentis mente conceptæ. Hoc autem profectò dici nequit, niſi velimus omnem auferre vim Conſtitutionibus Pontificiis, Decretis Conciliorum, imò Sacris etiam Literis, & omnia Religionis fundamenta diruere.

Invenitur igitur Factum aliquod prorſus inſeparabile a Jure, quod Jus definiri poteſt abſque eo, quod Factum ipſum definiatur, & perinde ac de Senſu, quem ab Uſu, & in Vocabulario habent Voces illæ; *Verbum non eſt Deus*; creditur per Fidem, quod ſit Senſus hæreticus, quia ſic definivit Nicæna Synodus, quãvis non credatur ex Fide, quod eædem Voces forment Senſum illum, ſed hoc aliunde conſtet: ita de Senſu, quem Quinque illæ Propoſitiones habent in Auguſtino Janſenii, credendum eſt ex Fide, quod ſit Senſus hæreticus, quia hoc declaravit Alexander, licet quod habeant Senſum illum non liqueat ex Divina Revelatione, ſed aliunde.

§. X.

Neceſſariò concedenda eſt Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ, Poteſtas definiendi Infallibilitate Divina Senſum Catholicum, aut Hæreticum, Propoſitionum; alioqui enim nihil certum eſſet in Fide.

HÆc addimus generatim, quibus tamen in controverſia cum Ianſenianis non indigemus, quia Senſus Propoſitionum excerptarum ex Libro Janſenii eſt unicus, obvius, nativus, apertiſſimus, & æquivocationi nulli ſubjectus.

Cum Senſus verborum aliquando queat eſſe multiplex, & frequentia circa illum dubia ſuſcitentur, proviſum certè divinitus fuit Eccleſiæ, ut infallibilis haberi poſſit illorum ſolutio dubiorum. Veritati huic aſſentiuntur Ianſeniani plerique, nec diffitentur dubia illa diſſolvi poſſe a Cathedra S. Petri, cui neceſſariò acquieſcendum ſit quouſque habeatur Synodus aliqua Univerſalis. Sed toto cælo aberrant addentes hujuſmodi limitationem temporis; num enim coacta deinde Concilia ferre Sententiam poterunt contrariam illi, quæ lata jam fuerit a Pontifice Maximo? Quod hæc illis Poteſtas non inſit, latè oſtendimus alibi agentes de Synodis Epheſina, & Chalcedonenſi, quibus Summi Pontifices præſcripſerunt Formulam Fidei, jubentes eamdem nullatenus immutatam per Chriſtianum ſolummodo Orbem ab ipſis Conciliis latè vulgari. Quod ſi affirmare audeant Ianſeniani non defuturam Synodo facultatem invertendi Pontificiam Sententiam, atque hanc re ipſa Synodus immutaret, opinarentur, Eccleſiam, quæ Romanæ Declarationi eò uſque adhæſerat, fuiſſe deceptam contra Promiſſionem Divinam ſuperius oſtenſam ex illis Oraculis: *Ille vos docebit omnia: Eccleſia eſt Columna, & Firmamentum Veritatis &c.*

Sacræ certè Literæ ſæpiſſimè obſcuræ non ſemper ultro exponunt veritatem Senſus, ut ipſi quoque Lutheri, & Calvini Sectatores fateri coguntur. Fruſtra verò iidem confugiunt ad internam a ſingulis habitam Inſpirationem Divinam, quæ verum unicuique Senſum aperiat. Hæc dementia fuit Ori-

Origo Sectarum innumerabilium. Eam alibi refellimus *in Demonſtrata Impiorum Inſania* Libro Tertio Signo ſexto, multiplici, & ineluctabili ratiocinatione, quam huc transferre ſupervacaneum eſt, cum eò vecordiæ non venerint Ianſeniani, ut ſingulos mortales conſtituant certos Interpretes Senſus Sacrarum Literarum, quem ab Eccleſiæ Magiſtro negant definiri irreformabiliter.

Interpres unicus, præter Concilia, eſt Eccleſiæ Moderator, & Præceptor, qui novos Articulos non conſtituit, ut Prophetæ, Evangeliſtæ, aliique Scriptores Canonici, ſed exponit Senſum Divinæ Locutionis ſcriptæ, vel traditæ.

Quod hoc præſtare queat, apertiſſimè declaravit Concilium Florentinum, ac Tridentinum Seſſ.4.dicens, ad Eccleſiam, a ſuo Aſpectabili Capite certè repræſentatam,pertinere Iudicium ferre *de vero Senſu,& Interpretatione Sacrarum Scripturarum*: quæ Definitio, tanquam fundamentum Orthodoxæ Religionis, inſerta eſt Formulæ Fidei jurejurando ſanciendæ. Synodus eadem Seſſ.7. Can. 3. de Baptiſmo *Omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram* eſſe declarat *Romanam Eccleſiam*, quæ nonniſi ob Epiſcopi ſui Dignitatem talis cenſenda eſt. Divinitus igitur infallibilis eſt Romanus, idemque Univerſalis, Eccleſiæ Epiſcopus iu Sacrarum Literarum Senſu explicando.

Neque minus in exponendo illo Propoſitionum, quas peculiares Auctores tradiderint conformes, aut repugnantes Divino Verbo ſcripto, vel tradito. Niſi enim Senſus ipſius penetralia pervaderet, loqueretur neſciens quid diceret, & hæreret in verborum cortice,ſub quo falſus non minus,quàm verus Senſus deliteſcere poſſet, permittens ſingulis arbitrium interpretandi pro libito Propoſitiones definitas, eiſque Senſum hæreticum tribuendi.

Negari nequit providentiſſimum fuiſſe Chriſtum Dominum in inſtituendo Regimine, ac Magiſterio Eccleſiæ ſuæ. Sed ad hoc obtinendum neceſſe fuit adeſſe perpetuò certum Interpretem Divinorum Oraculorum, quibus adverſa Dogmata damnare queat,ne per dilatam Declarationem, quòuſque Synodi cogantur (quæ præterea nequeunt frequenter celebrari abſque ſumma pernicie Ovium ex abſentia Paſtorum) Hæreſes interim invaleſcant.

Patet autem, Poteſtatem declarandi Senſum Propoſitionum hæreticarum nexam eſſe cum illa definiendi Senſum Divinarum Scripturarum. Agitatur v.g. controverſia Catholicos inter, & Ianſenianos, de Senſu Textuum Sacrarum Literarum: *Deus dat omnibus affluenter &c.Non permittit vos tentari ſupra id, quod poteſtis &c. Perditio tua ex te &c.* (quemadmodum hunc Oſeæ textum legunt S. Thomas, aliique Theologi) *Deus vult omnes Homines ſalvos fieri &c.* Senſum locorum hujuſmodi, aliorumque plurimorum, ita explicant Janſenii aſſeclæ, ut contra Ducem ſuum pugnare minimè videantur;Apoſtolica verò Sedes decernit eum eſſe Locutionis Divinæ Senſum, a quo Hæreſes Janſenii ſubvertantur. In hoc certamine niſi adhærendum eſſet Pontificiæ circa Senſum Definitioni, remedium inveniretur nullum ad Hæreſim extinguendam; ideoque non fuiſſet providè conſultum ejuſdem Eccleſiæ Magiſterio.

Dum expenſæ ſunt Propoſitiones Janſenii, non fuit inſtituta Quæſtio de illis quomodocumque, ſed de iiſdem prout comparatis cum Sacris Literis, ac Patrum Traditione, ideoque cum Verbo Dei ſcripto, ac tradito, & ex Catholico Senſu Verbi Divini apparuit Hæreſis Senſus Janſeniani cum eo pugnantis.

§. XI.

Credendum eſt, Senſum damnatum in Propoſitionibus Janſenii eſſe Senſum Obvium, proprium, nativum,quem Verba ipſa exhibent.

POſtquam ſtatuimus neceſſariò concedendam eſſe Apoſtolicæ Sedi Poteſtatem definiendi Infallibilitate Divina Senſum Catholicum, aut Hæreticum Propoſitionum, evidentiſſimum eſt, quod jam factæ ab eadem Declarationi acquieſcendum ſit. Declaravit autem non ſemel Cathedra S.Petri, ut vidimus Libro Primo hujus Secundæ Partis, non in alio Senſu confixas fuiſſe Janſenianas Quinque Propoſitiones, quàm in *obvio, quem verba ipſa exhibent*, ſcilicet in proprio, nativo, literali, in quo verba illa uſurpantur in communi Locutione, ac explicantur in Vocabulariis; non verò in Senſu improprio,non obvio,ſed recondito,fictoque pro arbitrio, & non expreſſo a Verbis ipſis, imò diſparato a naturali verborum ſignificatione, vel etiam ſignificationi eidem contrario. Suam clarius mentem aperire non potuerunt Summi Pontifices Eccleſiæ Magiſtri, quibus quicumque non aſſentitur, in Hæreſim incidit, ut demonſtrabimus.

Id, quod evidens eſt in præſenti Controverſia propter dilucidam Explicationem, quæ a Vaticano prodivit, veriſſimum quoque eſt in alia quacumque,ſcilicet quod ſtandum ſit Senſui obvio, & proprio verborum, niſi

niſi aliunde ſit definitum, quod aliquid accipiendum ſit in Senſu improprio, Analogico, Allegorico &c. v.g. ita ſumendi ſunt Tituli illi, quibus Reparator Noſter dictus fuit *Ovis*, *Leo*, *Petra*, *Lapis angularis*, & cætera hujuſmodi. Si verò poſt Infallibilem Definitionem, quod Divina Locutio intelligenda ſit in Senſu Proprio, liceret unicuique illam ſumere in Improprio, Calviniſta ſe non obſtringi affirmaret ad accipiendum in Senſu Proprio Divinum illud Chriſti Domini Oraculum: *Hoc eſt Corpus meum*: & Hæretici omnes irriderent res omnes contra ſe a Sacris Conciliis, vel a Sede Apoſtolica definitas. Curſim nonnulla delibamus in hac Epitome ex innumeris, quæ poſſent attexi ad confirmandam veritatem, de qua diſputamus.

§. XII.

Vetuſtiſſima eſt Eccleſiæ Conſuetudo damnandi Senſum Hæreticorum, dum definiuntur Dogmata ipſa ſpectantia ad Jus Fidei.

EX plurimis, quæ afferri poſſent, experimentis Divinæ hujus Poteſtatis exercitæ ab Eccleſia per ſuum Hierarcham, seligere tantùm præſtat quædam, quæ retulimus in Opere inſcripto: *Sacra Monarchia S. Leonis Magni*, qui Archimandritas de Eutychete allocutus in Epiſtola prævia Concilio Chalcedonenſi, ait; *Senſum autem prædicti Eutychetis etiam nos deteſtandum eſſe decernimus, itaut, ſi aſſertor inſipiens in ſua pravitate voluerit permanere, habeat cum iis conſortium, quorum eſt ſecutus errorem.*

In alia verò Epiſtola ad S. Pulcheriam Auguſtam damnans iterum Eutychianum Senſum inquit: *Ac ſi ipſe, qui in hanc tentationem incidit, reſipiſcat, ita ut, quod malè ſenſerat, propria voce, & ſubſcriptione condemnet, communio illi ſui Ordinis reformetur. At ſi ad Hæreſim animum obduraverit, ut Sententiam damnationis, exciperet, quam utique, ſi in ſuo Senſu voluerit permanere, nullus poterit relaxare.*

Quid, quod univerſo Imperans Chalcedonenſi Concilio decernit abjurandos eſſe ab Eutychete *Senſus Hæreticos*, ſi recipi velit in Catholicam Communionem. *Ut primitus peſtifero errore damnato etiam de ipſius, qui imprudenter erravit, reſtitutione tractetur, ſi tamen Doctrinam veritatis amplectens Senſus Hæreticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, plenè, apertèque propria voce, & ſubſcriptione damnaverit.*

Extant hæ omnes Epiſtolæ inter Acta Concilii, & ex aliis ejuſdem Leonis in unum collectis expendo tantùm 52. ad Synodum Mediolanenſem, qua narrat *ſe intimaſſe* Concilio Chalcedonenſi, quid credendum eſſet, & a Patribus omnibus prodigioſa commenta *Diabolicorum Senſuum* Eutychetis damnata fuiſſe: dicens, *Et meritò nos cognoſcimus Fratribus, & Coepiſcopis noſtris Orientalibus intimaſſe, quod ſecundùm Evangelicam, & Apoſtolicam Traditionem, de Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti una eſſet omnium, & indiſcreta confeſſio &c.* Et infra de Senſu Eutychetis Cenſuram ferens ait: *Quæ Diabolicorum Senſuum prodigioſa commenta Sancta nunc Synodus humilitatis noſtræ ſcriptis, auctoritate Domini mei Beatiſſimi Petri Apoſtoli, & merito roboratis, religioſa unanimitate conſentiens &c.* Abunde ſit hoc ſpecimen ab immortalis memoriæ Pontifice deprumptum.

§. XIII.

Contra Poteſtatem damnandi Senſum Veteres Hæretici reclamare non conſueverunt: neque confugerunt ad Diſtinctionem Juris, & Facti.

SAcra nulla, vel profana monumenta commemorant conqueſtum Eutychetem fuiſſe, quod *Senſus* Propoſitionum ſuarum perperam intellectus a Leone fuiſſet, quamvis de nullius Hæreſiarchæ Senſu, quàm de hujus deliri Senis dubitatio major oriri potuerit, cum percipi vix queat, quid ſomniaverit affirmans Unam ſolummodo fuiſſe Naturam in Chriſto Domino, quaſi humana non ſolùm aſſumpta fuiſſet in verum ſui Conſortium a Verbo Divino, ſed & abſumpta penitus fuiſſet a Natura Divina, inque ipſam Divinam immigraſſet: eo ferè pacto, quo Ignis ea, quæ comburit, in ſeſe immutat, ac validius certè, quia licet ſubſtantialis, ut Philoſophi loquuntur, dum lignum incenditur, ejuſdem Ligni forma depereat, materia tamen, & reliquiæ ſuperſunt in igne, atque cinere. Humanitas autem illico penitus, atque omni ex parte in Chriſto Domino, ut Eutyches blaſphemat, interiit. Eumdem tamen Inſtauratorem Noſtræ Salutis Hominem dici non vetat, ſed illum ita compellat per præteritam, ut inquit, denominationem, quia videlicet *Homo erat ante Divinitatis inhumanationem*. Vocem adhibeo Eutychianis ſolennem, ac perpetuò uſurpatam in Latrocinali Synodo, quam Epheſi Dioſcorus Eutychetis Patronus adegit ad hunc Draconem Hæreſis, Conſtantinopoli paulò ante proſcriſſe, redintegrandum.

dum. Plurima erant Draconi huic Capita, ideſt hæreticæ Eutychiani Senſus, omneſque abſurdiſſimæ, Interpretationes; neque tamen Eutyches ipſe, aut ullus ex ejus Sectatoribus auſus ſuit aſſerere, quod Leo Pontifex Maximus aſſecutus non fuiſſet veram Eutychiani, quem damnaverat, Senſus intelligentiam.

Ne alii quidem Veteres Hæretici diſtinctionem inter Factum, & Jus, interque Propoſitiones, & earum Senſum, unquam adhibuerunt, Infallibilitatem circa Propoſitiones, non circa Senſum earumdem, indulgentes Eccleſiæ Magiſtro, atque ipſi Eccleſiæ: qua diſtinctione Recentiores eludere tentant Pontificias Definitiones. Conſueverunt ſolummodo Antiqui mitigare Propoſitiones ipſas, quas tradiderant Auctores novæ alicujus Sectæ, ut præſtiterunt Semiariani, Semimacedoniani, Semipelagiani, aliique; ſed rarò negarunt confixa ſuiſſe Dogmata Ducum ſuorum in proprio eorum Senſu, atque in illo potuiſſe damnari.

§. XIV.

Sectatores Baii non ſunt niſi ſubterfugio Diſtinctionis inter Jus, & Factum. Abſurda maxima, quæ ex illo ſequerentur, niſi Infallibilis eſſet Pontificia quò ad Senſum proprium, & obvium, Definitio.

NOn Veterum ſolummodo Hæreticorum audaciam Janſeniani ſunt antegreſſi, ſed etiam ipſorum Baii Sectatorum, quorum nemo ſubducere ſe tentavit a fulmine Pontificiæ Condemnationis effutiens eſſe Quæſtionem Facti Senſum Baii, ejuſque Sociorum, pro qua ſolvenda non eſſet divinitus infallibilis Auctoritas S.Pii Quinti, qui definiverat, novem illas & ſeptuaginta Propoſitiones, *quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum Senſu ab Aſſertoribus intento Hæreticas eſſe, Erroneas, Suſpectas, Temerarias, Scandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpectivè.*

Libet hìc afferre quædam ab eximio P. Franciſco Suarez expendente S. Pii Conſtitutionem animadverſa Parte Prima Operis tripartiti de Gratia Prolegomen. 6. Cap. 2. num.12.pag.mihi 196. Sapientiſſimè ſtatuit Senſum hunc ab Apoſtolica Sede damnatum neceſſariò cenſendum eſſe illum, qui proprius, & *obvius* ſit, *quemque verba ipſa exhibeant* juxta propriam illis attributam communiter Interpretationem. Niſi veriſſimum eſſet hoc, recenſet Suarius graviſſima, quæ orirentur, abſurda. *Cum in rigore*, inquit, *& proprio Verborum Senſu ab Aſſertoribus intento, damnatæ fuiſſent Baij plurimæ Aſſertiones, neceſſe eſt illas in proprio verborum Senſu eſſe Cenſura dignas, & illum Senſum fuiſſe ab Aſſertoribus intentum, quoniam aliàs unicuique liberum erit, proprium Senſum, tanquam ab Auctore intentum, illis verbis affingere, & illis accommodare Judicium Pontificis, ut propriam opinionem verbis magis conſentaneam ab illa cenſura liberet. Et ita Declaratio illa Pontificis inutilis fiet, quia non ad certam Doctrinam confirmandam, ſed ad excitandas novas verborum contentiones deſerviet.*

Alia Suarius addit incommoda ſecutura ex eo, quod vetita eſſet lectio Librorum Baii, aliorumque, ut proinde colluſoria futura eſſet Pontificia Senſus Declaratio, niſi ſtandum eſſet *Obvio*, & proprio, atque ultro a verbis ipſis exhibito Senſui. *Enimverò*, inquit, *ſi Senſus omnium illarum Sententiarum ab Aſſertore intentus non poſſet ex Verbis ipſis a Pontificibus relatis ſatis colligi ſine Operum ejuſdem Aſſertoris integra lectione, & antecedentium, & conſequentium nova collatione, conſequenter etiam ipſa Pontificis Deciſio ſine eadem diligentia certò colligi non poſſet, quia neſciremus quo Senſu illas Sententias Pontifex damnaverit. At verò Lectio illorum Librorum nobis eſt prohibita, ut ex eodem Brevi, in quo talia ſcripta damnantur, conſtat. Ergo intercluſa eſt nobis via, & ratio aſſequendi proprium Senſum ab illo Auctore intentum, & a Pontificibus damnatum: & ſic non poſſumus ex illa Bulla firmum Argumentum contra aliquam opinionem ſumere, etiamſi in illis Aſſertoribus, & proprio eorum Senſu contineri videatur. Quod abſurdum eſt, & ſcopo, & gravitati tanti Decreti repugnat.*

§. XV.

Præclarè animadvertunt Galli Antiſtites, quod, negata Infallibilitate Pontificia circa Senſum Janſenii, periret vis cujuslibet Definitionis circa Fidei Articulos.

EA ipſa, quæ Suarius attigit, inculcarunt Gallicani Epiſcopi in Literis datis ad Innocentium, & Alexandrum, Pontifices Maximos, quarum ſelectiſſima verba recenſuimus Libro Primo hujus Secundæ Partis §. 10. & 11. & integræ dantur in fine Opuſculi Lit.A.I.L.N.S. Neceſſe non eſt illa rurſus allegare, cum ex dictis pateat, Veritatem, aut Falſitatem Articulorum aliquando (non tamen in Caſu noſtro, in quo fortius valet hæc argumentatio) pendere a Varietate Senſuum, qui eiſdem attribui poſſint,

ſint, atque ideo manifeſtum eſſe, niſi divinitus certa ſit Pontificia Definitio decernens hæreticam eſſe Propoſitionem aliquam in Obvio, Proprio, & patenter exhibito a verbis ipſis Auctoris Senſu, nullam ſuperfuturam eſſe vim Definitioni eidem circa Fidei Articulos declarandos.

Quibus compertiſſima erat hæc veritas, Antiſtites optimi non minus obſequenter exceperunt Pontificiam Declarationem, quod Hæreticæ eſſent Propoſitiones illæ in Senſu Janſenii, quàm Chalcedonenſe Concilium plauſibus in cælum tulerit Definitionem Leonis affirmantis hæreticas eſſe Aſſertiones Eutychetis in ejuſdem *Diabolico Senſu*.

§. XVI.

Janſenius ipſe, ac Janſeniani præſumpſerunt in Pontifice Maximo facultatem definiendi Infallibilitate Divina veritatem Senſus.

SUbiecit Janſenius Volumen ſuum Pontificiæ Cenſuræ. In eo autem Opere perpetuò deſudavit Auctor, ut eumdem eſſe oſtenderet Senſum opinionum ſuarum cum illo D. Auguſtini. Ergo præſtolatus eſt ab Apoſtolica Sede Judicium Infallibile circa eumdem ſuum, & admirabilis illius Magiſtri Senſum, a quo ſuum non diſcrepare affirmabat.

Ejus quoque Defenſores, antequam Quinque famoſæ Propoſitiones condemnarentur, conatus omnes adhibuerunt ad perſuadendum, quod eas in Auguſtini Senſu, non verò Calvini, Janſenius pronuntiaſſet, & enixè flagitarunt; ut hoc ipſum Innocentius Pontifex Maximus declararet, ſperantes a Pontificia Definitione omnino comprimenda eſſe ora ſuorum Accuſatorum. Errori ergo nulli obnoxium eſſe cenſuerunt Eccleſiæ Magiſtrum in Propoſitionum Senſu decernendo.

Etiam nunc Janſenii Aſſeclæ non alia de cauſa Catholicum eſſe ſtatuunt Senſum eorum omnium, quæ de Gratia Divina ſcripſit D. Auguſtinus, niſi quia ſupponunt definitum fuiſſe a Sanctis Pontificibus Innocentio I., aliiſque, ſcriptum nihil a Divino illo Doctore de Gratia eadem, quod queat in dubium revocari.

§. XVII.

Validiſſimè confirmatur ex Doctrina Melchioris Cani, quod tribuendus ſit Infallibilis Aſſenſus Fidei Divinæ Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ declaranti Verum Senſum Sacrarum Literarum, & falſum Hæreticorum eas perperam explicantium.

EAndem Infallibilitatem, quæ Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ tribuenda eſt in Explicatione Senſus, & Doctrinæ Sacrarum Literarum, negare illi non poſſumus in condemnando Senſu, & Doctrina Hæretica pugnante cum Sacris Literis, cum hæc æquè neceſſaria ſit ad Fidelium Inſtructionem, & eædem pro utraque militent rationes omnes.

Præterea (ut diximus §. 10. hujus Libri, & uberius oſtendemus in ſolutione Obiectionum) idcirco Senſus, & Doctrina hæretica condemnatur, quia confertur cum Atteſtatione Divina extante in Sacris Literis, ac Traditionibus, quibus contraria deprehenditur; ac proinde Condemnatio Senſus, & Doctrinæ hæreticæ continet, aut præſumit Declarationem Senſus, & Doctrinæ Catholicæ erutæ a Verbo Dei Scripto, vel Tradito.

Porrò, quod Cathedra S. Petri, & Eccleſia, nequeat errare in reſolvenda Quæſtione ſpectante ad Jus Fidei, ſatis evicimus §. 9. & ſequentibus uſque ad hunc: nec ulterius nos progredi requirit ſuſceptum inſtitutum ſcribendi Enchiridium. Sed, cum Catholicæ Cauſæ Victoria pendeat ab hoc fundamento, adiiciamus quædam ex iis, quæ Doctiſſimus Canus affert cap. 7. Lib. 12. de Loc. Theolog. ubi quærit: *Quibus notis quæſtiones Fidei dijudicari poſſint?* Agit quidem ibi de Infallibilitate Eccleſiæ; ſed alibi frequenter, ac ſolidiſſimè, ac etiam deinde in hoc ipſo cap. 7. Infallibilitatem eamdem attribuit Apoſtolicæ Sedi, etiam ante Conſenſum Eccleſiæ præſtitum Definitionibus, quæ a Cathedra S. Petri permanarunt. Et in præſenti cum Janſenianis certamine omnia Cani Argumenta (quorum non pauca jam attigimus, antequam illius Opus præſtantiſſimum conſuleremus) nobis ſuffragantur, cum Eccleſia obſequentiſſimè Pontificiam Declarationem exceperit. Inquit ergo Doctor egregius.

Si Eccleſia certiſſimum Jus habet diſcernendi verba Dei a verbis hominum, ut in Secundo Libro nobis conſtitutum eſt, habebit quoque idem Jus, ut in verbis ipſis Senſum Dei ab hominum Senſu diſcernat. Niſi credi-

mus

Digitized by Google

mus perinde Scripturam Eccleſiæ, ut Ptolomæo, Ægyptiiſque conceſſam: vel certè, ut nunc eſt conceſſa Judæis, quos Scriniarios Eccleſiæ Chriſti *Auguſtinus non inelеganter appellavit Libro contra Fauſtum.*

Scimus autem utrumque depoſitum Eccleſiæ commiſſum, ut utrumque etiam perpetua fide conſervet, reddatque ſimul, quas accepit, & Scripturam, & Scripturæ intelligentiam. Spiritus meus, (*inquit Deus per Iſaiam c.15.* qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui amodo, & uſque in ſempiternum. *Ambas igitur res Chriſti Eccleſia cuſtodit, cuſtodietque ſemper, & verbum, & ſpiritum verbi.*

Item Chriſtus Spiritum Veritatis, *Joannis 14. 15. & 16. promiſit Eccleſiæ,* qui cum illa *maneret æternus, eique omnia ſuggereret, quæ illi a Chriſto ſunt dicta.*

Item, cum verum Dei Evangelium, quemadmodum Hieronymus elegantiſſimè dixit in Epiſtolam ad Galat. cap.1. non in Scripturis ſit, ſed in Senſu: non in ſuperficie, ſed in medulla: non in verborum foliis, ſed in radice rationis: *ſi Eccleſia Scripturam haberet, non autem legitimum Scripturæ Senſum, non haberet profectò verum Dei Evangelium, atque adeo ne Fidem Chriſti quidem, quæ ſine vero Dei Evangelio non eſt.*

Nec enim ad verba Fides, ſed ad Senſa refertur. Alioquin & Hæretici Scripturas ſine Senſu loquuntur, & Diabolus Scripturas etiam profert; ſed in intelligentia falſa falſum Evangelium habent, certè non Divinum, ſed humanum; immo, quod pejus eſt, Diabolicum.

Cum verò inter Catholicos, & Hæreticos, non de Scriptura, ſed de Senſu plurima Controverſia ſit, ſi Eccleſiæ Interpretatio non eſt certa inteligendi norma, ecquis erit illiuſmodi Controverſiæ Judex? Senſum enim ſuum pro ſua virili quiſque defendet.

Quod ſi in exploranda Scripturæ intelligentia nullus eſt Eccleſiæ certus Judex, audeo dicere Rempublicam fuiſſe nullam ſtultius conſtitutam (allegat hìc ſui Libri Tertii cap.2. & cap.3. Fundam.4.) nullum enim diſſidiorum futurum finem, conſenſionem Fidelium nullam, nullam Fidei Unitatem. Qua ſublata, non Charitas modò, & Pax, ſed Fides etiam ipſa penitus tollitur, atque ipſum omninò Eccleſiæ nomen.

Quod autem Apoſtolis Chriſtus, Lucæ 24. Aperuit Senſum, ut intelligerent Scripturas, *non id propter illos tantùm, ſed multò etiam magis propter Eccleſiam fecit. Ex quo intelligimus Chriſtum Eccleſiæ ſuæ Librum ſignatum perpetuò aperuiſſe, Apoc.5.*

Scripturæ inſuper intelligentiam Apoſtoli Eccleſiis tradiderunt: Nam ſi non Senſum, ſed Verba dumtaxat, tradidiſſent, non utique prædicaſſent Evangelium omni Creaturæ; nec docuiſſent omnes Gentes ſervare quæcumque illis fuiſſent a Chriſto commendata, *Matt. 28. Qualis enim Evangelii Prædicatio, qualiſve Doctrina abſque Intelligentia eſſet? Nempe qualis aut Puerorum, aut Pſittacorum eſt, qui ſine mente dant, accipiuntque ſonum. At Apoſtolicæ Traditionis certior Teſtis nemo eſt, quàm Eccleſia. Nam, quid acceperit, ecquis clarius, evidentiuſque teſtabitur, quàm ipſa, quæ accepit? Scripturæ igitur Senſus ab Apoſtolis Eccleſiæ traditus penes Eccleſiam eſt.*

Præterea Eccleſia Columna eſt, & Firmamentum Veritatis. *At Veritas verè, & propriè, in intellectu Scripturæ eſt, in Scriptura autem impropriè, tanquam in ſigno. Quemadmodum urina figuratè ſana dicitur, cum Animal id ſit, quod eſt propriè ſanum. Si ergo Eccleſia* Firmamentum *eſt* Veritatis, *firmam certè habet, ac certam earum cognitionem Veritatum, quæ in Sacris Literis continentur.*

Sed quid opus eſt plura? Jam enim quartus ſuperior Liber comprobavit verum, fidelemque omnem de Eccleſiæ Authoritate ſententiam. Oſtenſum eſt autem multis & teſtimoniis, & rationibus, Eccleſiam in Fide errare non poſſe. Atqui nihil magis ad Fidem attinet, quàm Divinorum dictorum vera cognitio, & Senſus. In Eccleſia igitur explorata Scripturæ Intelligentia reſidet, ex qua nimirum intelligentia & compertum habere poſſumus Fidei Catholicæ ſignum, & eodem quoque ſigno errores contrarios denotare.

Sanè primæ hujus Præceptionis clariſſimum Exemplum eſt in Paradiſo terreſtri, in fictione Adæ de limo terræ, in Evæ formatione de coſta Adæ, denique in tentatione Serpentis. Quæ omnia Origeniſtæ allegoriciis, figuratiſque interpretationibus perverterunt. Sed cum Eccleſia ſemper ea non figuratè dicta, ſed propriè ad Hiſtoriam acceperit, jure illos Synodus Sexta Actione Undecima exploſit.

Poſt hæc ſtatuta de Eccleſiæ Infallibilitate in explicando Senſu Sacrarum Literarum, decernit Sapientiſſimus Canus Præceptione Secunda, *In Eccleſiæ nomine non modò Fidelium omnium concionem intelligi, verùm etiam Eccleſiæ Paſtores, & Doctores, præſertim in Concilio congregatos.* Addit deinde Præceptionem Tertiam, qua oſtendit, quod *Si Sedes Apoſtolica aliquem Scripturæ Senſum præfinierit, ille idem Catholica Veritas cenſenda eſt*: quam ſanè Præceptionem diligentiſſimè a ſe demonſtratam ait in Sexto

to Superiore Libro; ubi multis, ac neceſſariis argumentis edixit Sedem Apoſtolicam in Fidei Judicio (quale profectò eſt Scripturarum Interpretatio) labi non poſſe. Sed hæc referre ſuperſedeo, cum ferè omnia ultro ſe mihi obtulerint, jamque ſuperius allata ſint. Delibo ſolùm vividas illas Cani Interrogationes? *Quid, quod Claves habet Petrus, ut Librum clauſum aperiat? Quid, quod quæcumque ſolverit in terris, erunt ſoluta & in Cælis? Quid, quod ab initio conſtitutum eſt, ut ex ore ejus Gentes verbum Evangelii & audirent, & crederent? Quid, quod adverſum hanc Petram ne Portæ quidem Inferi prævalere queant? Quid, quod pro ea oravit Chriſtus, ne deficeret Fides ipſius, quò fratrum vacillantem, & nutantem Fidem confirmaret?*

§. VIII.

Cardinalis de Laurea extendit Infallibilitatem Divinam etiam ad Pontificias, & Conciliares Definitiones pertinentes ad Facta Dogmatica.

Eruditiſſimus Card. Laurentius Brancatus de Lauræa in Diſputationibus extantibus in Tertio illius Tomo in Quartum Librum Sententiarum Scoti, edito Romæ Anno 1653., & relatis in Volumen XV. præclariſſimi Operis inſcripti: *Bibliotecha Maxima Pontificia*, quod Romæ in lucem prodivit Anno 1698. multò ulterius progreditur, quàm ego præſtiterim ſtatuens ineſſe Infallibilitatem Divinam iis tantummodo Pontificiis, & Conciliaribus Definitionibus, quæ directè verſantur circa Jus Fidei, inter quas eſt illa de Senſu, & Doctrina Librorum, Catholica, vel Hæretica. Sed ipſe Infallibilitatem eamdem attribuit aliis quoque Declarationibus Maximorum Pontificum, & Conciliorum, quæ reſpiciunt mera Facta nexa cum Jure Fidei. Juvat aliqua ex inſigni hoc Theologo, & in Sacris Canonibus verſatiſſimo, in compendium redigere, ut pateat quanta cum moderatione amicum certamen inſtituam ardentiſſimè optans aperire Pontem ad Eccleſiam redituris iis, qui fateri detrectant adhibendum eſſe Aſſenſum Fidei Divinæ Declarationibus ad Facta, quantumvis Dogmatica, ſpectantibus.

Cardinalis igitur de Lauræa diſput. 6. *De Obiecto Materiali Fidei in quæſtionibus Facti*: Art. 6. proponit Concluſionem hanc num. 236. Dum Eccleſia in Concilio, vel Romanus Pontifex extra Concilium, damnat aliquam Doctrinam cum expreſſione Auctoris, v. g. Doctrinam Sabellii &c. licet totum complexum includat aliquid Facti, Damnatio illa eſt obiectum Fidei, atque ideo abſolutè, & ſine diſtinctione Facti a Jure, eſt recipienda ut Fidei obiectum.

Probat hoc primò, ex 1. ad Tim. 1. v. 20. *Timothee &c. habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa Fidem naufragaverunt, ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ.* Ex hoc loco infert, quod Factum illud, nimirum, quod *Hymenæus, & Alexander, eſſent hæretici*, debuerit eſſe Obiectum Fidei Timotheo, ac toti Eccleſiæ. Confirmat hoc ipſum ex Apoc. 2. v. 6. *Odiſti Facta Nicolaitarum, quæ & ego odi*. Loquitur S. Joannes de Communione Uxorum, quam permittebant Nicolaitæ. Animadvertit autem Scriptor diſtingui non potuiſſe inter Factum evidens, quod ſcilicet peſſimi Hæretici eam Doctrinam tenerent: & inter Jus, nimirum, quod illa communio non liceret.

Præter alias Probationes inculcat perpetuum Eccleſiæ Morem damnandi Hæreſes cum Auctorum Nominibus, & exceptam ab Eccleſia totam Damnationem abſque ulla Diſtinctione inter partem illam ſubiecti, quæ tangit Factum, quod ſcilicet Authores illi fuerint in rerum natura, & protulerint eas hæreſes, vel in tali Senſu: & aliam partem, quod nempe illæ Doctrinæ ſint hæreſes, atque huic tantummodo parti ſit attribuendus Aſſenſus Fidei Supernaturalis. Ergo (infert ipſe) ſic faciendum ſemper eſt, nec recedendum a generali Praxi Eccleſiæ, quæ, (ut affirmat in Probat. 4.) nunquam admiſit hujuſmodi diſtinctionem in Decretis Dogmaticis, ſed compulit ad ea recipienda indiſtinctè, ut jacebant.

§. XIX.

Quando damnatur, ut hæretica, Doctrina in Senſu alicujus Authoris, cenſet Cardinalis de Lauræa non ſolùm eſſe Obiectum Fidei, quod hæreticus ſit Senſus Doctrinæ illius, ſed etiam quod hæreticus ſit ejus Author.

Prudenter proponit Theſim ſuam afferens Exempla illorum, qui jam ſunt ab Eccleſia damnati, inter quos recenſeri nequit Ianſenius, qui ſuum Volumen ſubjecit Apoſtolicæ Sedi, atque hæc nunquam Examen inivit, nedum Sententiam tulerit, de illius mente. Inquit ergo num. 256.

Dico ſecundò. Dum Eccleſia, ſeu in Concilio Generali, ſeu Romanus Pontifex ſolus, damnat Doctrinas cum hac Formula loquendi: *in Senſu Arii, in Senſu Neſtorii, in Senſu*

Senſu Eutychetis, vel alterius perſonæ,eſto, tota illa complexio conſtet ex Facto,& Iure, & ratione unius partis non ſit expreſsè revelata, non propterea Definitio illa ceſſat eſſe Obiectum Fidei. Ideo ut talis recipienda eſt ab Eccleſia.

Igitur non ſolum Senſum, & Doctrinam ipſam ſpectantem ad Ius Fidei, damnari putat Infallibilitate Divina,ſed etiam Factum, nimirum Perſonas, quæ talem Doctrinæ ſuæ Senſum attribuerunt. Delibo ex ejus Argumentis tantummodo ſecundum, quod affert num. 261. petitum ex Praxi Conciliorum, nam in Sardicenſi dicitur Anathema omnibus ſequentibus Doctrinam, ideſt Senſum Arii: in Conſtantinopolitano Primo ſequentibus Dogmata Eunomianorum, Macedonianorum &c. in Epheſino ſequentibus Dogma Neſtorii: in Chalcedonenſi Eutychis, & ita in aliis, quæ Dogmata nominati alicujus Hæreſiarchæ damnarunt; quamvis enim explicitè non dixerint: *in Senſu, ſeu ſecundùm Senſum eorum*, id tamen intelligere voluerunt. Ex quibus (inquit) evidenter infertur,quod Patres in Concilio exiſtentes, aliique Epiſcopi extra Concilia, & Doctores omnes, atque univerſi Fideles, ea Decreta indiſtinctè ut Fidei Dogmata receperunt, & crediderunt; quamvis ex parte ſubjecti adeſſet Factum non revelatum, ideſt, quod homines illi fuerint in Mundo, ac ea, & in eo pravo Senſu, dixerint.

§. X X.

Dum Eccleſia, vel Pontifex, proponit Fidelibus Damnationem alicujus Hæretici, vel Facti Hæreticalis, Damnatio illa eſt Fidei Obiectum, e Sententia Cardinalis de Lauræa.

DOcet hoc, quod ferè eſt idem cum jam dictis,Sapientiſſimus Author Artic.7. cujus titulus eſt: *An, & quomodo Damnationes Hæreticorum,aliaque Facta,poſſint eſſe Obiecta Fidei?* Aggreditur autem probare ſuam Theſim num.289.ex Inſtructione Martini Quinti in Concilio Conſtantienſi jubentis in 8. Interrogatorio quæri a ſuſpectis de Fide: *Utrum credat, teneat, aſſerat, Joannem* Wicleff *de Anglia,Joannem de Huſs &c. eſſe Hæreticos?* Hoc niſi faterentur,tractandi erant ipſi tanquam Hæretici. Igitur (inquit) Damnationes Hæreticorum factæ per Concilium, aut Papam, ſunt objecta Fidei.

Confirmat hoc num.290.ex Formula Profeſſionis Fidei emittenda a Græcis ab Urbano Octavo præſcripta,in qua quis profitetur *credere Nicænam Primam Synodum, & quod in ea contra Arium damnatæ memoriæ definitum eſt,& quod in Conſtantinopolitana Prima contra Macedonium, &c.*

Recenſet deinde ſingillatim Concilia plurima, v. g. Conſtitutionem Eugenii IV. in Concilio Florentino jubentis anathematizari omnem Hæreſim,& *Ebionem, Cherintum &c.* Et Concilium Viennenſe jubens damnari *Beguinas*, & *Beguardos*. Et Conſtantinopolitanum Quartum,quod fuit Generale Octavum, jubens anathematizari *Photium ibi præſentem*, & *Iconomacos*. Et Nicænum Secundum, Generale Septimum, in quo damnantur perſonæ hæreticæ. Et Conſtantinopolitanum Tertium, Generale Sextum, ſub Agathone, in quo damnantur *Theodorus Pharanita, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, Conſtantinopolitani*: Et Conſtantinopolitanum Secundum, Generale Quintum decernens; *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium &c. Origenem, cum impiis eorum conſcriptis &c. anathema ſit.* Et Chalcedonenſe, in quo qui non anathematizabant *Neſtorium*, & *Eutychem*, Hæretici exiſtimabantur, quamvis damnaſſent eorum Doctrinam.

Poſt additam demum vim ratiocinationi ſuæ ex Nicæno quoque Concilio, concludit. Negans, Arium, Macedonium &c. vel alium quempiam ex damnatis a Concilio, vel a Papa, per Definitionem eſſe hæreticum, ſive hæreticos, eſt hæreticus; nolentes enim dicere anathema,ſeu habere pro hæreticis eos, qui a Concilio tales fuerant declarati, tanquam hæretici habiti ſunt. Ergo eſt Obiectum Fidei, quod ſic per Definitionem damnati ſint hæretici.

§. X X I.

Quæ pro Factis Dogmaticis conſtituendis obiectis Fidei docet Cardinalis de Lauræa de Implicita Generali Revelatione, multò fortius valent pro Infallibili Damnatione Senſus, & Doctrinæ.

ARgumenta omnia deſumpta ex Implicita Generali Revelatione Divina, & ex Inſtinctu & Suggeſtione Spiritus Sancti, quibus Cardinalis de Lauræa probat eſſe de Fide, quod ſint Hæretici illi, quos ut tales damnarunt Summi Pontifices, vel Eccleſia in Conciliis, demonſtrant multò validius, quod Infallibili Aſſenſu Fidei Divinæ credendum ſit eſſe hæreticum Senſum, & Doctrinam damnatam ut talem ab Apoſtolica Sede, & Eccleſia.

Probat primò doctiſſimus Cardinalis, quod Damnatio Particularium Perſonarum

Digitized by Google

ſit obiectum Fidei, ex eo, quod omnes includantur in Revelatione Implicita Generali de eo, quod futuri eſſent falſi quidam Magiſtri, ex Matth.cap.24. v. 4. ubi Salvator inquit; *Videte, ne quis vos ſeducat; Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent*. Et verſ.11. *Et multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos*. Et verſ.24. *Surgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna*. Ergo revelati ſunt in genere falſi Prophetæ, ac falſi Magiſtri. Confirmat hoc ex 2.Petri cap.2.verſ. 1. *Erunt in vobis Magiſtri mendaces, qui introducent Sectas Perditionis &c.* Et ex 2.Timot.4. verſ. 3. *Erit enim tempus, cum Sanam Doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus &c.* Et ex Actis 20.verſ.30.ubi Paulus ait Epheſiia: *Ego ſcio, quod poſt diſceſſionem meam intrabunt Lupi rapaces &c. loquentes perverſa, ut abducant Diſcipulos poſt ſe*. Ergo Magiſtri Hæreſum in genere ſunt revelati a Chriſto Domino, qui eos in individuo prævidebat, & ab Apoſtolorum Principibus. Cum ergo (inquit Cardinalis de Lauræa) aliquis noviter inſurgens declaratur ab Eccleſia in Concilio, ſeu a Papa de Cathedra, eſſe hæreticus, vel Hæreſiarcha, ratione novæ Doctrinæ contrariæ Sacris Literis, vel Traditionibus, ejus Damnatio evadit de Fide, quia prænuntiatus fuit falſus ille Magiſter in ea Generali Revelatione.

Hoc porrò argumentum triplici ex capite validius probat credendum eſſe Fide Divina, quod hæreticus ſit Senſus, & Doctrina damnata ut talis ab Apoſtolica Sede, & Eccleſia. Et primò quidem quia Revelationes illæ Implicitæ Generales cadunt ſupra Particulares Perſonas tantummodo ratione falſæ, atque hæreticæ Doctrinæ, ac Senſus, quem allaturæ erant. Ergo multò magis reſpiciunt Doctrinas ipſas, & Senſum; nam *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*.

Secundò. Quia multò magis neceſſarium eſt ad Inſtructionem Eccleſiæ, ut Fideles certi ſint de Hæreticitate Senſus, & Doctrinæ, quàm Perſonarum, quæ fortaſſe animo deteſtabantur, vel deteſtaturæ erant illa, quæ ore, vel ſcripto protulerunt.

Tertiò. Quia de Hæreticitate Senſua, & Doctrinæ, quæ ſpectat ad ipſum Fidei Jus, & non ad Factum, non habetur ſolùm Revelatio Generalis Implicita, ſed etiam Particularis Explicita in Sacris Literis, ac Traditionibus, ad quarum normam expenſus v.g. fuit Senſua, & Doctrina Propoſitionum, & Libri Janſenii, ejuſque Contextus, & deprehenſa eſt Doctrina eadem hæretica, atque ut talis damnata ab Apoſtolica Sede, & Eccleſia.

Probat ſecundò Cardinalis Theſim ſuam num.306. a pari dicens. Quod Libri damnati ut apocryphi ſint tales, eſt objectum Fidei, & tamen Libri illi in individuo, & explicitè, non ſunt revelati, quia nuſpiam in Scriptura, aut Traditionibus, ſit mentio, ſaltem plurimorum ex iis Libris, qui poſt Apoſtolos prodierunt. Patet autem ex Concilio Romano ſub Gelaſio, & habetur nunc in Canone *Sancta Romana* diſtinct. 15. damnatos fuiſſe innumeros ferè Libros tanquam apocryphos; alios autem, ut canonicos, approbatos. Hinc autem infert Cardinalis, quod ſicut de Fide eſt aliquos eſſe Canonicos, ita & alios non eſſe tales, ſed damnatos; neque enim eſt major ratio de primis, quàm de ſecundis, cum perinde de utriſque definiat Eccleſia.

Quis porrò non videt, quod ſi ex hac Implicita Generali Revelatione Librorum meritò damnandorum oriri potuit argumentum ad probandum idipſum de Librorum Authoribus, multò validius demonſtratur, quod divinitus revelatum ſit damnandam eſſe Doctrinam, & Senſum Janſeniani Voluminis, contra quam Doctrinam pugnant Expreſſæ ipſæ Sacris in Literia, & Traditionibus Revelationea?

Aliam tertiò affert paritatem num. 307. petitam ex Conciliis Generalibus; quod enim plurima ex his fuerint legitima, eſt Fidei obiectum, & tamen hæc in individuo futura eſſe nuſpiam explicitè eſt revelatum, ſed tantùm implicitè, imò Indirectè, Matt.18. verſ. 20. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Et ex Factis, ac Traditionibus Apoſtolicis apparet habita fuiſſe plura Concilia, Actorum 1. & 7. ac 15. Ex ea porrò Implicita, & Indirecta Revelatione, & ex Apoſtolorum Exemplo, infertur eſſe Fidei obiectum, quod legitima ſint, & a Spiritu Sancto directa Concilia reliqua probata ab Apoſtolica Sede: & in Profeſſione Fidei jubemur recipere Generalia Concilia legitima, quique unum ex his reiiceret, cenſeretur hæreticus. Ita ipſe. Subiicio autem.

Quot Facta conſtituunt hanc Veritatem, quod Concilium Tridentinum v.g. celebratum ſit, atque fuerit legitimum? Si ergo ſufficit Generalis Implicita Revelatio ad ſtatuendam Veritatem hanc obiectum Fidei, multò magis obſtringimur ad credendum Fide Divina, quod hæreticus ſit Senſus, & Doctrina, quam exhibent Quinque damnatæ Propoſitiones in Volumine Janſeniano.

cum

Digitized by Google

cum de illarum Hæreticitate liqueat non ſolùm ex Implicita, & Generali, ſed etiam ex Explicita, & Particulari Revelatione Divina. Urget quartò Cardinalis num. 308. id, quod probare contendit, ex alia paritate Conciliorum, quia, Tenetur (inquit) Fidelia credere, quod Concilium Generale repræſentet Eccleſiam Univerſalem ex Concilio Conſtantienſi in Inſtructione Martini Quinti, in qua ad diſcernendum hæreticos Wicleſiſtas præſcribitur Interrogatio Quinta facienda ſuſpectis de Hæreſi: *Utrum credat, teneat, & aſſerat, quod quodlibet Concilium Generale, etiam Conſtantienſe, Univerſalem Eccleſiam repræſentet? Et 6. Utrum credat, quod illud, quod Sacrum Conſtantienſe Concilium Univerſalem Eccleſiam repræſentans approbavit, & approbat in favorem Fidei, & ad Salutem Animarum, eſt ab univerſis Chriſtifidelibus approbandum, ac tenendum: & quod condemnavit, & condemnat eſſe Fidei vel bonis Moribus contrarium, hoc ab eiſdem eſſe tenendum pro condemnato, credendum, & aſſerendum?* Non omnia autem ea, quæ approbavit, aut condemnavit hoc Concilium, erant revelata Explicitè, ut approbanda, vel damnanda, ſicut conſtat; damnavit enim Wicleff, & Huſſ, & Hieronymum de Praga, & eorum Scripta, & Articulos 75. quæ nec in Scriptura explicitè, nec in Traditionibus, quò ad ſingula, continentur, ſed multa implicitè tantùm, & maximè Authores.

Ratiocinatio hæc egregii Cardinalis multò majus robur habet pro vindicanda Infallibilitate Fidei Divinæ Condemnationi Senſus, & Doctrinæ Quinque Propoſitionum, decretæ, ut diximus, juxta Explicitam quoque Revelationem Sacris in Literis, ac Traditionibus.

Poſt allata argumenta, quibus effici putat Cardinalis de Lauræa id, quod probandum ſuſceperat, oſtendit requiri, ac ſufficere Implicitam Generalem Revelationem, & Inſtinctum vel Suggeſtionem Divini Spiritus, dicens, num. 309. *Perſonæ anathematizatæ non ſunt revelatæ explicitè neque quò ad nomina earum, neque quò ad Anathematizationem. Igitur, ne erretur in tali Anathemate, ſeu Definitione, eſt neceſſarium aliquod Supernaturale Lumen, ſeu Inſtinctus Divinus, vel Suggeſtio, qua certè, & Infallibiliter Perſona Anathemate digna cognoſcatur: ſicut de Doctrinis generaliter, & in confuſo revelatis dictum eſt, & de Objecto Formali ſuſius dicetur: hoc enim Inſtinctu Eccleſia ex Principiis revelatis deducit Concluſiones in eis incluſas, & ex eis neceſſariò deducibiles.*

Jamverò ſi Cardinalis de Lauræa hunc Inſtinctum, & Suggeſtionem Divinam requiri, ac ſufficere cenſet ad decidendam meram Quæſtionem Facti, nimirum, quod hic, vel ille fuerit hæreticus: quantò magis requiretur, & ſufficiet ad damnandum Infallibiliter Senſum, & Doctrinam Propoſitionum, quarum Hæreticitas non ſolùm generaliter, & in confuſo, ſed etiam particulariter, & clarè, fuit divinitus revelata, vel ſaltem ex Principiis extantibus in Sacris Literis, ac Traditionibus, neceſſariò infertur?

Affert demum præclarus Magiſter n. 311. paritatem Canonizationum. *Eatenus,* inquit, *eſt objectum Fidei, quod aliquis Canonizatus ſit Sanctus, licet Virtutes, & Miracula ipſius, naturaliter per Proceſſum, & dicta Teſtium, ſint probata, quia in Generali Revelatione prædictum eſt quænam ſint Conditiones, ac certæ notæ alicujus Sancti:*

(Eas uberrimè attulerat Art. 3. §. 1. n. 117.) *& a Salvatore pariter prædictum eſt, quod* Ubi ipſe eſt, illic & ejus Miniſter erat futurus: *& Summus Pontifex auditis Virtutibus, & Miraculis, ex Dei Illuminatione, atque Inſtinctu agnoſcit Probationes eſſe veras, ac talem Dei Servum iis Virtutibus, atque Miraculis, coruſcaſſe. Ergo ita dicendum de Damnatione Hæreſiarchæ pro tali proponendo, ut anathematizetur, ac vitetur. Suppoſita enim Generali Revelatione de horum Impiorum futuritione, & diligentiis, an hic, vel ille ſit talis, Deus aſſiſtit Concilio, vel Papæ, ut agnoſcat per Inſtinctum, ipſum eſſe talem, & ita definit, atque credendum proponit.*

Sic ipſe, ac validiſſimè quidem propugnat adeſſe Infallibilitatem Divinam Chriſti Domini Vicario aliquem referenti in Sanctorum Catalogum, de qua Infallibilitate nos quoque uberius diſſeremus §. 19. Lib. 1. Par. 3. Num verò hinc certò eruatur, perinde Infallibilem eſſe Declarationem, quod hic, vel ille fuerit inquinatus Hæreſi, adeout aſſertio hæc conſtituatur objectum Fidei, alii decernant. Sed enimverò ſi Revelatio Implicita, & Divinus Inſtinctus attribuit Infallibilitatem Divinæ Fidei (ut Catholici ferè omnes aſſentiuntur) Canonizationi Sanctorum, licet Facta plurima includenti: manifeſtiſſimum eſt, quod multò magis Revelatio Explicita in Sacris Literis, ac Traditionibus, quæ fuerunt expenſæ, antequam condemnaretur Senſus, & Doctrina Quinque Propoſitionum in Janſenii Libro, & Inſtinctus, ac Suggeſtio Divina infuſa Hierarchis, ac Præceptoribus Eccleſiæ Senſum illum, & Doctrinam damnantibus, ejus Hæreticitatem omnino conſtituit Objectum Fidei.

Operæ pretium fuiſſe opinor attexere

quatuor ultimos hos Paragraphos ad confirmanda ea, quæ prius attuleram, Authoritate Sapientiſſimi Cardinalis ſummo in pretio habiti Sacris in Cœtibus, dum ætatem ageret, qui ſi Definitionibus quoque Pontificiis, & Conciliaribus, ad Facta ſpectantibus Infallibilitatem attribuit, multò magis aſcribenda eadem eſt Declarationibus pertinentibus ad Jus Fidei.

Cæterùm cum in præſens ea ſolùm Quæſtio Facti agitetur, Utrum in Volumine præferente nomen Janſenii extent, vel formaliter, vel æquivalenter, Propoſitiones illæ, ac talis Doctrinæ Contextus, qui formet Senſum patenter hæreticum (nam de Janſenio ipſo, ac Senſu, quem habuit in mente, nullum unquam Judicium fuit inſtitutum) opus non eſt confugere ad Revelationem Generalem Implicitam, quæ hoc Factum amplectatur; quandoquidem, ut ſæpius diximus, ac dicturi ſumus, neceſſe non eſt præbere Aſſenſum Fidei Divinæ huic Veritati, quod ſcilicet Propoſitiones illæ, atque ille Doctrinæ Contextus, extet in eo Volumine. Abunde eſt, quod certus alius Aſſenſus huic Veritati attribuatur, undecumque tandem proveniat ejus certitudo, quam ſi quis negaret, non proinde tamen eſſet hæreticus, ſed ſtultus, cum teneatur tradere Aſſenſum Fidei Divinæ Veritati alteri ſpectanti ad Jus Fidei, nimirum, quod Senſus, ac Doctrina illa ſit hæretica: quæ veritas neceſſariò nectitur cum alia, videlicet, quod Propoſitiones, & Contextus ille, in eo Volumine reperiantur.

§. XXII.

Exempla plurima oſtendentia Diſcrimen inter Veritates pertinentes ad Jus Fidei, quibus neceſſe ſit præbere Infallibilem Aſſenſum Supernaturalem, & alias Veritates ſpectantes ad Factum Dogmaticum, quibus ſufficiat dare alium diverſum, ſed certum, Aſſenſum.

Sapientiſſimus Melchior Canus, inclytum lumen Illuſtriſſimi Ordinis Prædicatorum, & Canarienſis Antiſtes, in aureo de Locis Theologicis Opere Lib. 12. cap. 7. prope finem, ita in re ſimili docet. *Si quis vel conſequentiam rerum, aliàs perſpicuam, ignoraret, vel Principium etiam naturale, quod cum Articulo Fidei ad colligendam Theologiæ Concluſionem ſumitur, certè non eſſet hæreticus. Ut ſi homo indoctus verbi causâ exiſtimaret hanc Enuntiationem eſſe falſam:* Omnis homo eſt riſivus; *unde quamvis crederet Chriſtum eſſe hominem, non ideo arbitraretur eum poſſe ridere*; hic profectò non eſſet propriè Infidelis, ſed ſtultus, *qui non per ſe Supernaturali Lumini, ſed Naturali repugnaret: Verùm, quoniam ejuſmodi Stultitia, quamvis per accidens, & indirectè, Fidei tamen ex conſequenti corrumpit, depravatque Judicium, jure apud Eccleſiam non in ſtultitia habetur, ſed in crimine.*

Doctiſſimus idem Scriptor initio Capitis Decimi ejuſdem Libri Duodecimi narrat Sententiam latam a Sapientiſſimo Magiſtro ſuo Franciſco a Victoria de quodam affirmante Infallibilem eſſe quamcumque Definitionem Eccleſiæ, ſeque tamen contra illam multa opinari, ac proinde vehementer hæreticum ſe eſſe. Hunc inſanire quidem ſtatuit Victoria, ſed a Fide alienum haudquaquam eſſe. Idem Judicium ferendum eſſet de negante Propoſitiones illas eo in Volumine contineri, quas tamen hæreticas Divina Fide cenſendas eſſe fateretur in Senſu illius Voluminis.

Præter Exempla præclaro ab Authore petita, juvat attexere Indicem Propoſitionum aliarum generalium, & peculiarium, certè ſpectantium ad Jus Fidei, ac proinde credendarum Infallibili Supernaturali Aſſenſu, quamvis aliis veritatibus, quæ in his Propoſitionibus complexis enuntiantur, aut ſupponuntur ex parte ſubjecti, præſtetur alius Aſſenſus, certus quidem, ſed diverſus ab illo Fidei Supernaturalis: quem diverſum Aſſenſum qui negaret, non hæreticus, ſed inſanus exiſtimandus eſſet. Hæ porrò Propoſitiones ſunt, v. g.

Senſus, & Doctrina Sacrarum Literarum declarata ab Eccleſia Romana eſt de Fide. In hac Propoſitione Juris continetur ex parte ſubjecti, quod Eccleſia Romana probaverit tanquam Catholicum potius hunc, quàm alium Senſum Sacrarum Literarum. Veritas iſta verſatur circa Factum aliquod. Hoc autem neceſſe non eſt credi Fide Supernaturali; ſed ſi certiſſimus alius Aſſenſus eidem Veritati negetur, non evitabitur nota dementiæ.

Senſus, & Doctrina Traditionum Divinarum, & Apoſtolicarum, quæ patet ex communi Interpretatione Sanctorum Patrum, eſt de Fide. Et tamen id, quod præſumitur ex parte Subjecti, nimirum, quod Sancti Patres re ipſa convenerint in probando potius uno, quàm alio Senſu Traditionum Divinarum, & Apoſtolicarum, eſt Factum ejuſmodi, quod qui inficiaretur, Stultus quidem, ſed non proinde Hæreticus, habendus eſſet.

Senſus, & Doctrina Verſionis Vulgatæ Sacrorum Librorum, explicata a Generalibus Conciliis confirmatis ab Apoſtolica Sede, eſt de Fide. Hæc etiam Propoſitio pertinet ad Jus

Fidei.

Digitized by Google

Fidei. Tenemur tamen aſſentiri certiſſimè, ſi mentis compotes ſumus, ſed non Fide Supernaturali, plurimis aliis Veritatibus pertinentibus ad Factum, quæ in hac Propoſitione præſumuntur ex parte Subjecti, nimirum, quod celebrata ſint Generalia Concilia, & a veris Epiſcopis, Baptiſmo perfuſis, Sacerdotio initiatis, conſecratis in Paſtores Eccleſiarum, non ſine debita Intentione: quodque ab ipſis Conciliis recepta fuerit potius Vulgata, quàm aliæ Verſiones Sacrorum Librorum, & probatus potius fuerit unus, quàm alius Senſus, & Doctrina illius Verſionis: quodque Concilia eadem confirmata fuerint ab Apoſtolica Sede.

Senſus, & Doctrina Verborum Chriſti Domini: Hoc eſt Corpus meum: *qui Senſus a Cathedra S. Petri, & ab Eccleſia, declaratus eſt Literalis, eſt de Fide, quod non ſit ſolummodo Myſticus*. Spectat certè ad Jus Fidei Propoſitio hæc. Nihilominus inſaniret quidem, ſed non proinde in Hæreſim laberetur, qui non præberet certiſſimum Aſſenſum Veritati circa Factum incluſæ ſubjecto Propoſitionis, videlicet, quod emanaverit Declaratio de Senſu illorum verborum Divinorum Literali, & non ſolùm Myſtico.

Senſus, & Doctrina Librorum Lutheri, & Calvini, in quibus ea Divina verba ita explicantur a Luthero, ut ſignificent potius Impanationem, quàm Tranſubſtantiationem: & a Calvino ita, ut forment ſolummodo Senſum Myſticum: eſt Senſus, & Doctrina hæretica. Hoc quoque Fide Divina credendum eſt. Demens autem enimverò eſſet, ſed non Lutheri aſſecla, vel Calvini, qui non fateretur Facta illa preſuppoſita in ſubjecto, nimirum, quod ſcripta fuerint Volumina illa præſeferentia nomen Lutheri, & Calvini: quodque in illis explicentur ita Divina Verba, ut ij Authores præſumant ſignificari ab illis Impanationem, vel ſolum Senſum Myſticum.

Senſus Literalis, & Doctrina hujus ipſius Propoſitionis: Hoc eſt Corpus meum: *in ſignificatione propria, & obvia, quam habent ea verba ab Inſtitutione Linguæ, & ab Uſu, prout explicantur a Grammaticis, & a Vocabulorum Collectoribus, eſt Senſus, & Doctrina Catholica.* Aſſenſus Infallibilis Supernaturalis tribuendus eſt huic Propoſitioni pertinenti ad Ius Fidei. Profectò autem non erit hæreticus, ſed mente deſtitutus, qui dubitet de Veritatibus illis quò ad Facta ſe tenentibus ex parte ſubjecti, ſcilicet quod data fuerit Inſtitutio Linguæ, atque detur illius Uſus: & Explicatio Grammaticorum, & eorum, qui Vocabula collegerunt, tribuat illis verbis eam obviam ſignificationem.

Infans nuper natus, & nondum Baptiſmo luſtratus, eſt infectus Culpa Originali, & inimicus Dei. Creditur Supernaturali Fide Veritas Juris enunciata in Prædicato; ſed ſolùm certò præſumitur Factum aliunde ſcitum, nimirum quod natus fuerit Infans ille, ac Baptiſmus nondum illi fuerit collatus.

Sicut in his, aliiſque plurimis, quæ afferri poſſent, Exemplis, apertiſſimè conſtat non tribui Aſſenſum Infallibilem Fidei Supernaturalis Nativitati Infantis, Inſtitutioni Linguæ, & ulli alteri ex illis Veritatibus Facti, quæ enuntiantur, aut ſupponuntur ex parte ſubjecti; ſed eas tamen certiſſimò in animum admitti ex aliis Cauſis, & negari non poſſe abſque dementia, quia neceſſariò connectuntur cum Veritatibus ſpectantibus ad Jus Fidei credendis Infallibili Aſſenſu Supernaturali: ita idem prorſus contingit in caſu noſtro, dum dicimus:

Senſus Obvius Propoſitionum, quæ ſunt exceptæ ex Libro, qui tribuitur Janſenio, quique Senſus patet ex Contextu Doctrinæ ejuſdem Libri explicantis, & confirmantis eumdem Senſum Obvium illarum Propoſitionum, eſt Senſus, & Doctrina hæretica.

Hæc quoque Propoſitio certiſſimè ſpectat, ut demonſtravimus, ad Jus Fidei, & credenda eſt Infallibiliter poſt Apoſtolicam Condemnationem exceptam ab Eccleſia ejuſdem Senſus Obvii, & Doctrinæ illius Libri. Neque tamen neceſſe eſt, ut credantur Fide Supernaturali Veritates aliæ pertinentes ad Factum Dogmaticum, quæ enuntiantur, aut ſupponuntur ex parte Subjecti ejuſdem Propoſitionis, videlicet, quod Quinque damnatæ Propoſitiones ſint re ipſa exceptæ ab eo Libro præferente Nomen Ianſenii: quodque Contextus Doctrinæ Libri ejuſdem explicet, & confirmet Senſum Obvium earumdem Propoſitionum: & quod prodiverit, & excepta ſit ab Eccleſia Pontificia illarum Condemnatio.

Si, qui prius Janſenio adhærebant, *judicent interius* Infallibili Aſſenſu Fidei Divinæ, *quod eo Libro Doctrina hæretica contineatur*, quatenus explicat, & confirmat Senſum Obvium illarum Propoſitionum, Sanctiſſimus Pater CLEMENS XI. eos amplectetur amantiſſimè tanquam Catholicos; quamvis alias Veritates pertinentes ad Factum, enuntiatas, aut ſuppoſitas ex parte Subjecti illius Propoſitionis, non credant Infallibiliter Supernaturali Fide, ſed alium ſolummodo illis præbeant diverſum, ſed certum, Aſſenſum.

Qui

§. XXIII.

Qui negant damnatas Inſallibilitate Divina fuiſſe Propoſitiones in Senſu Janſenii, & renuunt eas in eodem deteſtari, cenſendi ſunt Schiſmatici.

EX D.Thoma 2.2.quæſt.39.art.1. *Schiſmatici dicuntur, qui ſubeſſe renuunt Summo Pontifici, & qui membris Eccleſiæ ei ſubjectis communicare recuſant.* Hæc porrò duo, quæ Schiſma conſtituunt, videlicet non præſtita Eccleſiæ Moderatori Obedientia, & Receſſus ab aliis eidem obtemperantibus, nimium quantum aperta ſunt in Janſenii aſſeclis, & demonſtrari ulterius poſſent recenſendo molimina Sancirani, & Arnaldi, imò & ipſius Janſenii conqueri ſoliti, *quod Veritas a terra exularet*, ideo videlicet quia Catholici non amplecterentur Hæreſes ſuas, ideſt recuſarent opinari in Eccleſia ejuſmodi ſe eſſe, cujus Leges ab iis omnibus ſervari non poſſent, qui eas re ipſa non ſervant: nec eaſdem tranſgredi poſſent illi, qui eas re ipſa cuſtodiunt: Voluntatem fidelium eſſe mancipatam nulla illi relicta Libertate a Neceſſitate: Redemptoris Sanguinem effuſum fuiſſe, ac deſtinatum Redemptionis pretium pro illis dumtaxat, qui conſequuntur Invincibilem Gratiam ad Salutem obtinendam, relictis aliis omnibus in maſſa perditionis ob culpam Primi Parentis.

Prætermitto Summi Rigoris obtentum eo conſilio inductum, ut obduratum animum in neganda Fidei veritate fictæ Sanctimoniæ velo tegant, & a frequenti Acceſſu ad Menſam Divinam abſterreant. Non immoror in Eccleſia Bicipiti, de qua ſcripſerunt: nec in ſolennis Unionis Voto, quod plurimi ex Janſenii aſſeclis ediderunt profeſſi ſe Deo parituros, non humanis Præſidibus jubentibus Divinæ res contrarias voluntati.

Satis ſuperque ſunt Tituli illi, quos Janſenianis attribuunt Pontifices Maximi, ad evincendum eos in Schiſma incidiſſe, cum *Contradictores* appellentur, *Rebelles*, *Iniquitatis Filii*, *Serpentes*, *Aſpides*.

Etiamſi rebellarent ob meram Facti Controverſiam, ſufficeret hoc ipſum ad Schiſma conſtituendum, nam Schiſmatici exiſtimantur ab ipſis Janſenianis Epiſcopi Iſtriæ non in alio pertinaces, quàm in Cauſa Trium Capitulorum, quæ juxta opinionem ipſorum Janſeniſtarum erat mera quæſtio Facti. Et eos tamen tanquam Schiſmatis reos per ipſos etiam Exarchos Apoſtolica Sedes compreſſit.

Accedit, quod ſi habendi eſſent Schiſmatici, quamvis dumtaxat renuerent obtemperare quò ad Factum, licet faterentur Poteſtatem jubendi non deeſſe Pontifici Maximo, multò magis tales cenſendi ſunt, cum pernegent hanc eidem facultatem, & illam quoque pertinentem ad ipſum Senſum, ideoque, ut oſtendimus, ad Ius Fidei definiendum.

§. XXIV.

Hæreſis notâ perſtringendi ſunt, qui negant Inſallibilitatem Divinam Pontificiæ Definitioni de Propoſitionibus damnatis in Senſu Janſenii.

QUamvis alia deeſſent argumenta ſuadentia Janſenianos in Hæreſim proruiſſe, ad hoc oſtendendum ſufficeret auctoritas Divi Auguſtini Hæreſim ſtatuentis in ipſo *Inveterato Schiſmate*, quale poſt annos pluſquam Septuaginta, qui fluxerunt a Damnatione Ianſeniani Voluminis, profectò eſt illud etiam nunc Ianſenio adhærentium. *Schiſma*, inquit Magiſter Sapientiſſimus, ac Sanctiſſimus, lib.2. contra Creſconium cap. 7. *eſt recens Congregationis ex aliqua Sententiarum diverſitate Diſſenſio; Hæreſis autem eſt Schiſma Inveteratum.*

Sed multiplici præterea, eaque breviſſima, ratiocinatione confici poteſt Hæreticos eſſe, qui negant Eccleſiæ Poteſtatem illi divinitus traditam. Sed ex illis Oraculis: *Ille*, videlicet Sanctus Spiritus, *vos docebit omnia*: *Eccleſia eſt Columna, & Firmamentum Veritatis &c.* patet, ut oſtendimus, traditam divinitus Eccleſiæ fuiſſe in ſuo Capite Poteſtatem definiendi Senſum Propoſitionum, in quo includitur ipſa quoque Definitio Iuris.

Qui Mendacii inſimulat Eccleſiæ Magiſtrum, cujus *non defecturam Fidem* in eadem erudienda ex Cathedra promiſit Chriſtus Dominus, non aſſentitur Veritati revelatæ. Sed Mendacii coarguunt Janſeniani eumdem Eccleſiæ Præceptorem affirmantem in eorum Condemnatione, quod ad ſuum Munus Magiſtri, & Paſtoris pertineat Infallibilis Declaratio Senſus Hæretici patentis ex Libro Janſenii. Neque vim argumenti poſſunt eludere dicentes (quamvis & hoc abſque fundamento) hæreſi dumtaxat proximam, non verò expreſsè hæreticam, cenſeri opinionem negantium Irreformabilitatem Pontificiæ Definitionis ante Conſenſum Eccleſiæ, quia poſt eumdem Conſenſum, (qui certè datus eſt a Catholicis Declarationi circa

Sen-

Scnſum Janſenii) nullus Orthodoxus negat Divinam Infallibilitatem, ideoque Irreformabilitatem, Declarationi eidem.

Hæreticus enimvero eſt, qui excutit Eccleſiæ jugum, & Magiſterium, contemnit Leges omnes, omneſque Definitiones Fidei. Sed hujuſmodi ſunt Janſeniani negantes Pontificiam Infallibilitatem in ſolvenda qualicumque quæſtione Facti, & ſolius Facti aſſeverantes eſſe illam de Senſu Janſenii; quod ſubterfugium ſi valeret, evicimus contemni poſſe quamlibet Pontificiam, aut Conciliarem Definitionem circa Hæreſes quaſcumque, & loca quælibet Sacrarum Literarum, ex quarum Senſus Declaratione ſtatuti ſunt omnes Articuli Fidei.

Cum ſpoponderit Divinus Eccleſiæ Inſtitutor *ſe nobiſcum fore uſque ad conſummationem Seculi, & omnia nos docendos a Divino Spiritu*; providentiſſimus profectò credendus eſt in ejuſdem Eccleſiæ Regimine, ac Magiſterio. Sed hanc revelatam Veritatem negant Janſeniani, proinde Hæretici; manifeſtum enim eſt, quod non eſſet providè conſultum huic Eccleſiæ Regimini, ac Magiſterio, niſi ſtandum eſſet Pontificiæ Definitioni, præſertim poſt illam ab Eccleſia ſuſceptam.

Prætcr cæteras cauſas, Hæretici ſunt Lutheriani, & Calviniani, quia Eccleſiæ Definitioni jactant prævalere Doctoris alicujus, v. g. Auguſtini, Explicationem circa Senſum Sacrarum Scripturarum, vel etiam Inteſtinam uniuſcujuſque Inſpirationem, quam per vecordem inſaniam quia opinetur ſe habere a Divino Spiritu, Sed Janſenianum Senſum eſſe Auguſtini opinati Janſeniſtæ contemnunt Definitionem Pontificiam circa eumdem Janſenii Senſum non Auguſtinianum, ſed hæreticum: eoſque confugere ad Intcſtinum Inſtinctnm cnm cæteris Recentioribus Perduellibus evinci poſſet, licet hoc ipſum affirmare non audeant.

Evicimus, & alibi quoque in Solutione Cavillationum confirmabimus Infallibilitatem Eccleſiæ. In errorem labi Chriſti Sponſa certè non poteſt, eademque per Expreſſum Aſſenſum præſtitum ab Epiſcopis in Cœtibus frequentiſſimis, ac celeberrimis, perque Tacitum omnium Catholicæ Communionis amplexa eſt latas a Cathedra S. Petri Condemnationes Propoſitionum, & Senſus Obvij, atque Doctrinæ Ianſeniani Voluminis; eo prorſus modo, quo Pontificiam Hæreſis Pelagianæ, ac tot aliarum Proſcriptionem in Cælo ab Apoſtolorum Principe ſcriptam fuiſſe Orthodoxi omnes illico crediderunt. Cæterùm Pontificiarum ipſarum Definitionum declarantium Fidem Infallibilitatem, etiam ante Synodorum, vel Eccleſiæ Conſenſum, celebratam vidimus Libro Primo ab Eccleſia Gallicana: & eamdem fuiſſe Notoriam in Univerſa Vetuſta Eccleſia demonſtravimus in Polemica Hiſtoria Concilii Chalcedonenſis: & in Tractatu eruto ex eadem Hiſtoria Centum, ac ſexaginta duo attulimus Argumenta eamdem evincentia: inque alio Tractatu Argumentis Centum, ac ſeptuaginta ſex vindicavimus Antiquam Notorietatem Præſtantiæ Pontificis Maximi ſupra Ipſa Generalia Concilia: idemque nuper præſtitimus in Polemica Hiſtoria Pontificia Conciliorum, quæ præceſſerunt Chalcedonenſe.

L I-

Digitized by Google

LIBER QUARTUS.

De obſequenti Silentio a Cavillatoribus Janſenianis promiſſo, nec ullatenus ſervato, nec idoneo ad Hæreſim extinguendam.

§. I.

Quid ſub Obtentu Silentii deliteſcat.

QUid occultare tentaverint ſub hac ſponſione Taciturnitatis amatores Janſenianorum Dogmatum, declararunt Comitia Gallicani Cleri in Literis datis ad Alexandrum VII. ſ.m. anno 1663. cum omnium primi Silentium obtulerunt Quatuor Epiſcopi, de quibus egimus Libro Primo hujus Partis Secundæ §. 16. *Subdolum, & non Catholicum* fuiſſe modum loquendi ab iis adhibitum, exclamarunt omnes. *Mirifica*, inquiunt, *noſtrum omnium, quotquot aderamus, in his verbis reprehendendis extitit conſenſio. Viſa ſunt enim Subdola, ſimulatum dumtaxat obſequium præſeferentia; mente verſipelli, & callida concinnata &c. Iſtud itaque ſcriptum reijciendum cenſuimus tanquam fictum, & nullatenus Catholicum, neceſſumque eſſe duximus, ut mentem apertius exponant, exprimantque luculentius implicatas animi cogitationes, cum ex eorum ſcriptis, & ſermonibus liquidò conſtet, eos in id juxta incumbere, ut obſequium Silentio dumtaxat, non verò mutatâ Sententiâ, & Doctrinâ ſignificent.*

In eos, qui phaleratis verbis etiam nunc deſpondent a ſe ora comprimenda, atque hoc abunde ſufficere affirmant in peſtilenti Libello, quo famoſus Conſcientiæ Caſus nequiſſimè diſſolvitur, meritò invehitur S. Facultas Pariſienſis in ſua nuper edita Deliberatione relata ſuperius Libro Primo §. 20. in apertum producens, quid inferatur ex eo, quod Libelli Auctor aſſeveraverat, ideſt, *Clerico, qui ſubſcripſit Formulæ Alexandri, ſufficere obſequium, quod vocant, Silentii, & Reverentiæ. Ex quo*, inquiunt, *ſequitur, licere ipſi aliter de hoc ſentire, quàm ab Eccleſia definitum eſt: intus credere, Eccleſiam in ea re definienda, nempe, in damnando Janſenii Libro, & Senſu, erraſſe; falsò Hæreſim tribuiſſe Janſenio &c.* Et quamvis primò Sorbona ſolùm decernat Opinionem illam eſſe *Temerariam, Scandaloſam, Injurioſam Summis Pontificibus, & Epiſcopis Galliæ*; nihilominus, cum ſubiiciat, *quod occaſionem præbet renovandæ ex integro poſt damnationem Janſenianæ Doctrinæ*, non recedit S. Facultas a recenſita Comitiorum Cleri Sententia, videlicet, quod *non eſſet Catholica* promiſſio illa Silentii.

Et ſapienter attexit, quod, *in quantum eadem Propoſitio docet, illud obſequium Reverentiæ, & Silentii, ſufficere etiam iis, qui ſubſcripſerunt Formulæ Fidei, quæ adjunctum habet Juramentum ex Sanctione Alexandri Septimi, prædictis notis hæc eſt adijcienda, ut & illam Facultas adijcit, nempe quod faveat Mendacio, & Perjurio.*

Sed cæleſti ſapientia hoc ipſum confirmant nuperæ Sanctiſſimi Clementis Literæ ad Chriſtianiſſimum Regem, animadvertentes, quod in execrabili Libello docente nihil requiri, præter Silentium, *plura pernicioſæ Doctrinæ capita, erroreſque damnati revocantur in lucem, & ipſa etiam hæretica Janſenii Dogmata non obſcurè foventur.*

Eccleſiaſticarum igitur *Conſtitutionum*, ut Sapientiſſimus Pontifex notat, *perſpicuitati tenebras volunt offundere* Janſeniani. Vindicant ſibi libertatem opinandi, nihil declaratum fuiſſe infallibiliter contra Senſum, ideſt Doctrinam, Janſenii, ac proinde ſtatuere ſe poſſe apud animum ſuum, dummodo linguam, calamumque compeſcant, veriſſima eſſe omnia, quæ in Auguſtino Janſenii, juxta ejuſdem Janſenii Senſum, continentur. Quamvis ergo definiverit Apoſtolica Sedes nulla Præcepta Dei eſſe Juſtis impoſſibilia: reſiſti etiam in Statu naturæ lapſæ Interiori Gratiæ: neceſſariam ad merendum, & demerendum, eſſe Libertatem Indif-

Indifferentiæ: Chriſtum Dominum pro omnibus interiiſſe: atque has, aliaſque definitas Veritates Eccleſia fuerit amplexa prolatas ab Oraculo Vaticani, tanquam Janſeniano Senſui repugnantes; captivare tamen nolunt intellectum in obſequium Fidei, qui ſolummodo dicunt nullum ſe de rebus hiſce verbum facturos.

Et Hæreticos ſe eſſe audebunt inficiari, qui, præter eluſionem Definitionum omnium, quæ hucuſque manarunt ab Infallibili Cathedra Veritatis (qualem Catholici omnes agnoſcunt Apoſtolicam Sedem, ſaltem poſt exceptam ab Eccleſia Pontificiam Declarationem Fidei) non ſolùm illam erroris inſimulant, ſed prætereà quamcumque confirmandi Fratres in Fide poteſtatem eidem adimunt? Nulla enim profectò illi facultas eſſet fideles erudiendi, ut oſtendimus Libro Tertio, niſi jus haberet non ſolùm condemnandi Hæreſes, ſed etiam hæreſum Auctores, quin & omnes pravam Doctrinam docentes: niſi quando damnat cum Erroribus Libros, in quibus illi continentur, poſſet Fidelibus imperare, ut apertè Errores, ac Libros, qui iiſdem fœdantur, ab ipſa damnatos præſcriptâ notâ inurerent: niſi decernere poſſet Eccleſia per ſuum Magiſtrum, & Hierarcham, non ſolùm quid ſit Fide ſentiendum, ſed etiam judicare, qua ſub verborum vi deliteſcat Error, & ſermonem eligere, quo rectæ Fidei Veritas exprimatur: & niſi (ut alia plurima prætermittantur) dijudicare infallibiliter poſſet genuinum, propriumque Senſum cujuſcumque Propoſitionis, ac definire, Catholicus ne ſit, an hæreticus; alioquin enim, ut demonſtravimus, nulla poſſet certa, & aperta Sententia ferri de Doctrina Fidei.

§. II.

Quò colliment in poſterum Janſeniani, & quo ſtudio latibula ſemper quæſiverint.

Vidimus, quod dum Taciturnitatem offerunt latere optantes Janſeniani, facultatem efflagitant ab hæretico Senſu, Doctrinaque Janſenii non recedendi. Quid verò ſpectent in futurum, liquidò conſtat: Perpetuitatem ſcilicet, & ulteriorem in dies Hæreſum ſuarum propagationem. Quemadmodum Imperia eiſdem ſolent artibus conſervari, quibus initio parta ſunt: ita Rebelliones iiſdem perennant, augenturque præſidiis, quibus primò eruperunt. Maxima porrò a tartareis ipſis Hæreſis Janſenianæ incunabulis cura Secreti viguit in animis hac peſte correptis. Janſenii Vexillifer Abbas S. Cyrani frequenter dicere conſueverat: *Secretum meum mihi propter metum Judæorum*, ideſt Catholicorum, ut interpretabatur. Ille quidem cum duce ſuo Ipreſi Epiſcopo mitigare decreverat Calviniſmum, cujus ſemen ſunt Quinque damnatæ Janſenii Propoſitiones; ſed diverſam inire viam a Calvino, qui palam eruperat ab Eccleſia, cuique bonam fuiſſe cauſam Abbas ille affirmabat, ſed malè defenſam, eò quòd evitare neſciverit nomen Hæretici.

Suum ergo ſolummodo conſilium eſſe jactabant quærendi remedium afferendum abuſibus in Eccleſiam inductis poſt tempora D. Auguſtini ob ignorationem eximiæ illius Doctrinæ, quam a ſe dilucidatam fuiſſe Janſenius profitebatur, abuſus Maximi Doctoris Auctoritate, ſicuti Calvinus.

Ut ſe in Catholicorum animos inſinuarent, rejecerunt illas, quæ horrorem provocabant, Hæreſiarchę Propoſitiones, v.g. Quod Deus ſit Auctor Peccati: quod figuratè ſolummodo ſit Domini Corpus in Euchariſtia: quod dentur duo ſolùm Sacramenta: quod ſit Abominatio Sacrificium Miſſæ: quod Romanus Pontifex ſit Antichriſtus: quod Sanctorum Cultus ſit Idololatria: quod iidem, & Angeli, imò & ipſa Deipara, non ſint invocandi: quod nullus detur carcer Ignis purgantis &c.

Contra verò Janſeniani ea omnia, quæ pio Catholicorum Senſui blandiebantur, & Religionem, cui populus aſſueverat, promovebant, mordicus retinuerunt, Regimen videlicet Pontificium, & Epiſcopale, omnium uſum Sacramentorum, & Miſſam, Sacraſque Cæremonias, quarum abolitio valde obſtiterat propagationi Calviniſmi, quem reformando innumeros induxerunt ad excipiendos errores Janſenii.

Plurimæ illis fuerunt cauſæ ſtatuendi, tanquam ſuæ Fundamentum Sectæ, ſpeciem hærere mordicus volentium in Eccleſiæ Catholicæ ſinu, ideoque venerantium Pontificiam Auctoritatem, ſeque Hierarchico Regimini ſubmittentium. Inſiſtere decreverunt veſtigiis Pelagii, Macedonii, Eutychetis, Donatiſtarum, aliorumque majori, quàm cæteri Sectarum Auctores, Vafritia præſtantium, qui Catholici nominis umbrà velare ſe ſolertiſſimè ſtuduerunt. Idipſum omni conatu Janſeniani tentarunt, ut ſe omnis conditionis hominum cœtibus immiſcerent, inque ipſas irreperent Religioſorum Virorum Domos, & Principum Aulas. Ita pronum, & expeditum ſibi fore ſperarunt alloqui omnes, ad omnes dare Literas, conſcientias dirigere, ſuam ſenſim Doctrinam infundere, Adverſariorum conſilia expiſcari, ſecretò il-

lis obviam ire, ſerere diviſiones, ac mille aliis artificiis uti ad ſolvendum fœdus Catholicorum. Præſeferentes Orthodoxum animum ſuſpiciones evitant, cumque amici cenſeantur, nocere tutius poſſunt. Quia plerique Societate Civili, aut Eccleſiaſtica nexi difficulter conſilium ineunt tranſeundi ad extraneos, ut plurimos alliciant ad nova Dogmata ſuſcipienda, fingunt allena illa non eſſe a certa Fidei Regula, & ex illimi Sancti Auguſtini fonte hauſta fuiſſe, cujus de Gratia Doctrinam Apoſtolica Sedes eximio præconio exornaverit.

Quàm inſigni porrò verborum arte, ac diverſitate utuntur, dum de Prædeſtinatione, de Divinis Auxiliis, de humana Libertate, ſermonem inſtituunt cum Suſpectis, Indifferentibus, aut Contrariis, quos allocuti terminos adhibent ambiguos, ut de conſuetis tantummodo a Theologis agitari Controverſiis differere videantur, inter quos execrari ſe dicunt, quos calumniantur ad Semipelagianos proximè accedere, atque laxiores circa Morum Diſciplinam opiniones conſectari.

Infinitus ſim, ſi ea enumerare velim machinamenta, quibus Babylonicam ſubſtructionem ſuam fulcire nituntur. Aliquod ſolummodo illorum ſpecimen innuo. Cum iis, quos Suſpectos habent, congreſſi negant audacter ſe Janſeniſtas eſſe, ac diverſum quippiam a nobiliſſima inter Catholicas Academia ſentire. (ſed hoc per ſummum jactari mendacium oſtendimus in 1. Par.) Cum opinentur ſortiri non poſſe ſuum effectum Gratias, quas Deus indulget Reprobis, non tamen hoc ipſum exprimunt, ſed infortunium tribuunt Defectui Cooperationis humanæ. Reſonare faciunt Libertatis nomen, neque disertè affirmant, quod Gratia Voluntati Neceſſitatem imponat, ſed ſolùm quod eadem Gratia ſita in Delectatione Victrici ſuaviter trahat abſque Coactione, ac Violentia. Hoc autem juxta eorum Senſum ſignificat, a Gratia Victrici rapi Voluntatem Antecedenti Neceſſitate abſque Potentia ad contrarium actum, vel ad actus ſuſpenſionem, ac ſolùm ſuperaſſe Libertatem oppoſitam Coactioni. Cavent ſibi a proferendis iis, quæ horrorem incuterent, ſcilicet quod non omnia Divina Præcepta ſervari queant, neque pro omnibus Chriſtus Dominus Mortem obiverit. Religionis demum fuco ſe venditant, & ſtudioſos Pacis jactant, ad quam conſequendam, & vitanda Scandala oriri ex Diſputationibus circa Victricem Gratiam conſueta, expediat de hujuſmodi quæſtionibus conticeſcere.

Dum in eos incidunt, quos inſcios ratiocinari ſimplici cura Salutis Æternæ obtinendæ cupidos vident, cum iis quoque, ſicuti cum Suſpectis, verba contexunt, & attentiſſimè notant, an amatores ſint Novitatis, quod ſi animadvertant, ſuam ſtrenuè illis Doctrinam inculcant, quam Sapientiſſimorum eſſe Magiſtrorum, & maximi Auguſtini, ſanctiſſimè pejerant. Libellos iiſdem donant, aut commodant, quorum plurimos vulgi linguâ, eâque ſatis cultâ, exararunt, ac liberales præcipuè ſunt cum Matronis, & Puellis, peſtilentiam viris non injucundè aſſiaturis.

Neutros eodem, quo Suſpectos, certamine aggrediuntur. In Domibus detrectantium audire ſua commenta Libros relinquunt, ad quos legendos, & epotandum venenum curioſa opportunè ſtudia illos invitent. Si aliquantulum pellectos deinde videant, per ſummam ultimi ſui conſilii diſſimulationem carpere incipiunt præcipuos hoſtes ſuos, quos inſimulant inſtaurati Semipelagianiſmi.

Pietatis cultoribus, ac Divina Charitate ferventibus, magnos in ea progreſſus fieri poſſe aſſeverant, ſi nos penitus imbuamus D.Auguſtini Doctrinâ, quam fecuti fateamur, piam nullam actionem elici poſſe, quam Victrix Divina Gratia mox explicata non pariat: a Superbia corrumpi omnia; maximam autem eſſe arrogantiam, ſi nobis partem aliquam piis in operibus, quæ Deus in nobis agat, ullumque nobis meritum, etſi dependenter ab eadem Divina Gratia, vindicemus. Majorem demum gloriam, & virtutem hominis eſſe, ſi perſuadeat ſibi, pendendum adeo eſſe a Gratia, ut ipſa in nobis, & ſine nobis concurrentibus abſque neceſſitate, omnia operetur.

Nullatenus tandem Pietati addictos, & in licentiam effuſos conciliant ſibi palam affirmantes decretam a Deo fuiſſe noſtram Salutem, aut Damnationem, neque diffingi a nobis poſſe, quæ ſunt ſtatuta divinitus. Ad ea mutanda fruſtra laborari per vitæ religioſæ auſteritates, aliaſque ſponte ſuſceptas pœnas. Concilium Tridentinum, quod eas commendavit, OEcumenicum haudquaquam eſſe, atque prodeuntes ex Clauſtro in eo dominatos fuiſſe. Experrecta nunc ingenia omnia Janſenio adhærere. Si cum plauſu excipi hæc vident, ſermonem ab aliis non abſtinent indicantes obitam non fuiſſe pro Reprobis Mortem Divinam: ne Sufficientem quidem illis Gratiam, verè talem, attribui dicunt, omnemque Gratiam eſſe Efficacem, ac Victricem, abſque ulla cooperatione mortalium, quam Gratiam aliquando ſortituros nos hilari ſperare interim animo plurimùm profit. Cum

Cum igitur perpetuò dolis, & fraudibus graſſati ſint Janſeniani ad Rebellionem ſuam ſtatuendam, & amplificandam, apertiſſimum eſt in idem eos album jaculari, Conſervationis videlicet, ſuæque Sectę Propagationis, dum parcendum a ſe verbis eſſe per ſummam fraudem deſpondent.

§. III.

Quomodo Silentium Janſeniſtarum dici nequeat obſequens, quantoque iidem impetu invecti ſint in Apoſtolicam Sedem.

Etiamſi verbis parcerent Janſeniani, Pervicacia, & non Obſequium, linguam frænaret nolentium miſerè obdurato animo Catholicam profiteri Veritatem. Venerationem prætexunt tanquam affectati Silentii Cauſam? At hoc ſipario conſilium ſuum velare moliuntur. Ut lethalius vulnerent, in latibula ſeſe recipiunt. Quamvis tantummodo indulgeri ſibi flagitarent, ut verbis ſuperſederent a conteſtatione, quod proſcriptæ Propoſitiones excerptæ ſint a Janſeniano Volumine, appellari non poſſet obſequioſa hæc oris compreſſio, ſed contumax detrectatio præſtandæ obedientiæ Eccleſiæ Moderatori, & Schiſmatis aperti reatus. Cum autem præterea reticendo ſubterfugiant profiteri, quod Propoſitiones illæ meritò damnatæ ſint tanquam hæretice in Senſu Janſenii, neque hanc illis notam inteſtino aſſenſu velint inurere, in Hæreſim hac ipſa de cauſa illos incidiſſe jam demonſtravimus.

Num verò prolatis ore verbis, aut ſcripto abſtinent? Veneratores ne Apoſtolicæ Sedis ideo ſaltem, quod mutire nihil contra illam audeant, videri queunt? Nihil profectò minus. Ipſas etiam, quas fatentur pertinere ad Jus Fidei, Veritates a S.Petri Cathedra declaratas frequenter impugnant. Perpetuus ipſorum conatus eſt impetendi, & conculcandi Pontificiam Poteſtatem. Oſtendit hoc execrabilis illa Arnaldi Scriptio de Gemino aſpectabili Eccleſiæ Capite. Quid, uſurpata illa facultas explicandi pro libito Pontificias Conſtitutiones, illiſque repugnantes Encyclicas Epiſtolas latè ſpargendi? Peculiares adoptandi ſibi, Romano refragantes, Judices Fidei: ac Sanctitatis Appellationem, & ferè publicos honores, Vaticano rebellantibus hominibus, Arnaldo videlicet, aliiſque hujuſmodi furfuris Janſenii Signiferis, attribuendi?

Qua, Deus Immortalis, temeritate de illa, quam formidabant, quæque deinde illos perculit, velut abominatum fulmen, Pontificia Definitione ſcripſerunt? Proteſtatur ſuo in Diario Sanctamorius, *eam, ſi forſitan emanaret, a ſe, atque Collegis ſuis, habendam ementitam, Rationi cuilibet, & Æquitati repugnantem, & ſuapte natura deſtruendam*. Eumdem ſic abſentes Amici per Literas alloquuntur: *Si præceps aliqua Cenſura prodeat, quid a me peragendum ſit, probè novi. Mea norma eſt Eccleſia. Expendendum erit, an Pontifici nunc ſedenti, an verius ejus Deceſſoribus ratio aſtipuletur.* Invitatus alius ad Urbem, ut ſuppetias periclitanti Cauſæ afferret: *Apage*, reſpondit, *neque enim Diſputationi ſubjicienda Veritas eſt, atque hoſtium Cenſuræ, Judicioque, ac Definitioni ſuſpectorum nobis Virorum, quibus licet optima non deeſſet animi propenſio, luce tamen iidem profectò carebunt, & neceſſaria cognitione rerum, de quibus quæſtio agitatur.*

Num verò poſt publicata Fidei Decreta animum deſponderunt? Veram Janſeniani cordis demiſſionem ſperamus? Neceſſitudine quidam Sanctamorio conjunctus hæc illius reponit Epiſtolæ: *Qui aliquo hic intelligentiæ lumine præſtant, exigua Cenſuræ hujus veneratione perſtringuntur, adeo illam parti uni obnoxiam vident, quæque concitatum ſpirat animi motum, exiguamque Juſtitiam.* Neque poſt annos decem eorum furor deferbuit, nam in Libro, quo præſumptorum hoſtium ſuorum molimina inſimularunt anno 1663. locuti de Sententia lata ab Innocentio X. *prodiiſſe illam* dicunt *ab erroneo Principio, neque certè juxta Eccleſiæ Regulas, atque ab eo fuiſſe Pontifice pronuntiatam ſolummodo ductu Politicæ ad ſuo Famam Regimini conciliandam.*

Non fractam poſt duo luſtra pertinaciam admiror? Decem poſt confixum primò Janſenianum Opus effluxerant luſtra, cum Duaceni quidam Lectores, de quibus nonnulla ſupra commemoravimus, in ſapientiſſimam, quam Alexander VIII. f. m. tulit a Janſenianis editarum Academiis Propoſitionum Condemnationem vehementiſſimè invecti ſunt. Ne in longum abeat oratio, allegare ſufficiat in gratiam optantium plura cognoſcere de Janſenianorum, qui ſibi Silentium imperaturos ſe dicunt, prodigioſa dicacitate, Librum inſcriptum: *Specimen Doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis*. Cum ſumma in eo fide recenſetur quoties ad hæc uſque tempora publica diſputatione propugnandas Typis ediderint damnatas Propoſitiones, atque carpſerint Pontificiam Auctoritatem. Quid de hac cenſerent Auctores 29. fulguritæ ab Alexandro VIII. Propoſitionis notavimus Libro Primo §. 18. utque omnem penitus loquendo moderatio-

nem ejurent, qui ne verbo quidem a ſe lædendam dicunt Sacroſanctam Pontificis Maximi Poteſtatem, ſatis liquet ex 30. inter proſcriptas Propoſitione, videlicet: *Ubi quis invenerit Doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificiam Bullam.*

§. IV.

Subdoli Janſeniani Beati Petri Cathedram pugnaſſe dicunt per annos Sexaginta contra umbratilem Hæreſim; ac proinde omnes Univerſalium Conciliorum, Maximorumque Pontificum Definitiones in contemptum adducunt.

LAborabit apud poſteros Hiſtoriæ fides narrantis enorme hoc, quod in Titulo expreſſimus, Janſenianorum pronuntiatum, cui nihil ſimile ſunt unquam auſi effutire in cæterorum omnium, quæ fluxerunt, Seculorum curſu reliqui Eccleſiæ Dei Antagoniſtæ. Sed quod hoc aſſeverent in præſens Clandeſtini Janſeniani, manifeſtiſſimè liquet ex eorum famoſis Libellis, quos frequenter edunt, & præſertim ex abſurdiſſima ſolutione celeberrimi Conſcientiæ Caſus, quam poſt Apoſtolicam Sedem Sacra etiam Pariſienſis Facultas meritò proſcripſit, graviſſimiſque ſupra recenſitis Libro primo §. 20, Cenſuris affecit. Inter cætera, quæ Sorbona perpendit, in ea Deliberatione notatur, quod Auctor peſtiferi ejus Libelli, quique illum probantes ſuum eidem nomen adjecerant, opinabantur, *Eccleſiam pugnare ab annis Quinquaginta, & amplius, adverſus Umbram*. Cum porrò hujuſmodi homines pernegent ullam in Janſenii Volumine Propoſitionem Hæreticam reperiri, atque Volumen illud primò damnatum fuerit veluti ſcatens hæreſibus an. 1641. ab Urbano VIII. ſ.m. ejus Defenſores putant, lapſos jam fuiſſe annos pluſquã Septuaginta, quibus certamen hoc, ab ipſis ludibrio traductum tanquam inſtitutum contra inane quoddam Phantaſma, fuerit agitatum ab Eccleſia, Diviniſque illius Moderatoribus Pontificibus Maximis.

Manifeſtiſſimum igitur eſt, quod hoc audacter Ianſeniani pronuntient. Quàm verò falsò idem obganniant eò, quòd nimium quantum diffuſa fuerit, atque vigeat in præſens peſtilentia Ianſeniſmi, luce meridiana clarius eſt. Eos palmaris mendacii coarguunt Pontificiæ Alexandri VII. Definitiones, Apoſtolica alia Decreta Alexandri VIII. & Innocentii XII. ac prope Divinæ ſanctiſſimè Regnantis CLEMENTIS XI. Epiſtolæ, ac recentiſſima Conſtitutio, præter tot alias Literas datas a Gallicani Cleri Comitiis ad Chriſti Vicarios, vel ad cæteros ampliſſimi Regni Antiſtites, quibus aperiunt doloſas artes ſatagentium propinare venenum animi ſui Sectatorum Janſenii. Sed major nulla evidentia eorum obdurationis in Hæreſi aliunde prodire poteſt, quàm quæ quotidie manat a Libris innumeris Ianſeniano prælo ſubjectis, ex quibus patet pugnatum ab Eccleſia fuiſſe per Annos Septuaginta non contra Imaginariam, ſed contra novam Veriſſimam Hæreſim exortam poſt Calvinianam: neque ſolùm plurimos in arenam aperto, vel ſub caſſide abdito, vultu prodiiſſe per prima belli Luſtra hoſtes veritatis; ſed etiam nunc magnam eorum vim ſupereſſe, qui nequiſſimam phalangem conſtituunt. Eam porrò, non aerem, & umbras, verberant Pontificia Decreta.

Jam verò quod, qui pugnam tamdiu fuiſſe dicunt contra umbratilem Hæreſim, in contemptum adducant omnes Univerſalium Conciliorum, Maximorumque Pontificum Definitiones, ultro apparet, nam ſi ſatis eſſet ab Hæreticis pejerari, quod Novitas nulla Catholicæ Fidei repugnans a ſe fuerit aſſerta, cæterorumque (ſicuti Janſenianorum) ſtrenua Proteſtatio, quod Lutherus, v. g. Calvinus, Zwinglius, Auguſtinianum ſolummodo Senſum ſuis in Dogmatibus incluſiſſent, ſufficeret ad evincendum, quod inanis, & deridenda fuiſſet pugna contra illos ab Eccleſia ſuſcepta, quis non videt, nullo pariter in pretio habenda fulmina, quæ contra illos a Tridentini Concilii, vel Vaticani Cælo erupiſſent, tanquam quæ non vera Hæreſum monſtra, ſed ſomniata Errorum Phantaſmata profligare tentaſſent?

§. V.

Per manifeſtam Hæreſim pronuntiant Eluſores Janſeniani, immeritò vexari ab Eccleſia Sanctos Sacerdotes, pioſque Veritatis Defenſores.

SI nihil ſanæ Doctrinæ diſſentaneum Janſenius docuiſſet, illius Sectatores immeritò fuiſſent inſectationibus impetiti. Hoc eveniſſe opinantur, qui aliud nihil, quàm Phantaſma, fuiſſe Janſeniſmum affirmant. Neque verò ſolummodo ex ipſorum hoc opinatione conſequitur, ſed diſertis etiam iidem verbis aſſeverant id, quod in Paragraphi Epigraphe prænotavimus, quemadmodum in recenti ſua Deliberatione Sorbona commemorat. *Sanctos igitur Sacerdotes, pioſque nuncupant Veritatis Defenſores* Abbatem S. Cyrani, Antonium Arnaldum, alioſque

jam

jam vocatos ad Divinum Tribunal, ſuam utinam prius Hæreſim deteſtatos, alioſque vitam adhuc agitantes Pontificio Anathemate perculſos, Regiaque Sanctione in exilium actos.

Nec animadvertunt ſe in Hæreſim incidiſſe ob hoc ipſum præconium, quo Eccleſiæ Perduelles *Sanctorum* appellatione *Sacerdotum, piorumque Veritatis Defenſorum*, illuſtrant? Quem Catholicum latet non ſolùm in materia Fidei, ſed etiam Morum, Infallibilem eſſe, ac Divinam Pontificiam Definitionem, ſaltem poſtquam illam Eccleſia fuit amplexa? Hanc non ſemel adjeci Acceptationem, ut nullum dubitationi locum relinquam, cum eam Theologi quidam, licet oppidò pauci, requirant, ut penitus Irreformabilis evadat Pontificia quò ad Fidem, ac Mores Declaratio, quam nulli erroris periculo ſubjectam reliqui cenſent ſtatim atque ab Apoſtolorum Principis Cathedra prodivit, nec ullum ſparſæ, vel in Synodis congregatæ, Conſenſum Eccleſiæ præſtolari coactam. Hanc ferè omnium Scholaſticorum Sententiam adeo certam eſſe monſtravimus in Opere inſcripto: *Sacra Monarchia S. Leonis Magni paſſim, & ubique fulgens in Polemica Hiſtoria S. Concilii Chalcedonenſis*: & in duobus Tractatibus, quibus in Seriem, & Compendium redegimus pluſquam Tercentena argumenta diffuſa per eamdem Hiſtoriam, ut evieiſſe videamur, Notoriam ante ipſum Eccleſiæ Conſenſum fuiſſe apud Antiquum credentium Cœtum, ipſaſque Synodos Generales, Pontificis Maximi ex Cathedra defin ientis Infallibilitatem, & Præſtantiam ipſis Generalibus Conciliis. Utcumque autem Conſenſus ille requireretur, profectò idem acceſſit Pontificiæ Definitioni ſtatuenti, non *Sanctos, & Veritatis Defenſores, ſed ſceleſtos, impios, pervicaces mendacii aſſertores, iniquitatis filios, Serpentes, Aſpides, Lupos ſub ovina pelle*, eſſe illos, qui Janſenianas Propoſitiones in ipſius Janſenii Senſu non execrantur.

Qui porrò Eccleſiæ, illiuſque Præcepto contradicit, negatque ipſam Eccleſiam eſſe *Columnam, & Firmamentum Veritatis*, & inficiatur illius Paſtori adeſſe Poteſtatem diſcernendi pabula veræ quò ad Fidem, & Mores Doctrinæ a falſa, & veneno infecta, illi traditam ab Inſtauratore Humanæ ſalutis, cum Petri quoque Succeſſoribus, neque ipſi tantùm Petro, dixit: *Paſce oves meas*: enimverò Hæreticus cenſendus eſt. Sed hoc præſtant Subdoli Janſeniani *Sanctorum, piorumque Veritatis Defenſorum* nuncupatione proſecuti eos, quos Divinum Vaticani Oraculum definit eſſe improbos, atque mendaces.

Videri poſſum in confirmanda re maniſeſtiſſima fruſtra immorari. Sed attexere juvat, quod perinde ac Eccleſiæ rebellaret, qui Cæleſtem aliquem Heroem Sanctitatis Declaratione ſolenniter a Maximis Pontificibus inſignitum, ac veluti talem a Cœtu Fidelium exceptum, publiciſque ſupplicationibus obſequentiſſimè cultum, impium fuiſſe hominem arbitraretur, & nefaria exiſtimaret geſta illa, propter quæ Sanctitatis laureá fuit ornatus: ita non minus Eccleſiæ Perduellis habendus eſt, qui *Sanctorum*, ac *Veritatis* Orthodoxæ *Defenſorum* albo inſerit illos, quos Eccleſia cum ſuo Hierarcha Catalogo impiorum aſcribit, eorumque Sententias, quas Pontifex ex Cathedra declaravit *iniquas*, & *Hæreticas*, veluti Orthodoxas celebrat, atque Sanctas: abſque eo, quod conſtet illos ante Mortem ullatenus pœnituiſſe, peſſimamque, ac damnatam Doctrinam uſpiam retractaſſe. In eo verò præcipuam vim ſtatuimus, dum illos extorres a Catholica Fide pronuntiamus, quod *Veritatis Defenſores* appellent Magiſtros ſuos: qua nuncupatione apertiſſimè oſtendunt Sanam a ſe cenſeri Doctrinam ab Eccleſia proſcriptam.

§. VI.

Quàm fruſtra obtendant exactioris Diſciplinæ ſpeciem, & de rigidioris Theologiæ fama ſibi Janſeniani blandiantur.

Quod ad velandam impietatem ſuam ſpecioſum hunc Rigoris titulum Janſeniani fruſtra prætexant, animadvertit in Apoſtolicis, ac verè loquentem e Cælo Petrum ſpirantibus, Literis ſuis Sanctiſſimus Dominus Noſter CLEMENS XI. De hoc prætenſo Rigore magnum conflatura Volumen vis rerum plurima mihi ſe ultro ingereret. Sed ferè omnibus prætermiſſis curſim ſolummodo innuo, incaſſum ab ejus profeſſoribus, ſi Clero accenſentur, Sanctimoniæ opinionem affectari attenuatá plurimùm comá: non talari ſolùm, ſed ab omni etiam ſplendore, ac luxu aliena veſte: diuturna genuum coram populo in Eccleſiis flexione; frequenter inter loquendum erectis in Cælum oculis: expreſſis identidem ſuſpiriis, dum de inductis, ut affirmant, abuſibus conqueruntur. Sapientiſſimè ſubiicit poſt ſermonem de hoc ab ipſis jactato Rigore Magnus Veritatis Aſſertor ac Vindex, apertiſſimè innoteſcere *quales animo Senſus foveant ex tot, quos in dies cudunt, Libellis* latens ipſorum in corde venenum ultro exhibentibus, *cum ſcateant jurgiis, maledictis*, men-

mendaciis, & calumniis. Nefarias haſce paginas mox breviter expenſuri in quonam ſitus ſit, quo gloriantur, Rigor, interim quærimus. In eo videlicet, ut abſterreant a frequenti acceſſu ad Altare Divinum, ſicuti Libro Primo §. 18. indicavimus referendo eorum nefarias, ab Alexandro VIII. damnatas, opiniones: & ut pleriſque negent Sacramentalem Criminum expiationem, atque in deſperationem paſſim inducant. Hæc illa ſcilicet Exactioris eſt Diſciplinæ ſpecies, qua ſe venditant apud imperitos rerum ſuarum; nam diverſam ineunt viam apud earum conſcios, & amatores, cum quibus multò mitius agere perhibentur in Pœnis irrogandis, non ad amuſſim Veterum Canonum, quos aliis perpetuò, & ferè in omnibus falsò, allegant: & utilitatem ſe de Venialibus noxis accuſandi in controverſiam ab iis revocari non temerè ex eorum Sermonibus, ſcriptiſque Voluminibus plurimi conjiciunt.

Quod verò, quem verbis in cœlum tollunt, ſuis ipſi Moribus, & Vitæ inſtitutione Rigorem ſervent, quis in animum poſſit Inducere, cum ex Odio conflatis Charitas profectò deſit Regina Virtutum, ſine qua reliquas nihil prodeſſe definit Apoſtolus? Cum longè ſint a veræ Humilitatis, & Obedientiæ, quæ cæterarum Virtutum fundamenta ſunt, tramite? Cum ab ipſa vera Fide alieni ſint, qua deſtituti corruere frequentiſſimè ſolent in innumera crimina? Cum eas præſertim Hæreſes infixas animo habeant, quæ omnes laxant habenas effrænatis cupiditatibus?

Quis enim compeſci v.g. Ultionis ſitim putet ab illis, qui carere identidem juſtos quoque, volentes, & conantes, opinantur GratiâDivinâ neceſſariâ ad eam compeſcendam? Quis integros Vitæ, ſceleriſque puros eos cenſeat, qui rariſſimè accuſare ſe de ſuis culpis perhibentur, atque hoc ipſum ſacrilegè præſtant, cum Hæreſi perpetua intabeſcant? Qui Deum potius ipſum, a quo Gratiâ orbati ſint, quàm ſe ipſos eâdem abuſos inſimulant? Caſtè demum a ſuperbiſſimis hominibus vitam traduci quis arbitrari queat, cum conſueta Superbiæ pœna ſit, ut permittantur cœno ſe probroſarum Voluptatum Involvere, & jumentis inſipientibus comparari, qui humanæ infirmitatis obliti contra Cælum attollunt arrogantiæ cornua? Non ineptè Satyricus dixit de Quiritibus ab Ethnica olim Superſtitione actis ad alienorum prædam Regnorum:

Sævior armis
Luxuria incubuit, Victumque ulciſcitur Orbem.

Si ſuperba illa, & frequenter injuſta, invaſio Dominationis alienę id fuit ſupplicium promerita, ut in delicias populus terrarum victor effunderetur, non abſimili, licet fruſtra diſſimulata, caſtigatione plecti crediderim auſos movere arma nefaria in Apoſtolicam Sedem. Niſi fortè juxta Patrum, & plurium Theologorum Doctrinam ſuperſedendum opinetur Tenebrarum Princeps a ſtimulis, quibus eos adigere tentet ad alia Vitia, quos tanquam Hæreſi infectos jam habet in poteſtate ſua: & niſi divinitus labi non permittantur in probroſa Crimina in Pœnam Pervicaciæ, qua magis obdurantur ex obtentu ipſo doloſo ſuæ a corruptelis brutalibus immunitatis? Illorum igitur Arrogantia ſuſpicionem ingerit, quod aliis quoque plurimis maculis inquinentur, niſi fortè miſerrima Cæcitas, & jugum a communi Hoſte illis Apoſtolicarum Sanctionum, & Catholicæ Veritatis contemptoribus impoſitum perſuadeat Tartareis Emiſſariis non expedire ſuis rebus, ut aliis eos tentationibus adoriantur.

§. VII.

Quid indicent tot Janſeniſtarum Libelli ſcatentes jurgiis, maledictis, mendaciis, & calumniis.

ITa videlicet Janſeniani ſilent. Loqui ſe minimè opinantur Typorum linguâ, perinde ac ſi ad omnes ea non protenderetur regiones, ac tempora. Seorſum hoc breviter expendere adigor, eò, quòd vim in eo ſapientiſſimè in Apoſtolicis ſuis Literis fecerit divinitus nunc indultus ad medelam afferendam gliſcentibus difficillimorum temporum infortuniis Eccleſiæ Magiſter. Odio internecino flagrare animos Janſenianorum liquet ex iis, quos prælo quotidie ſubiiciunt, Libris Famam Veritatis Catholicæ Defenſorum dilacerantibus. Immane hoc delictum ſecum trahens Æternum interitum non retractantium irrogatas Calumnias quinam Janſeniſtæ Palinodiam canentes deleverunt? Religioſos præſertim Viros impetere ſolenne illis eſt, a quorum præcipuè ore, atque calamo, perniciem ſuæ Sectæ formidant. Quod contra illos virus evomuerint, præcipuè patet ex nonnullis ab Alexandro VIII. f. m. damnatis, ac ſupra recenſitis Libro Primo §. 18. eorum Propoſitionibus.

Non vacat immorari in refellenda præcipua illa, quam Paſchalis, aliique inculcant, Calumnia, qua Relaxatæ Morum Theologiæ reos dicunt illos, quorum plurimi contra eorum Hæreſes prædicatione, ſcriptiſque Voluminibus decertarunt, cum hoc egregiè

Digitized by Google

præſtiterint alii, collatiſque tabulis oſtenderint, quod ſi inter innumera, quæ hic, aut ille Auctor aſſerit, æquiſſimæ rationi congruentia, aliquid fortaſſis exciderit ultra limites proſilire viſum, hoc ipſum prius ab aliis fuerat magni nominis, diverſique Ordinis Theologis pronuntiatum.

Libentius iis, quæ de Janſenianorum Libellis indicavi, adiicio pernicioſiſſimum artificium, quo in Gallicam, aut Belgicam Linguam transferentes Opera Sanctorum Patrum, imò & Montenſem ipſam Novi Teſtamenti Translationem Gallico donatam Idiomate publicantes, plurima in Sanctorum Virorum, Divinarumque Literarum Textu a ſe immutata, vel addita, vel perverſa interpretatione corrupta, ſuas ad Hæreſes animis inſinuandas in vulgum ſparſerunt.

§. VIII.

Blaſphemiæ Janſeniſtarum in Deiparam, Divinumque illius Filium.

OMnem ſuperat fidem, quod Religionem Verbo, aut Scriptione ſe non violaturos Janſeniani ſpondeant, & interim non humana ſolùm, ſed Divina quoque venenato calamo invadant. Specimen in iis primò, quæ contra gloriam Auguſtiſſimæ Matris Divinæ ſcripſerunt, exhibeamus. Tubam contra illius decus Janſenius ipſe primus inflavit, cum probare adortus eſt, quod neque Mors, neque aliud ullum corporis malum cuiquam a Deo poſſet infligi alia de cauſa, quàm in Supplicium Culpæ vel opere patratæ, vel nativitate contractæ. Generali aſſertione ſubjecit crimini Cælitum Reginam, quandoquidem eadem Morti ſubjecta fuit.

Suum Ducem ſacrilega in pugna ſequuti ejus commilitones non utcumque negarunt exemptam illam fuiſſe ab Originis noxa, ſicuti Theologi aliqui, cæteroqui ejus Cultui addictiſſimi, modeſta hoc evincere ratiocinatione tentarunt; ſed abſque ulla fronte Janſeniani quidam inſimularunt aliorum Sententiam, Pietatis nomine ab Apoſtolica Sede laudatam, auſi dicere *invaluiſſe illam a Pietate Superſtitioſa, ab amaro zelo, ab animi motu maligno*. Ideo quoque contra Alexandrum Septimum f. m. incenduntur, quòd hic Janſenianorum Everſor huic Magnæ Virginis Privilegio præcipuam lucem affuderit.

Quid de peſtifero illo dicam ab ipſis exarato Libello, quem inſcripſerunt: *Monita ſalutaria Beatiſſimæ Virginis indiſcretis cultoribus ſuis?* Quibus in eo calumniis impetuntur Peregrinationes ad ejus Sacraria ſuſceptæ? Magnificæ auri erogationes ad ejus Simulachra, & Altaria exornanda? Magna lampadum, & cereorum luminum vis ante illius Imagines ardentium? Sceleſtum Auctorem ninimè pudet: *Ut quid perditio hæc?* cum proditore Juda exclamare.

Paſſim carpunt Janſeniani Titulum *Dominæ*, alioſque Deiparæ tributos *Miſericordiæ Matris, Vitæ, Dulcedinis, & noſtræ Spei*, in religioſiſſimo Cantico: *Salve Regina*.

Improbant Hyperduliæ venerationem, qua Eccleſia illam univerſa proſequitur. In dubium revocant, quod videndam ſe ad ejus præſidium confugientibus aliquando præbeat: Revelationes, quibus eos dignatur, veritatis compertas eſſe non autumant: pleraque, niſi etiam omnia, ejus ope divinitus perpetrata Miracula, tanquam fabuloſa, perſtringunt.

Quid plura? Injuriam Janſeniani maximam inferunt Merito, quo eximio ditata fuit: Gratiæ, qua repleta: ſingulari erga illam Divini ejus Filii Amori, quo ſublimi, & ad ipſam unam ſpectante, modo redempta fuit. Convincuntur Merita evertere omnia humano auferentes Arbitrio poſt Adami lapſum Libertatem neceſſariam ad merendum. Omnibus proinde Sanctiſſimis illius operibus Laudis ullius, aut Mercedis, invident dignitatem. Eam fraudant maximâ Gloriâ ſitâ in eo, ut hæc poſſideatur non ex Donatione ſolummodo, vel Hæreditate, ſed etiam ex Merito, & laborioſa Acquiſitione. Victricem perpetuò reſonant Gratiam, quæ in illa præ reliquis mortalibus triumphaverit, Sed cum Gratiæ Regnum in Tyrannidem mutent, illi non ſubiicientes Arbitrium ita, ut ejus imperium ex debito, & libera electione ſequatur, ſed hoc præſtet veluti Mancipium ab inevitabilis raptum catena Neceſſitatis, nullum ferè decus relinquunt Matri Divinæ ortum ex eo, quod *Gratiâ plenam* Salutatio illam Angelica compellaverit. Nullum demum diſcrimen intercederet amorem inter erga illam, & alios, oſtenſum ab obeunte Mortem Redemptore generis humani, ſi vera eſſent ea, quæ Janſeniani cum ſuo Magiſtro præſumunt de Culpa, cui ſubjecta fuerit, eò quòd corporei fuerit eidem deſtinatum Supplicium interitus.

Cum has, aliaſque hujuſmodi blaſphemias in eamdem eructaverint, mirum non eſt, quod eam quoque vomuerint, quam Alexander VIII. f. m. Pontificio anathemate fuit execratus, videlicet: *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt*.

Altera verò deteſtabilis Propoſitio ab eodem egregio Petri Succeſſore damnata, non ſolùm a Matris, ſed etiam a Divini ejus Filii gloria plurimùm decerpere audet, cum dicat:

Digitized by Google

cat: *Oblatio in Templo, quæ fiebat a Beatiſſima Virgine Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quod indiguerit Purificatione: & quod Filius, qui offerebatur, etiam Maculâ Matris maculatus eſſet ſecundùm verba Legis.*

Satis hoc eſſet ad evincendum, quod Janſenianus ſuror in ipſum quoque humanitate indutum Deum tela intorqueat. Sed nec omiſerim animadvertere, quod comparatam nobis pretioſiſſimo illius Sanguine Gratiam in Calvini laqueum, ac Ethnicorum Fatum transſormat: quodque adimit amantiſſimo noſtræ Salutis Inſtauratori præcipuum decus, & præ reliquis omnibus carum ejus adoratoribus, ideſt amplitudinem Divini cordis, in quo locum aliquem ſortiti fuerint omnes Mortales.

Calvini Hæreſis præparationem Auxiliorum, ideoque Redemptionem, coarctantis ad ſolos Prædeſtinatos horrorem incuſſit Eccleſiæ Sacroſanctæ, contraque illam Catholici omnes inſurrexerunt veluti ſurioſam Impietatem. Eamdem verò Janſenius inſtauravit, quam etiam nunc ejus Sectatores, exultantibus Calvinianis, tueri non ceſſant.

§. IX.

Quàm longè a Spiritu Dei ſint Janſeniani Silentium ſpondentes.

IN præclaro veritatem hanc ſole conſtituit Sanctiſſimus, idemque Sapientiſſimus Eccleſiæ Moderator, & Magiſter in Pontificia ad Catholicos in partibus Hollandiæ, & Provinciarum conterminarum conſtitutos Epiſtola, cum dixit, patere alienos a Divino Numine profectò eſſe, *qui dum Gregem Dei dividere tentant, mactare potius, ac perdere, quàm cuſtodire velle deprehenduntur*: apertiſſimum eſſe, *quàm longè a Spiritu Dei ſint, qui non eſt diſſenſionis Deus, ſed Pacis: quàm longè a ſincera Chriſti Charitate, quam adeo verbis prædicant, factis deſtruunt: quàm longè demum a veræ Humilitatis, & Obedientiæ, quæ cæterarum Virtutum fundamenta ſunt, tramite, dum adverſus ipſam Beati Petri Sedem Chriſtianorum omnium Matrem, & Magiſtram, caput attollere, ejuſque mandatis obviam ire, quin imò & Poteſtatem convellere, ac palam impetere, non erubeſcunt.*

Poſt hæc Oracula quid adiiciam verſutas artes, quibus, Dei Spiritui repugnantibus, utuntur, & uſi perpetuò ſunt, ad Sectam conſervandam, & propagandam? Quaſdam ex iis alibi innuimus, & præcipuarum nunc ſeriem breviſſimum in Indicem revocamus. Has igitur ſibi Leges, & Media præſcripſerunt ad ſuum finem obtinendum.

Cum Calvini Hæreſum ſundamenta, quibus evertitur humana Libertas, ipſis arrideant, eademque ſulcire decreverint, ad illa ſtatuenda validius, & ſuper ea fœlicius erigendam ſubſtructionem ſuam, plurima detraxerunt ex iis, quæ horrorem Catholicis incutientia ſuis e ſundamentis Calvinus eruerat, vel aliunde congeſſerat ad Babylonicam ſuam turrim attollendam.

Contra id, quod Calvinus, aliique Hæreſiarchæ præſtiterant, conatus omnes adhibuerunt, ne a communione Orthodoxæ Eccleſiæ recedere viderentur.

Nihil magis iiſdem cordi ſuit, quàm inviolabile conſiliorum Secretum, eorumque vaferrima diſſimulatio.

In oculos incurrente Vitæ, ac Morum, inſtitutione modeſtiam, & religionem præſeferre ſolenne illis perpetuò ſuit, ut ſibi Chriſtianæ Virtutis Opinionem concilient: quodque ſemper jactant, ſtudioſi Eccleſiæ reformandæ exiſtimari queant.

Miri ſunt Artifices litium inter Epiſcopos, & Parochos ſerendarum.

Diverſiſſimam loquendi, agendique rationem ineunt cum iis, quos diverſa propenſione animi affectos animadvertunt.

Stabilire ſatagunt Cœtus Virorum, & Puellarum, quas ut in ſuas allexerint partes aſſequuti magnum in illis reperiunt Sectæ propagandæ adjumentum.

Non deſtitutos ingenio, & artificio contexendi dolos, ac paupertate confectos homines intuiti, eos adhibent Emiſſarios, quos Penſionibus alunt, perque Urbes diſtribuunt, atque Provincias, ſuas ut opiniones opportunè animis exterorum inſtillent, quæquè contra ſe Adverſarii moliuntur, explorent.

Ad has, aliaſque Sectæ proſuturas expenſas magnam auri vim conflant eam a divitibus Janſenii amatoribus corrogantes, quam in communem referunt erumænam.

Perpetuas contexunt Apologias in ſui defenſionem, & probra hoſtibus ingerunt.

Religioſos præcipuè Viros in contemptum conantur adducere, illorumque allatrant Famam.

Hæreſum ſuarum Pontificiam, ab univerſa Eccleſia ſuſceptam, Condemnationem eludunt multiplici Explicatione velantes Janſenianarum Errores Propoſitionum: negantes in Janſenii eas Volumine reperiri, vel hæreticas eſſe in Senſu Janſenii: excitantes nunquam a cæteris Perduellibus adhibitam Diſtinctionem inter Quæſtiones Juris, & Facti: affirmantes ſolummodo Facti Controverſias eſſe illas, quæ inter ſe gliſcunt,

ac

ac Pontificios: inque his Errori ſubjectam eſſe, ac omnino in eum incidiſſe, Apoſtolicam Sedem, & Eccleſiam.

Sacrarum Literarum, Sanctorumque Patrum Textus a ſe in elegantem Vulgi Linguam translatos corrumpunt, ut ſuis Divinam aſtruant opinationibus Auctoritatem.

Quodnam ex his, aliiſque plurimis, quæ addi poſſent, a Tenebrarum Principe ſuggeſtis artificiis, cæleſtem auram, Deique Spiritum judicat?

§. X.

Secta nulla fuit, quæ obdurationem animi tantam conjunxerit tantæ fraudi, & ſimulatâ conſtantiâ in Catbolica Fide petiverit Libertatem opinandi promittendo Taciturnitatem.

FLuxerunt Anni pluſquam Septuaginta, ex quo primùm Pontificio Anathemate damnatus ſuit Janſenii Auguſtinus; ſic enim non erubuit ſuum Volumen inſcribere, perinde ac ſi Maximum illum Doctorem in Clientem, aut Filium adoptaſſet. Poſt primam illam execrabilis Operis proſcriptionem frequentia fulmina ex Vaticani Cælo contra Janſenii Defenſores intorta ſunt. Neque tamen unquam Aſſeclæ illius Vexilliferi ad bellum excitantis contra humanam Libertatem, univerſique generis humani Redemptionem, animum deſponderunt. Summorum nullæ Pontificum, nullæ Regum induſtriæ, cohortationes, minæ, ſupplicia, ad arma ponenda eos adigere valuerunt. Tanta igitur obſtinatio pervicaciſſima fuit, ac porrò eſt, ut nulli cedat, quam alii exhibuerint hoſtes Catholicæ Veritatis.

At Fraudibus cæteros omnes Janſeniani apertiſſimè ſupergrediuntur, ut multiplici demonſtratione conficitur. Ariani ſiquidem, Pelagiani, aliique conniſi ſunt occultare animum addictum Inventoribus Hæreſum; ſed ab illorum Erroribus plurimùm ſubtraxerunt, atque, licet ipſi quoque a vera Fide ſuis in aſſertionibus recederent, non tamen adeo enormiter, ſicut Arius ipſe, atque Pelagius, prævaricabantur. Verè igitur Hæreſiarcharum Dogmata mitigabant. Sed Propoſitiones omnes, quibus velum Quinque illis in Janſenio damnatis inducere Sectatores ejuſdem conati ſunt, in eas prorſus ipſas revolvi oſtendimus in Prima Enchiridii Parte.

Semiariani præterea, Semipelagiani, cæterique, aliquatenus ab Inſtitutoribus ſuis recedentes non inficiabantur damnatas ab Eccleſia Propoſitiones in ſuorum reperiri

Voluminibus Magiſtrorum: quod ſoli fateri abnuunt plurimi Janſeniani.

Neque negabant cæteri Hæreſum moderationem afferentes Axiomata ſuis a Præceptoribus aſſerta in eorum Senſu damnari per Eccleſiæ Definitionem: (eſto, hanc Spiritus Sancti ductu prolatam minimè faterentur) Hoc autem pernegant Janſeniani.

Neque ullus ante ipſos ad Juris, & Facti Diſtinctionem confugit, quo ſipario tenebris pluſquam cimmeriis veritatem involvere Janſeniani connituntur.

Poſtquam Semiarianos quoque, Semipelagianos, alioſque, Eccleſia tanquam rebelles proſcripſerat, ab ejus gremio ſe agi extorres ultro fatebantur. Sed, quamvis telis ab Apoſtolico Solio intortis percuſſi Ianſenii Amatores, jactant ſe adhuc in parentis Eccleſiæ ſinu contineri.

Si Sancti alicujus Doctoris Auctoritatem pro ſua quadam Theſi Lutherus, Calvinus, aut alii allegant, nullus tamen auſus eſt Propoſitiones omnes, ac ſingulas ſuas (in propriis ſaltem Terminis) SS. Doctoribus tribuere, tanquam ex eorum ſcriptis, velut e fontibus, hauſtas. Janſeniani ſolùm hoc jactant, ſeque dicunt penitus Auguſtinianos.

Eorum quidem, qui jam Cælo recepti erant, neque ſuas proinde Sententias poterant explicare, Loca quædam ad ſui tutelam illa corrumpentes, vel abſurdiſſimè interpretati, Lutherani, aliique detorſerunt. Sed nullus fuit, præter Janſenianos, qui florenti alicui, eidemque celeberrimæ Sapientiſſimorum Academiæ Theologorum enormem Calumniam inflixerit, (quam efficaciſſimis Argumentis redarguimus in Prima Parte) videlicet quod ſuo congruat illorum Senſus.

Nulla demum Secta eò progreſſa fuit, ut cum ipſa vigeret adhuc, & quotidie magis diffunderetur, affirmaverit, ex Orbe ſe terrarum evanuiſſe contra notoriam evidentiam, quod eadem obſtinatiſſima perennaret: Sicuti vel nullam unquam diverſam a Calviniana Hæreſim, cujus fuerit Auctor Janſenius, ab Inferis erupiſſe Janſeniani affirmant, vel eamdem Ianſenio attributam nullatenus ſupereſſe omnino decernunt, & eſſe dicunt Phantaſma illum, quem Catholici dicimus Ianſeniſmum.

Liquet igitur, Hæreſim nullam unquam fuiſſe, quæ obdurationem animi tantam copulaverit tantæ fraudi.

Neque pariter ulla unquam Secta coorta eſt, quæ, cum jactaret, nequaquam Eccleſiæ ſe rebellare, facultatem nihilominus petiverit pro arbitrio opinandi, promiſſa tantùmmodo Taciturnitate, ſicut ejuſdem ſponſione omnem ſibi licentiã credendi arrogant Ianſeniani.

§. XI.

Quàm magna ſit copia Janſenianorum, qui Silentium ſpondent, ſed oſtendunt Externa Hæreſis Indicia, & nihilominus Subdoli potius, quàm hoſtilem animum profeſſi, dicendi ſunt ex Regula Sanctorum Patrum.

POſt deſcriptam pugnam, quam contra Catholicas Veritates ineunt Ianſeniani evertere aggreſſi humanam Libertatem, & hoſtes Munificentiſſimi Numinis ſua in omnes homines Auxilia diffundentis, & ad omnes protenſæ Redemptionis Divinæ, juvat inſtituere quamdam, ut ita dicam, hoſtilium agminum luſtrationem.

Exigui numero ſunt Apertiſſimi Ianſeniani ore detecto in arenam proſilientes, qui videlicet ſe Ianſenii Sectatores eſſe profiteantur, & affirment a ſe veras cenſeri Propoſitiones ejuſdem propriis ipſius terminis expreſſas, inque Senſu intento ab ipſo Ianſenio, quamvis damnatæ ſint ab Eccleſia, quam in Errorem afferant incidiſſe, cum Articulos illos pertinentes ad Ius Fidei definivit.

Sed utinam immanis non eſſet aliorum copia, qui obducto caſſide vultu certamen promovent; imò etiam ſtudioſos Pacis, amicoſque ſimulant ſeſe, ut ſecurius vulnera infligant. *Lupi* enimverò *veſtimentis ovium* operti ex Oraculo Divino Reparatoris noſtri, quod Sanctiſſimus ejus Vicarius Ianſenianorum Ducibus meritò aptavit. Illis quoque non abſimiles, qui ab hoſtili exercitu digreſſi ſparguntur per Adverſariorum Urbes, atque Provincias, ut veneno fontes inficiant, aut domibus intempeſta nocte ignem admoveant. Sed preſsè rem conficiamus.

In duas tribuendi ſunt claſſes doloſi Ianſeniani, quarum Prima illorum eſt, qui penitus deliteſcunt, nullum videlicet Externum Signum præſeferunt Errorum, quos animo ab ipſis foveri oborta ſuſpicio eſt. De his loquitur Innocentius XII. ſ.m. in ſuis ultimis Literis in forma Brevis dicens: *Quod ſi prætenſi Janſeniſtæ internè, & abſque eo, quod deveniant ad ullam Actum Externum, dum jurant Formularium &c. Eccleſia non judicat de occultis, quæ ſoli Deo cordium Scrutatori innoteſcunt*: ſic a pœnis Externi Fori eos liberans, non autem a reatu Culpæ, de qua judicandos, & condemnandos a Supremo omnium Judice, qui renes, & corda ſcrutatur, omnino præſumit.

Claſſis altera fraudes texentium Janſenianorum conſtituitur ab illis, qui exhibent Externa Signa Hæreſis ſuæ, ſed obſcurare nituntur vim hujuſmodi Signorum doloſis iis artibus, quas in præcedenti §. recenſuimus. Quemadmodum autem adeo varia ſunt Artificia illa, ita plures in ſpecies dividuntur, qui eadem uſurpant, & a variis, quæ præbent, Indiciis apparent multiplices acies abdere ſe cupientium Janſeniſtarum.

Indicia porrò hæc habentur vel ex eo, quod abſurdiſſima Explicatione velare laborent Hæreſim Ianſenii Propoſitionum: vel negent excerptas illas fuiſſe ex Janſenii Libro: vel hæreticas eſſe in ejuſdem Janſenii Senſu: vel afferant Diſtinctionem inter Quæſtionem Iuris, & Facti, atque ſolius Facti aſſeverent eſſe hanc controverſiam, in qua ſolvenda erraſſe dicant Apoſtolicam Sedem; vel deteſtari abnuant in Senſu Obvio Janſenii Propoſitiones: vel Obvium ipſum Senſum ad diſparatas, & repugnantes Interpretationes detorqueant.

Incredibile dictu eſt quanta ſit vis miſerrimè errantium hominum, qui vel omnes haſce obliquas vias arripiunt, vel quorum unus hanc init, alius aliam. Hos autem ſingulos ſub doloſorum Ianſenianorum nomine comprehendimus.

Agitari quidem poſſet quæſtio, utrum, qui ab Externis Indiciis apparent alieni a Catholica Fide, appellandi ſint Patentes Janſeniani, an potius Clandeſtini? Sed qui negant Sectatores Hæreſiarcharum ſe eſſe, atque recenſitis dolis utuntur, ne videantur Eccleſiæ Rebelles, quamvis aliquo pacto Rebellionem ipſam ſuam, quam diſſimulare conantur, oſtendant, non appellantur Patentes Hæretici a SS. Leone Magno, Innocentio Primo, & Sixto Tertio, Summis Pontificibus: Hieronymo, Auguſtino, ac Proſpero: atque a Theophilo Alexandrino, ac Theodoreto, quorum pulcherrima loca inſeruit ſuæ, qua me dignatur, Epiſtolæ (quam hic inſerere præſtaret, omiſſis iis, quæ de meo Enchiridio ſingularis ei dictavit humanitas) doctiſſimus P. M. Bonaventura Sant' Elia.

Referre ſaltem ex eo juvat Eſſentiale, ut Philoſophi dicunt, prædicatum, quo ab Apertis differunt Latentes Heterodoxi, ſtatutum a S. Hieronymo ſcribente ad Pammachium, & Oceanum de diſſimulantibus amorem ſuum erga Origenem. *Sic verba*, inquit Maximus Doctor, *temperant, ſic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, ut & noſtram, & adverſariorum Confeſſionem teneant, ut aliter Hæreticus, aliter Catholicus audiat.* Et Hieronymi magiſter S. Gregorius Theologus Oratione ſecunda de Pace, de abdito ſub verbis hujuſmodi hominum veneno

neno

Digitized by Google

neno loquens ait: *Ruptis, aut dura, & ſolida Diſputatioue confractis Aſpidum Ovis, vana ea, & ſubventauea eſſe apertè demouſtraverimas, abdituuque iu ipſis pietatis Baſiliſcum in medium protulerimus*.

Delibemus alia quædam ab eruditiſſimo Viro ſelecta ex D. Auguſt. lib. 2. de Peccato Originali contra Pelagium, & Cæleſtium cap. 12. dicente: *Ille apertior, iſte occultior fuit: Ille pertinacior, iſte mendacior, vel certè ille liberior, hic aſtutior.* Ex Theophilo Alexandrino in Epiſtola ad D. Hieronymum, quæ inter hujus S. Doctoris ſelectas editionis Petri Caniſii eſt 51. lib. 1. de Origeniſtis: *Utiuam apud vos quoque deponerent Hypocriſim, qui occultè dicuntur ſubvertere veritatem.* Ex Theodoreto hæreticarum fabularum lib.4. ſub Titulo de Neſtorio poſt initium. *Magnam ætatis ſuæ partem peregit, ut Chriſtianus videretur magis, quàm ut eſſet, perſequens, & Chriſti Gloriæ ſuam præferens.* Ex S. Sixto Tertio Epiſt.105. apud S. Proſperum de Gratia, & libero Arbitrio contra Caſſianum Collatorem cap.44. prope finem. *Sunt quidam juſtiſſimè damnati, qui impietates adhuc liberiùs defendendas putant, & ſunt, qui occultius penetrant domus, & quod in aperto clamare jam metuunt, iu ſecreto ſeminare uon quieſcuut.* Ex D. Auguſtino Epiſt.7. ad Marcellinum poſt initium. *Nimis perversè ſe ipſum amat, qui & alios vult errare, ut Error ſuus lateat.* Ex S. Leone Magno Epiſt. 99. ad Leonem Auguſtum de Timotheo Eluro aſſerente doloſam Incarnationis Dominicæ Confeſſionem: *Non ſufficit ſonus linguæ, & Sermo labiorum, & nihil prodeſt, ſi Deus voce prædicatur, & mens impietate convincitur.* Ex eodem D. Aug. l. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas Cap.16. in medio, contra quemlibet, qui *Alicujus Secularis emolumenti causâ in Catholica Unitate baptizari voluerit, vel in ea baptizatus propter hoc exire noluerit, uon ſolùm ſeparatus habendus eſt, verùm etiam tantò ſceleratius, quantò magis errori Hæreſis, & Diviſioni unitatis, fallaciam ſimulationis adjungit.* Ex D. Hieronymo in Apologia ad Ruffinum Errores Origenis velare appetentem. *Sed argueris, idcirco te veneni calicem circumlinire voluiſſe, ut ſimulata dulcedo virus peſſimum tegeret.* Ex D. Innocentio Primo Summo Pontifice in Epiſtolâ, quæ inter illas D. Auguſtini eſt 96. poſt initium loquente de Pelagianis, qui Romæ deliteſcere ferebantur: *Seu hac illi in Urbe ſint, quod neſcientes nec manifeſtare poſſumus, nec negare, cum, etſi ſunt, lateant.* Ex D. Hieronymo Epiſtola ad Cteſiphontem de iiſdem Pelagianis: *Sola hæc Hæreſis eſt, quæ publicè erubeſcit loqui, quod ſecretò docere non metuit. Ideo crevit veſtra Hæreſis, & decepiſtis plurimos.*

Et poſt allata pulcherrima loca Literarum Apoſtolicarum Sanctiſſimi Domini Noſtri CLEMENTIS XI. ſæpius expenſa, ſubdit Sapientiſſimus P. M. Sant'Elia de Ianſenianis. *Coutra quorum aliquos non tam diſputationum ſtudio, quàm Authoritatis privilegio reſiſtendum monuit ex S. Proſpero de Gratia, & libero Arbitrio contra Caſſianum Collatorem cap.44., & ultimo ante finem, nunquam ſatis laudatus, aut laudandus noſter Clementiſſimus Pontifex, de quo ob flagrantiſſimum zelum in hujus furfuris viros jure optimo proferendum illud præfati Proſperi de Syxto Tertio: In cuſtodia Dominici Gregis hæc ſit pars gloriæ huic reſervata Paſtori, & ut Prædeceſſores ejus Lupos abegere Manifeſtos, ita hic depellat Occultos: ſive, & potius, quod cum ex iis nonnulli veros Catholicos, ut credere debemus, abſque ulla fictionis vafritie ſeſe probent, valeant promptius, propriuſque, vel corrigere, quod incautè ſcripſerunt, vel propriom mentem, qua gloriantur, Apoſtolicis Decretis comparatam dilucidius explicare, ut quibuslibet amotis ambogibus, ex quibus ſcandalum legentibus utcumque ſuboriatur, alienos prorſus ſe præbeant, quod de ipſis affirmetur: ſub doloſis artibus, falſiſque norrotionibus caudidos fidelium animos decipere, aut etiam, ſi poſſent, iu errorem adducere conati ſunt: præ oculis habentes egregium Angelici monitum 3.par.quæſt.16.art.8. in Corp. Cum Hæreticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori favere videamur.*

Iuxta Regulam igitur, & phraſim Sanctorum Patrum Aperti Ianſeniani dicendi non ſunt, qui, aliquo ex tot enumeratis artificiis utentes ſe Ianſenii Aſſeclas eſſe inficiantur.

Sanctiſſimus quoque Præceptor, & Moderator Eccleſiæ hoc ipſum illis abditorum Ianſeniſtarum nomen tribuendum eſſe præſumere videtur, dum in Apoſtolico zelo flagrantibus Literis ſuis eos appellat *continua novitatum prurigine laborantes: turbulenta ingenia, & nunquam cavillandi finem facientia: dum præcludenda* dicit *omuia callidorum hominum Effugia, & tergiverſationes, quibus indirectè, ac veluti per cuniculos, impetuntur* Pontificiæ Conſtitutiones, *earumque vis emeudicatis undique captioſis ſubtilitatibus tentatur eludi*: dum clam *eorum ſermonem, ut cancrum, ſerpere*, affirmat: *acui linguas ſicuti ſerpentis: venenum Aſpidum eſſe ſub labiis eorum*: dum *ſubdolas* ab iis *artes* adhiberi, ac demum *Lupos* eos eſſe *ſub ovina pelle*, ſapientiſſimè pronuntiat. Ficta hęc *Ovium* ſpecies nullatenus illis congrueret, ſi, tan-

quam Hæreſim apertè profeſſi, Publici Ianſeniani dicendi eſſent. In recentiſſima verò Conſtitutione affirmat *evertendas eſſe publicæ tranquillitatis perturbatorum ſubtili tectas calliditate machinationes: horum veritati non acquieſcentium hominum Libellos exquiſitâ ad fallendum arte compoſitos eſſe: fallacis doctrinæ pallio non deponi errorem, ſed abſcondi: vulnus tegi, non curari*: & alia hujuſmodi plurima ſapientiſſimè profert, quæ ſupra recenſuimus §. Ultimo Libri Primi.

§. XII.

Plurimæ non agnoſci ſatagentium Janſenianorum Propoſitiones, & Explicationes ab illis tributæ Propoſitionibus ipſius Janſenii, multipliciter damnatæ ſunt ab Apoſtolica Sede.

Contra ipſos quoque non apparere laborantes Eccleſiæ hoſtes inſurgere ſcriptis Voluminibus conſueverunt Propugnatores Catholicæ Veritatis, etiam antequam illorum Errores fuiſſent ab Apoſtolorum Principis Cathedra, vel a Sacris Conciliis proſcripti: ut præ cæteris contra Semiarianos, Semimacedonianos, Semipelagianos, alioſque, præſtiterunt SS. Athanaſius, Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, Proſper, aliique. Multò igitur magis Sacra Scriptorum arma ſunt expedienda contra Proteos hujuſmodi, qui vultum perpetuò immutant, & contra Viperas haſce, quæ latent ſimul, & lucent, dum electro ſe Auguſtinianæ Doctrinæ gloriantur includi. Etiamſi Propoſitiones, quibus Ianſenii virus cælare nituntur illius Aſſeclæ, nondum fuiſſent Pontificio inuſtæ Anathemate, ad eas tamen evertendas exempla nos laceſſerent Patrum Sanctiſſimorum.

Sed quoties in illas irruit Vaticani fulmen? Omitto demonſtrari poſſe, quod in Ianſenianas relabantur illæ, quas contexuerunt Ianſenii Sectatores, utcumque *Verba temperaverint, verterint ordinem, & concinnaverint ambigua quæque*, ut Hieronymus inquit de Origeniſtis. Oſtendi ergo poteſt, quod, cum eadem prorſus ſit Ianſenii, & ejus diſcipulorum opinio, quæ Ianſenianas perculit damnatio, percellit quoque Propoſitiones Ianſenii Sectatorum.

Vim tamen in hoc minimè ſtatuentes, alias plurimas Janſenianorum Propoſitiones, quarum aliquæ ab illis Janſenii re ipſa differunt, differre aliæ videntur, a S. Petri Cathedra fuiſſe proſcriptas, diſertè affirmamus. An non enim Alexander VII. ſ. m. in ſua Conſtitutione *Ad Sanctam*, damnat illos, quos appellat *Publicæ tranquillitatis Perturbatores, & Iniquitatis Filios, qui in dubium revocare, vel ſubdolis Interpretationibus labefactare non verebantur* ſui Prædeceſſoris Definitiones contra Hæreſes Ianſenii? Illi porrò, quos Pontifex nuncupat *Filios iniquitatis*, & certè præſumit Eccleſiæ Rebelles, diverſum aliquid profitebantur ab eo, quod aſſerebant Manifeſti Janſenianæ Hæreſis Defenſores ab Innocentio X. proſcripti. Hi quippe veras omnino eſſe jactabant Quinque Propoſitiones in ipſius Janſenii Senſu, atque erraſſe Apoſtolicam Sedem in Propoſitionibus illis, eoque Senſu damnando, & Eccleſiam in ea damnatione admittenda. Alii verò, quos Hæreſis notâ confixit Alexander, pernegabant damnatas fuiſſe Propoſitiones illas in Senſu Ianſenii, aliaſque prorſus diverſas, quas anathemate impetitas fuiſſe somniabant, exhibebant in famoſis tribus Columnis. Igitur aliæ quoque Latentium Ianſenianorum Propoſitiones, diſſentaneæ ab illis Ianſenii, damnatæ jam ſunt ab Apoſtolica Sede.

Quid verò de oblatione Silentii declaraverit Sanctiſſimus Clemens, expendimus Libro Primo §. Ultimo.

Quid, quod ex una, & triginta damnatis ab Alexandro VIII. ſ. m. Ianſenianorum Propoſitionibus aliquæ, præter cæteras notas, *reſpectivè* proſcribuntur tanquam hæreticæ, quamvis plurimùm diſcrepent a Quinque Ianſenii? Non illæ igitur ſolummodo, ſed aliæ quoque Janſenii Aſſeclarum in Pontificiam Condemnationem incurrerunt.

Ianſeniani præterea exiſtimantur ab Innocentio Duodecimo ſ. m., qui deteſtari recuſant Quinque Aſſertiones Ianſenii in earum Senſu Obvio. Suis in Decretis, & Literis Pontificiis præcipit omnibus Formularium Alexandri VII. ſubſcripturis, ut ab omni abſtineant *Diſtinctione, Reſtrictione, aut Expoſitione, damnando eas Propoſitiones ex Libro Janſenii excerptas in Senſu Obvio, quem ipſamet Propoſitionum verba præſeferunt*. Et eos omnes anathemati ſubiicit, *qui auſu temerario prædictas Quinque Propoſitiones ſic damnatas in Conſtitutionibus Innocentii X., & Alexandri VII. publicè, vel privatim, tam in Scholis, quàm in Concionibus Verbo, aut Scriptis defendere præſumpſerint*. Immanis autem profectò eſt eorum copia, qui deteſtari renuunt Quinque Propoſitiones in *Obvio earum Senſu* patenter exhibito a verbis, ſed fingunt Senſus alieniſſimos, quos eſſe jactant Obvium ipſum a Propoſitionibus expreſſum; ideoque in eoſdem tanquam hæreticos irruit Pontificia Damnatio.

Sanctiſſimus præterea Dominus Noſter

Ser-

Serpentes, *Aſpides*, *Lupos*, ideoque Eccleſiæ hoſtes, appellat illos, qui ſub diverſis terminis *abſcondunt errorem fallacis Doctrinæ pallio*. Ex lectiſſimis locis Apoſtolicarum illius Literarum ſupra relatis liquet ſermonem a Sanctitate Sua inſtitui de illis, qui velant *Diſtinctionibus*, *Reſtrictionibus*, *aut Expoſitionibus Arbitrariis* Propoſitiones Ianſenii, aliaſque plurimùm re ipſa, vel ſaltem apparenti ſpecie, ab iis diſcrepantes efformant. Cum eos porrò *Aſpides* appellet cupidos dilacerandi ſinum Eccleſiæ, quæ ipſorum prius Mater extiterat: atque *Lupos*, enimverò non manifeſtos, cum addat Sapientiſſimus Pontifex, uſus Divino modo loquendi Chriſti Domini, eos venire *in veſtimentis Ovium*, manifeſtiſſimum eſt, non fuiſſe damnatas ab Apoſtolica Sede directè, ac in propriis terminis, illas tantummodo Quinque a Ianſenii Volumine excerptas.

Ad hæc quamvis nulla ex diſſimulantium Ianſeniſtarum Propoſitionibus opponeretur contradictoriè Veritati alicui revelatæ, ideoque in terminis Hæretica cenſeri poſſet, nihilominus Hæretici exiſtimandi eſſent illarum Defenſores, quoniam, ut in Hæreſim, virtualiter ſaltem, ac præſumptivè, incurratur, neceſſaria minimè eſt negatio in terminis Veritatis alicujus revelatæ divinitus, ſed ſufficit negatio *Principiorum*, *ac Suppoſitorum*, ſine quibus nequit ſubſiſtere Divina Fides. Patet enim dari aliqua Facta non revelata, circa quæ nihilominus ſit, *præſumptivè* ſaltem, hæreticus quicumque cum crimine illa inficiatur. Primum ſit Revelatio ipſa Veritatum omnium, quas credimus Fide Divina, de cujus Revelationis Exiſtentia non neceſſariò credenda per Fidem Divinam, plurimorum Doctorum Sententia eſt. Si enim deberet credi propter aliam Revelationem reflexam, procedendum eſſet in infinitum. Hæc certè Exiſtentia Revelationis ejuſdem perſuadetur fidelibus a Motivis, ut Theologi dicunt, Credibilitatis, & evidentiæ Credenditatis, quæ non ſunt revelata divinitus. Inſaniret tamen, qui ita argumentaretur. Exiſtentia Revelationis de Myſterio Incarnationis v.g. non poteſt credi per Fidem, quia non eſt revelata. Ergo poteſt negari abſque Hæreſi. Imò contra Hæretici omnes ideo ſunt tales, quia negant exiſtere Revelationem Myſteriorum, quę ipſi negant, ſi non formaliter, ſaltem conſecutivè; nam qui negant Myſteria fuiſſe a Deo revelata, profectò negant Fidem ipſorum Myſteriorum, quia hæc ſubſiſtere nequit ſine Revelatione vel ſcita, vel credita, ſive Fide Divina, ſive ſaltem humana.

Hæreticus præterea, virtualiter ſaltem, ac præſumptivè, profectò eſſet, qui negaret extitiſſe unquam Concilium Nicænum v.g., cujus tamen Exiſtentia revelata non eſt. Sed quia illud Eccleſiæ propoſuit verum Senſum Verbi Divini, & obſtrinxit Fideles ad credendam Filii Divinitatem, ideo qui non fateretur illius Concilii Exiſtentiam, auferret Divinis Revelationibus fundamentum, & Fidelibus obligationem adhibendi Fidem. Idem porrò apertiſſimè valet de Conſtitutionibus Apoſtolicis, de quibus quæſtio inſtituitur.

In comperto eſt, Veritates aliquas pertinere ad Fidem, ut *Principia*, alias autem, ut *Conſequentias*. Circa primas, licet non exerceatur actus rigoroſæ Fidei quò ad earum Exiſtentiam, nihilominus earumdem negatio vulnerat obligationem Fidei, ideoque ejuſdem Exiſtentiæ negatio eſt Infidelitas, virtualiter ſaltèm, ac præſumptivè. Conſtat hoc ipſum ab exemplo Legis tam Divinæ, quàm humanæ, quam qui negat exiſtere, licet non exerceat Inobedientiam propriè dictam, pejus tamen illam in ſemine, quamvis non in fructu, tranſgreditur.

Demum etiamſi Hæretici cenſendi non eſſent aliqui ex Callidis Ianſenianis, attamen Hæreſis notâ inurendæ eſſent illorum Propoſitiones, quas fuiſſe damnatas ab Apoſtolica Sede multiplici demonſtratione confecimus. Quamvis igitur aperta Cenſura ferenda non eſſet in Perſonas quorumdam ex ipſis, in quibus præſumi poſſet Invincibilis Ignorantia, in hujuſmodi hominibus difficillima; ultro tamen apparet confixas tanquam hæreticas fuiſſe plurimas eorumdem Propoſitiones a Ianſenianis Quinque diſcrepantes.

§. XIII.

Nullatenus acquieſcere poteſt Eccleſia Silentio a Ianſenianis oblato, ſed ab illis, præ cæteris Hæreticis, extorquenda eſt apertiſſima Veræ Fidei Confeſſio.

VIdimus Libro Primo hujus Secundæ Partis in Polemica Hiſtoria quatuor eſſe illa, quæ circa Hæreſim Janſenii Sedes Apoſtolica generatim decrevit, quorum Primum eſt Definitio Innocentii X., quod Hæreticæ ſint Quinque Propoſitiones Ianſenii; Alterum Declaratio Alexandri VII., quod eædem Propoſitiones excerptę ex Libro Ianſenii Hæreticæ exiſtimari debeant in ejuſdem Ianſenii Senſu. Tertium edocuit Innocentius XII. ideſt, quod Senſus hic Ianſenii non cenſendus ſit alius, quàm Obvius, quem ipſa ejus Propoſitionum verba præſeferunt.

Quar-

Digitized by Google

Quartum verò nuperrimè declaravit Sanctiſſimus Clemens xi. videlicet Obedientiæ, quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo Silentio minimè ſatisfieri, ſed damnatum in Quinque Propoſitionibus Janſeniani Libri Senſum, quem illarum verba præſeferunt, non ore ſolùm, ſed & corde, rejici, ac damnari debere: nec alia mente, animo, aut credulitate, Formulæ Alexandrinæ ſubſcribi licitè poſſe.

Liquet igitur Janſenianos eſſe omnes illos, qui aliquod ex his inficiantur; cum eo tamen diſcrimine, quod qui negant veritatem Definitionis Innocentii X. ac profitentur Propoſitiones illas eſſe Janſenii, atque Catholicas in ejus Senſu, ac erraſſe in earum Condemnatione Apoſtolicam Sedem, & Eccleſiam in ea ſuſcipienda, appellandi ſunt apertiſſimi Janſeniani.

Qui verò aliorum Declarationes contemnunt negantes ineſſe Hæreſim Propoſitionibus illis in Senſu Janſenii, vel detorquentes Obvium earumdem Senſum ad alios minimè obvios, ſed alienos, vel etiam penitus repugnantes: vel ſi, quod Deus avertat, ſupererunt, qui ſolo Silentio debitam Obedientiam præſtari opinentur: atque hoc aperiant afferendo vetitas *Diſtinctiones, Reſtrictiones, aut Expoſitiones*, poſſent quidem in una acceptione cenſeri Aperti Janſeniani, quatenus *deveniunt ad Actus Externos*, ſed ex phraſi communiter a Sanctis Patribus, & a Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente xi. adhibita, opportunius appellantur Subdoli, & cunicularii Janſeniani, ſicuti Clandeſtini Ariani, Macedoniani, Pelagiani, dicti ſunt a SS. Leone Magno, Innocentio I., Sixto III. Pontificibus Maximis, & a SS. Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, Auguſtino, Proſpero: atque a Theophilo Alexandrino, ac Theodoreto, qui, uſurpata Diſtinctione, Reſtrictione, aut Expoſitione aliqua, ſimulabant ſeſe recedere a Propoſitionibus Hæreſiarcharum.

Supereſſe poſſunt alii Ianſeniani non utcumque, ſed penitus abditi, qui videlicet *internè, & abſque eo, quod deveniant ad ullum actum Externum*, animo foveant Errores Ianſenii. De his veriſſimè pronuntiat Innocentius XII., quod dum jurant Formularium, & apertè profitentur, a ſe damnari Propoſitiones Janſenii in Obvio ejuſdem Senſu, *licet interius non habeant reſpectum Obvii Senſus, ſuoque arbitrio effingant hujuſmodi Senſum Obvium, Eccleſia non judicat de Occultis, quæ ſoli Deo cordium ſcrutatori innoteſcunt*.

His præjactis, quæ non videntur poſſe in dubium revocari, agentes in præſentia de Silentio a plurimis Ianſenianis oblato, ſi ejuſdem ſponſores ſint hi poſtremi, Eccleſiam illi acquieſcere poſſe apertiſſimum eſt: ſicut ipſa non inſectatur alios Hypocritas, qui ſe Catholicos ſimulant, cum ſint Lutheriani, aut alicujus alterius Hæreſis Sectatores, vel etiam Iudæi, Ethnici, aut Athei. Suſpicio quidem aliqua oriri poſſet ex ultronea ab Hypocritis hiſce Ianſenianis facta oblatione Silentii. Sed ſi eorum conditio ſit ejuſmodi, ut exigenda ſit ab ipſis Formularii Subſcriptio, atque hanc ultro præſtent, & interrogati, utrum aliquid loquuti unquam fuerint in favorem Ianſenii, pernegent hoc ipſum, atque ſpondeant ſe perpetuò linguæ temperaturos, urgendi non videntur ad quicquam aliud præſtandum. Si verò *Indicium* ullum ediderint animi ſui ſuſpicionem excitans propendentis ad Ianſeniſmum opinationis, dici nequeunt ſimpliciter, & abſolutè Deliteſcentes Ianſeniani. Quamvis igitur Indicium illud minimè ſufficiat ad ſententiam contra illos ferendam, ſatis tamen eſt ad hoc, ut per multiplices, & ſolertes Interrogationes urgeantur ad mentis ſuæ latebras diſſipandas, & veros animi ſenſus in lucem proferendos.

Nihil extundi poterit a Primis, qui enuntient apertiſſimè, Ianſenium a ſe cenſeri veræ Doctrinæ Magiſtrum, cujus verba, germanumque verborum Senſum ab ipſo intentum, Sedes Apoſtolica perperam damnaverit, atque Pontificiam Condemnationem decepta Eccleſia ultro ſuſceperit. Deſperanda omnino eſt ab hujuſmodi hominibus Alexandrini ſubſcriptio Formularii, qua profiteantur ſe Quinque Propoſitiones Ianſenianas in Obvio ejuſdem Ianſenii Senſu deteſtari.

Excluſa igitur Prima Claſſe Ianſeniſtarum omnino Patentium, atque Tertia penitus deliteſcentium Hypocritarum, supereſt Secunda multipliciter velare laborantium animum ſuum, quamvis plurima extent, atque emineant *Externa* ejuſdem *Indicia*. Illuſores hi Ianſeniani exiſtimandi ſunt, ſi ſpondeant ſolummodo ſe minimè loquuturos, atque jactent ſufficere Silentium hujuſmodi ad oſtendendum Obſequium, & Obedientiam debitam Hierarchæ, ac Præceptori Eccleſiæ. Niſi palam execrentur Propoſitiones, quas prius ore, vel calamo, aſſeruiſſe comperti ſint, pernicioſiores, quàm cæteri Ianſeniſmum palam profeſſi, exiſtimandi erunt, & majora ab his incommoda poteſt Eccleſia formidare. Quod *mactare potius, ac perdere, quàm cuſtodire* fidelium gregem, *velle deprehendantur hujuſmodi Lupi ovina pelle induti*, ſapientiſſimè pronuntiavit, mutuatus Oraculum ab Auctore noſtræ Fœlicitatis,

qui

qui ejus Vices praclarè gerit. Quemadmodum autem majora imminent ab amorem ſimulantibus hoſtibus damna, quàm a profeſſis odium; ita major illis ſolet pœna irrogari.

Et conniveat his Eccleſia, ſi tantummodo promittant Sermonem a ſe de controverſis Articulis non habendum? Semel tantùm indultum fuit naſcentibus, nec adhuc cognitis, nedum proſcriptis, Monothelitis, ut non adigerentur ad conteſtandam diſertis verbis oppoſitam Hæreſi Catholicam Veritatem. Sed hæc conniventia, fortaſſe alioqui nequaquam imprudens, infeliciſſimum exitum ſortita eſt, ut quamprimùm oſtendemus. Cæterùm exacta ſemper fuit veræ Fidei Confeſſio, & palmaria recenſuimus exempla Libro 3. §. 3. S. Leonis Magni jubentis reſipiſcentibus Pelagianis, & Manichæis, ut publicè deteſtarentur memoriam Magiſtrorum ſuorum: & Innocentii Secundi, Conſtantienſis Concilii, atque omnium ferè Orientalium Synodorum.

Quod ſi hæc perpetuò ſervata fuit quò ad alias Hæreſes diſciplina, multò magis eidem ſtandum eſt quò ad Janſenianam, quæ multò plura, quàm cæteræ omnes, latibula, & ſubterfugia (ut §.11.demonſtravimus) per ſummam fraudem conſectatur.

Conſtat de ſumentibus *fallacis Doctrinæ pallium* Janſenii defenſoribus, ut Gallicanæ Cœtus dixit Eccleſiæ, quod *Obſequium Silentio dumtaxat, non verò mutata Sententia, & Doctrina*, præſtare velint Liquet de Proteſtationibus, quas Primi oblatores Silentii Quatuor Epiſcopi publicis Actis juſſerant conſignari, & de libertate opinandi, quam ſibi arrogabant, antequam Alexandrino Formulario ſuum nomen adiicerent. Innumeri per manus ipſius quoque vulgi ſunduntur Janſenianorum Libri, de quibus egimus §. 7. ſcatentes jurgiis, atque calumniis, contra laborantes ab ipſis extundere Veræ Fidei Proteſtationem, ac temeritatem ſpirantes contra Apoſtolicam Sedem, a qua jubentur declaratam Veritatem ſynceris verbis enuntiare. Quid, quod plurimi ex ipſis ad hoc ipſum præſtandum ab impoſito ſibi munere obſtringuntur, ut Epiſcopi, & Parochi? Et reliqui omnes, a quibus requiritur ſubſcriptio Formularii jurejurando ſancita, ad id quoque ipſum tenentur.

Liquet igitur non ineſſe tantummodo Fraudem huic Oblationi Silentii, ſed etiam incredibile prorſus eſſe, quod ejuſdem Sponſores lenocinarentur ſibi eamdem Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ, ſuffecturam. Et ſperabant videri ſe poſſe debitam Maximo Pontifici Obedientiam exhibere, ſi ſolummodo conticuiſſent? At quonam pacto inficiari poterant emanaſſe Præceptum afferendæ palam Deteſtationis Janſenianarum Propoſitionum in Obvio earumdem Senſu, abſque Diſtinctione ulla, Reſtrictione, aut Expoſitione? Et obtemperantes cenſeri poterant, niſi hoc ipſum ſyncero animo exequuti fuiſſent?

Et blandiebantur ſibi, quaſi licitè poſſent ſubſcriptione ſua, & præſtito juramento, teſtari, quod Formularium abſque ulla contraria Janſenianarum Obvio Senſui Propoſitionum Diſtinctione, Reſtrictione, aut Expoſitione, complecterentur, ſi repugnantes, aut diſparatas ab eodem Obvio Senſu opiniones animo retinerent? Et hi ſunt, qui contra Mentales aliis in rebus, etiam leviſſimis, Reſtrictiones atrociter invehuntur? Et in hac graviſſima quò ad Fidem materia ſe illis uti poſſe affirmabant tutâ conſcientiâ? Et contemnebant Apoſtolicam, quæ illas, tanquam nunquam permiſſas, proſcripſit, Definitionem?

Hac ipſa tantùm ex cauſa, videlicet, quod obedire ſe jactarent, dum Præceptum ludibrio habebant: & verè jurare, dum aperti ſſimè Iuramentum eludebant, non Temerarias tantùm, Erroneas, & Hæreſi proximas, eorum Propoſitiones exiſtimabam, ſed & Hæreſis notâ forſitan inurendas, Hæreticorum certè Pœnis ſubjecit Sanctiſſimus Clemens eos, qui nuperrimis Declarationibus ſuis paulò ante relatis audeant refragari, cum confirmaverit eas omnes, quas Innocentius X. & Alexander VII. inflixerant Janſenianis.

PAR-

PARTIS TERTIÆ
LIBER PRIMUS.
In quo ſolvuntur Antiquæ Janſenianorum Cavillationes.

§. I.

De inani, ac ſubdolo Artificio Janſenianorum omnia vocantium ad Quæſtionem Facti.

PErpetuò inculcarunt Janſenii Sectatores nullam aliam ab Apoſtolica Sede agitatam contra ſe fuiſſe Controverſiam, quàm quę ſpectet ad Factum, videlicet, Utrum Janſenius exarans Volumen illud, quod ſub ejus nomine circumfertur, unum potius, quàm alium Senſum mente conceperit? Utrum Volumen illud, quod præfefert nomen Ianſenii, verè ſcriptum ab illo fuerit, & non potius ab alio Scriptore fuerit inſignitum nomine Ianſeniano? Utrum Propoſitiones, quæ confixæ ſunt, appareant eo in Volumine iiſdem verbis expreſſæ, vel ſaltem æquivalentibus? Et utrum Contextus Doctrinæ illius Libri reſpondeat Obvio Senſui earumdem Propoſitionum? Has porrò Quæſtiones omnes profectò verſari circa Facta quædam, in quibus decidendis Errori obnoxia ſit Cathedra S. Petri, imò & Eccleſia Univerſa, cui proinde nulla inferatur injuria ab opinantibus erraſſe ipſam in hujuſmodi Quæſtionibus decidendis.

Mirum enimverò eſt, quod ſperare potuerint Ianſenii Aſſeclæ inveniendum ullum ingenii non hebetiſſimi hominem, qui ſtatim animadverſurus non eſſet eorum effugia. Quem latet pertinere ad Ius, & non ad Factum, Quæſtionem Senſus, & Doctrinæ? Hæc inſtituta fuit ab Apoſtolica Sede, atque ſoluta definiendo hæreticum eſſe Ianſenianum Quinque Propoſitionum Senſum, videlicet Doctrinam patentem ex Contextu Libri, qui Ianſenio tribuitur. Definitionem eamdem, tanquam Articulum ſpectantem ad Ius, & Dogma Fidei, ſtatim excepit Eccleſia ſequuta ſui Magiſtri Sententiam.

Ex Quæſtionibus aliis ad Factum pertinentibus quaſdam ne attigit quidem Apoſtolica Sedes, quæ nunquam expendit Ianſenii Mentem ſcribentis Volumen illud; imò neque decernendum putavit, ab ipſo potius Ianſenio, quàm ab alio ſub Ianſenii nomine Librum illum publicatum fuiſſe. Aſſeruit ſolummodo hæreticum eſſe Senſum, & Doctrinam Propoſitionum ex Ianſenii Libro, ſcilicet ex illo, qui ſub Ianſenii nomine circumfertur, excerptarum. Neque decretum fuit, quod iiſdem prorſus verbis, & non æquipollentibus, contextæ in eo ſint Propoſitiones, quarum hæreticus Senſus fuit proſcriptus.

Præſumptæ a Ianſenianis fallibilitati Eccleſiæ quò ad omnes reſolutiones Quæſtionum Facti, deinde reſpondebitur, cum interim oſtenſum ſit, ſupponi gratis ab ipſis, quod Controverſia gliſcat de mero Facto: ſupponi, inquam, neque enim unquam probarunt id, quod ad nauſeam uſque aſſeverant: & contra quod Libro Tertio Secundæ Partis demonſtravimus Quæſtionem Senſus pertinere ad Doctrinam, & Ius Fidei.

§. II.

De præſumpta Fallibilitate Eccleſiæ in omnibus Quæſtionibus Facti.

HIc eſt Ianſenianorum Achilles, quem ſemper in arenam inducunt, niſi malimus eumdem appellare Gigantem illum, qui

Digitized by Google

qui per dies quadraginta Iſraelis agminibus inſultavit. Sed, ſive Pelides, ſive Goliath dicendus ſit, jam indicavimus, non ex noſtra quidem, ſed ex probabili aliorum Sententia Libro Tertio Partis Secundæ repertum fuiſſe Therſitem, oſtendentes quantum interſit diſcrimen inter varia Facta, quorum aliqua ſpectantia ad omnes Fideles, & Univerſæ propoſita Eccleſiæ ab ejus Magiſtro, dicuntur a Theologis nonnullis implicitè revelata divinitus: atque certè ad hæc in animum admittenda, ſi non de Fide, alio tamen certo aſſenſu frequenter Eccleſia in ſuo Capite, vel in Conciliis, filios ſuos obſtrinxit. Non vacat hìc repetere, quæ alibi detecta ſunt. Sufficiat indicaſſe, non eſſe neceſſarium admittere Infallibilitatem in ſolvendis Quæſtionibus Facti; nam præſcindendo etiam ab illa, niſi Ianſeniani negent Eccleſiæ Infallibilitatem quò ad Articulos Iuris, tenentur credere Fide Divina id, quod ſpectat ad Doctrinam, ideoque ad Ius ejuſdem Fidei, videlicet quod Quinque illæ Propoſitiones ſint hæreticæ in Senſu apertiſſimo patente ex Libro, qui Ianſenio tribuitur. Quod autem eædem ex Volumine illo ſint excerptæ (quæ unica eſt Propoſitio Facti, cui aſſentiri jubentur) in animum admittant quomodocumque, ſive illum nuncupare velint Aſſenſum Fidei Humanæ, ſive aliunde petitæ Certitudinis. Enimvero Veritati huic nexæ cum aſſenſu Fidei Divinæ neceſſariò præſtando quò ad Senſum Hæreticum Propoſitionum excerptarum ex Ianſeniano Volumine, aſſentiri cogitur quicumque non putat inſanire illos, qui ad Fidei aſſenſum adiguntur.

§. III.

De aſſerto nullo Diſcrimine inter Facta Doctrinalia, & cætera non ejuſmodi.

Quia hoc etiam Ianſeniani quidam obganniunt, referendum eſt inter eorum Cavillationes. Exclamant, incaſſum a plurimis laborari pro vindicanda Cathedræ Principis Apoſtolorum, & Eccleſiæ, Infallibilitate quò ad Facta illa, quæ nuncupant Doctrinalia, eò quòd nexa ſint cum ipſa Doctrina, ſeu Iure Fidei, imò potius ab hoc ipſo Iure ſint præſuppoſita: v. g. cum Doctrina, & Iure Fidei, quod Famoſæ Quinque Propoſitiones ſint hæreticæ in Senſu Ianſenii, neceſſariò nectitur, aut ab eodem Iure ſupponitur Factum hoc, ſcilicet quod eædem Propoſitiones excerptæ ſint ex Libro præſeferente nomen Ianſenii, & ex contextu Doctrinæ ejuſdem Libri.

Sed apertiſſimum primò eſt in illorum Doctorum Sententia, quam attulimus Libro Tertio Secundæ Partis, plurimùm intereſſe inter hæc Facta Univerſæ Eccleſiæ propoſita, & inter alia nullum habentia nexum cum Doctrina Fidei. Secundò, itidem Libro eodem tradita ſunt exempla plurium Factorum, ad quæ in animum admittenda Fideles obſtringuntur, v.gr. quod habita ſint Generalia Concilia, a quibus declarata eſt Fides: quod ſcateant Hæreſibus Libri Arii, Pelagii, Calvini: quod regnent cum Chriſto Sancti Viri, quos ad Aras Eccleſia veneratur. Tertiò oſtendimus, inſudandum nobis non eſſe pro Infallibilitate Divina ſtabilienda quò ad Factum illud, quod nectitur cum Doctrina Fidei, de qua diſputamus cum Janſenianis; neque enim iidem obſtringuntur ad credendam tanquam Articulum Fidei Veritatem illam pertinentem ad Factum, videlicet, quod Propoſitiones ſint excerptæ ex Libro Janſenii, dummodò ſeriò illi aſſentiantur, & vitent Inſaniam in præſtando Aſſenſu Fidei circa id, quod ſpectat ad Jus, & Doctrinam.

§. IV.

De prætenſa inſufficientia Fidei Humanæ, Scholaſticæ, ac Theologicæ, præſtitæ Factis Doctrinalibus.

Cum decreverim nihil omittere ex iis, quæ blaterant Ianſeniani, hoc etiam recenſeo, quo frequenter allato deſpuunt in Theologos hanc, quam in Titulo indicavimus, viam ingreſſos; cum enim ſupervacaneum ſit ſtatuere, quod Veritas illa Facti, ſcilicet quod Propoſitiones excerptæ ſint ex Libro Janſenii, credatur Fide Divina, opportunum cenſuerunt explicare, quod eidem adhibenda ſit Fides ſaltem Humana ob eximiam Auctoritatem illam aſſerentium: & Fides quidem ejuſmodi, quam Scholaſtici, ac Theologi agnoſcunt negari non poſſe, eum jubeamur credere Fide Divina Veritatem aliam nexam cum hac. Hanc autem Humanam, Scholaſticam, ac Theologicam Fidem irrident Ianſeniani tanquam inſufficientem ad producendum certum aſſenſum, qui ſoli obiecto divinitus revelato præſtari queat.

Sed, quoniam alexipharmacis omnibus abutuntur eorum infirmitati porrectis, non immoremur in decernendo, quod appellanda ſit Fides Humana, Scholaſtica, ac Theologica illa, quæ tribuenda eſt Facto nexo cum Jure Fidei in animum admittendo. Si quò ad Factum non exigitur Aſſenſus Fidei Divinæ, cur non ſufficiat alia Certitudo,

undecumque tandem iſta proveniat? Non ſit Fides Humana, non Theologica, ſed ſit Aſſenſus certus præſtitus huic objecto pro vitanda Dementia, in quam evidenter incurreret, qui Aſſenſum eumdem negaret. Eodem prorſus modo non obſtringimur credere Divina, vel Humana Fide, quod celebrata fuerint Generalia Concilia: quod illis interfuerint veri Epiſcopi Baptiſmate perfuſi, & Sacerdotio initiati: quod contigerit hujus, vel illius Viri ſolennis aſcriptio Catalogo Sanctorum. Sed tamen niſi Veritatibus hiſce aſſentiamur aliqua veriſſima Certitudine, dementes erimus adhibendo Divinam Fidem Articulis, quos Concilia definiverunt, & Fide pariter Divina colendo Sanctos.

§. V.

De aſſerta repugnantia, quod Factum ullum dici queat implicitè revelatum, præter illud, quod ſpectat ad Traditionem declaratam per Conſenſum Patrum.

STrenuè affirmant Ianſenii amatores id, quod expreſſum eſt in Epigraphe. Sed tria ſunt, quæ breviſſimè reponamus. Et primò quidem, quod licet ultro admitteretur aſſerta hujuſmodi repugnantia Implicitæ Facti ullius Revelationis, nihil exinde Ianſeniani lucrantur juſſi credere Fide Divina id, quod ſpectat ad Ius; Facto autem ipſi certò aſſentiri, undecumque tandem aſſenſus certitudo proveniat, ut dictum eſt. Secundò retulimus §.2. Libri Tertii Secundæ Partis, quonam pacto per non ignobiles Theologos Facta ſpectantia ad omnes Fideles, & Univerſæ Eccleſiæ propoſita ab ejus Magiſtro, dici poſſint implicitè revelata. Tertiò retorqueo in Cavillatores id, quod ipſi ex vero aſſeverant; videlicet, quod Traditio declaretur per Communem Conſenſum Patrum. Hæc autem includit Factum aliquod enimverò ne *implicitè* quidem revelatum; ex quo enim Sacrarum Literarum loco argui poteſt, quod hic, & ille, ac plerique Patrum conſenſuri eſſent in hoc, vel illo Senſu Divinis Oraculis tribuendo? Quod ergo in unius potius, quàm alterius Senſus explicatione conſpiraverint Patres, eſt Factum nullatenus revelatum: & huic tamen Facto præſtandus eſt certus aſſenſus, ut deinde Fide Divina credatur Veritas Senſus illius, qui per Traditionem conſtituitur. Eodem igitur pacto certiſſimè aſſentiendum eſt aliis Veritatibus, quantumvis non revelatis, ſine quarum aſſenſu inſaniret, qui Veritates alias cum iis nexas Fide Divina complecteretur.

§. VI.

De ſuppoſitione, quod ante damnatum Librum, & Senſum Janſenii, expenſa ſolummodo fuerit unius peculiaris Authoris Doctrina.

UNa hæc eſt ex plurimis falſis Suppoſitionibus, quarum nonnullas attulimus, & alias afferemus, quibus tanquam arenoſo, aut verius aqueo, fundamento, ruitura, quam Janſeniani extruxerunt, moles innititur. Ita ne verò? Solius Janſenii Doctrinam Apoſtolica Sedes expendit, & quò ad illam decipi potuit, cum Quæſtio verſaretur circa unius hominis Mentem? Hæccine pronuntiant, qui doctis, & ingenioſis viris acceſeri ambiunt? At cum Quinque, & Octoginta Galliarum Epiſcopi Propoſitiones Janſenii detuliſſent ad Romanum Tribunal, collatæ illæ fuerunt cum Verbo Dei Scripto, atque Tradito, cum Sacris videlicet Literis, & communi Patrum Interpretatione declarante Traditionem, cumque repertæ fuerint abhorrentes a Verbo Divino, Hæreſis nota eiſdem fuit inuſta. Si erraſſet igitur in hac re definienda Sedes Apoſtolica, & Eccleſia ſtatim ſequuta ſui Magiſtri Sententiam, non ſolùm quò ad Doctrinam unius hominis, ſed etiam quò ad Verbum Dei Scriptum ac Traditum, in errorem incurriſſet. Hoc autem affirmare cum Lutheri, & Calvini Diſcipulis plerique Janſenianorum minimè audent.

§. VII.

De Diſcrimine inter ea, quæ ab Eccleſia ex profeſſo deciduntur, & ea, quæ ſolùm incidenter attacta narrantur.

MAgnam in hoc diſcrimine vim faciunt, qui Janſenium miſerè depereunt, & damnatas quidem ex profeſſo dicunt Quinque illas Propoſitiones in aliquo earum Senſu, qui ſit Calviniſmus; ſed id, quod additur in Definitione circa Senſum Janſenii, & circa excerptionem earumdem, quæ facta fuerit ex ejus Libro, ſolùm narrari, quaſi incidenter, ideoque nullum obſtringi ad certam quò ad hoc Fidem adhibendam.

Sed præclarè nugantur opinati novum nullum examen poſt jam damnatam Calvini Doctrinam ab Apoſtolica Sede ſuſceptum fuiſſe. Non incidenter, ſed ex profeſſo, inſtituta fuit Quæſtio de Doctrina Janſenii, qui conatus fuerat expurgare Augiæ ſtabulum, ideſt detergere ſordes blaſphemiarum

Cal-

Calvini: & inventa peſte in ipſis quoque Janſenii Dogmatibus, ea quoque proſcripſit Cathedra S. Petri, & Eccleſia: & proſcripſit quidem in Senſu palam exhibito a Libro ipſius Janſenii. Niſi ergo in hoc Propoſitiones illas Senſu execrentur, negabunt Eccleſiæ Infallibilitatem in eo, quod unicum, non incidenter, ſed ex profeſſo decidendum ipſa ſuſcepit.

§. VIII.

De magnis Eccleſiæ Defenſoribus Cardinalibus Baronio, Bellarmino &c. qui negare dicuntur Infallibilitatem Eccleſiæ in decidendis Quæſtionibus Facti.

EX ipſo initio ſumpti a Janſenianis conſilii de Pontificiis Conſtitutionibus eludendis per Diſtinctionem Facti, & Juris, magna hæc nomina in ſui patrocinium advocarunt, nec unquam deſiſtunt ab illis in theatrum revocandis. Sed ludos agunt, quia nihil illis ſuffragari poteſt eorum Auctoritas quò ad id, de quo eſt præcipua Controverſia, videlicet quò ad neceſſitatem credendi hæreticas eſſe Quinque Propoſitiones in Senſu Ianſenii, niſi velint in Hæreſim ipſi prolabi. Nuſquam reperient in Voluminibus Baronii, Bellarmini, Perronii, ac Pallavicini Cardinalium ſapientiſſimorum, aut PP. Sirmundi, ac Petavii, nam hos etiam allegant, veſtigium ullum Doctrinæ, ex quo erui poſſit, Definitionem Senſus alicujus Auctoris non pertinere ad Jus, & Dogma Fidei. In hoc autem Jure definiendo Infallibilem eſſe cum ſuo Magiſtro Eccleſiam Scriptores illi perpetuò præſumpſerunt. Nihil igitur ex iis extundere Janſeniani queunt, ut eximant ſeſe ab onere credendi per Fidem Divinam, quod Quinque illæ Propoſitiones ſint hæreticæ in Senſu Janſenii.

Quicquid illi dixerint circa Quæſtiones Facti, ac præſertim ſpectantis ad Honorium Pontificem Maximum, ſi admittatur ipſum a Sexta Synodo fuiſſe damnatum, nihil refert ad Controverſiam Juris, de qua diſputamus. Sed Factum Synodi circa Honorium ſeorſum, ac ſedulò diſcutiendum eſt, quandoquidem illud nobis perpetuò in os ingerunt glorioſi milites triumphum ſuum præpoſtere jactantes.

§. IX.

De præſumpto Errore Sextæ Synodi Generalis in damnando Honorio Summo Pontifice, contra quam aſſertionem primò ſtatuitur Honorium non potuiſſe jure damnari.

PRofiteor ſolito uberiorem me futurum in expendenda Cauſa Sanctiſſimi Pontificis Honorii Primi, quia deteſtor audaciam ejus nomen traducentium. Tria decernam, quorum Primum manifeſtiſſimum eſt, videlicet quod Propoſitio nulla Catholicæ Veritati contraria ſcripta ab illo fuerit; idcoque injuſta cenſenda eſſet illius Damnatio, ſi fortè a Sexto Concilio prodiviſſet. Probabiliſſimum Secundum, ſcilicet quod corrupta ſint ejuſdem Synodi Acta inſerto clam Honorii nomine inter illa Hæreticorum. Certum etiam reor Tertium, ideſt quod, licet in Concilio diſcuſſa fuiſſet Honorii Cauſa, exiſtimandum hoc eſſet merum Judicium Criminale circa Perſonam, non verò Examen Doctrinæ illius Epiſtolarum pro decernendo, utrum damnanda, necne, eſſet Hæreſis Monothelitarum.

Ex his porrò tribus duo tantùm vim habent contra Defenſores Janſenii; nam Primum, videlicet quod damnari Honorius non promeruerit, nobis ultro Janſeniani concedunt; imò ex hoc inferunt erraſſe in ejus Damnatione Concilium: atque ex hoc ipſo eruunt, decipi quoque potuiſſe Apoſtolicam Sedem, & Eccleſiam, in Damnatione Janſenianæ Doctrinæ. Primum igitur breviter attingo, ſolummodo ut ſuus conſtet honor Pontificibus Maximis, quorum nullus, etiam ut privatus Doctor, Hæreſim fovit: utque ex Primo robur addatur Secundo, quia ſi nullam Honorius Damnationem promeruit, veroſimillimum eſt, quod in enormem Injuſtitiam Synodus lapſa non fuerit.

Tres quoque pariter vias inibimus pro ſtatuenda diſparitate apertiſſima inter Honorii Cauſas, atque Ianſenii. Primam aperiet ſemitam id, quod ſecundo loco demonſtrabimus, videlicet quod Honorius nullo modo damnatus a Synodo fuerit. Ab hac Sententia, quam tribus ac viginti ab hinc annis propugnavimus in Opere inſcripto: *Demonſtrata Impiorum Inſania*: Lib. 4. Signo 12. §. 3. nunquam recedemus. Huic autem viæ inſiſtendo quæſtio prorſus abſcinditur; quid enim lucrari Ianſeniani poſſunt a ſomniata Honorii damnatione, quam conferant cum Janſeniana toties iterata? Quoniam verò plurimi opinantur nihil irrepſiſſe in

in illa, quæ ſuperſunt, Acta Sexti Concilii, ideoque additum iis non fuiſſe Nomen Honorii, idcirco Secunda, quam arripiemus, via tendet ad metam oſtendendo, quod, etiamſi (dato, & nunquam conceſſo) expenſæ fuiſſent Honorii Literæ, Examen tamen illud non fuiſſet Doctrinale, ſed Perſonale tantùm. Hoc autem nihil commune habet cum Cauſa Ianſenii, de cujus Perſona Judicium nullum fuit inſtitutum, ſed ſolùm de Senſu Hæretico illius Propoſitionum. Tertius demum trames finem aſſequetur demonſtrando, quod quamvis Concilium agitaſſet controverſiam de ipſius Honorii Doctrina, eamque perperam improbaſſet, confirmatum quò ad hoc non fuiſſet Syuodale Judicium a S.Leone Secundo, ejuſque Succeſſoribus; ideoque Auctoritas nulla ineſſet Damnationi eidem, quæ proinde comparari nequeat cum illa Janſeniani Senſus lata a Pontificibus Maximis,& ſuſcepta obſequentiſſimè ab Univerſa Catholica Eccleſia. His præjactis aggredimur enucleare Primum, quod ſuſcepimus decernendum.

Cum doceret Cyrus Alexandriæ Patriarcha unam tantùm in Chriſto Domino fuiſſe Operationem, & duas aſſereret Sophronius Hieroſolymitanus, atque ſuam de hoc Sententiam rogatus a Cyro fuiſſet Sergius Conſtantinopolitanus,& ab utroque ſupplicibus literis requiſitus Honorius ad eorum dubia ſolvenda, metuens hic,ne contentio illa graviſſimum in Eccleſia Schiſma paritura fuiſſet, cenſuit, intactam ſervari poſſe Fidem abſque uſu talium Vocabulorum, & opportunum putavit materiam liti ſubtrahere ſcribens in priori Epiſtola, expedire, ut ab uſu vocis Geminæ Operationis abſtineretur, ne videri poſſet duplicem cum Neſtorio Perſonam admitti; neque terminus Unius tantùm Operationis adhiberetur, ne ſuſpicari ullus poſſet unam tantùm Naturam agnoſci cum Eutychianis. Hæc ſunt Sancti Pontificis Verba: *Ne aut Duarum Operationum vocabulo offenſi Neſtorianos ſectantes nos veſana ſapere arbitrentur; aut certè, ſi rurſum Unam Operationem fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.*

Cæterùm adeo disertè Catholicum Dogma de Duabus Operationibus aperuit in Secunda Epiſtola,ut omnem ſubtrahat effronti malignitati anſam inſimulandi. *Utraſque Naturas in uno Chriſto Unitate Naturali copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices, confiteri debemus. Et Divinam quidem, quæ Dei ſunt, operantem: & humanam, quæ Carnis ſunt, exequentem: non diviſè, neque confuſè, atque convertibiliter, Dei Naturam in Hominis, nec humanam in Dei converſam edocentes, ſed Naturarum differentias integras confitentes &c.*

Quis dilucidior loquendi modus concipi poteſt? Cum igitur deinde ſubdit: *Unde & unam Voluntatem fatemur Domini Noſtri Jeſu Chriſti*; niſi præſumendum ſit, quod ſtatim ſibi ſtolidè contradicat, ultro fatendum eſt,ipſum hic loqui ſolummodo de Natura Humana, exprimendo, quod non fuerint in Chriſto Domino, quatenus Homine, duæ contrariæ Voluntates, Carnis una, & altera Spiritus, ſed una tantùm Spiritus ipſius, quoniam in illo Caro nihil abſolutè appetebat contra Rationem, & Spiritum. Sententia hæc manifeſtè apparet ex verbis, quæ ſequuntur: *Quia profectò a Divinitate aſſumpta eſt noſtri Natura, non Culpa: illa profectò, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem vitiata.*

Præter evidentes Honorii Literarum Textus habentur in ejus favorem Atteſtationes ampliſſimæ, ut Joannis Quarti Summi Pontificis, quem poſt mortem Beatum appellavit S. Maximus Martyr. Hic porrò miſericordiâ in pauperes, conſtantiâ,& univerſâ Vitæ ſanctimoniâ, illuſtris,tribus poſt Honorii deceſſum annis, videlicet cum ea, quæ paulò ante contigerant, notiſſima omnibus erant, Honorii Apologiam ſcripſit, ſtultam retundens Pyrrhi Conſtantinopolitani Patriarchæ temeritatem jactantis Honorium fuiſſe fautorem Hæreſis ſuæ. Interpretatur Joannes Honorii mentem ex allata ejuſdem explicatione ab illo, qui Honorio fuerat a Secretis, quique Literas eaſdem ſcripſerat a Pyrrho allegatas, ideoque diligentiſſimè de ſuo Senſu Honorium interrogaverat, eumque Romana in Synodo expoſuerat; idemque a Secretis erat omni major exceptione Teſtis, ut qui, affirmante S.Maximo Martyre, totum Occidentem Doctrina, & Sanctitate ſua illuſtrabat.

Sèd efficacius nullum argumentum fuiſſe poteſt, quàm Dialogus, aut Diſputatio, ejuſdem Maximi contra Pyrrhum ad tuendam Honorii famam, cui Græco, ſanctiſſimoque Teſti, omnium ferè, quæ contigerant, rerum ſpectatori, fides integerrima adhibenda eſt. Nec omiſerim, nullam contra Honorium ſuſpicionem excitari a Paulo Diacono Aquilejenſi, a Teophane, a Georgio Monacho, aliiſque illius ævi Scriptoribus,

§. X.

Digitized by Google

§. X.

De eodem Honorio, quem probatur non fuiſſe damnatum a Sexto Concilio, ſed bujus Acta fuiſſe corrupta.

OStenſâ Honorii Innocentiâ gradum facio ad probationes, quod contra illum lata nulla fuerit Sententia a Sexta Synodo, ſed in hujus Acta relatum deinde fuerit Honorii nomen ab Æmulis Romanæ Gloriæ, ne appareret, ſolos Quatuor Conſtantinopolitanos Patriarchas, præter Alexandrinum, & Antiochenum, in ea fuiſſe proſcriptos tanquam Hæreticos. Si nulla fuit Honorio inflicta Hæreſis nota, ſcinditur nodus, quem ſolvi non poſſe putant Janſeniani.

Quod furtim per ſummum dolum inſerta fuerint Sextæ Synodi Actis ea, quæ pertinent ad Honorium, apertè affirmat Anaſtaſius Bibliothecarius in ſua Hiſtoria, & allegat Theophanem Iſaurum Græcum Scriptorem. Nullam hoc parere admirationem debet, cum compertiſſimus ſit frequens invidorum uſus pervertendi Sacra Volumina. In hoc ipſo Sexto Concilio Actione Tertia cum ceptus legi fuiſſet Sermo quidam Mennæ Conſtantinopolis Patriarchæ ad Vigilium Papam, Agathonis Legati exclamarunt vitiatum fuiſſe Codicem illum, nec ad Quintam Synodum pertinere, deque dolo manifeſtiſſimè conſtitit, quoniam, ut eſt in Actis: *Iuſpicientes tam piiſſimus Imperator &c. invenerunt tres quaterniones in principio Libri additos non babentes ſubnotationem numeri, qui ſecundùm conſuetudinem affigitur in Quaternionibus, ſed in Quarto Quaternione baberi primum numerum &c. Aliàs verò diſſimiles eſſe Literas eorumdem in exordiis ſubmiſſorum quaternionum, in quibus continebatur Sermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium.* Ideo prudenter dixit Imperator: *Hujuſmodi non relegatur Sermo.*

Et paulò poſt, dum legeretur Secunda Actio Quintæ Synodi, in ea reperti ſunt duo Libri attributi Vigilio, qui eos direxiſſet ad Juſtinianum, ac Theodoram, Auguſtos, in quibus anathemati ſubiiciebatur, qui non diceret *Chriſtum eſſe unam ſubſiſtentiam, unam Perſonam, & unam Operationem*. Sed Legati exclamarunt: *Non ſunt Libelli Vigilii. Falſatus eſt hic Liber, ſicut & exordia primi Libri præſentis Quintæ Synodi. Nam, Domine, ſi unam Operationem docuit Vigilius, & ſuſceptus eſt a Synodo, utique & in Definitione ejuſmodi Sanctæ Quintæ Synodi de una Operatione vox babuit comprebendi.* Et lecta integra Definitione illius Concilii reperta in ea non fuit Hæreſis illa.

Et Actione 12. & 14. detectæ aliæ res multæ fuerunt Quintæ Synodo perverſum in modum additæ, v. g. pag. 215. Editionis Romanæ Conciliorum Anni 1612. legitur; *Adjectos quidem eſſe tres Quaterniones in primo Libro Sancti Quinti Concilii, in quibus videtur Libellus, qui dicitur Mennæ. Poſt bæc & in Secundo Libro circa Septimam Actionem mutatum quidem fuiſſe quiutum decimum Quaternionem, adjectumque eſſe Quadrifolium non ſuperſcriptum ante decimum inſertum quaternionem &c. Hos fallaciter invenientes inſertos, utpote qui diabolica operatione per eos, qui bæc falſaverunt &c. Et chartarum quidem Volumen, quod falſatum eſt, decernimus caſſari in locis, in quibus adjectiones ſuut factæ; eos autem, qui falſaverunt, anatbemati ſubmittimus.*

Præterea Macrobius Epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ dixit, ſe accepiſſe a Philippo Magiſtro Militum Exemplum Quinti Concilii. *Quem* (Librum) *relegens inveni eum falſatum eſſe in ſeptima Actione.* Inſtituto Examine repertum eſt delictum fuiſſe commiſſum a Diſcipulo quodam Macarii Hæretici Patriarchæ Antiocheni, de quo, eique adhærentibus, ſubditur pag. 217. *Quanticumque Libri Quinti Concilii ad eos pervenerunt, non babentes Libellos, qui dicuntur Vigilii, addiderunt idem Macarius, & Stephanus.* Patuerunt exinde plurimæ aliæ falſitates, & pag. 218. legitur Patrum exclamatio: *Anathema ſimul omnibus, qui falſaverunt Acta Sancti, & Univerſalis Quinti Concilii.*

S. Leo Magnus Epiſt. 83. ad Epiſcopos Paleſtinæ conqueritur de malignè immutata ſua ad Sanctum Archiepiſcopum Flavianum Epiſtola. S. Gregorius Magnus Epiſt. 14. Lib. 5. ad Narſetem affirmat corruptum fuiſſe a Conſtantinopolitanis Concilium Chalcedonenſe, idemque ſuſpicatur de Epheſino. S. Nicolaus pariter Magnus in ſua Epiſt. ad Michaelem Imperatorem innuit ſubtracta fuiſſe quædam ex iis, quæ Adrianus Primus direxerat ad Tharaſium inſerta Septimæ Synodo. Si ergo tot nequiſſimi homines auſi ſunt corrumpere Tertium, Quartum, Quintum, & Septimum, Concilia, quid mirum, quod idem evenerit de Sexto? Præcipuè eum paulò poſt coacta fuerit falſa Synodus Trullana ab apertis Eccleſiæ Romanæ detractoribus.

Verùm ad inſuperabilia progrediamur argumenta. Sexta Synodus Actione 8. & 18. plauſit Literis Sancti Agathonis Pontificis Maximi, & exclamavit, non illum ſolummodo ab Urbe Roma, ſed præterea pro illo e Cælo Petrum fuiſſe Concilio Magiſtrum

Ca-

Catholicæ Veritatis. Ita Patres in Proſphonetica loquuntur Acclamatione pag. 257. *Summus nobiſcum concertabat Apoſtolorum Princeps ; illius enim Imitatorem , & Sedis Succeſſorem habuimus Auctorem , & Divini Sacramenti Myſterium illuſtrantem per Literos . Confeſſionem tibi* (ideſt Imperatori) *ab eo ſcriptam illa Romana antiqua Civitas attulit , & Dogmatum diem a veſpertinis partibus extulit . Charta, & atramentum videbatur , & per Agathonem Petrus loquebatur .* Et in Epiſtola Concilii ad eumdem Agathonem pag. 266. *Chriſtus verus Deus noſter , virtus verè rerum omnium Conditrix, & Gubernatrix, ſapientem dedit Medicum, Veſtram a Deo honoratam Sanctitatem contagia hæreticæ luis fortiter propulſantem remediis Orthodoxiæ , ac valetudinis robur membris Eccleſiæ largientem . Itaque Tibi, & Primæ Sedis Antiſtiti Univerſalis Eccleſiæ , quod gerendum ſit, relinquimus* (ideſt in Cauſa Macarii , aliorumque hæreticorum , quos jam damnaverat Synodus) *ſtanti ſuper firmam Fidei Petram , libenter perlectis veſtræ Confeſſionis Literis a Veſtra Paterna Beatitudine ad piiſſimum Imperatorem miſſis , quas , ut a Summo Apoſtolorum Vertice divinè perſcriptas , agnoſcimus , per quas exortam nuper multiplicis erroris Sectam depulimus .*

In hac porrò Epiſtola , quam Concilium cenſuit in Cælo ſcriptam , agens Agatho de Monothelitarum Hæreſi affirmat, nullum ex Prædeceſſoribus ſuis erraſſe unquam circa Fidei Articulos : cumque aliæ Eccleſiæ infectæ fuiſſent a ſuorum Præſulum Erroribus , Romanam ſolummodo ſemper integerrimam perſeveraſſe , ac penitus illibatam. Hæc ſunt Agathonis verba , ſeu verius Petri , lecta in Concilio Act. 4., & poſtea iterum diligentiſſimè expenſa ſeorſum a ſingulis Patribus , ut proteſtati ſunt in Octava , atque ad hoc præſtandum petiverant uſuram temporis in fine Septimæ . *Hæc eſt veræ Fidei Regula , quam & in proſperis , & in adverſis vivaciter tenuit , atque defendit hæc Spiritualis Mater veſtri tranquilliſſimi Imperii Apoſtolica Chriſti Eccleſia , quæ per Dei Omnipotentis gratiam a tramite Apoſtolicæ Traditionis nunquam erraſſe probabitur : nec hæreticis pravitatibus depravata ſuccubuit ; ſed , ut ab exordio Fidei Chriſtianæ percepit ab Auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus , illibata fine tenus permanet ſecundum ipſius Domini Salvatoris Divinam Pollicitationem , per quam ſuorum Diſcipulorum Principi in Sacris Evangeliis fatus eſt : Petre , Petre , inquiens, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret , ſicut triticum ; Ego autem rogavi pro te , ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos . Conſideret itaque Veſtra Tranquilla Clemensia , quoniam Dominus , & Salvotor omnium , cujus Fides eſt, qui Fidem Petri non defecturam promiſit , confirmare eum fratres ſuos admonuit : quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædeceſſores feciſſe ſemper , cunctis eſt agnitum .*

Et paulò poſt , cum enumeraſſet Agatho hæreticos Monothelitas , Cyrum , Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, ac Theodorum, quorum Primus fuerat Alexandriæ Patriarcha,& quatuor ſequentes Conſtantinopolis, dixit : *Eximenda proinde , ac ſummis conatibus liberanda eſt Sancta Dei Eccleſia de talium Doctorum Erroribus , ut Evangelicam , atque Apoſtolicam Orthodoxæ Fidei rectitudinem , quæ fundata eſt ſuper firmam Petram hujus B. Petri Apoſtolorum Principis , quæ ejus gratia, atque præſidio ab omni Errore illibata permanet , omnis Præſulum numerus , Cleri , & Populorum nobiſcum confiteatur , ac prædicet .*

Cum igitur affirmaverit Agatho defeciſſe nunquam , nec poſſe deficere Catholicam Fidem in Sede Petri , atque ideo non poſſe Summum Pontificem decernere quicquam ex Cathedra contra eamdem Fidem: ac præterea ſemper Prædeceſſores ſuos,& inter hos ipſum quoque certiſſimè Honorium , obſtitiſſe quocumque modo , ideoque profectò privatis etiam Literis , Hæreſi cuicumque: cumque Concilium aſſeveraverit , ea omnia veriſſimè , atque in Cælo a S.Petro, pronuntiata fuiſſe : maniſeſtiſſimum eſt,non potuiſſe prius , aut poſtea , eamdem Synodum dicere Anathema Honorio tanquam Hæretico, abſque eo , quod ſecum ipſa pueriliter , neque ſolùm cum Agathone , pugnaverit .

Corrupta ergo ſunt Acta Concilii ab hoſtibus Urbis Romæ , & addita pariter nonnulla fuerunt Epiſtolæ S. Leonis Secundi ad Conſtantinum Imperatorem relatæ inter Acta ejuſdem Synodi pag. 290. , & nihil inſertur ex eo , quod narrat Adrianus Secundus inhærens dictis corruptis Actis; niſi potiua addita Literis illis fuit , ut opinor , ea narratio .

Validè in hac me perſuaſione confirmant ſummam Auctoritatem ſpirantia S. Nicolai Magni ad Michaelem Imperatorem verba , ubi de Maximis Pontificihus loquens affirmat : *Hos nec tenuis ſaltem rumor aſperſit aliquando cum prava ſapientibus ſapere .* Sed quomodo potuiſſet unquam hæc ſcribere literis Conſtantinopolim directis, ſi Honorius non ſolùm fuiſſet *tenui aliquo rumore*, ac ſuſpicione *aſperſus* , ſed præterea contra illum , tanquam hæreticum , fuiſſet conclamatum Anathema in eadem Urbe , inque publico ,

cele-

Digitized by Google

celeberrimo, ac numeroſiſſimo Generali Concilio?

Præter Sanctos deinde Pontifices, Martinum, qui Romana in Synodo, celebrata ante Sextam Generalem Orientis, damnat Sergium, Cyrum, Pyrrhum, & Paulum, nulloque modo reprehendit Honorium: Joannem Quartum, Theodorum, eumdem Martinum, & Agathonem, qui eximiis eum præconiis concelebrant: & præter Latinos Auctores innumeros, & Græcos Theophanem Iſaurum relatum ab Emmanuele Calæca in Libro pro Latinis, qui Honorium fuiſſe perpetuò Catholicum aſſeverat; & præter Zonaram in Vita Conſtantini Quarti, Photius ipſe Vexillifer Schiſmaticorum, ac turgidus veneno contra Romanam Eccleſiam, in ſuo Libello de Septem Synodis narrat damnatos in Sexta fuiſſe Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum; ſed non audet tale quicpiam de Honorio comminiſci.

Quis eredat poſt Mortem fuiſſe perſtrictum, perinde ac ſi deceſſiſſet in Hæreſi, cum a Sanctiſſimis Viris, ut a Venerabili Beda lib. 2. hiſtoriæ Anglicanæ Capitibus 17. 18., & 19., & in Vita S. Bertolphi, atque ab aliis, Sanctus frequenter appellctur? Et ſummo profectò jure, ut alibi demonſtravi.

Nec omiſerim Confeſſionem Nili Theſſalonicenſis inter Schiſmaticos non ultimi nominis, qui probare deſperans Honorii exemplo, quod etiam Romanus aliquis Pontifex lapſus in Hæreſim fuiſſet, ſtolidè convertitur ad Auctoritatem Davidis dicens: *Alioqui ſi ſic ſimpliciter, ac ſine omni exceptione, verum eſſet, nullum Romanum Pontificem erraſſe, quomodo illud dictum conſtaret: Omnes declinaverunt, ac noxii facti ſunt: non eſt qui bene faciat, non eſt uſque ad unum?* Sed, ut hoc quoque curſim innuam, non loquitur Regius Propheta de Fide, ſed de Moribus; neque enim inquit: *Non eſt, qui bene credat*; ſed: *Non eſt, qui faciat bonum*, quoniam *In multis offendimus omnes*. Quod ſi de Fide loqueretur, atque ab hac, contra Divinam Chriſti Domini Promiſſionem, proruere poſſent S. Petri Succeſſores, præcipites pariter cadere potuiſſent Petrus, Joannes, aliique, etiam poſt acceptum Spiritum Divinum, Apoſtoli.

Quid de tribus dicemus Legatis Apoſtolicæ Sedis, aliiſque Romanæ Synodi, qui Sextæ Generali interfuerunt? Quis credat, nullum ex iis reclamaſſe ante, vel poſt condemnationem Honorii, tanquam Hæreſis Magiſtri, ſi diſcrimen ejus ferendæ prævidiſſent, vel eamdem Synodus intentaſſet? Exclamarunt Actione 14. dum legeretur Epiſtola Petri Patriarchæ ad S. Vitalianum Pontificem Maximum, negantes in ea referri cum integra fide loca quædam Sanctorum Patrum. *Hi, qui locum gerebant Agathonis Sanctiſſimi Papæ Romani, dixerunt: Innoteſcimus veſtræ gloriæ, quod paterna teſtimonia, quæ continentur in præſenti, quæ nunc relegitur, Petri Epiſtola, circumcisè deſlorata ſunt ab eodem Petro ex hoc, quod oſtendere voluiſſet ſuam ſuper una Voluntate, & Operatione intentionem.* Et frequentiſſimæ ſunt aliæ huic ſimiles eorumdem exclamationes. Adeo illis cordi fuit veritatem aliis in rebus dilucidare. Neque verbum ullum protuliſſent pro Sancti defenſione Pontificis? Georgius Conſtantinopolis Patriarcha 16. Actione pag. 231. Concilio ſupplicavit pro ſupprimendis Prædeceſſorum ſuorum nominibus. *Georgius Archiepiſcopus hujus a Deo conſervandæ Regiæ Urbis dixit: Ego, & quidam pauci, qui ſub Sede mea ſunt, Venerabiles Epiſcopi propter diſpenſationem rogamus, ut, ſi poſſibile eſt nominatim non anathematizentur Perſonæ in exclamationibus, ideſt Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus.* Quis ergo in animum poſſit inducere, quod non inſtitiſſent Romani, ne prima vice intorqueretur anathema in Honorium, aut ſaltem ne rurſus ejus nomen proſcinderetur? Patriarchæ illi reſponſum fuit a Synodo, ejus Deceſſores deletos jam fuiſſe a Sacris Diptychis: *Sancta Synodus dixit: Eos, qui ſemel coudemnabiles demonſtrati ſunt, & ſecundùm Sententiam noſtram jamdudum ejecti de Sacris Dypticbis, opportunum exiſtit etiam in exclamationibus hos nominatim anathematizari.* Num ſimile quid de Honorio reponi poterat, ideſt ejus quoque nomen abraſum fuiſſe a Sacris Commemorationibus, quæ ad Aras fieri conſueverant? Sed in Epiſtola Conſtantini Pogonati Imperatoris extante in fronte Sexti Concilii ante Actionem Primam narratur, Theodorum Conſtantinopolitanum, & Macarium Antiochenum flagitaſſe, ut auferretur ex Dypticbis Vitalianus Pontifex eò, quòd Synodales eorum Literas non ſuſcepiſſet; ſed falſos fuiſſe ſupereſſe iiſdem in Dyptichis nomen Honorii: *Aſſerentes, Honorium memorari in Dyptichis propter honorem Apoſtolicæ Sedis.*

Ob has, aliaſque plurimas, quas omittimus, cauſas certiſſimum opinamur, quod nulla emanaverit Honorii Damnatio a Sexta Synodo. Quod ſi res ita ſe habet, laborat falſo ſuppoſito, & evaneſcit argumentum hinc petitum in favorem Janſenii.

§. XI.

§. X I.

De ipſomet Honorio, cujus Literarum nullum examen Doctrinale fuiſſe inſtitutum in ordine ad damnandum, necne, Monotheliſmum, demonſtratur; ſed ad ſummum fuiſſe habitum Examen Criminale circa ipſius Honorii Perſonam, ideoque Synodum deceptam fuiſſe circa ſolum Factum.

Ultro jam Adverſariis permittamus id, quod ſupponunt, videlicet, quod a Synodo damnatus fuerit Honorius; ſed manibus, ut dici ſolet, contrectandum præbeamus id, quod ſuſcipimus demonſtrandum, videlicet expenſam in Synodo non fuiſſe Honorii Doctrinam ad ſtatuendum, utrum proſcribi oporteret Hæreſim Monothelitarum, ſed ſolùm ad detegendum, utrum Honorius ipſe fuiſſet fautor Hæreticorum. Decernimus, quod, ſi Judicium aliquod a Concilio initum fuit, idem Criminale tantummodo cenſeri poteſt, & error, in quem Synodus prolapſa fuit, tantummodo cecidit ſupra Perſonam.

Ad hoc oſtendendum, juvat ſubjicere Lectorum oculis narrationem eorum omnium, quæ in Sexto Concilio contigerunt ante agitatam Honorii Cauſam. Si arcana Providentiæ Divinæ conſilia permiſiſſent corrupta fuiſſe Synodi Acta, profectò vetitum fuit ita contexi dolos, ut pronum non eſſet repellere tela omnia ab hoſtibus Vaticani intorta, quantumvis omnia, prout nunc ferunt eadem, quæ circumferuntur, Acta, contigiſſent.

Præfari libet, frequenter ante Act. 13., in qua prima execratione fuit impetitus Honorius, ejus nomen in Synodo fuiſſe commemoratum, ſcilicet Actione Prima, in qua Macarius, aliique tres affirmarunt edoctos ſe fuiſſe opinionem ſuam a Sergio, aliiſque tribus Conſtantinopolis Præſulibus, & ab Honorio quoque Romano. In 8., in qua Hæreticus idem Antiſtes, ſimul cum S. Dionyſio Areopagita, & S. Auguſtino, pro ſe Honorium allegavit. Et Actione 11., in qua ſermo fuit de Honorii Reſponſionibus Sergio datis, nullâ tamen iiſdem attributâ Cenſurâ. Cumque legeretur Sermo Acclamatorius Macarii, deventum fuit ad calumnioſiſſimum locum, in quo inter multos, quos dementer pro ſe afferebat, dixit: *Quorum unus eſt Honorius Romanus, qui unam Voluntatem manifeſtiſſimè prædicavit*. Et Act. 12. lecta fuit, præter alia ſcripta a Macario oblata, prima Honorii ad Sergium Reſponſio. Sub finem ejus Actionis ſuggeſſerunt Judices expedire, ut in ſequenti expenderetur Cauſa Sergii, Honorii, & Sophronii Hieroſolymitani juxta petitionem Præſulum, & Clericorum, qui ſuberant Antiochenæ Sedi, quos pudebat damnationis jam latæ in Macarium eorum Patriarcham, atque Stephanum Macarii diſcipulum.

Jam verò reſumentes ab exordio ſeriem eorum omnium, quæ in Synodo evenerunt, in meridiano ſole ſtatuemus, quod, cum progreſſum fuit Concilium ad Honorii Cauſam diſcutiendam, decreta jam fuerant Dogmata Fidei, nec expendi potuerunt ejus Epiſtolæ pro ſtabilienda Veritate Articulorum, ac proinde illa non fuit Controverſia Doctrinalis, ſed ſolùm Judicium inſtitutum circa Perſonam ad videndum, utrum hæc damnanda eſſet ob fomentum aliquod naſcenti Hæreſi datum.

In Actione Prima Pontificii Legati accuſarunt Sergium, Paulum, Pyrrhum, & Petrum, Conſtantinopolitanos, Cyrum Alexandrinum, ac Theodorum Pharanitam, eò quòd in Chriſto Domino unam ſolummodo Voluntatem, unamque tantùm Operationem admitterent. Jactante deinde Macario magnos ſibi fuiſſe opinationis ejuſdem Magiſtros, reſpondit Imperator nunquam illum excipiendum a Synodo, niſi afferret expreſſas Declarationes Sententiæ ſuæ, quæ ab aliis Sacris Conciliis, & Sanctis Patribus prodiiſſent. Stephanus Macarii Auditor legendum ſuſcepit locum S. Cyrilli Alexandrini Quintæ Synodo inſertum. Sed Legati, variique Epiſcopi exclamarunt, hoc ab illo ex fide non fieri omittente declarationes prius, & poſtea allatas a Sancto illo Doctore: cujus rei veritas patuit ex integra loci ejuſdem lectione.

Impenſa fuit ferè integra Actio Secunda in legenda prorſus admirabili Epiſtola S. Leonis Magni ad S. Flavianum, quæ fuerat Norma Concilii Chalcedonenſis, & Legati animadvertendum dixerunt, quàm apertè a Leone duæ Servatoris Noſtri Operationes declararentur. Sed neque ipſis, neque univerſo Concilio obtinere licuit a Macario veritatis confeſſionem defixo in affirmando unam ſolummodo in Chriſto Domino Operationem, quam Theandricam appellabat, aut Dei virilem ex Latina voce adhibita in Synodi Tranſlatione, quam tamen afferebat non fuiſſe diverſam ab illa Patris Divini, Sanctique Spiritus.

Poſt detectas in Tertia Actione corruptelas Patrum, fictoſque ab Hæreticis Libellos, juſſus fuit Macarius afferre Synodos, quibus præſumebat unam ſolummodo Redemptoris Operationem ſtatutam fuiſſe.

Ac

Ac Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus poſtulavit legi Epiſtolam Agathonis, aliamque Romanæ Synodi ad Imperatorem.

Præſtitum hoc fuit in Quarta Actione, lecta Græca ejuſdem Verſione, inque illa reperta incomparabili Catholicæ Veritatis explicatione, innumeris pro illa Sanctis Patribus Græcis, & Latinis allegatis: non ſine Accuſatione Sergii, Pyrrhi, Pauli, atque Petri, ſubiiciendo ſummum ſtudium Prædeceſſorum ſuorum eos revocandi ab Errore: *Meæ humilitatis Apoſtolicos Prædeceſſores commonuiſſe, rogaſſe, increpaſſe, arguiſſe, & omnem modum exhortationis exercuiſſe, quatenus medelam poſſet recens vulnus accipere.* Poſt illam Sancti Patris lecta fuit altera Concilii ab illo habiti Epiſtola, in qua tanquam hæretici denuntiabantur Theodorus Pharanita, Cyrus Alexandrinus, & recenſiti prius ab Agathone quatuor Conſtantinopolitani: atque ſubſcripta erat ab Epiſcopis viginti quinque ſupra centum.

Quia in fine Quartæ Actionis indictum iterum fuerat Macario, ut proferret loca Sanctorum Patrum ab illo deſponſa, lecta hec fuerunt in Quinta duos ab illo in Libros relata, & in Sexta tertius ejuſdem Codex: qua lectione completa Legati exclamarunt, falsò, perque deceptionem enormem, loca ea omnia fuiſſe allata, decerpendo ſolùm illa, quæ Sanctiſſimi Patres dicebant de Salvatore quatenus Deo, & rejiciendo cætera, quæ ſpectabant ad Sacroſanctam ejuſdem Humanitatem: & petiverunt afferri a Cartophylacio, ideſt Bibliotheca Patriarchatus, Magiſtrorum eorumdem Opera, ut conferrentur cum detruncatis, quas audiverant, allegationibus.

In ſeptima lecti ſunt Textus, quoa attulerat Agatho, in eorum Auctoribus, & exinde Legati petiverunt interrogari Patriarchas Conſtantinopolis, & Antiochiæ, num admitterent Declarationes factas a Sancto Pontifice, ac illius Synodo? atque illi obſequenter poſtularunt facultatem legendi, & penitus percipiendi Exemplar illarum Epiſtolarum, eaſque conferendi cum locis Voluminum Sanctorum Patrum, quæ in Bibliotheca ſervabantur. Subjecit Imperator: *Citra dilationem, quod poſtulatum eſt, fiat.*

Idem Auguſtus initio Actionis Octavæ interrogavit Georgium Patriarcham Conſtantinopolitanum, utrum exciperet Definitionem Fidei directam a S. Agathone, atque ille verbis hiſce reſpondit: *Inſpiciens, pie Domine, omnem virtutem ſuggeſtionum directarum ad piiſſimam veſtram fortitudinem tam ab Agathone Sanctiſſimo Papa Romæ, quàm ab ejus Synodo, & ſcrutans Libros Sanctorum, ac probabilium Patrum, qui repoſiti ſunt in Venerabili meo Patriarchio, inveni cuncta Teſtimonia Sanctorum, ac probabilium Patrum, quæ in eiſdem ſuggeſtionibus continentur, conſonantia, & in nullo diſcrepantia a Sanctis, & probabilibus Patribus: & conſentio eis, & ſic profiteor, & credo.*

Non abſimilis eſt cæterorum loquutio, & ſubſcriptio Epiſcoporum, inter quos Dometius Pruſſiadis permovit alios ad Exclamationem uſurpatam ab omnibus de illa Epiſtola, quam Petrus e Cælo Agathoni dictaſſet, cum dixerit: *Suggeſtiones directas a Patre Noſtro Agathone Sanctiſſimo Archiepiſcopo Apoſtolicæ, & principalis Sedis Antiquæ Romæ ad a Deo coronatum, & manſuetiſſimum noſtrum Dominum, & magnum victorem Imperatorem, tanquam a Spiritu Sancto dictatas per os Sancti, ac Beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri, & Digito prædicti ter Beatiſſimi Papæ Agathonis ſcriptas, ſuſcipio, & amplector, & ita credo.*

Moram aliquam objecit aliarum ſubſcriptionum curſui ridiculus eventus ita narratus ab Actis Concilii. *Theodorus Epiſcopus Melitenæ ingreſſus in medio Sacræ, ac Univerſalis Synodi dixit: Ego, Domine, homo ſum ruſticus, & peto iſtam Chartam relegi.* Lecta fuit ab uno ex Imperialibus a Secretis. Poſtulabatur in illa, ne imponeretur neceſſitas exprimendi Geminam in Salvatore Operationem fuiſſe. Quæſivit Conſtantinus Auguſtus ab eo rudi Antiſtite, quoſnam ſocios habuiſſet ea in pagina exaranda? Et ille reſpondit, hos fuiſſe Petrum Epiſcopum Nicomediæ, Salomonem Clanii, & Antonium Ipeporum, & quoſdam Clericos e ſecreta Curia Patriarchæ Conſtantinopolitani, & nonnullos Antiocheni. Et quis hanc tibi Chartam exhibuit; ſubjecit Imperator: atque ille: *Hic*, inquit, *Stephanus Antiochenus ſtans a meæ Sedis tergo.*

Contempta fuit petitio illa, & proſequuti ſunt cæteri ſingillatim Epiſcopi Confirmationem veræ Fidei ab Agathone explicatæ, quò uſque: *Surgentes cæteri omnes, qui ſub Sedem Conſtantinopolitanam erant, exclamaverunt, dicentes: Et nos &c. & omnes, qui docuerunt, & dicunt unam Voluntatem, & unam Operationem in duabus Naturis unius Domini Noſtri Jeſu Chriſti Veri Dei Noſtri, anathematizamus.*

Quoniam ſtatutum jam erat Dogma Fidei, pro cujus Definitione Synodus coacta fuerat, cognoſcere voluerunt Patres, num allegati a Theodoro Meliteno in animum admitterent Catholicam jam decretam Veritatem. *Et ſurgentes*, inquiunt Acta, *prædicti Epiſcopi, atque Clerici, & in medio ſtantes*

tet, ſine Stephano Diſcipulo Macarii Archiepiſcopi Antiochiæ, dixerunt: Mentitus eſt hic adverſus nos Theodorus Epiſcopus Melitenus; neque enim cognoſcentibus nobis facta eſt chartula, quæ porrecta eſt ab eo Domino Noſtro piiſſimo, ſed & parati ſumus noſtram Orthodoxam Fidem confiteri. Quamobrem, detectâ impoſturâ, duo tantùm, ideſt Macarius, & Stephanus, obdurabant animum in Hæreſi, cui nec adhærebat ſimplex ille Theodorus Melitenus, ut paulò poſt apparuit, cum omnes unà cum ipſo Theodoro ſcriptam ſuæ Fidei Profeſſionem obtulerunt.

Tunc Georgius Conſtantinopolitanus, videna abſolutam controverſiam Doctrinalem, quia declaratum erat Dogma ex Authoritate S.Agathonis, flagitavit inſeri Diptychis Nomen S.Vitaliani Summi Pontificis, contra quem ſubirati prius erant, eò quòd conſueto Græcos honore non affeciſſet ſuos legando in Orientem Apocriſarios. Ut hoc fieret, decrevit Synodus, erumpens deinde in Acclamationes, & laudes religioſiſſimi Imperatoris, Sanctiſſimique Pontificis, quibus expletis, *S.Synodus dixit &c. Edicat Macarius &c. quomodo credit &c. Et, ſi ſequiáur ſuggeſtiones directas ad a Deo inſtructam veſtram fortitudinem a Patre Pietatis veſtræ Agathone Sanctiſſimo Papa?* Sceleſtus ſenex reſpondit: *Non dico duas Volnntates, aut duas Operationes, in Incarnationis Diſpenſatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ſed unam Voluntatem, & Dei virilem Operationem. Sancta Synodus dixit: Poſtquam non conſentit virtuti directarum Orthodoxarum Suggeſtionum ab Agathone Sanctiſſimo Papa Romano Macarius &c. quas & omnes conſentientes gratè ſuſcepimus, prævidimus hunc de Sede ſua ſurgere, ut debeat reſpondere.*

Supererat, ut ſuam declararent Fidem Epiſcopi quidam Antiocheno Patriarchatui ſubjecti, videlicet Macrobius Seleuciæ Iſauriæ, Eulalius Zenopolis, Conſtantinus Daliſandi, ac Theodorus Olbæ, qui abſque ulla cunctatione hoc præſtiterunt profeſſi ſufficere ſibi S.Agathonis Auctoritatem.

Cupidiſſimus optimus Princeps extorquendi Veritatis Confeſſionem etiam a Macario, ejuſque Diſcipulo Stephano, inſinuavit, ut, *Si placet Veſtræ S.Synodo*, afferrentur Atteſtationes Sanctorum Patrum allegatæ a Macario, & conferrentur cum Libris Patriarchatus, atque hoc conſilium Synodus approbavit. Delati ſunt Codices Macarii, qui tanquam ſuos eos agnovit, & interrogatus ab Imperatore, quem ad finem Textus illos ſelegiſſet, profeſſus eſt effrontiſſimè, collectionem eam eſſe Locorum, in quibus erat ſermo *De ipſa una Voluntate, quæ eſt Patris, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti.* Et quis tuus eſt Senſus, ſubjecit Imperator, circa humanam Domini Noſtri Naturam? Negavit Macarius Humanam in illo Operationem fuiſſe, ac ſtultè adduxit pro ſe S.Auguſtinum, & Honorium Pontificem, præter famoſos Monothelitas, Sergium, Paulum, Pyrrhum, quibus demum addidit magnum Areopagitam. Cum in phreneſi perſiſteret, lecta fuit ejus Fidei Confeſſio oblata prius Conſtantino, qui rurſus ab illo quæſivit, an Synodali Definitioni acquieſceret? At ipſe Diabolicâ pertinaciâ: *Non dico duas naturales Voluntates, aut duas Operationes naturales, in Incarnationis Diſpenſatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti: nec ſi membratim incidar, & mittar in Mare.*

Ad omnem tentandam viam pro eo in tramitem Veritatis revocando, aut ſuffundendo ſaltem rubore aliquo, decretum fuit conferre Textus ab illo allegatos cum Operibus eorumdem Sanctorum Patrum, quæ in Patriarchatu conſervabantur, quod fieri prius Pontificii Legati poſtulaverant. Cumque cœptum fuiſſet ab Allegatione S. Athanaſii, repertum fuit plurima fuiſſe a Macario prætermiſſa, tum ante, tum poſt locum ab ipſo allatum, tum in ejuſdem medio contextu: idemque patuit de aliis cæterorum locis. Humaniſſimus Auguſtus eum interrogavit, cur ita Sententias illas pervertiſſet? Et effrons homo reſpondit. *Ego Teſtimonia, quæ defloravi, ſecundum proprium intentum defloravi.* Reſumpta reliquorum collatione, ſemperque inventis fraudibus novis, pluries Concilium exclamavit: *Ecce & hoc Teſtimonium Sancti Patris pervertiſti. Non congruit Orthodoxis ita circumtruncatas Sanctorum Patrum voces deflorare. Hæreticorum potius proprium hoc eſt.* Sed ille in nequitia inveteratus reſpondere auſus fuit. *Jam dixi, quia quærens ſtabilire intentionem meam hoc modo defloravi.* Exclamavit tunc Synodus. *Hæreticnm ſe ipſum manifeſtè demonſtravit. Novo Dioſcoro anathema. Hujuſmodi deponatur. Novum Dioſcorum foras mitte. Novo Apollinario malos annos. Meritò ab Epiſcopatu alienetur. Nudetur circumpoſito ei pallio.* Exequutioni mandatum hoc fuit exuendo illum habitu Pontificali. *Et denudato eo, atque in medio aſtante; unà cum Stephano ejus Diſcipulo, Theophanes Venerabilis Presbyter & Abbas Monaſterii Bajas interrogavit eoſdem Macarium, & Stephanum: Habuit humanam Voluntatem Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, & impeccabilem?* Et idem & Dometiua Pruſiadis, & Apoſtolici Legati, ad extundendam ab eo

Con-

Confeſſionem Voluntatis Humanæ Sanctiſſimæ, quæque in Culpam lahi nequiret, pulcherrimos attulerunt Textus Sanctorum Athanaſii, Ambroſii, & Auguſtini. Sed irrita omnia fuere, ac aliæ detectæ ſunt ejus fraudes in allegandis Sanctis Dionyſio, & Joanne Chryſoſtomo.

Regreſſo Imperatore cum Patribus ad Actionem Nonam decreta fuit proſequutio collationis cum aliis locis, quæ illi peſtilentiſſimi Hæretici corruperant; cumque nuntiatum deinde fuiſſet, Epiſcopos illos, & Clericos, quos inſimulaverat Theodorus Melitenus, adeſſe cum illo ad Synodi fores, & ſupplices poſtulare, ut in illam admitterentur, juſſi ſunt ingredi, & profeſſi Catholicam Fidem ſuum Antiſtites in locum reſtituti ſunt, ſed dilata Lectio eorum Confeſſionis, ut prius abſolveretur inſtituta oſtenſio Textuum, quos vitiaverat Antiochenus. Inter hos quoniam unum Macarius reliquerat S. Gregorii Theologi aptum ad eum evincendum iiſdem ipſis verbis ab illo ſelectis, eadem ipſi exprobravit Baſilius Epiſcopus Gortinæ. Sed cum nihil proficeret, S.Synodus exclamavit: *Ortodoxo Imperatori multos annos. Hæreticum foras mitte. Novo Eutycheti malos annos. Novo Apollinari malos annos. Hæreticum foras mitte. Et impulſus eſt Stephanus Diſcipulus Macarii, & foras miſſus eſt.* Decrevit deinde Synodus, ut alii Codicilli oblati a Macario, atque Stephano, non expenderentur ulterius, eò quòd *Teſtimonia, quæ in eis poſita ſunt, nullatenus ad præſentem Dogmaticam Cauſam pertinent.*

In Actione 10. ex redundante ſedulitate lecta ſunt. Exempla Sanctorum Patrum, quos allegaverat Sanctus Pontifex Agatho deſumpta ex Patriarchali Bibliotheca, & inventa prorſus cohærentia Textibus illis, qui venerant ab Urbe Roma. Fuerunt autem loca Sanctorum Leonis Magni, Ambroſii, Chryſoſtomi, Athanaſii, Gregorii Nyſſeni; Cyrilli Alexandrini, Epiphanii, Gregorii Nazianzeni, Auguſtini, & Juſtini Martyris (ſequor ordinem, quo extant in Synodo) Juſtiniani Imperatoris, & Sanctorum Ephremi Antiocheni, Anaſtaſii Sinaitæ, & Joannis Schythopolitani: ac deinde loca Hæreticorum, Themiſtii, Antimi, Severi, Theodoſii, Pauli, Theodori, & Apollinarii. Poſt hæc ſuggeſſit Imperator, ut legerentur Libelli Petri Nicomedienſis, Theodori Melitenæ ſtulti aliorum accuſatoris, Salomonis, & Clericorum: iiſque perlectis conſtitit de integra illorum fide. Tunc Georgius Apocriſarius, & locum tenens Theodori Archiepiſcopi Hieroſolymitani, petivit legi Synodicum Sophronii Prædeceſſoris in ea Sede, ac ſtatutum fuit, ut in conſequenti hoc fieret Actione.

Undecima illa fuit, auditoque Synodico Sophronii, patuit Sapientiſſimum illud eſſe, & explicari ab eodem mirificè Catholicam Veritatem. Tunc cenſens Imperator liquere apertiſſimè de Sancto Dogmate, ad quod ſtatuendum Synodus collecta fuerat, quæſivit ab Apoſtolicis Legatis: *Si & iterum noviter aliquod proſequi cupiunt?* Reſponderunt, nihil aliud expendendum videri quò ad Doctrinam, ſed poſſe diſcuti Criminales Cauſas jubendo lectionem Scriptorum quorumdam, quæ reperta fuerunt apud Macarium, & Stephanum: *Quia cognitum eſt nobis, quod quædam propria Scripta reperta ſunt apud Macarium, & Stephanum ejus Diſcipulum, conſonantia Sectis prophanorum Hæreticorum, quæ ob eis ablata ſunt, & ſunt in Chartophylacio Venerabilis Patriarchii hujus a Deo conſervandæ Regiæ Urbis, ſi videtur a Deo inſtructo Domino, & Sancto, Univerſalique Concilio, in medium veniant hujuſmodi Opuſcula.*

Manifeſtum eſt, hoc non fuiſſe a Legatis petitum, ut inſtruerentur in Dogmate jam decreto, quod univerſum Concilium, innixum Auctoritate S.Agathonis, Sanctorumque, quos idem allegaverat, Patrum, confeſſum fuerat. Inter hos porrò Libellos Macarii, atque Stephani, productæ in medium ſunt Epiſtolæ Honorii, contra quem agitata fuit Criminalis Cauſa. Interrogavit Imperator, an extarent Opuſcula illa, atque hoc affirmante Bibliothecario, iiſque deinde ab eodem allatis, lectus fuit ſermo Proſphoneticus, aut Acclamatorius Macarii ad eumdem Imperatorem, qui negavit ſibi unquam illum innotuiſſe, conſcio ſolummodo quarumdam ſibi oblatarum paginarum, quas nunquam a ſe lectas afferri juſſiſſet in conſequenti Actione. Cœpto legi alio ejuſdem Macarii Sermone ad quemdam Lucam Presbyterum, & Monachum in Africa, cenſuit Synodus abrumpi Lectionem foliorum *ſuperfluæ fabuloſitatis, & animabus noxiæ.* Delibata ſunt alia ſcripta Themiſtii, & Antimi, hæreticorum, & rurſus alia nonnulla Macarii. Tunc videns Imperator nihil ſupereſſe diſcutiendum pro firmando Catholico Dogmate veniam petivit a Synodo non redeundi ad alias Actiones, cum urgeretur aliis graviſſimis Regiminis curis.

Aſtans initio 12. Actionis ad Concilii fores Joannes Patritius, ac Cæſareus Quæſtor, ferens paginas Imperatori oblatas a Macario, juſſus eſt ingredi, ac dimiſſus, poſtquam illas Patribus obtulit. Repertum eſt eſſe alia Exempla Sermonis Acclamatorii

jam rejecti, & falsò præſumpti Sermonis Mennæ ad Vigilium, ut proinde Synodus exclamaverit: *Superſlua etiam præſens Lectio Sermonis exiſtit, quia penitus fictus, & falſus eſt*: Dixeruntque Patres ſe meminiſſe, *Falſatam fuiſse Actionem Septimam Quinti Concilii, eò quòd non ſint veraces Libelli, qui in ea continentur, quaſi porrecti a Vigilio Juſtiniano, & Theodoræ p. m. Et ergo ſuperflua exiſtit etiam præfatarum duarum Actionum Lectio.* Poſt hos manifeſtè fictos Libellos lectus fuit Titulus alterius Codicis Macarii, videlicet: *Exemplar Epiſtolæ Sergii Conſtantinopolitani ad Honorium Papam Romanum*: aliuſque, cujus erat Epigraphe: *Reſcriptum Epiſtolæ Honorii Papæ Romani ad eumdem Sergium.* Paginæ illæ omnes juſſu Concilii delatæ ſunt ad Macarium vetitum regredi ad Actionem, ut animadverteret, an ſuæ illæ eſſent: atque illo fatente, ac deinde collatis cum exemplis Bibliotechæ, variatio nulla fuit inventa.

Inſtantibus iis, quos pro ſe deputaverat Imperator, ut condonaretur Macario, atque Stephano, ſi reſipuiſſent, reſpondit Synodus eſſe omnino contra Eccleſiaſticam Diſciplinam, quod delirus ille Senex regredi unquam poſſet ad Sacerdotale, nedum ad Pontificale munus. Decretum deinde fuit haberi Act. 13. Judicium de Cauſa Sergii, Honorii, & Sophronii, juxta petitionem Epiſcoporum, & Cleri, Antiocheno Patriarchatui ſubjectorum. *Secundùm ea, quæ conſiderata ſunt a Sancto, & Univerſali Concilio, & juxta petitionem Reverendiſſimorum Epiſcoporum, Religioſorumque Clericorum, qui ſub Sede ſunt Antiochenæ Civitatis, agamus veſtra Synodo in futuro Secretario, quæ promiſſa ſunt, ſuper Sergio, Honorio, atque Sophronio, opere adimplente.*

Quis non videt, ſtatutam fuiſſe Tractationem Cauſæ Criminalis inſtantibus illis, quos pudebat condemnationis eorum Patriarchæ Macarii? Apparet etiam hoc ex eo, quod Conſtantinus Diaconus ſuggeſſerit initio novæ Actionis Synodum rogans, *Quatenus proprium promulgaret intentum ſuper Sergio, Honorio, & Sophronio.* Non poſtulavit expendi *Doctrinam Sergii, Honorii, & Sophronii*, præſumens declaratum jam eſſe, ut profectò erat, Dogma, ſed ferri Sententiam *ſuper Sergio, Honorio, & Sophronio*, ideſt ſuper eorum Perſonis. Sequuta eſt condemnatio duorum primorum, quorum Epiſtolæ creditæ ſunt contrariæ Catholicæ Veritati jam decretæ. *Haſque invenientes omnino alienas exiſtere ab Apoſtolicis Dogmatibus, & a Definitionibus Sanctorum Conciliorum, & sanctorum probabilium Patrum, ſequi verò falſas Doctrinas Hæreticorum, eas omnimodo abiicimus, & tanquam animæ noxias execramur. Dogmata horum, & Nomina a S. Dei Eccleſia proiici judicavimus, ideſt Sergii quondam Præſulis hujus a Deo conſervandæ Civitatis, qui aggreſſus eſt de hujuſmodi impio Dogmate conſcribere, Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, Petri, & Pauli &c. His verò ſimul proiici a S. Dei Catholica Eccleſia, ſimulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eò quod invenimus per Scripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſequutus eſt, & impia Dogmata confirmavit.* Hæc autem verba, quæ inveniuntur in Actis, quò truculentiora ſunt contra Sanctiſſimum Pontificem Honorium, eò manifeſtius oſtendunt, exactum illius Epiſtolarum Examen habitum a Synodo non fuiſſe pro ſtatuenda contra Monothelitas Catholica Veritate, ſed ſolùm curſim auditam unius ex illius Epiſtolis lectionem, & alterius vix delibatam, pro anathemate ferendo, necne, contra illius Perſonam. Quonam pacto, Deus immortalis, aſſeverare potuiſſent Patres *impia Sergii Dogmata confirmata fuiſſe* ab Honorio, ſi hujus Epiſtolas ea, qua par erat, ſedulitate diſcuſſiſſent? Ex iis, quæ ſupra retulimus §. Nono ejus Epiſtolarum verbis, manifeſtiſſimè liquet aſſertas ab Honorio fuiſſe in Chriſto Domino *duas Naturas operantes, atque operatrices: & Divinam quidem, quæ Dei ſunt, operantem, & Humanam, quæ Carnis ſunt, exequentem &c.* Non confirmavit igitur impia Dogmata Sergii unam ſolummodo Reparatori Noſtro Voluntatem, & Operationem tribuentis, ſed ejus Hæreſi contradictoriè oppoſitam Catholicam Veritatem declaravit; quamvis opportunum cenſuerit abſtinere interim a vocabulis unius, vel geminæ Operationis. Adeo igitur nos minimè deterrent horribilia verba Sententiæ in illum latæ, atque juſſa in fine Seſs. 13. illius Literarum, ſimul cum Sergii, aliorumque Libris, combuſtio, ut potius hinc confirmari opinentur id, quod in hypotheſi incorruptionis Actorum Concilii oſtendendum ſuſcepimus, videlicet quod Criminale ſolùm Examen in ordine ad Perſonam, non Doctrinale in ordine ad reiiciendum Monotheliſmum, de Literis Honorii fuerit inſtitutum.

Poſt jactum in cæteros anathema Patres innocentem Sophronium declararunt. Petiverunt exinde ſcripta Pyrrhi, Pauli, atque Petri, ad Criminalem eorum quoque Controverſiam expendendam. Quæſitum eſt a Judicibus, num invenirentur Epiſtolæ, aut Sermones, Thomæ, Joannis, & Conſtanti-

ni,

ni, qui ultimi fuerant Patriarchæ, ut certior fieret Synodus, an reis accenſendi eſſent. Multa ex his contigerunt in Actionibus 14. & 15. & ſubiecta Examini in 16. Cauſa Conſtantini Apamienſis Presbyteri, cœptaque proponi Definitione Fidei in 17. integra deinde lecta fuit in 18. ad quam ipſe quoque regreſſus fuit Imperator: interque damnatos recenſitus etiam fuit Honorius, non tamen ut Dogmatizans, neque enim Patres coarctarunt ſe ad nominandos tantummodo Errorum Magiſtros, ſed inter cæteros ipſum quoque collocarunt Stephanum Macarii Diſcipulum.

Additæ ſunt Subſcriptiones, primoque, ut ſemper loco illæ Apoſtolicorum Legatorum, quorum duo Sacerdotes tantummodo erant, & non Epiſcopi, ac Diaconus alter, quibus primas in omnibus partes Antiſtites Orientales perpetuò tribuerunt, & ipſe Conſtantinopolis Patriarcha. Suum poſt omnes nomen appoſuit Imperator ſcribens: *Legimus, & conſenſimus*.

Datus illi fuit debitus plauſus, cumque Patres execrarentur nomen Hæreticorum, auditum quoque fuit illud Honorii, ſed ſimul Stephani Diaconi, & Polichronii inſani Presbyteri, qui ſtolidiſſimè ſpoponderat extinctum quemdam a ſe revocaudum ad Vitam in Hæreſis confirmationem: & præterea Pergenſis cujuſdam Aſpergii.

Sermo Acclamatorius, aut Proſphoneticus, ſublimia continet pręconia Sedis Apoſtolicæ, quæ ſemper Hæreſes debellaverit; ut hinc etiam liqueat, quod ſi eidem fuit inſertum nomen Honorii, non proinde habitus ille fuit Errorum Magiſter. Notandum quoque videtur, legi poſt *Sergium, & Paulum, Pyrrhum, & Petrum &c. Et cum eis Honorium, qui fuit Romæ Præſul, utpote qui eos iu bis ſequutus eſt &c.* Exiſtimatus igitur fuit aliorum Sectator, non Dux, & Doctor hæretici Dogmatis.

Ab exacta narratione rerum omnium, quæ acta ſunt in Concilio ante Honorii Condemnationem, plura prodeunt validiſſima argumenta, quibus evincitur, Criminale ſolummodo, & non Dogmaticum, fuiſſe Judicium inſtitutum contra illum, ideſt expenſam non fuiſſe illius Reſponſionem ad Sergium pro eruendis ex illa cauſis damnandi, aut non, Hæreſim Monothelitarum, ſed tantùm pro detegenda veritate, an eorum errores Honorius ſequutus fuiſſet, aut ſaltem aliqualiter cenſeri poſſet eorumdem Fautor approbato Silentio, & ceſſatione ab uſu Vocahulorum Unius, aut Duarum Operationum in Chriſto Domino.

Ex argumentis porrò, quæ naſcuntur ab allata narratione, Primum eſt, quod antequam damnaretur Hæreſis in Actione 8. euntibus omnibus in Sententiam S. Pontificis Agathonis, pluries appellatus fuerat Honorius a Macario tanquam Defenſor opinationis ſuæ, ac nullus tamen petiverat diſcuti ea, quæ ſcripſerat alter Eccleſiæ Præceptor, prius quàm decerneretur ſuſcipere Agathonis Doctrinam.

Secundum. Quia non ſolùm hoc non flagitarunt Catholici communi nomine Epiſcopi, nec ſeorſum ullus eorum, ſed nec ipſe Macarius, qui ſolus Hæreſi mordicus adhærebat. Neque hoc præſtitit, cum vidit omnes confluere ad ſeſe Agathonis Diſcipulos declarandos: neque cum Stephanus ejus Diaconus, conatus moram obiicere publicæ omnium Fidei profeſſioni, confugit ad indignam fraudem, qua Præſules quoſdam inſimulavit tanquam detrectantes fateri duplicem in Servatore noſtro Operationem: neque cum urgeri ſe animadvertit ad proferendum, utrum admitteret Agathonis Epiſtolam?

Tertium. Si ſperaviſſet Macarius expendendas a Concilio Literas Honorii tanquam Dogmaticas pro ſtatuendo Articulo, de quo agitabatur Quæſtio, enimverò ſuperſederi ſupplicaſſet, quouſque ſimul librarentur Honorii, & Agathonis documenta.

Quartum. Quoniam Sanctorum Auctoritas Patrum declarat Traditionem, petivit Synodus uſuram temporis ad eos videndos, qui allegati fuerant, & conferendos cum Exemplis eorum Operum, quæ in Patriarchali Bibliotheca conſervabantur: atque hoc fuit exequuta, diſcuſſis etiam contrariis Hæreticorum locis, antequam Hæreſim deteſtaretur ſubſcribens Sanctiſſimo Fidei Magiſtro Agathoni. Poſt hanc ſolennem Profeſſionem Catholicæ Veritatis quodcumque aliud Examen fuit Criminale, non Doctrinale. Nullus ideo poſtulavit facultatem legendi privatim Honorii Literas, ſed audita ſolùm fuit publica illarum Lectio.

Quintum. Hæc fuit integra Primæ ſolummodo Epiſtolæ, non alterius, in qua clarius explicabat Honorius non fuiſſe in Redemptore duas humanas Voluntates, quarum una repugnaret alteri; non tamen ipſi defuiſſe Humanam a Divina diverſam. Quis autem putet non fuiſſe poſtulandam Lectionem utriuſque, ſi pro Dogmate ſtatuendo diſceptaſſent?

Sextum. Si Legati Apoſtolici loquuti non ſunt in Honorii Defenſionem, neque ſaltem inſtiterunt, ut integra legeretur Secunda ejus Epiſtola, manifeſtum eſt ipſos minimè timuiſſe, quod lecta fuiſſet Prima pro ſumenda Inſtructione circa Dogma, ſed

pro

pro certo habuiſſe, exploratum ſolummodo, an reprobanda eſſet Perſona, contra quam fortaſſe ipſi quoque incendebantur arbitrati ab Honorio, Silentium laudante, datum fuiſſe fomitem Hæreſi, atque ſatis hoc eſſe ad promerendum anathema.

Septimum. Exhibita fuit Epiſtola illa a contumaciſſimo Hæretico, ideſt a Macario Antiocheno: & ejus Lectio petita ab aſperſis dedecore ſui Præſulis, quem Synodus deteſtata fuerat tanquam novum Dioſcorum, aut Eutychetem, nudaverat Pallio, & expulerat a Sacro Congreſſu; ideoque in alios quoque maximos Antiſtites irruens Damnatio levamen aliquod iis videbatur infortunii ſui.

Octavum. Supplicarunt Antiocheni, ut ageretur *de Sergio*, *Honorio*, *& Sophronio*, *non de illorum Doctrina*, ideoque Criminale ſolummodo Judicium exoptarunt.

Nonum. Et antequam diſcuteretur Honorii Cauſa. & poſtea, expenſæ ſunt Controverſiæ de aliis Hereticis in Criminali Judicio, non explorando amplius eorum Scripta in ordine ad dilucidandum Dogma jam decretum, ſed ſolùm in ordine ad Perſonas condemnandas, aut abſolvendas.

Decimum. Nullus excitavit dubium aliquod circa Senſum Epiſtolarum Honorii, quæ diſcuſſio ſi fuiſſet inſtituta, patuiſſet manifeſtiſſimè admiſſam ab eo in Salvatore fuiſſe unam tantùm Voluntatem, & Operationem humanam, quia illi non inerat altera Carnis repugnans illi Spiritus.

Undecimum. Si ejus Nomen execrationibus fuit impetitum in Decreto Fidei ſimul cum illis falſorum Dogmatizantium, non proinde voluerunt Patres illum his accenſere, quia cæteroqui primo illum loco nominaſſent, prout Suprema ejus Dignitas exigebat; ſed aliis pariter recenſitis, quamvis fuiſſent tantummodo Diſcipuli Magiſtrorum Erroris, videlicet Policronio, Aſpergio, atque Stephano.

Duodecimum. In ipſis condemnationis verbis expreſſum fuit, quod Honorius tantummodo *ſequutus eſt* dementiam Sergii, poſt quem ferè ſemper nominatur,

Decimum tertium tandem (atque hæc tertia eſt via, quam initio §. Noni a me ſuſcipiendam indicavi) quantumvis contra demonſtrationes allatas intendiſſet Synodus formare Doctrinale Honorii Epiſtolarum Examen, ſupraque ipſas caderet condemnatio, nullam quò ad hoc vim haberet, quia in hac parte non fuiſſent probatæ Literæ Synodales a S. Leone Secundo, qui eas accepit, cum S. Agatho, cui erant directæ, prius ad ad Cælum evolaſſet. Si concedendum eſſet (quod tamen pernego) adjectum non fuiſſe Literis S. Leonis, quibus declarat Imperatori Conſtantino a ſe probari Sextum Concilium, id, quod ibi dicitur de Honorio, idem appellatur ſolummodo reus, eò quòd moram non objecerit naſcenti Hæreſi. *Necnon & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ Traditionis Doctrinâ luſtravit, ſed prophana proditione immaculatam Fidem ſubvertere conatus eſt.* Hæc reperio verba pagina 290. ſed in Margine legitur; *Immaculari permiſit*: atque hæc loquendi forma magis congruit Senſui ejuſdem Leonis expreſſo in Secunda, quæ illi tribuitur, Epiſtola ad Hiſpaniæ Epiſcopos, in qua loquens de Honorio improbat ejus agendi modum, quia *Flammam Hæretici Dogmatis non, ut decuit Apoſtolicam Auctoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit*.

§. XII.

De multiplici Diſcrimine, inter Cauſas Honorii, atque Janſenii.

Damnata ſolummodo fuit, ut oſtendimus, Honorii Perſona, eò quòd Silentium approbaſſet, & ſolùm in ordine ad hoc curſim lecta fuit tota Prima ejus Epiſtola, & pars aliqua Secundæ, a Synodo errante in hoc Crimiminali Judicio, in quo nullus in terris eſt infallibilis. Sed in Cauſa Janſenii nunquam fuit inſtitutum Examen circa ejus Perſonam, & ſolummodo diſcuſſa fuit Doctrina, quæ patet ex Volumine ipſi attributo, ideſt, utrum talis Doctrina ſit hæretica, necne.

Detegere hoc voluit Apoſtolica Sedes ab eo tantùm Libro collato cum Sacris Literis, & cum Sanctorum Patrum Traditione. Pro aperiendo autem Monotheliſmo non ſolùm coarctata non fuit diſcuſſio ad ſolas Honorii Epiſtolas, ſed nec ulla prorſus earumdem ratio in ordine ad hoc habita eſt.

Exactiſſimum fuit Examen Senſus Doctrinæ Janſenianæ, ipſumque Senſum cenſendum eſſe hæreticum, & novæ quidem Hæreſis conditorem, fuit definitum. Idcirco Error, in quem Decretum hoc incurriſſet, eſſet Doctrinalis, & circa Dogmata Fidei, circa quæ Redemptor Humani Generis Vicario ſuo, ſuæque Eccleſiæ, ſpopondit exemptionem ab omni errandi periculo: ſicuti falli non potuiſſet Sexta Synodus, ſi, dubitans prius, an Monotheliſmus damnandus eſſet, diſcuſſiſſet Honorii Epiſtolas pro Fidei articulis decernendis.

Manifeſtiſſimæ igitur ſunt Diſparitates inter Honorii Cauſas, atque Janſenii. Audi-

ta

ta fuit a Sexta Synodo Lectio Epiſtolæ Honorii Græcum in ſermonem verſæ ad videndum, an vox a Pyrrho contra illum ſparſa, quaſi Sergii Erroribus adhæſiſſet, (nam de hoc tantùm, quaſi privatus Doctor,qui privatis pariter Literis fomentum Errori dediſſet, accuſabatur) fundamento alicui niteretur; & quia viſum fuit hoc non deeſſe,Patres ad Honorii Anathema Perſonali Judicio proruerunt. Contra verò Apoſtolica Sedes, & Eccleſia ſtatim ſuſcipiens tanquam Infallibilem aſpectabilis ſui Capitis, & Magiſtri Definitionem, nullum inſtituit Perſonale Judicium contra Janſenium, ſed contra Doctrinam ex ejus Volumine patentem. Judicium hoc publicatum non fuit, antequam Doctrina Voluminis illius expenderetur,ſed poſt exactiſſimam Doctrinæ illius, ejuſque Senſus Diſcuſſionem; cum contra in Sexta Synodo, priuſquam de Honorio fieret ulla Quæſtio, damnatus fuiſſet Monotheliſmus. In præſenti ergo Caſu totum Examen cecidit ſupra Doctrinam, & Senſum Libri Janſenio tributi: ac proinde ſi circa hoc erraſſet Cathedra S.Petri, & Eccleſia, non eſſet immunis ab errore circa Fidei Articulos.Sed ſi decepta fuiſſet Sexta Synodus in Cauſa Honorii, ei ſolummodo defuiſſet infallibilitas in formando de peculiaribus Perſonis Judicio.

Magnum Privilegium Infallibilitatis circa Doctrinam indultum fuit S.Sedi, & Eccleſiæ,ut certi ſint fideles nunquam errandi, dum fidem adhibent rebus definitis.Ad hunc finem obtinendum neceſſe non eſt, ut errare nequeat in ferenda Sententia circa Perſonas, & ſufficit eſſe impotem falli in declarando Senſu Propoſitionum, quæ in animum ſint admittendæ, vel reijciendæ.

Si Apoſtolicæ illi Sedis inclyti Defenſores, Baronius, Bellarminus, aliique a Janſenianis allegati, ætatem egiſſent, poſtquam eorum nomen traducere auſi ſunt recentes Heterodoxi, multò fœliciùs,quàm nos præſtiterimus, ea, quæ in Sexto Concilio contigerunt, expoſuiſſent, ne amplius Honorii Cauſa poſſet pro tuenda Janſeniana in theatrum revocari.

§. XIII.

De Cauſa Trium Capitulorum.

HOc trium Capitulorum nomine complectebantur Veteres Opuſcula quædam Theodori Mopſveſtiæ Antiſtitis, quem Neſtorius Magiſtrum audivit: Anathematiſmos Theodoreti Neſtorium ſequuti, cum illos exaravit,contra S.Cyrillum Alexandrinum; & Epiſtolam Ibæ Epiſcopi Edeſſeni ad Marim Perſam Neſtorianiſmo infectam. Multiplieiter tribus hiſce Capitulis Janſeniani abutuntur ad ſuæ Cauſæ Patrocinium.Nam Primò abſolutos dicunt fuiſſe a Concilio Chalcedonenſi Theodoretum, & Ibam, a Quinta deinde Synodo condemnatos; ut proinde alterutrum ex hiſce Sacris, & Univerſalibus Eccleſiæ Congreſſibus erraſſe neceſſe ſit; ideoque nil mirum,ſi lapſa quoque in Errorem fuerit Apoſtolica Sedes condemnans Janſenium.

Secundò. Decepta fuit e Sententia ferè totius Occidentalis Eccleſiæ Synodus Quinta in trium Capitulorum confixione, ac Vigilius Pontifex Maximus eamdem confirmans. Quid ni ergo hallucinari quoque potuerit Cathedra S.Petri proſcribens Janſenii Librum, & Senſum?

Tertiò. Expenſa ſummo ſtudio fuit Cauſa trium illorum Antiſtitum a Quinto Concilio ad hunc ſolummodo finem coacto. Quæcumque igitur fuerit Sedulitas adhibita in explorando Senſu Janſenii, non tamen exempta fuit ab errandi periculo.

Quartò. Qui damnationi trium Capitulorum refragabantur, non proinde in Hæreſim incurrerunt; imò conqueritur Pelagius Secundus, quod gliſceret ea controverſia *de ſuperfluis, futilibus, indiſciplinatis, & inutilibus Quæſtionibus.* Fatetur Baronius diſputatum fuiſſe de iis, *quorum aſſertio,vel negatio, non conſtituebat quemquam hæreticum*, cum Quæſtio *eſſet libera*, neque pertinens ad Fidem. Defenditur a Sirmundo Facundus Ermianenſis magnus trium Capitulorum Propugnator, & inducitur Vigilius, qui dicitur *liberam eam eſſe controverſiam intellexiſſe*: Sanctus quoque Gregorius Magnus in Fidei profeſſione præſcripta Reginæ Theodelindæ, quæ trium Capitulorum Defenſoribus adhærebat, nihil innuit de Quinto Concilio. Imò in ipſa Formula Fidei, Juramento firmanda a novis Epiſcopis ante ipſorum Conſecrationem, juſſit ſolummodo abjurari Schiſma tunc flagrans, nullatenus commemorato Quinto Concilio, vel tribus Capitulis. De ipſis Schiſmaticis, Liberato, Facundo, Ferrando, qui Scriptores illa Capitula tuebantur, valet id, quod P. Lupus inquit in Notis ad Quintum Generale Concilium: *Mihi placet Auguſtini conſilium: Quibus argumentis abſentis, aut mortui hominis* (v. g. Ibæ, de quo diſſerit Lupus) *voluntatem ita colligam, ut de illa jurare poſſim?* Quamvis igitur Epiſcopi Liguriæ, Iſtriæ, aliique detrectarent aſſerere, quod tria Capitula fuiſſent jure damnata, non tamen proinde in Hæreſim inciderunt, *Aliud*

eſt

eſt enim, ait Facundus lib.7.cap.3., *ideo hæreticum excuſare, quòd Catholicus putetur: & aliud, ipſum Hæreſim defendere. Non illos Hæreticos credit Eccleſia, quia de Libro hæretico bene ſenſerunt, ſed potius pro merito ſuæ Fidei Catholicos judicat, & honorat.* Imò Pelagius ipſe Pontifex de Schiſmaticis loquutus: *Si enim*, inquit, *ipſi, licet in ſuo Senſu abundantes, intra materna tamen viſcera quærerent Veritatem, a nobis repellendi non erant.* Ea porrò omnia, quæ de trium illorum Præſulum Defenſoribus dicta ſunt, aptari poſſe putant Janſeniani unius Yprenſis Epiſcopi Propugnatoribus.

Quintò. Sicuti narrat Facundus oblatam ab Orientalibus fuiſſe facultatem Africanis perſiſtendi in opinatione ſua tribus Capitulis favente, dummodo abſtinerent a Schiſmate: atque S. Gregorius Magnus de S. Synodo Quinta commendavit Silentium Auctore Baronio anno 593., ita, dummodo Janſeniani conticeſcant, in hoc acquieſcere poteſt Eccleſia.

Sed regreſſus ad primum Argumentum pernego erratum fuiſſe a Patribus Quarti Concilii, dum abſolverunt Perſonas Theodoreti, & Ibæ, qui Neſtorii Hæreſim, Scripta, & Nomen, in eodem ſolenniter execrati ſunt. Nullam circa Theodoreti Anathematiſmos, & Epiſtolam Ibæ, Sententiam tulit idem Quartum Concilium. Damnata hæc duo Capitula fuerunt, ſimul cum Tertio Mopſveſteni, a Quinto. Quid tum? Nullatenus idem pugnavit in hac damnatione cum Quarto. Proſcripſit Quintum etiam Perſonas a Quarto abſolutas? Nil moror; ſed conceſſus alterutrius Error quò ad Perſonas nihil prorſus conducit Janſenianæ Cauſæ non ſuſceptæ contra Perſonam, ſed contra Doctrinam, in qua definienda ſubeſſe nequit deceptioni Cathedra Principis Apoſtolorum, quamque ipſa moderatur, & docet, Eccleſia.

Inficior id, quod affirmatur in Secundo argumento, videlicet, quod fuerit opinio ferè totius Occidentis, erraſſe Quintam Synodum, ejuſque Confirmatorem Vigilium, in confixione trium Capitulorum. Plurimis quidem viſa fuit abſona quæſtio de Præſulibus jam fato ſublatis; & quorum duo publico regreſſu in ſinum Eccleſiæ præteriti erroris maculas aboleverant. Sed Iſtria, & Liguria, per quas Provincias propagabatur Schiſma, non conſtituunt univerſam Italiam: nulla pariter ejus ſcintilla Britanniam, Germaniam, aliaſque Occidentalis Eccleſiæ partes incenderat: & compreſſa quamprimùm fuit tota ejuſdem Schiſmatis flamma. Et quamvis verè Schiſmatici affirmaſſent erraſſe Synodum, atque Vigilium, in trium damnatione Capitulorum, hæc tamen illorum opinio verſabatur circa Perſonas ipſas, quas anathematis immerentes fuiſſe dicebant, non verò quò ad Doctrinam Capitulorum ipſorum, quæ Neſtorianiſmo referta, ideoque jure proſcripta, aſſeverabant. Nihil igitur opinatio Schiſmaticorum commune habet cum illa Janſenianorum, qui Senſum ipſum, & Doctrinam Janſenii Catholicam putant contra Definitionem Eccleſiæ.

Non aliam ob Cauſam coaluiſſe Quintam Synodum dicunt in tertio argumento amatores Janſenii, quàm ut controverſia de tribus Capitulis expenderetur? Sed enormiter errant, ſeque non perſuſos magna, ut jactant, ſed tenui eruditione aſperſos oſtendunt. Enimvero cum prohiberentur Neſtoriani latè ſpargere venenum ſuum propagando Exempla Operum ipſius Neſtorii, quæ ab omnium manibus excuſſerant Pontificia, & Cæſarea Decreta, conabantur diffundere illa trium, de quibus agimus, Præſulum, contra quos proinde opportuna viſa fuit Synodalis Cenſura. Sed, præter hanc cogendi Concilii Cauſam, aliæ fuerunt multæ, graviſſimæque, pro compeſcendo videlicet furore, atque inſania Eutichianorum, Acephalorum, & Origeniſtarum, & pro damnandis Didimi erroribus. Parco ab iis recenſendis, ac ſolùm indico videri eas poſſe in Capitibus 10.15.16.& ſequentibus Liberati: in lib.16. cap.29., & lib.17.cap.27. Nicephori: in Zonara loquente de Juſtiniano Imperatore: in hujus Epiſtola ad Mennam Patriarcham contra Origenem: in Vita S. Sabbæ ſcripta a Cyrillo Monacho: in Libello Photii de Septem Synodis: in Epiſtolis 13. & 45. S. Leonis Secundi: in Sexta Synodo Act. 15. in Evagrio lib. 4. cap. 29.: in Epiſtola Pelagii Papæ ad Narſetem: in Paulo Diacono lib.3. cap.12., & lib.4.cap.4., & in Ven. Beda lib. de Sex Ætatibus.

Ultro concedo ea, quæ proferuntur in Quarro argumento, ſed vehementer admiror, quod, qui iis armati proſiliunt in arenam, non animadvertant evanida eſſe tela illa omnia, vel ipſis nocitura. Non incurrerunt in Hæreſim aſſertores trium Capitulorum, quia non negabant Hæreticam eſſe Capitulorum eorumdem Doctrinam, & ſolummodo improbabant Perſonarum condemnationem. In Hæreſim autem proruunt, qui perperam damnatum fuiſſe dicunt Senſum, & Doctrinam Janſenii, de cujus Perſona nihil ab Eccleſia decretum fuit. Fuerint *ſuperfluæ, futiles, indiſciplinatæ, & inutiles quæſtiones*, ob qnas ab Eccleſia Schiſmatici recedebant, quia diſputabant de iis, *quorum*

aſſer-

aſſertio, vel negatio, non conſtituebat quemquam hæreticum; Agebatur enim de præſumpto errore Concilii quò ad merum Factum. At in præſenti agitur de Jure Fidei, ſcilicet de ipſo Senſu, & Doctrina Janſenii, ut demonſtravimus Libro Tertio. Ideo adacta non fuit Theodelinda, & recentes Epiſcopi ad negandum id, quod in favorem Perſonarum opinabantur, quia ſatis erat deteſtari Doctrinam, & Senſum earumdem. Hoc ſi Janſeniani præſtent circa Senſum, & Doctrinam Janſenii, eos materno ſinu hilaris Eccleſia complectetur.

Silentium denique, de quo loquuntur in Quinto Argumento, indulgeri potuit recedentibus a Schiſmate quò ad præſumptum ab ipſis Errorem Synodi in Perſonis damnandis. Sed ſi prius negaſſent, fuiſſe jure confixam eorumdem Doctrinam, contrariam ab iis conteſtationem enimvero S. Gregorius Magnus extundere voluiſſet. Eamdem extorqueri a Janſenianis neceſſe eſt, cum perpetuò inficiati ſint cenſendum eſſe hæreticum Senſum, & Doctrinam Janſenii.

§. XIV.

De Marcello Ancyrano.

CElebrem hunc Epiſcopum (Succeſſorem admirabilis Fidei Teſtis S. Clementis Ancyrani Præſulis, qui annis octo ac viginti lethalibus centies tormentis lancinatus Chriſtianæ Religionis triumphos per totum ferè, quò rapiebatur, Romanum Imperium circumduxit) tanquam in pari Cauſa Janſeniani revocant ad Famæ tribunal; affirmant enim ejuſdem Marcelli Librum ſcatentem Hæreſibus fuiſſe repertum a Petavio, quamvis abſolutus fuiſſet a Concilio Sardicenſi, & a S. Julio Pontifice Maximo. Hinc efficiunt poſſe contingere, ut immunes ab hæretico Senſu reperiantur Propoſitiones Ianſenii, quamvis a Sede Apoſtolica, & ab Eccleſia damnatæ.

Sed, quæcumque fuerit quò ad Librum Marcelli opinio Petavii Viri alioqui doctiſſimi, non ea tamen eidem Auctoritas ineſt, quæ ullum ſuſcitare pulverem poſſit contra Solem Apoſtolicæ Definitionis. Cathedram S. Petri Eccleſiæ Magiſtram errare non poſſe in declarando Senſu, & Doctrina Propoſitionum, ideoque Jure Fidei, perpetuò Petavius cum Theologis omnibus præſumit. Abſoluta quidem fuit a S. Julio, & a Synodo Sardicenſi Perſona Marcelli Semiarianos ampliſſimè deteſtati. Quod expenſus diligenter fuerit a Julio, atque Synodo, Liber Marcelli, Petavius affirmare non audet. Sua præterea dubia tantummodo a ſe fuiſſe propoſita in Volumine illo eorumdem ſolutionem optante, nihilque decernente, Marcellus oſtendit.

Quamvis igitur erraſſet Concilium, error fuiſſet non circa Dogmata, ſed circa Perſonam. Quod enim Dogmata eſſent hæretica, non negavit Concilium, imò talia declaravit, ſed non credidit ea tradita, & aſſerta fuiſſe a Marcello, poſtulante ſolùm, ut Catholica Veritas explicaretur. *Deprehenſa*, inquit Synodus, *Euſebii, & ſociorum exquiſita malitia; quæ enim Marcellus quaſi quærendo petierat, ea, tanquam aſſeveraret, calumniati ſunt.*

§. XV.

De aſſerto errore Concilii Francofordienſis quò ad Sacras Imagines.

UT nihil aliud a ſe, præter Silentium, requirendum eſſe Ianſeniani conficiant, hoc ipſum tantummodo exactum fuiſſe dicunt in gravi errore, in quem lapſæ fuerint Eccleſiæ Galliæ, atque Germaniæ, cum hæ in Francofordienſi Concilio perperam intellexerunt Secundum Nicænum circa Sacras Imagines, quarum cultum a Francofordienſi fuiſſe damnatum affirmant.

Sed & injuriam irrogant Synodo illi, iiſque Eccleſiis, & falsò affirmant ſuffeciſſe Silentium Apoſtolicæ Sedi. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Pater Cardinalis Baronius anno 793. num. 1., & ſeq. oſtendit mentiri eos, qui dicunt ab eo Concilio rejectas fuiſſe Sacras Imagines ob non intellectum Secundum Nicænum. Explicat apertiſſimè, illarum condemnationem factam quidem fuiſſe *in* Concilio, ſed non *a* Concilio, cum Apoſtolici Legati reclamaverint (ut fatentur ipſi quoque Centuriatores hæretici Magdeburgenſes Cent. 3. cap. 9. Columna 639.) ac multi Epiſcopi, contra vanam aliorum imaginationem, qui minimè lectis Actis Nicæni arbitrabantur ab eo Concilio ſtatutum fuiſſe Imaginibus cultum Latriæ, debitum uni Divinitati. Quod adeo enormiter erraverint plurimi e Francofordienſibus Patribus liquet ex forma Canonis 2., cujus unicum Sirmundus apud Labbe affirmat reperiri antiquum Exemplum inter Scripta Eccleſiæ Rhemenſis, quod ſit hujuſmodi: *Allata eſt in medium Quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Conſtantinopoli* (dicendum fuerat, *Nicææ*) *fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, ſervitium, aut Adorationem non impenderent,*

anathema judicarentur. Qui ſupra, Sanctiſſimi Patres noſtri omnimodis Adorationem, & Servitutem renuentes contempſerunt, & conſentientes condemnaverunt.

A vero alieniſſimum eſt, quod in hoc Decreto formando conſenſerint omnes. Idem non fuit conſtitutum legitimè: deteſtatus deinde illud fuit Adrianus Secundus tunc imperans, ut conſtat ex ea, quam ſcripſit ad Carolum Magnum, ejuſdem Decreti Confutatione. Confirmavit ſolummodo Synodum Francofordienſem quò ad Damnationem in ea ſtatutam novi Neſtorianiſmi ab inferis revocati ab Elipando Toletano, ac Felice Urgelitano, & conditos Canones Chriſtianæ Diſciplinæ opportunos.

Illa præterea Synodus non fuit Generalis, quamvis ad eam confluxerit vis magna Præſulum e ſolo Occidente, videlicet ex Italia, Gallia, & Germania, ideoque a nonnullis appelletur Plenaria. Quamvis igitur in errorem circa Doctrinam Nicæni fuiſſet incurſum *a toto Concilio*, & non ſolùm *in Concilio*, non tamen hinc evinceretur, quod errare queant legitimæ Synodi Generales circa Dogmata jam definita.

Exemplum deinde nullum afferri poterat magis repugnans fini a Ianſenianis intento cupientibus hinc eruere, nihil aliud requirendum ab Eccleſiæ Rebellibus, quàm Silentium. Hoc tunc oblatum non fuit a Nicæni condemnatoribus, multòque minus quæſitum a Pontifice Maximo, qui ſolummodo deleri juſſit Decretum illud, & perpetua oblivione tumulari. Cæterùm qui exarſerant contra præſumptam prævaricationem, quam Nicæno tribuebant, adeo loquuti ſunt, ut audaciſſimè quædam ſua Capitula publicaverint illis præfixo nomine Caroli Magni, perinde ac ſi Auguſtus ille Imperator, improbaret Cultum Sacrarum Imaginum, quas religioſiſſimè venerabatur, gloriatus appellatione Filii obedientiſſimi Adriani Pontificis, & Eccleſiæ Catholicæ Defenſoris.

Quid, quod ne contrarii quidem Epiſcopi omnem Sacrarum Imaginum, & Simulacrorum, cultum aboleverunt: & allegatus Labbe Tomo 7. Conciliorum col.1013. incipiens loqui de Francofordienſi affirmat, quod in illo *Acta Nicæni Secundi in Cauſa Imaginum confirmata ſunt*: ediſſerens, quod Veneratio illa, quæ verè a Nicæno fuit iiſdem attributa, ſublata non fuit a Francofordienſi: & affert eruditiſſimas de illo lucubrationes Surii, ac Sirmundi, Notaſque Binii, & ſuas, in hoc ipſum Concilium. Sed quia Decretum illud fuit ita conditum, ut ſiniſtræ anſam daret Interpretationi, meritò damnatum eſt ab Adriano Secundo Pontifice Maximo. Quid, quod non deſunt illuſtres Auctores cum Surio, & Vaſquez, affirmantes Decretum illud nec *a* Concilio, nec *in* Concilio, formatum fuiſſe, ſed ab Hæreticis confictum, & Concilio attributum. Validè hoc confirmatur ex eo, quod nec illud pro ſe attulit Claudius Taurinenſis Iconomachus Hiſpanus, qui eam Hæreſim paulò poſt Concilium Francofordienſe diſſeminavit: neque contra ſe Jonas Aurelianenſis, qui pro Imaginibus ſcripſit.

§. XVI.

De Abbatis Joachimi Erroribus.

EXpedit referre verba Janſenianorum exultantium, perinde ac ſi reperiſſent eventum ſimillimum illi, de quo flagrat controverſia. Anno, inquiunt, 1664. S. Romana, & Univerſalis S. Officii Congregatio probavit Librum P. Gregorii de Laude ſcriptum in Defenſionem Abbatis Joachimi circa Doctrinam Libri damnati in Concilio Lateranenſi anno 1280. Dicit Auctor cap.4.ſ.281.: *Ut ſine offenſione curramus, ſciendum eſt, aliud eſſe defendere Sententiam proſcriptam, & noſtræ Catholicæ Fidei contrariam, quæ Joachim Abbatis Florenſis fuiſſe dicitur: & aliud eſſe defendere, Joachim Florenſem Abbatem non fuiſſe hujuſmodi proſcriptæ Sententiæ. Primum enim & mihi, & Eccleſiæ præjudicium inferret. Secundum verò nequaquam, dicente egregiè de more Dominico Gravina Viro doctiſſimo, quod aliud eſt, poſſe errare Concilia Generalia in Jure, damnando ſcilicet Sententiam, quæ nullam meretur damnationem: & aliud eſt, poſſe errare in Facto, an ſcilicet hæc, vel illa Propoſitio, ſive Sententia, aſſerta, vel non, fuerit ab hac, vel illa Perſona. Si deciperentur Concilia Generalia in Facto, talis error nullum præjudicium afferret Eccleſiæ; at ſi errarent in Jure...... non leve, ſed graviſſimum Dei Eccleſiæ inferret præjudicium. Nos enim non intendimus defendere Sententiam de Summa Trinitate Joachim Floris Abbati tributam, nec aſſerere poſſumus Concilium Lateranenſe erraſſe in Jure..... bene tamen intendimus, Joachim Innocentiam defendere, & eum a tali labe, & ignominia vindicare, dum omnes relati cap. Damnamus, Authoritate innixi uno ore aſſerant, prædicentque, Abbatem noſtrum modò relatam edidiſſe Sententiam.* Cum accuſatus fuiſſet Liber P. Gregorii de Laude, decreta fuit correctio in pag.7. & probando cætera omnia, quæ in relata ratiocinatione continentur, juſſum tantummodo fuit, ut hæc verba: *Bene intendimus*

mus

Digitized by Google

mus &c. mutarentur in hæc alia: *Conabimur tamen, ſi fieri poteſt, Joachim defendere.* An non factum hoc ſimillimum eſt illi, de quo nunc agitur, imò prorſus idem mutato nomine? Et ad hunc tamen ſolummodo finem utitur P. de Laude fallibilitate Eccleſiæ quò ad Facta, ut defendere queat Abbatem ſuum, cujus Liber fuerat damnatus.

Sed, ita ne verò, ſolennis hæc eſt approbatio eorum, quæ Janſeniani moliuntur? Oſtendam, nihil penitus ad perverſum eorum finem conducere. Et primò quidem, ſicuti præſumunt ipſi, exactè a ſe narratum fuiſſe rei eventum, circa quem redarguere illos nequeo, cum præſtò mihi non ſit Decretum illud, quo aſſeritur juſſam tantummodo fuiſſe mutationem eorum verborum: ita prius animadverto, quod Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. *cap.* 2. *Damnamus*, affert per extenſum Errorem illius Abbatis circa Auguſtiſſimam Trinitatem, & ſubdit, quod quicumque *Doctrinam præfati Joachimi in hac parte defendere, vel approbare præſumpſerit, tanquam hæreticus ab omnibus confutetur*: vel, ut alii legunt, *evitetur.* Oſtendit deinde Concilium a ſe ſupponi, quod Hæreſis illa adeo non eſſet diffuſa, ut nec illam amplexi fuiſſent Religioſi Viri Monaſterii Florenſis inſtituti ab Abbate Joachimo, qui etiam Apoſtolicæ Sedis Judicio humillimè ſe ſubjecerat. *In nullo tamen per hoc Florenſi Monaſterio, cujus ipſe Joachim extitit Inſtitutor, volumus derogari, quoniam ibi & Regularis inſtitutio eſt, & Obſervantia ſalutaris. Maximè cum idem Joachim omnia Scripta ſua nobis aſſignari mandaverit Apoſtolicæ Sedis Judicio approbanda, ſive etiam corrigenda, dictans Epiſtolam, cui propria manu ſubſcripſit, in qua firmiter confitetur, ſe illam Fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ cunctorum Fidelium Diſpoſitione Divina Mater eſt, & Magiſtra.* Hæc cum ita ſe haberent, nec aliud optaret P. de Laude, quàm defendere intentionem ſui Abbatis Joachimi, & non ejus Libri Propoſitiones, cenſuit fortaſſe S. Congregatio permitti poſſe editionem.

Adeo autem abhorret a vero, quod Factum illud ſimillimum fuerit præſenti, imò idem mutato nomine, ut quatuor interſint apertæ diſparitates. Et prima quidem deſumpta ex verbis ipſis Janſenianorum, videlicet, quod *ad eum ſolummodo finem P. Gregorius de Laude uſus fuerit fallibilitate Eccleſiæ in factis, ut defendere poſſet Abbatem ſuum, cujus Liber damnatus erat.* Sed nunc agitur etiam de Dogmatibus, quæ Janſeniani nolunt fateri hæretica in Senſu, qui patet ex Libro Janſenii. Secunda, quia in Damnatione Errorum Joachimi nunquam Concilium loquutum fuit *de Senſu illius*, ſed retulit per extenſum prætenſas probationes ejus opinionis, ideoque nullum periculum ſupererat, ne quis varios illas in Senſus Interpretatione diſtraheret. Tertia, quia Hæreſis illa non habebat Sectatores, ideoque S. Congregatio facilius indulgere potuit defenſionem Perſonæ. Sed Janſeniſmus infœliciſſimè diffunditur per varias Provincias, ſemperque magis, ut Cancer, ſerpit. Quarta diſparitas, quod licet permiſſum fuiſſet P. Gregorio de Laude, ut conaretur perſuadere Lectoribus, erratum fuiſſe a Concilio tribuendo Abbati Joachimo Doctrinam hæreticam, ea tamen permiſſio emanaſſet ſolummodo a S. illa Congregatione, quæ ſummæ profectò eſt Auctoritatis, ſed non exæquat illam Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, totiuſque Eccleſiæ Divinæ jubentis credi hæreticas eſſe Quinque Propoſitiones in Senſu Janſenii, qui patet ex Volumine ipſi tributo. Quare licet S. Congregatio permiſiſſet, ut ex vi argumentorum P. Gregorii de Laude dubitare poſſimus, an erraverit Concilium Lateranenſe attribuens Joachimo Hæreſim illam; non proinde tamen poteſt in animum admitti dubitatio ulla, utrum erraverit Cathedra S. Petri, & Catholica Eccleſia excipiens Definitionem Pontificiam, quod Quinque Propoſitiones ſint hæreticæ in Senſu, qui patet ex Libro Janſenii.

§. XVII.

De Infallibilitate Grammatica, quam per inconditum Scomma Janſeniani nonnulli dicunt attribui Eccleſiæ ab ejus Propugnatoribus.

QUia nuper duo præclari Antiſtites Paſtoralibus Literis admonuerant Oves ſuas, ut caverent a Propoſitionibus nuperrimè damnatis ab Apoſtolica Sede, contra illos Janſeniani exarſerunt, ſparſoque Scripto fucoſo illos prius inſimularunt arrogatæ ſibi Pontificiæ Auctoritatis contra Jus, & Romana Decreta. Deinde unum ex iis carpere adorti ſunt, quaſi novam excogitaverit Infallibilitatem in Senſu Grammatico attributam Propoſitionibus, quas definit Eccleſia: quem Senſum eſſe contrarium affirmant communi Doctrinæ, ac pernicioſum. Ac præterea notant a Præſulibus illis Infallibilitatem conſtitui in Corpore Paſtorum; cum ita retulerint Propoſitionem illam: *Ad Obedientiam Eccleſiæ debitam non ſufficere Silentium &c.* non verò ſub aliis terminis: *Ad Obedientiam Sedi Apoſtolicæ debitam.*

Hinc ſiquere dicunt Certamina,quæ orirentur, quæque ipſi Epiſcopi agitent animo contra Perſonalem Infallibilitatem Romani Pontificis.

Sed irrito conatu invidiam conflare Doctiſſimis illis Viris Janſeniani laborant. Supremam illi ſibi Auctoritatem non vindicarunt peculiari Cenſura earum Propoſitionum lata in Edicto pro ſuis tantùm Diœceſibus valituro: quod nullatenus repugnat rationi, & Pontificiis Decretis.

Enimvero deinde Janſeniani non perceperunt ea, quæ ſcripſit Sapientiſſimus Antiſtes, dum affirmarunt, gravem ab illo injuriam inferri S. Sedi, & Eccleſiæ, ſtatuendo novam in Grammatico Senſu Infallibilitatem Propoſitionum, quas definivit Eccleſia. Nullam ipſe invenit novam ab errandi periculo immunitatem a Divina diverſam in Articulis pertinentibus ad Jus Fidei decidendis. Tantummodo ut oſtenderet, quinam ſit Senſus Obvius Quinque condemnatarum Janſenii Propoſitionum, dixit Archiepiſcopus ille, hunc Senſum eſſe proprium eum, & nativum,quem verba formant juxta ſignificationem, quam in verbis ipſis Grammatici,&Vocabulorum Collectores agnoſcunt. Non ſomniavit aſſerere ab Eccleſia infallibiliter definiri, atque conſtitui objectum Fidei, quod verbis illis inſit ſignificatio iiſdem a Grammaticis attributa. Perſpectiſſimum illi eſt non eſſe materiam Definitionis capacem, quod eam habeant verba ſignificationem; ſed hanc eſſe rem præſumptam ab eo, qui definit Articulum ejuſmodi verbis expreſſum. Adeo igitur ſuum finem Janſeniani non aſſequuntur eximium illum Præſulem ludibrio traducendi, ut potius ridendam ſuam malignitatem exerant, & inſcitiam.

Hæccine explicatio eſt nova, & pernicioſa? Imò ea eſt, quam nullus literis perfuſus perſtringere queat, omneſque fateri debeant opportuniſſimam ad aperiendam veram ſignificationem Senſus Propoſitionum, quibus Fidei Articuli definiuntur. Ut appoſitis Exemplis utar, conferantur invicem ſequentes duæ Propoſitiones: *Hoc eſt Corpus meum*; & hæc altera: *Petra autem erat Chriſtus*. Earum Senſus explicatur optimè dicendo, quod Prima ſignificat eſſe ſub Accidentibus verum Sacroſanctum Redemptoris Corpus in Senſu Obvio, Proprio, & Nativo, quem verba illa ſortiuntur apud Grammaticos, & in Lexicis. Sed aliam: *Petra autem erat Chriſtus*: veram eſſe non in Senſu Proprio, & Obvio attributo Nomini *Petra* a Grammaticis, & a Lexicis, ſed veram eſſe in Senſu Improprio, & Allegorico explicato pariter a Grammaticis, & a Vocabulorum Interpretibus, qui de varia Nominum ſignificatione ſæpe loquuntur. Poteſt ne appellari nova, omnibus contraria, & damnum allatura hujuſmodi Explicatio? Imò antiquiſſima eſt, ab omnibus recepta, ſummopere conducens, & neceſſaria ad intelligendos varios Senſus Divinarum Literarum, vel Literalem, & Proprium, vel tot alios.

Cum igitur Sedes Apoſtolica definiverit hæreticas eſſe Quinque Propoſitiones in Senſu Obvio, & Proprio, quem præſeferunt verba ipſa excerpta ex Libro Janſenii, optimè animadverſum fuit, Senſum hunc eſſe Proprium iiſdem verbis a Grammaticis attributum. Non tamen proinde res ulla definita eſt pertinens ad Grammaticam ipſam, nam ſignificatio propria eorum verborum a Grammaticis explicata eſt res præſuppoſita a Definitione. Quid, quod, ut oſtendimus Libro Tertio Secundæ Partis §. 8. & 10. Exemplum deſumptum a Grammatica ſignificatione verborum declarat manifeſtiſſimè, quod in quacumque Propoſitione ſpectante ad Jus includitur aliqua Facti Suppoſitio, quæ non definitur definiendo Jus. In qualibet enim Propoſitione Sacris in Literis, in Conciliis, & in Pontificiis Declarationibus extante, præſumitur ſemper ſignificatio verborum, quæ pendet ab Inſtitutione Linguæ a Grammaticis, & Onomaſticis expenſa. Hæc omnia ſunt Facta, quæ Definitione non indigent, nec illi ſubeſſe queunt: quodque Facta eadem includantur tanquam ſuppoſita in Propoſitione Juris, non obſtat Definitioni eorum, quæ pertinent ad ipſum Ius. Ita prorſus in noſtro Caſu definientes Pontifices Maximi, quod Quinque Propoſitiones excerptæ ex Libro Ianſenii ſint hæreticæ in ejuſdem Ianſenii Senſu, præſumpſerunt Factum ipſum, videlicet, quod Propoſitiones ſint excerptæ ex Volumine illo, & conſtituerunt Articulum Fidei ſolummodo id, quod ſpectat ad Ius, videlicet quod eædem ſint Hæreſi infectæ in Senſu Ianſenii, ideſt in illo Senſu,qui ex Libro illo ſtatim patet. Hæc Definitio Senſus, & Doctrinæ, manifeſtè, ut Libro Tertio Secundæ Partis demonſtravimus, pertinet ad Ius, perinde ac ſpectat ad Ius idem Definitio, quod Propoſitio illa: *Hoc eſt Corpus meum*: vera ſit non in quocumque Senſu, ſed in Senſu Proprio, & Obvio a Grammaticis attributo eorum verborum ſignificationi: quodque altera Propoſitio: *Petra autem erat Chriſtus*: vera ſit, non tamen in Senſu Obvio, & Proprio a Grammaticis agnito in voce *Petra*, ſed in Improprio,

prio, & Allegorico. Niſi Quæſtio Senſus pertineret ad Ius, nec Infallibili Definitione ſolvi poſſet, liceret unicuique explicare pro arbitrio Senſum Divinarum Literarum, neque ulla ſupereſſet in rebus Fidei certitudo.

Conantur Ianſeniani vocare in Vaticani ſuſpicionem Præſules illos eorum Impugnatores, eoſdem ſugillando, quaſi uno in Corpore Paſtorum Infallibilitatem conſtituant, non verò in Apoſtolica Sede? Sed myſterium nullum ſubeſſe crediderim modo loquendi ab ipſis adhibito, imò non alia ex cauſa uſos illo eos fuiſſe, quàm ut magis appareret enormitas Propoſitionis illius, poſtquam univerſa Catholica Eccleſia, oſtendens Infallibilem a ſe cenſeri Cathedram S. Petri definientem Veritates ad Ius Fidei pertinentes, ſtatim atque prodierunt Declarationes Apoſtolicæ Sedis contra Ianſeniſmum, eas illico amplexa eſt tanquam in Cælo ſcriptas, abſque eo quod Catholicus ullus dixerit expedire, ut, antequam exciperentur, coaleſceret Synodus Generalis, aut ſaltem aliorum Sententia Epiſcoporum audiretur. Poſt hanc verò, quæ jam contigit, Acceptationem non ſolùm Ianſeniani renuunt obtemperare Eccleſiæ repræſentatæ ab ejuſdem aſpectabili Capite, ſed etiam ipſi Corpori, ac proinde apparere deteſtabilior poteſt contumacia: atque hanc opinor fuiſſe illis Epiſcopis cauſam eos terminos adhibendi.

Quod ſi congruens ulla ſuſpicio poſſet excitari eos confugiſſe ad *Corpus Paſtorum*, quia in Summo Pontifice Definiente res Fidei, ac Morum, non præſupponerent abſolutam Infallibilitatem antecedentem, & independentem a qualibet Eccleſiæ Acceptatione, nos, ſicuti ipſorum Doctrinam ultro amplexi ſumus in iis, quæ conſonant Apoſtolicæ Sedis Dignitati, ita ab iiſdem recedendum putaremus, ſi uilatenus ab illa diſcreparet. Quid ſentiamus de Infallibilitate Summi Pontificis liquet ex iis, quæ proteſtati ſumus in fine Libri Tertii Secundę Partis, & alibi.

§. XVIII.

De aſſerto Diſcrimine inter Librum Janſenii, & aliorum patentium Hæreticorum.

URgeri ſe diſſimulant Ianſeniani validiſſimo Argumento contra ipſos intorto, quod tentant eludere. Ex eo, inquiunt, quod negetur Eccleſiæ Infallibilitas in enodandis Quæſtionibus Facti, non ſequitur, nunquam ab ipſa poſſe Fideles obſtringi ad credendum, & jurandum Factum ullum non revelatum: & ab unoquoque defendi poſſe damnatos omnes Hæreticorum Libros, quamvis Eccleſia frequenter nos coegerit ad illorum deteſtationem. Quoniam ex eo, quod Eccleſia exempta non ſit ab erroris diſcrimine quò ad Facta, non efficitur, ipſi deeſſe Auctoritatem ad ea decidenda, ſemperque decipi eamdem poſſe, aut vetitum non eſſe illi contradicere. Quando enim in Factis, præter Auctoritatem Eccleſiæ, datur etiam Evidentia, & Notorietas præſcribens cuilibet rectè judicanti, ut vera credat ea eſſe, præcipere poteſt Eccleſia, ut fides illis adhibeatur; tunc enim ſuſpicionem ſui procrearet, qui Facta illa negaret. Notorietas porrò naſcitur ex damnatorum Confeſſione Hæreticorum, eorumque Aſſeclarum: ex eo, quod Eccleſiæ Deciſionibus obſtiterint: ex conſenſu Scriptorum: & aliis characteribus. qui ad tot alia Facta credenda nos adigunt. Tunc qui, damnans errorem, negaret Factum cum Errore nexum, non eſſet hæreticus, ſed potius inſanus teſte Melchiore Cano lib. 12. de Locis Theologicis cap. 7. Hinc quando hæ Cauſæ deſunt, ut contingit in Facto Ianſeniano adeo impugnato, & dubio, Fideles non obſtringuntur ob unam Eccleſiæ Auctoritatem ad illud credendum, quamvis ex Diſciplinæ lege cogi poſſint ad tacendum, Pacemque non perturbandam.

Sed primò perperam Ianſeniani præſumunt ipſos nunc adigi ab Eccleſia ad credendum, & jurandum Factum aliquod non revelatum. Hoc omnino falſum eſt, ut Tertio Libro Secundæ Partis oſtendimus; ſed, quoniam ſimulant a ſe minimè percipi, inculco Exemplum alibi attactum, quod Iuriſprudentiæ Tyronibus apertiſſimum videbitur.

Cum Iudex expendit, an Titius Iure occiſus fuerit a Cajo tanquam injuſtus aggreſſor: an potius injuriâ, tanquam non talis; profectò explorat Articulum Iuris. Et nihilominus Articulus hic includit Factum, videlicet quod Occiſio contigerit. Legalis autem Sententia non cadit ſupra Factum hoc, quod eſt ſuppoſitum neceſſarium ad Iuris Articulum. Ita prorſus cum fertur Sententia contra Propoſitiones excerptas ex Libro Ianſenii, & juratur cenſeri hæreticas in Senſu, qui ex eo Volumine patet, Iuramentum cadit ſolummodo ſupra hunc Articulum Iuris: & Factum, videlicet quod Propoſitiones verè fuerint excerptæ ab eodem Libro, affirmatur, aut potius ſupponitur, tanquam res neceſſariò nexa cum ipſo Iuris Articulo.

Non ingredior iterum Quæſtionem ſuperius delibatam, an Eccleſia ſit Infallibilis in Fa-

Digitized by Google

in Factis aliquibus decidendis, v. g. quod ſcateant erroribus Hæreticorum Libri juxta Theologorum illorum Sententiam, quam retulimus Libro Tertio. Sed neceſſe non eſt, ut alibi advertimus, hoc ſtatuere, cum ſufficiat a Ianſenianis concedi, quod, licet Eccleſia non eſſet Infallibilis in hujuſmodi Factis, ex hoc tamen non permanaret nullam eidem ineſſe in iiſdem decidendis Auctoritatem, cui ad amuſſim obtemperare, & ore, atque corde Aſſenſum præbere Fideles omnes certiſſimè ſunt obſtricti.

Quàm vanæ autem, Deus immortalis, ſunt Diſparitates, quas Ianſeniani expiſcantur inter aliorum Voluminum, illiuſque ſui Magiſtri, Condemnationem! Cum alia confixa ſunt, inquiunt, præter Auctoritatem Eccleſiæ, aderat Evidentia, & Notorietas urgens quemcumque rectè judicantem ad adhibendam fidem? Et hic deſtituimur Evidentiâ, & Notorietate? Teſtati ſunt Quinque, & Octoginta Galliarum Epiſcopi extractas a ſe fuiſſe Propoſitiones illas ex Libro Ianſenii. Faſſi fuerunt, excerptas ex Volumine Ianſenii verè fuiſſe, Ianſeniani ipſi, qui, prius quàm Antiſtites illi, ad Sedem Apoſtolicam confugerunt; ſed defixi in affirmatione, quod veriſſimæ, atque Auguſtinianæ Propoſitiones eædem eſſent. Theologi ab Innocentio X. deputati eas in Volumine illo repererunt, quaſdam quidem iiſdem prorſus verbis expreſſas, & alias terminis evidenter æquivalentibus, ac productis in longum diſſertationibus explicatas, inque ſua referenda Sententia Sacris eas Congregationibus oſtenderunt. Subſequuta eſt ſumma præſtans Auctoritate illius Pontificis Declaratio, a Succeſſoribus omnibus confirmata. Illam comprobavit Univerſæ Catholicæ Eccleſiæ Conſenſus. Etiam poſt Damnationem multi Ianſeniani Scriptores auſi non ſunt negare id, quod cadit ſub oculos omnium legentium Volumen illud luminibus non hebetatis, & in tranſverſum actis a contumacia. Si ergo quò ad aliorum Damnationem ſufficit, præter Eccleſiæ Auctoritatem, Evidentia, & Notorietas ad omnes adigendos ad aſſenſum, abunde quoque in noſtro Caſu eadem eſt: quique mordicus hæret in neganda Fide, obſtringi ab Eccleſia poteſt, cum ſui ſuſpicionem excitet, ut fatentur Adverſarii, qui negat manifeſtiſſimum Factum.

Niſi omnium præſtantiſſimi Deceptores Ianſeniani eſſent, & præ cæteris hæreticis conarentur videri Catholici, faterentur, etiam in hoc caſu Notorietatem naſci a Confeſſione damnatorum Hæreticorum, eorumque Aſſeclarum. Sed hi audacter regrediuntur ad negandum id, quod primò affirmaverant, ut paulò ante oſtendi.

Quod obſtiterit Eccleſiæ Definitioni, de nulla Secta, quàm de illorum, adeo patenter liquet, nam Deciſionem eamdem variis, ac mirificis modis conantur eludere.

Conſenſus Catholicorum Auctorum, aliique Characteres, qui nos adigunt ad credenda tot alia Facta, in hoc caſu prorſus omnes confluunt in unum. Si ſatis eſſet negari nunc a Ianſenianis Factum iſtud, ſufficeret etiam, ne Lutheriani, & Calviniani credantur hæretici, quod eorum Præcones, & Rabulæ affirment, Hæreſim a ſe nullam doceri, ſed purum Evangelium, Reformatamque Religionem.

Si teſte Melchiore Cano non eſſet Hæreticus, ſed Stultus, qui negaret Factum notorium, Ianſeniani ejus Auctoritatem meritò extollentes videant, quam Canus de ipſis Sententiam tulerit, quandoquidem negant Factum characteribus omnibus Notorietatem conſtituentibus inſignitum.

Ipſorum cum Eccleſia contentiones nequeunt Factum illud in dubium revocare. Ideo Fideles jubentur animo idem, tanquam verum, amplecti, & propter Eccleſiæ Auctoritatem, & propter tot alias Cauſas illius Evidentiam procreantes. Quare non ſolùm ex Lege Diſciplinæ cogi poſſunt ad ſilendum, & Pacem non perturbandam, ſed etiam ad credendum Fide Divina Articulum Iuris, videlicet quod Hæreticus ſit Senſus, & Doctrina Propoſitionum earum ex Ianſenii Libro excerptarum; quamvis eadem Divina Fides non cadat ſupra Factum neceſſariò præſuppoſitum ad Actum Fidei exercendum, videlicet quod Propoſitiones verè fuerint excerptæ ex Ianſeniano Volumine.

Ita neceſſariò ſupponuntur ante Formalem Actum Fidei Divinæ Motiva, ut dicunt Theologi, evidentis Credibilitatis, & Credenditatis, quibus non præbetur Aſſenſus Fidei Divinæ, ſed Humanæ Certitudinis, imò etiam Evidentiæ. Ulterius progredi poſſemus affirmando, quod circa ipſam Exiſtentiam Divinæ Revelationis non exercetur juxta plurimos Theologos formalis Actus Fidei Divinæ, quia non creditur talis Exiſtentia ob aliam Revelationem, pro qua credenda deberet dari alia Tertia, & procedi in infinitum. Aſſenſus autem, qui non præſtatur alicui dicto propter Teſtimonium dicentis, eſſe non poteſt Aſſenſus Fidei. Sed neceſſe non eſt adeò in altum eniti, & expedit afferre aliud Exemplum Exiſtentiæ Legis Humanæ, circa quam non exercetur Actus formalis Obedientiæ; & nihilominus præſupponendum eſt dari ejuſmodi Exiſtentiam

tiam

tiam Legis publicatæ, ut deinde queat exerceri formalis Obedientia eamdem Legem ſervando.

§. XIX.

De præſumpto Diſcrimine inter Facta ſpectantia ad Canonizationem Sanctorum, & ad Condemnationem Propoſitionum excerptarum ex Libro Janſenii in ejuſdem Janſenii Senſu.

ELudere ſe poſſe Ianſeniani confidunt vim, quæ ineſt comparationi huic ſupra a nobis expenſæ Libro Tertio Secundæ Partis Paragraphis 2. & 5. Plurimùm, inquiunt, differt Factum Canonizationis Sanctorum, circa quam Scriptores, qui Divinam de illo exigunt Fidem, ſupponunt in ea decernenda Eccleſiam Infallibilem eſſe: quique certò talem eam non præſumunt, ut D. Thomas quodlib. 9. art. 16., dicere poſſunt, Fideles teneri ad credendum non ob ſolam Auctoritatem Eccleſiæ, ſed etiam ob alias cauſas certitudinem aſſenſus producentes, quæ oriuntur ex magna ſedulitate, quæ Romæ, & in condendis Proceſſibus, adhibetur, & alioqui Actus ille eſt Proteſtatio quædam Fidei, ut loquitur S. Thomas loco allegato, & reſpicit Univerſalitatem Eccleſiæ: quarum rerum nulla concurrit in Facto peculiaris Scriptoris adeo controverſo; quæ certamina ſunt cauſa ſufficiens ad ambigendum de illo bona fide, præſertim ab iis, qui Volumen Ianſenii non legerunt, ac proinde jurare nequeunt quidnam in illo contineatur.

Sed incaſſum laborant pro invenienda diſparitate ulla inter Factum præſens, & illud Canonizationis Sanctorum, cum potius multò potiori jure Divina in noſtro Fides exigatur, nam agimus de Articulo Iuris, circa quem Theologi omnes affirmant Eccleſiam eſſe Infallibilem, quam Infallibilitatem nonnulli, quamvis panci, eidem Eccleſiæ negant quò ad aſcriptionem Catalogo Sanctorum.

Verumtamen etiam comparando invicem merum Factum nexum cum Articulo Iuris, videlicet aſſertionem, aut ſuppoſitionem, quod Propoſitiones illæ ſint excerptæ ex Libro Ianſenii, collationem ineamus. Verùm quidem eſt, Scriptores exigentes certam Fidem, quod regnent cum Deo, qui relati ſunt in Sanctorum Faſtos, præſumere Eccleſiam falli non poſſe in hujuſmodi Declaratione. Sed hæc Declaratio cadit ſupra Factum non revelatum, ſaltem *explicitè*. Præſumunt igitur, ab Eccleſia definiri poſſe talia Facta. Ergo in eorum Sententia æquè definire poteſt eadem Eccleſia Facta illa, quæ ſunt nexa cum Articulis Iuris, & neceſſariò ab his præſuppoſita, quamvis Facta illa non ſint *explicitè* revelata. Profectò non minus neceſſe eſt Eccleſiam errare non poſſe in condemnandis Hæreſibus, quàm in aliquo Venerationi Populorum proponendo. Ergo per ipſos non minus Infallibilis eſſe debet in eo Facto non revelato *explicitè*, quàm in alio. Quomodo autem ab iis Auctoribus dicantur revelata *implicitè* hujuſmodi Facta nexa cum Iure damnante Hæreſes explicavimus Libro Tertio Secundæ Partis §. 2. & uberius §. 18.

Sed, eſto, revelatum ſit implicitè, quod hic, aut ille Sanctus regnet cum Deo; ea tamen, quæ Canonizationem præcedunt, non ſunt ullatenus revelata: & nihilominus non ſolùm credimus Fide Divina Sanctos Gloriâ beatificâ perfrui, ſed etiam firmiſſimè tenemus, licet non Fide Divina, Merita ipſorum, & Miracula, fuiſſe legitimè diſcuſſa, & omnino vera eſſe; ut ibidem oſtendimus.

Angelicus Doctor S. Thomas quodlib. 9. artic. 16. nihil docet, quod Ianſenianis favere poſſit, imò affert plurima ipſis contraria, quamvis non videatur prorſus defixus in decernenda Pontificia quò ad Canonizationes Infallibilitate.

Poſt duas leves cauſas dubitandi de hac, ſubdit alias validiſſimas pro ſtatuenda Sententia nunc communi ferè omnium Theologorum. *In Eccleſia*, inquit, *non poteſt eſſe Error damnabilis; ſed hic eſſet Error damnabilis, ſi veneraretur tanquam Sanctus, qui fuit peccator, quia aliqui ſcientes peccata ejus crederent hoc eſſe falſum: & ſi ita contigerit, poſſent ad errorem perduci. Ergo Eccleſia in talibus errare non poteſt. Secundò Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Hieronymum, quod ſi in Scripturis Canonicis aliquod mendacium admittatur, nutabit Fides noſtra, quæ ex Scriptura Canonica dependet. Sed ſicut tenemur credere illud, quod eſt in Sacra Scriptura, ita illud, quod eſt communiter per Eccleſiam determinatum. Unde hæreticus judicatur, qui ſentit contra Determinationem Conciliorum. Ergo commune Judicium Eccleſiæ erroneum eſſe non poteſt, & ſic idem, quod prius.*

Deinde, cum ſuſcitaſſet contra ſe rationem dubitandi petitam ex eo, quod error incurri poſſit circa Facta particularia, firmat fundamentum ad eam ſolvendam, inquiens: *Reſpondeo dicendum, quod aliud poteſt judicari poſſibile ſecundùm ſe conſideratum, quod relatum ad aliquid extrinſecum impoſſibile*

inve-

invenitur. Dico igitur, quod Judicium eorum, qui præſunt Eccleſiæ, poteſt errare in quibuſlibet, ſi Perſonæ eorum tantùm reſpiciantur. Si verò conſideretur Divina Providentia, quæ Eccleſiam ſuam Spiritu Sancto dirigit, ut non erret, ſicut ipſe promiſit Jo.14. quod Spiritus adveniens doceret omnem Veritatem, de neceſſariis ſcilicet ad Salutem, certum eſt, quod Judicium Eccleſiæ Univerſalis errare in his, quæ ad Fidem pertinent, impoſſibile eſt. Unde magis eſt ſtandum Judicio Papæ, ad quem pertinet determinare de Fide, quam in Judicio profert, quàm quorumlibet ſapientum hominum in Scripturis opinioni; cum Caiphas, quamvis nequam, tamen, quia Pontifex, legatur etiam inſcius propbetaſſe, Jo.11. In aliis verò Sententiis, quæ ad particularia Facta pertinent, ut cum agitur de Poſſeſſionibus, vel de Criminibus, vel de hujuſmodi, poſſibile eſt Judicium Eccleſiæ errare propter falſos Teſtes. Canonizatio verò Sanctorum medium eſt inter hæc duo. Quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam Profeſſio Fidei eſt, piè credendum eſt, quod nec etiam in his Judicium Eccleſiæ errare poſſit.

Abſque eo deinde, quod ſolvat Sanctus Doctor ullum ex argumentis a ſe allatis pro Infallibilitate circa Canonizationes, refellit contraria. *Ad primum dicendum, quod Pontifex, cujus eſt canonizare Sanctos, poteſt certificari de ſtatu alicujus per Inquiſitionem Vitæ, & atteſtationem Miraculorum, & præcipuè per Inſtinctum Spiritus Sancti, qui omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Ad ſecundum dicendum, quod Divina Providentia præſervat Eccleſiam, ne in talibus per fallibile Teſtimonium hominum fallatur.*

Et audent Ianſeniani in ſui præſidium vocare Angelicum S. Thomam? Quamvis hic Sapientum Magiſter appellet *Objectum medium* inter ſummam Infallibilitatem Sententiæ Pontificiæ circa Fidei Articulos, & Fallibilitatem circa Poſſeſſiones, & Crimina, Iudicium, quod format Pontifex Maximus aliquem referens inter Sanctos, concludit tamen *piè credendum eſſe, quod nec etiam in his Judicium Eccleſiæ errare poſſit.*

Ex Doctrina porrò, quam hic affert, confirmatur efficaciſſimè id, quod contra Ianſenianos decernimus: v.g. Si auctore Angelico *in Eccleſia non poteſt eſſe error damnabilis:* Ergo præcipi nequit, ut damnetur tanquam hæreticus Senſus Propoſitionum, ſi verè non eſt Condemnatione dignus. Si, ut docuit D. Auguſtinus allegatus a S. Thoma, *ſicut tenemur credere illud, quod eſt in S. Scriptura, ita illud, quod eſt communiter per Eccleſiam determinatum:* hinc eruent fortaſſis Theologi, de quibus ſupra loquuti ſumus, nos teneri non ſolùm ad credendum Articulum Iuris, videlicet quod ſit hæreticus Senſus Ianſenii, ſed etiam Factum, ſcilicet quod Propoſitiones illæ ſint excerptæ ex Libro Ianſenii, quandoquidem Sancti Eccleſiæ Doctores Auguſtinus, & Thomas, hic loquuntur de Factis.

Ex conſideratione Divinæ Providentiæ, quæ Eccleſiam ſuam *Spiritu Sancto dirigit, ut non erret*, infert D. Thomas, Eccleſiam eamdem errare non poſſe circa Factum Sanctorum. Idem igitur valere inferrent iidem Theologi de hoc alio Facto, de quo diſputamus. Textus ab eo allatus, quod *Spiritus adveniens doceret omnem veritatem, de neceſſariis ſcilicet ad ſalutem*, probat Angelico Iudice, quod Spiritus Divinus implicitè revelaverit peculiarem Facti Veritatem, videlicet, quod, qui Sanctis aſcriptus eſt, deceſſerit in Gratia, & ſublimem Gloriæ gradum promeruerit. Perinde igitur probare videbitur indicatis Theologis implicitè revelatum fuiſſe, quod Hæreſes contineantur in Libro illo; hæc enim Veritas non minus ad ſalutem neceſſaria eſt, quàm altera.

Decernit S. Thomas, quod pertineat ad Summum Pontificem definire Articulos Fidei, quodque ſtandum ſit illius Iudicio magis, quàm illi aliorum Sapientum omnium, qui contrariam habeant opinionem circa Senſum Sacrarum Literarum. Et Ianſeniani jactant fallibilem eſſe Pontificiam Definitionem circa Senſum Ianſenii? Et volunt dubitari de hoc poſſe, quamvis univerſa Catholica Eccleſia ſtatim exceperit Apoſtolicam Definitionem, ideoque Pontifex Maximus habeat ſecum alios omnes verè ſapientes, ac ſolùm illi obſiſtant contumaciſſimi quidam Hæretici?

Negata Eccleſiæ Infallibilitate perpendunt Ianſeniani, quod circa Sanctorum Declarationem dici poſſet, Fideles obſtringi ad eos credendos cum Chriſto Regnantes, non propter ſolam Auctoritatem, ſed etiam propter alias cauſas certam Fidem producentes, quæ ſunt eximia ſedulitas Urbis Romæ in hujuſmodi Factis expendendis, & in Proceſſibus fabricandis. Præclare! Sed in primis oblviviſcuntur Ianſeniani ſuorum, quæ texere conſueſcunt, Sophiſmatum, ſcilicet, quod ſi Auctoritas non eſt Infallibilis in eo, qui præſcribit Actum Fidei, obtemperari eidem non poteſt, quia cæteræ Cauſæ non conſtituunt Infallibilitatem. Præterea ſicuti veriſſimè Roma ſedulitate mirifica Sanctorum Cauſas explorat: ita incomparabilem diligentiam adhibuit circa Factum Ianſenii nexum cum Articulo Fidei, & circa hunc ipſum

ſum Articulum. Igitur ſicuti Janſeniani concedunt obſtringi Fideles ad credendum, quod erratum non fuerit in Canonizatione Sanctorum, ita tenentur credere Veritates circa Janſenii Hæreſim declaratas. Sed re ipſa ſolertiæ omnes, quibus utitur Roma ante augendum Catalogum Beatorum: & quibus uſa fuit, antequam damnarentur Quinque Propoſitiones hæreticæ: ac deinde declararetur, hæreticas eas eſſe in Senſu Janſenii: ac poſtea Senſum hunc eſſe Obvium, quem Propoſitionum verba præſeferunt: ac tandem non ſufficere Silentium: hæ, inquam, ſedulitates non influunt ullatenus in Pontificiæ Definitionis Infallibilitatem, quæ tota fundatur in Aſſiſtentia Divini Spiritus. Decet profectò exactiſſimam eſſe eamdem Sedulitatem, & Redemptor noſter, qui Vicario ſuo prædictam Aſſiſtentiam ſpopondit, nunquam permittet illam non adhiberi.

Actus ille credendi verè Sanctum eum, qui albo regnantium cum Chriſto aſcribitur, *eſt proteſtatio quædam Fidei?* Et non eſt talis etiam deteſtatio Senſus hæretici Propoſitionum earum, ſicuti jubet Apoſtolica Sedes, & Eccleſia? *Canonizatio reſpicit Univerſalitotem Eccleſiæ?* Et non pertinet ad eamdem Univerſalitatem, quod omnes Eccleſiæ Filii conjungantur in una eademque Fide, ac hæreſes deteſtentur? Affirmare audent Janſeniani, quod nihil ex iis, quæ certam conſtituunt Declarationem Sanctorum, concurrit in Factum peculiaris Scriptoris adeo controverſum, ut jure de illo dubitari poſſit bona fide, & ab iis præſertim, qui non legerunt Janſenii Volumen, quique proinde circa illud ad nihil obſtringere ſe jurejurando queant? Sed oſtendimus omnia prorſus confluere. Non agitur de Facto peculiaris Scriptoris ad decernendum, utrum aliqua eidem debeat pœna irrogari. Agitur de Doctrina Hæretica, quam execrari debet in Senſu hæretico a verbis ipſis Propoſitionum exhibito quicumque diſtrahi non vult ab Eccleſiæ Catholicæ ſinu. Si Janſeniſtarum Contentiones pertrahere poſſent Articulum Dogmatis ad merum Factum dubium, Certamina quoque Lutherianorum, & Calviniſtarum, qui negarent inveniri hæreſes in ſuorum Magiſtrorum Libris, revocare poſſent in dubium Definitiones omnes contra ipſos latas. Ajunt, poſſe bona fide dubitari de Dogmate, deque nexo Facto, quia contra Eccleſiam Janſeniani pugnant? At ſi hoc valeret, omnibus quoque bona fides Hæreticis attribui poſſet. Neceſſe eſt prius pervolutare Janſenii Volumen, quàm juretur hæreſes contineri in Propoſitionibus, quæ patent ab eodem Volumine excerptæ: Igitur ad Catholicam regredi Fidem non poterit ullus Lutheri Aſſecla, vel Calvini, & jurare in edenda Fidei Profeſſione, quod deteſtetur hæreſes omnes eorumdem, niſi prius tartarea omnia legat eorum Opera? Pauciſſimi ex Janſenianis prægrandem Janſenii Tomum oculis percurrerunt; & audacter tamen ipſorum plerique aſſeverant extractas ab eo non fuiſſe damnatas Propoſitiones. Sufficit igitur fides adhibita paucis quibuſdam Deceptoribus, ut animus in Hæreſi obduretur? Et ſatis non erit fides adhibita Paſtoribus, & Magiſtris Univerſalibus omnium credentium, Pontificibus videlicet Maximis, Univerſæque Catholicæ Eccleſiæ, ad abjurandum Senſum hæreticum, quem Eccleſia cum Præceptoribus ſuis definivit peſtilenti eo in Volumine inveniri? Sed de certitudine ad Juramentum requiſita loquemur iterum.

§. XX.

De aſſerta obligatione Obedientiæ latius patente, quàm pateat obligatio Fidei.

NIſi Ianſenianorum cæcitas lacrymas a Catholicis omnibus extorqueret, riſum provocaret fiducia inaudita, qua Morum Leges expendere adorti dicunt ſe religione percelli, ne in animum admittant res ab Eccleſia definitas, eum ſolùm urgeantur externam exhibere Obedientiam, ſervando Silentium. Obligatio, inquiunt, præſtandi interni aſſenſus induci nequit a neceſſitate obediendi, quia fines præſcripti Fidei interiori multò magis coarctantur, quàm limites externi ſtatuti ad parendum. Ex Angelici Doctrina 2.2.quæſtione 104.art. 5. *Non tenetur inferior ſuo Superiori obedire, ſi ei aliquid præcipiat, in quo non ſubdatur. Dicit enim Seneca: Errat, ſi quis exiſtimat Servitutem in totum hominem deſcendere, Pars enim melior excepta eſt. Corpora obnoxia ſunt, & aſcripta Dominis; mens quidem ſui juris eſt. Et ideo in iis, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, non tenetur homini obedire, ſed ſolùm Deo. Tenetur autem homo homini obedire in iis, quæ exterius per corpus agenda ſunt.* Et certè *Intellectus credentis* (2.2.quæſt.2.art.1.ad 3.) *determinatur non per rationem, ſed per voluntatem.* Igitur, qui jubere nequit Actus internos, præcipere non poterit adhibendam Fidem. Neque hic externus actus fert ſecum, aut requirit internum, cum eum ſecum non ferat Natura rei, ſcilicet Facti, quod eſt indifferens, & ſuam Veritatem menſurat non a Teſtimonio, quod eſt fallibile, ſed ab ipſo objecto in ſe, aut ab

aliis externis ſignis. Et quamvis in re dubia obediendum ſit, hoc tamen valet de dubiis, quæ non repugnent rei præceptæ, quando videlicet ambigit ſubditus de re facienda, & adeſt Mandatum Superioris, cui ex præcepto parendum eſt: tunc datur Obedientiæ materia, reique certæ animus eſt adjiciendus. Non verò ſi agitur de motu interno, quando deeſt Auctoritas in Superiore; tunc enim a dubio directè deſtruitur præceptum directè imperans Actum voluntatis.

Audivimus Ianſenianos de Morum Theologia ex Cathedra differentes, & adeo quidem ſtrenuè, ut ſibi plaudant affirmando ſub finem, a ſe prolatam fuiſſe Doctrinam *ambiguitati nulli ſubjectam*. Sed nihil dixerunt, quod rei, de qua eſt Quæſtio, aptari abſque impietate poſſit. Ultro concedimus, credendi limites non adeo protendi, ſicut illos obediendi. Sed veriſſimum quoque eſt, obtemperandum eſſe Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ, credendo Articulos omnes Dogmatum definitorum. Ianſeniani autem detrectant obedire adhibendo fidem Articulo Juris, videlicet quod Quinque Propoſitiones ſint hæreticæ in Senſu Ianſenii.

Abſurdiſſimè afferunt Doctrinam Angelici veriſſimam, ſapientiſſimamque, ſed peſſimè detortam ad id, de quo diſceptatur: perinde ac ſi, quia Mens eſt Domina ſui ipſius, captivari non deberet Intellectus in obſequium Fidei, cum a Summo Pontifice, & ab Eccleſia, proponuntur credendi Articuli Iuris.

Aptant caſui ſuo id, quod affirmatur de Obedientia in aliis rebus, videlicet, quod *Non tenetur homo homini obedire, ſed ſoli Deo, in iis, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis; tenetur autem homo homini obedire in iis, quæ per corpus agenda ſunt.* Inferre hinc volunt, quod perpendentes ipſi Pontificem Maximum, & Eccleſiam, ſolummodo tanquam homines, decernunt ei parere ſolummodo non adhibendo calamum, aut linguam, in favorem Ianſeniani Senſus, ſed ei non ſubmittere Intellectum credendo interius Articulum Iuris ab Apoſtolica Sede, ac Eccleſia, definitum Infallibilitate ipſi divinitus attributa.

Vehementer igitur errantes ſupponunt, a Cathedra S. Petri, & ab Eccleſia, præcipi non poſſe Actus Internos ne in ipſa quidem materia Fidei. Regrediuntur Andabatæ iſti ad aſſerendum agi de mero Facto, cujus natura ſit indifferens: & ex eo, quod exterius circa illud obediendum ſit, non inferri, quod idem fieri debeat etiam interius, quia menſuret Veritatem ſuam, non a Teſtimonio, quod præſumunt eſſe fallibile, ſed ab objecto in ſe ipſo, vel ab aliis exterioribus ſignis.

Sed repetimus id, quod toties apertiſſimè demonſtravimus, non agi videlicet de mero Facto, ſed de Articulo Iuris, atque hunc non eſſe indifferentem, ſed neceſſariò credendum, ſuæque Veritatis menſuram accipere ab Atteſtatione Divina nobis propoſita ab Apoſtolica Sede, & ab Eccleſia in Verbo Dei Scripto, & in conſtantiſſima Traditione declarata a Sanctis Patribus, ex quorum Doctrina, præter expreſſos Sacrarum Literarum Textus, Quinque illæ Propoſitiones deprehenſæ ſunt hereticæ in Senſu Ianſenii. Factum verò illud, ſcilicet quod eæ Propoſitiones excerptæ fuerint ex Libro Ianſenii, detegit Veritatem ſuam, neceſſariò ſuppoſitam ab Articulo Iuris, ab Externis manifeſtiſſimis ſignis.

Fateri dignantur, obediendum in rebus dubiis eſſe, quia prævaleat certum Præceptum. Sed abſurdè limitant Doctrinam ad dubia, quæ non repugnent rei præceptæ, perinde ac ſi poſſet inſtitui quæſtio, utrum hoc in præſenti caſu contingat, & Apoſtolica Sedes, atque Eccleſia, invaſerit Auctoritatem præcipiendi ea, quæ ipſius juris nequaquam ſint.

Et re ipſa ſtatim declarant non valere Doctrinam illam de Præcepto certo, quando agitur de motu interno, ideſt de Actu Fidei, præſumentes in Superiore, ideſt in Summo Pontifice, & in Eccleſia, non eſſe Auctoritatem jubendi Actum ejuſmodi, quaſi deſtitueretur Poteſtate declarandi Articulos Fidei: & a dubio exorto in animo Infidelis poſſet directè deſtrui Præceptum credendi. Poſt enuntiatas adeo enormes Propoſitiones, prorſus nullam afferunt, ſaltem apparentem, earumdem probationem, ſed tanquam irrefragabiles Doctores affirmant, de illarum Veritate dubitari non poſſe.

§. XXI.

De certitudine requiſita ad Juramentum.

ITerum Theologorum Principis Auctoritate Ianſeniani abutuntur. Cum Superioris, inquiunt, Præceptum jurejurando firmandum eſt, *hoc non debet adhiberi, niſi in re, de qua aliquis firmiter certus eſt*. Sanctus Thomas 2.2.quæſt.89.art.7.ad primum, *per hoc enim confirmatur aliquod dictum, quod oſtenditur firmiter eſſe verum:* 2.2.quæſt.98. art.1.in corp.Card.Bellarmin.lib.de Euchar. cap.5. *Neque enim Juramento confirmare licet, niſi Sententias apertiſſimas, & certiſſimas.*

Sed fortaſſe non ſumus firmiter certi de illo, quod jurandum præſcribit Apoſtolica Sedes,

Sedes, & Eccleſia, videlicet, quod Propoſitiones illæ ſint hæreticæ in Senſu, qui patet ex Libro Ianſenii? Hic eſt Articulus Iuris; ideoque, cum in eo definiendo ſit Infallibilis Cathedra S.Petri, & Eccleſia, quicumque jurat ſe aſſentiri huic veritati, obtemperat in re certiſſima, quia de Fide.

Subiiciunt Ianſeniani, certum pariter eſſe, quod *Veritas in Juramento requiſita non eſt tantùm Rei, ſed etiam Conſcientiæ, ut ſcilicet verum ſit, quod juratur, & verum eſſe ſciatur: unde non eſt jurandum, ſi dubitatur*. Silveſter. V. Iuramentum n.5.

Quàm abſonis Ianſeniani ſcrupulis perſtringuntur! Quam Scientiam exigunt, ut non ſolùm aſſequantur Veritatem Rei Iuramento ſanciendæ,ſed etiam Veritatem Conſcientiæ? Circa res alias jurandas præhabenda eſt earum Scientia, ſed circa objecta Fidei ſufficit Certitudo ejuſdem Fidei, præſtantior qualicumque humanâ Scientiâ.

Urgere ſe putant, cum dicant, quod ad deponendum dubium, & aſſequendam certitudinem rei jurejurando confirmandæ,non ſufficit ſolum pondus fallibilis Auctoritatis, quæ non obſtringit ad extinguenda omnia contraria lumina, & captivandam alienæ aſſertioni mentem ſuam. Cum igitur hìc deſint Cauſæ illæ, ac motiva credibilitatis, & evidentiæ, quæ poſſent certum conſtituere Factum hoc, ſicuti tot alia ſimilia, hinc efficitur exigi non poſſe ex vi Obedientiæ internum Actum credendi, ſed ſolum externum, qui per corpus geri poteſt, videlicet ſcribere, aut loqui; hi autem Actus jam vetiti ſunt.

Siccine rurſus inculcant fallibilem eſſe Auctoritatem Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiæ, circa illud, de quo agitur, ideoque non ſufficere pondus Auctoritatis ejuſdem, ut certi ſimus de re juranda, ac teneamur extinguere contraria omnia lumina, & captivare mentem? Sed repetimus centeſima fortaſſe vice non eſſe fallibilem Auctoritatem Pontificis Maximi, & Eccleſiæ, circa jurandum Articulum Iuris, contra quem contrarium nullum apparere poteſt lumen, quod juſtam moram obiiciat mentis captivitati.

Non deſunt hìc Motiva, ut loquuntur Theologi, evidentis Credibilitatis, & Credenditatis, quæ conſtituunt prudentem quemlibet Actum Fidei Divinæ; imò adſunt ea omnia, quæ probant contra Lutheranos, Calvinianos, alioſque omnes Hæreticos, habendam eſſe Vivam Regulam Fidei, ideſt Cathedram Principis Apoſtolorum, & Eccleſiam, quæ interpretetur verum Senſum Sacrarum Literarum, & falſum hæreticarum Propoſitionum, pugnantium cum Verbo Divino, quod habetur e Sacris Libris, ac Traditione; quia cæteroqui unuſquiſque cum Lutheri, & Calvini Sectatoribus confugeret ad prætenſum Inteſtinum Inſtinctum, ſeque conſtitueret Judicem Divinarum Revelationum, nihilque certum in Sancta Fide ſupereſſet.

Ipſam quoque Janſeniani exigunt Evidentiam? Sed ante Actum Fidei ſolùm requiritur cognitio evidentis meriti, quod res nobis propoſitæ ab Apoſtolica Sede, & Eccleſia, habent, ut credantur, & evidentis Imprudentiæ, in quam incurrunt abhorrentes ab adhibenda Fide, quam Theologi nuncupant evidentem Credibilitatem, & Credenditatem. Neque neceſſe eſt, ut ſit evidens, prout pauci quidam opinantur, ipſa Exiſtentia Divinæ Revelationis credendarum rerum.

Janſeniani nolentes intelligere, ut bene agant, affirmant requiri Evidentiam, quæ certum conſtituat hoc Factum, ſicuti tot alia ſimilia; cumque hæc Evidentia deſideretur, exigi non poſſe ex Obedientia Actum internum credendi, ſed ſolùm externum ſilendi, nihilque calamo exarandi. Sed quò ad Articulum Juris, circa quem exercenda eſt Obedientia interno Actu Fidei,adeo non requiritur Evidentia objecti credendi, ut potius hæc nunquam cadat ſupra peculiares Veritates, quæ creduntur, quamvis daretur alia Revelationis earumdem, quæ dicitur Evidentia in atteſtante.

Circa Factum deinde nexum cum Articulo Dogmatis, & neceſſariò ab illo ſuppoſitum, videlicet quod Propoſitiones illæ ſint excerptæ ex Libro Janſenii,habentur omnia illa motiva, quæ certiſſimè perſuadent inveniri alias hæreſes in Libris Lutheri, & Calvini. Liquet igitur, quod in noſtro quoque Caſu Obedientia exigere poteſt etiam internum Actum credendi, & non ſolùm externum compeſcendi linguam,& calamum.

§. XXI.

De Reſtrictionibus Mentalibus, quas a ſe non fieri Janſeniani affirmant.

Eccleſiæ Magiſter mirificè demonſtrat eximiam hoc blaterantium audaciam. *Quin etiam*, inquit in aurea Conſtitutione ſua, *eò impudentiæ nonnullos deveniſſe compertum eſt, ut, veluti naturalis honeſtatis, nedum Chriſtianæ ſynceritatis, obliti aſſerere non dubitaverint, præfatæ Formulæ à memorato Alexandro Prædeceſſore præſcriptæ ſubſcribi licitè poſſe etiam ab iis,qui interius non judicant prædicto Janſenii Libro Doctrinam*

hæreticam contineri: Quaſi verò contra, quàm ſcriptum eſt: Qui loquitur Veritatem in corde ſuo: &, Qui jurat proximo ſuo, & non decipit: hujuſmodi Erroris Sectatoribus liceat Eccleſiam ipſam jurejurando decipere, ſimulque Apoſtolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejuſdem Formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Eccleſia loquitur; quod tamen ſentit ipſa, non ſentiunt: ſeque parere Conſtitutionibus Apoſtolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

Incredibile dictu eſt, quod jactare non erubeſcerent, nihil a ſe mente concipi diverſum ab illo, quod ore proferebant, nedum eidem repugnans. Utcumque opinarentur præſtari a ſe non poſſe Juramentum circa illud, quod affirmabant, ob impugnatos hucuſque miſerrimos obtentus; at certè Linguâ proferebant Juramentum ipſum. Quid porrò eſt, rem unam eloqui, aliamque diſſentaneam mente concipere, niſi hoc ſit illud, quod Janſeniani Alexandrinæ Formulæ ſubſcribentes exequebantur? Mentalis Reſtrictio fuiſſet, etiamſi ſolummodo rem illam verbis expreſſam coarctaſſent quomodocumque intra animum ſuum ad ſignificationem, cujus nulla vera Explicatio extra ipſorum mentem reperiri poſſet, quæ locum præberet æquivocationi non ſemper vetitæ. Quanto igitur magis omnium peſſima Reſtrictio, aut verius violentiſſima detorſio cenſenda erat, cum profeſſi linguâ ſe deteſtari Propoſitiones excerptas ex Libro Janſenii in ejuſdem Janſenii Senſu, animo interim ſuo negarent mordicus idipſum, quod ore aſſeverabant, ſtatuentes apud ſe nequaquam extractas fuiſſe a Janſeniano Volumine Propoſitiones illas, nec ullam iiſdem ſubeſſe Hæreſim in Senſu Janſenii, ſed ſolùm hæreticas cenſeri poſſe in Senſu Calvini? Non reſtringebant igitur ſolummodo id, quod pronuntiabant, trahendo illud ad diſparatam ſignificationem, ſed etiam ad Contradictoriam, qua enormior nulla inveniri poteſt. Enimvero, ut ſapientiſſimè animadvertit Sanctiſſimus Clemens, *eò devenerat eorum impudentia, ut naturalis honeſtatis, nedum Chriſtianæ ſynceritatis, obliti eſſent.*

§. XXIII.

De Interno Lutheranorum, & Calviniſtorum Inſtinctu, ad quem etiam Janſeniani neceſſariò confugiunt.

PErnegant Janſenii Diſcipuli, ſe in hanc amentiam delabi, quam vident manifeſtis rationibus Catholicos in Luthero, & Calvino deteſtari. Hos ineluctabilibus redarguimus argumentis in Opere inſcripto: *Demonſtrata Impiorum Inſania* l.3. Signo 6. ideoque ab iis huc transferendis ſuperſedemus. Breviſſimè ſolùm Janſenianos interrogamus, quam conſulerent Fidei Normam, cum contemnerent illam, quam ipſis Apoſtolica Sedes, & Eccleſia proponebat? Hæreticum eſſe affirmat Cathedra S. Petri, & Eccleſia, Senſum Propoſitionum excerptarum ex Libro Janſenii. Hoc ipſum Janſeniani inficiantur, & ajunt damnari non poſſe Propoſitiones illas, niſi in Senſu Calvini. Quis illis Auctor, & Magiſter eſt opinationis hujus? Sacræ ne Literæ, an D.Auguſtinus? At idipſum affirmant de ſuis Hæreſibus Lutherus, atque Calvinus, contra Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ Definitionem. Senſum, inquiunt, Divinorum Oraculorum, maximique Doctoris Auguſtini, aſſequuta non fuit Eccleſia Romana, ſed nos ipſi verum eorumdem Senſum ſumus adepti. Quis certos hujuſce rei eos facit? Catholici ſubiiciunt. Reponunt ipſi: Certitudinem ſe fuiſſe adeptos ob inteſtinum Inſtinctum Spiritus Sancti. Quid ineptius, quàm vindicare ſibi, quam Eccleſiæ Univerſæ, illiuſque Magiſtro, negant Infallibilem Divini Spiritus aſſiſtentiam: eamque ſingulis attribuere, qui diverſiſſimas, & oppoſitas Interpretationes, ac Senſus, Divinis Oraculis tribuunt, eodem, quo cæteri, jure, ſcilicet nullo? Niſi ſe Janſeniani Eccleſiæ, illiuſque Præceptori ſubiiciant, in hanc ipſam tartaream foveam prolabantur, neceſſe eſt.

§. XXIV.

De Clemente IX. ſ. m. a quo Exceptiones, & Reſtrictiones aliquas, indultas ſibi fuiſſe Janſeniani per ſummam Calumniam affirmant.

SI Sapientibus tantùm debitores eſſemus, & non etiam Inſipientibus, ut jubet Apoſtolus, ad diluendam enormem Calumniam egregio Pontifici Clementi IX. a Janſenianis inflictam ſatis eſſet afferre præclariſſima Sanctiſſimi Patris CLEMENTIS XI. verba, poſt alias iniquiſſimas illorum artes enarratas, ſubiicientis: *Quodque deterius eſt, ipſamet Apoſtolicæ Sedis Decreta redarguendis eorum pravis Senſibus condita, ac præſertim quaſdam p.m. Clementis Papæ IX. die 19. Januarii 1669. ad Quatuor Galliæ Epiſcopos &c. datas literas in erroris ſui patrocinium advocare temerario planè auſu non erubeſcunt: perinde ac ſi memoratus Clemens Prædeceſſor, qui eiſdem ſuis Literis ſe Innocentii X. & Alexandri VII. Prædeceſſorum*

Digitized by Google

Conſtitutionibus ſupradictis firmiſſimè inhærere, ac a dictis Quatuor Epiſcopis veram, & totalem Obedientiam, ideoque Formulæ a præfato Alexandro Prædeceſſore, ſicut præmittitur, editæ ſyncerè per eos ſubſcribi voluiſſe declaravit, aliquam in tam gravi negotio Exceptionem, ſeu Reſtrictionem, quam nullam prorſus ſe unquam admiſſurum fuiſſe proteſtatus fuit, re ipſa admiſiſſet.

Sed quoniam Janſeniani, ut animadvertit idem ſanctiſſimè regnans Clemens XI., *ſparſis undequaque Scriptionibus, ac Libellis exquiſita ad fallendum arte compoſitis*, Literas Clementis IX. datas ad Quatuor illos Epiſcopos, & alias, quas illi Quatuor Antiſtites ad illum exaraverant, & Relationem eorum, quæ contigerant, ſub Cardinalis Roſpiglioſii nomine publicatam, afferunt detruncatas, iis omnibus ſubtractis, niſi etiam alicubi immutatis, quæ Pontificiam mentem apertiſſimè declarant, ideo eas omnes per extenſum proferre in Opuſculi fine opportunum,& neceſſarium eſſe cenſuimus, atque hic interim indicare quædam ad nebulas diſſipandas.

Strenuè in primis mentiuntur permiſſam a Clemente IX.fuiſſe ſubſcripturis Formulario Alexandri VII. poteſtatem explicandi in Actis Synodalibus, quod condemnarent quidem Propoſitiones illas tanquam hæreticas, non tamen ut excerptas ex Libro Janſenii, & hæreticas in ejuſdem Janſenii Senſu. Quàm inſigni hoc falſitate laboret, apparet primò ex Epiſtola ipſorum Quatuor Epiſcoporum, videlicet Alectenſis, Apamienſis, Andegavenſis, & Bellovacenſis, data ad eumdem Clementem, qua profitebantur, exactiſſimè ſe obtemperaſſe Pontificiis Decretis: & Formulæ ſubſcripſiſſe, ſicut præſtiterant alii omnes Catholici Galliarum Epiſcopi. Hi porrò nullam addiderant Exceptionem, ſeu Reſtrictionem. Diverſum nihil ab eo, quod geſſerant alii, ſe in Diœceſana Synodo egiſſe; ut proinde, niſi ſplendidè in hac Epiſtola mentiti ſint, nihil in eadem Synodo declaraverint repugnans ſynceritati Subſcriptionis ſemel, & iterum prius factæ. De his omnibus Teſtem Deum appellant: & fatentur neceſſitatem adhærendi Doctrinæ Apoſtolicæ Sedis, ut videre eſt ex integra illorum Epiſtola in fine Opuſculi Litera V.

Secundò, nullam indultam fuiſſe facultatem afferendi Exceptiones,aut Reſtrictiones, patet ex Epiſtola Epiſcopi Laudunenſis, qui unus erat ex Mediatoribus, ad Clementem IX.de ſyncera ſubſcriptione præſtita a Quatuor Epiſcopis, in qua diſertè atteſtatur, novam eorumdem ſubſcriptionem non fuiſſe minus ſynceram, quàm cæterorum omnium Catholicorum Antiſtitum,qui profectò nihil exceperant,aut reſtrinxerant: & ab iiſdem Quatuor Epiſcopis mulctandos pœnis canonicis ab Innocentio X.& Alexandro VII.latis in Hæreticos, eorum ſubditos, qui *Doctrinam*, ideſt Senſum, Ianſenii, ſpectantem ad Ius Fidei, vel minimùm, ſequerentur. Extat Epiſtola hæc Lit. X.

Tertiò, quod integram, nihilque excipientem, aut reſtringentem Subſcriptionem exigeret Clemens IX. liquet ex ejus Literis ad Regem Chriſtianiſſimum loquentibus de eadem Subſcriptione, quam enuntiatam ſibi narrat ab ipſo Rege, quamque ſimplicem,& puram fuiſſe affirmat. Hæc habentur Lit.Y.

Quartò, in Epiſtola, qua optimus Parens alloquitur Quatuor ipſos Epiſcopos, quos exactè obtemperaſſe præſumebat, extante Lit.Z. commemorat, ſcriptum ſibi ab iis fuiſſe, quod ſyncerè Formulario ſubſcripſiſſent. Proteſtatur, ſe firmiſſimè inhærere Decretis Prædeceſſorum, nec ullam admiſſurum unquam Exceptionem, aut Reſtrictionem: nullamque ab iis allatam fuiſſe cenſet, ſed apertè damnatum Senſum, ideſt Dogma, Ianſenii ad Ius Fidei ſpectans.

Quintò legi poteſt lit. AA. Breve ejuſdem Clementis ad Præſules Mediatores de eadem præſumpta Quatuor Epiſcoporum Obedientia, quam iidem Mediatores teſtati fuerant Pontifici Maximo per ſuas Literas fuiſſe perfectam, & integram, plenamque, & ſynceram executionem Apoſtolicarum Conſtitutionum.

Quamvis igitur Antiſtites illi Quatuor deceperint ea tempeſtate Clementem ipſum, Chriſtianiſſimum Regem, & Præſules Concordiæ Promotores, monſtroſè tamen effutitur, quod Clemens IX. ullatenus receſſerit ab iis, quæ ſui Deceſſores decreverant.

§. XXV.

De Relatione Cardinalis Roſpiglioſii perperam pro ſe a Janſenianis allegata.

Circumfertur hæc mutila, & immutata *ab hominibus Veritati non acquieſcentibus, & nunquam Eccleſiæ contradicendi finem facientibus*; ſed integra habetur lit.BB, & ex ea primò apparet periculum, ne Janſeniana Hæreſis ſemper magis dilataretur, cum Patronos invenirent quatuor illi contumaces Antiſtites, quos proinde adigere ad Subſcriptionem Formularii, dummodo nihil exciperent,aut reſtringerent,plurimùm expediebat. Narratur deinde prima eorum Subſcriptio,atque ſecunda authenticè compro-

probata. Tum exorta opinio de facta a Quatuor illis Epiſcopis Declaratione in verbalibus Synodi Actis, quod a Summo Pontifice Hæreſis nota inuri non poſſet Quinque Propoſitionibus in Senſu Janſenii. Sed hujuſmodi Declaratio fuiſſet apertè contraria Iuramento ab ipſis præſtito ſubſcribendo Formulæ, ac dando Literas ad Summum Pontificem; ideoque vix credi poterat in eam illos veſaniam proruiſſe. Rem tamen explorari diligentiſſimè a ſuo Nuntio juſſiſſe Clementem commemoratur, defixum in Decreto diſſimulandi ſolummodo, *ſi Antiſtites illi abnuerent Infallibilitatem quò ad Quæſtionem de Facto, ſcilicet quod Propoſitiones excerptæ eſſent ex Libro Janſenii. Sin verò aſſeruiſſent, nolle ſe pro hæreticis agnoſcere Quinque illas Propoſitiones in Senſu Janſenii* (quæ eſt Quæſtio de Iure, ideſt de Doctrina ipſa) *quemadmodum ab Apoſtolica Sede fuerant damnatæ, id ſanè nullatenus ferre, neque in re tanti momenti quicquam connivere, quinimò acerrimè obviam ire ſtatuerat.*

Extant deinde in Relatione plurima argumenta Pontificium hoc Decretum validè confirmantia; recenſetur enim Sententia Cardinalium Baronii, Bellarmini, Richelii, Pallavicini, & PP. Sirmondi, ac Petavii, qui Scriptores affirmant Deciſionem Senſus, & Doctrinæ, ſpectare ad Jus Fidei. Narratur, profeſſos fuiſſe Quatuor Antiſtites, *Formulæ ſynceritate, & Fide, qua eſſe maxima poſſet, ſe ſubſcripſiſſe, & Quinque Propoſitiones tum damnaviſſe, tum damnandas curaſſe, ſine ulla Exceptione, aut Limitatione, in quolibet Senſu, in quo ab Eccleſia damnatæ fuiſſent.* Illas ergo damnaverant in Senſu Janſenii, ideoque deteſtati fuerant ejus Doctrinam, tanquam hæreticam.

Licet autem, ut ſubditur, *non recepiſſent pro Fidei Divinæ Articulis Sententias de Facto*, videlicet, quod Propoſitiones illæ fuiſſent excerptæ ex Libro Janſenii (nam de hoc tantùm Facto agebatur, non explorando Janſenii Mentem contumacem, aut non, in Hæreſi a ſe cognita ut tali) tamen inſaniviſſent, ſi negaſſent, quod excerptæ fuiſſent ex Libro, qui Janſenio attribuitur, Propoſitiones illæ, quas damnabant ut hæreticas in Senſu ejuſdem Janſenii, ideſt in Senſu palam exhibito a verbis earumdem Propoſitionum excerptarum ex Libro, qui Janſenio attribuitur.

Addit demum Cardinalis Atteſtationes alias Præſulum, aliorumque fide digniſſimorum, præter jam commemoratas ab ipſo Clemente, de ſyncera Epiſcoporum eorumdem fide.

§. XXVI.

De Apoſtolico Zelo Clementis IX. contra Janſenianos fulgente in aliis ejuſdem Brevibus.

EPiſcopus Alectenſis unus ex iis, qui ſuum erga Ianſenium amorem ſolertiſſimè diſſimulaverant, publicavit Rituale quoddam pernicioſum ob alias quoque Cauſas, præſertim verò, *quia in eo continebatur Doctrina quædam, & Propoſitiones falſæ &c. quarum uſu, & lectione, Chriſtifideles in jam damnatos errores ſenſim induci, ac pravis opinionibus infici poſſent*, Ianſeniſmo ſenſim, & clam, animis inſinuato. Illud adeo Clemens IX. oſor acerrimus damnatorum Ianſenii Errorum non ſolùm reprobari voluit conſuetis Edictis a S. Congregatione Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis, vel Indicis, ſed peculiari ſuo Brevi, quod extat Lit. CC. damnavit, & interdixit, ac præter cæteras urgentiſſimas loquendi formas juſſit inſolito more, ut, *qui ſuberant Alectenſi Epiſcopo, exempla, quæ haberent omnia Ritualis illius, exhiberent Metropolitano, aut uni ex viciniorìbus Epiſcopis, qui ea igne comburerent.*

Perverſa novi Teſtamenti Translatio in Gallicam linguam prodiverat Montibus Hannoniæ, ac Lugduni, *temeraria, damnoſa, a Vulgata Editione difformis, & offendicula ſimplicium continens* a Ianſeniano Verſore inſerta, ſuis ut opinionibus Divinam conciliaret Auctoritatem, aut ſaltem Sacra ita exhiberet Oracula, ut minus arduum eſſet ad Ianſenii tutelam ea detorquere vafra Interpretatione, ideoque illius veneno ſimplices imbuere. Hanc igitur Verſionem ſuo quoque peculiari Brevi extante Lit. DD. Clemens IX. eximius Defenſor Catholicæ Fidei damnavit atque prohibuit.

§. XXVIII.

De Decreto Sancti Officii edito anno 1694. quod Janſeniſtæ peſſimè interpretantur.

INcredibili admiratione corripientur poſteri, cum ex mirifica Sanctiſſimi D. N. CLEMENTIS XI. Conſtitutione diſcent, quàm inſignis fuerit audacia Janſenianorum, non eludentium ſolummodo Pontificia Decreta contra ipſos lata, ſed eadem quoque in errorum ſuorum patrocinium detorquentium. Vix perſuadere poterunt ſibi, quod aliis, quàm Vulgo, Pueris, & Fœminis, imponere potuerint. Percipere optabunt, quonam tartareo artificio in quorum-

dam

dam quoque Virorum, quos eruditio aliqua aſperſerit, animos irrepſerint. Eo videlicet, quod alii Perduelles uſurparunt, inter quos vidimus §.II. hujuſce Capitis a Macario Patriarcha Antiocheno Monothelitarum Signifero deceptos fuiſſe plurimos Auctoritate Sanctorum Patrum, quorum Textus mutilaverat, ut viderentur Hæreſi ſuæ favere. Contra illum Act. 8. Sexta Synodus exclamavit: *Ecce & hoc Teſtimonium Sancti Patris pervertiſti. Non congruit Orthodoxis ita circumtruncatas Sanctorum Patrum voces deflorare. Hæreticorum potius proprium hoc eſt.* Id ipſum de Pontificiis Decretis, Literis, Conſtitutionibus, Janſeniani præſtiterunt. Atque hac arte plurimos ab Urbe diſtantes, neque ſolicitos perlegendi Apoſtolica Reſcripta, ſuas in partes pertraxerunt.

Specimen hujus pernicioſiſſimæ fraudis exhibeamus in Decreto S.R. Univerſalis Inquiſitionis confirmato ab Innocentio XII. 28. Januarii 1694. quod integrum habetur lit. EE. ex quo ſolùm producunt in medium verba illa: *Quoſcumque alios Senſus Formularii prædicti* (ſcilicet Alexandrini) *præter eum, quem in Senſu Obvio ipſius verba exhibent, afferri, uſurpari, aut de his diſputari, interdixit, & prohibuit.* Hinc efficiunt permitti ſibi a Decreto tribuere Quinque Propoſitionibus eum Senſum, qui Obvius ipſis videatur; non alium autem hunc eſſe aſſeverant, quàm Calvinianum. Sed qua fronte hoc e Suggeſto in Templo, vel ex Cathedra in Academia, poſſent affirmare, ſi ea, quæ prætermittunt, Decreti verba, recenſerent: videlicet: *Sanctiſſimus D. N. Innocentius XII. auditis Votis DD. Cardinalium ad præcavendas omnes diſſidiorum Cauſas, quæ Chriſtianam Pacem dilacerant, tam verbis, quàm ſcriptis ſuper Interpretatione, ſeu Declaratione Formularii Alexandri VII. in Condemnationem Quinque Propoſitionum ex Libro Cornelii Janſenii, cui titulus eſt, Auguſtinus, excerptarum, & damnatarum, quoſcumque alios Senſus &c.* Ex his primò manifeſtè patet Cauſa condendi Decretum, diverſiſſima ab illa, quam jactant Janſeniani, afferentes editum fuiſſe, ne ipſi ab hoſtibus vexarentur. Sed quinam erant illi, qui perverſis Interpretationibus, ſeu Declarationibus, Alexandrini Formularii agitabant Diſſidia Chriſtianam Pacem dilacerantia? Non alii profectò, quàm Janſenii Amatores. Catholici enim conſtantiſſimi erant in tribuendo Propoſitionibus illis excerptis ex Libro Janſenii Senſu illo, qui exhibebatur a verbis, quem damnaverat Alexander, ut proprium ipſius Janſenii. Cum igitur in Decreto declaretur conditum ipſum fuiſſe *ad præcavendas omnes diſſidiorum Cauſas*, enimvero liquet, editum fuiſſe ad compeſcendam audaciam Janſenii Aſſeclarum.

Quæ verò Libertas effingendi pro arbitrio Senſum alium a Janſeniano diverſum indulgeri potuit a Decreto exprimente, damnandas eſſe Propoſitiones illas excerptas ex Libro Janſenii, & damnandas quidem in ejuſdem Janſenii Senſu, quandoquidem in hoc ipſo tantùm, & non in alio, damnatæ fuerant ab Alexandro?

Nihil immutans ex iis, quæ ſtatuta fuerant a Prædeceſſoribus, imò illa confirmans Innocentius XII. Decreti approbator declarat ſolummodo, hunc Senſum, videlicet Janſenianum ab Alexandro damnatum, eſſe Obvium, ideſt proprium, & nativum, quem ipſius Formularii verba exhibent, quæ Formularii verba evidentiſſimè de ſolo Janſeniano Senſu loquuntur.

§. XXVIII.

De primo Brevi Innocentii XII. f. m. ad Epiſcopus Belgii, quod præpoſterè pro ſe Janſeniani afferunt.

De his, & aliis, quas deinde perpendemus, optimi, Divinæque Gloriæ ſtudioſiſſimi Innocentii XII. Literis in forma Brevis ita ſapientiſſimè pronuntiat Sanctiſſimus Clemens: *Nec non binas ſimil. mem. Innocentii Papæ XII. etiam Prædeceſſorum Noſtrorum die 6. Februarii 1694. & die 24. Novembris 1696. ad Epiſcopos Belgii in forma Brevis reſpectivè datas Literas in erroris ſui patrocinium advocare temerario planè auſu non erubeſcunt, perinde ac ſi &c. Dictus verò Innocentius XII. Prædeceſſor, dum ſapienter, ac providè, prædictas Quinque Propoſitiones ex memorato Libro Janſenii excerptas in Senſu Obvio, quem ipſamet Propoſitionum verba exhibent, & præſeferunt, damnatas eſſe pronuntiavit, non de ipſomet Obvio Senſu, quem in Janſenii Libro habent, quive ab eodem Janſenio intentus, ac a præfatis Innocentio X. & Alexandro VII. Prædeceſſoribus damnatus fuit, ſed de alio quopiam diverſo Senſu cogitaſſet, dictaſque Innocentii X. & Alexandri VII. Prædeceſſorum Conſtitutiones temperare, reſtringere, aut alio quovis modo immutare voluiſſet iiſdem ipſis Literis, quibus eas in ſuo robore fuiſſe, & eſſe, ſeque illis firmiter inhærere, verbis apertiſſimis aſſerebat.*

Apertiſſima eſſe verba Innocentii XII. abunde conſtat ex hoc Oraculo Sanctiſſimi Suc-

Succeſſoris, & ultro per ſe comperiet quicumque perleget Literas illas datas per extenſum Lit. FF. & GG.

Sed Ianſeniani, ut non ferenda vaſritie interpretari poſſent Brevia illa, quædam ſolummodo ex iis decerpſerant, omiſſa expreſſa Declaratione firmiſſimæ voluntatis penitus illibatas conſervandi latas a Prædeceſſoribus Definitiones. *Cum autem*, inquit Innocentius, *maximæ nobis curæ eſſe debeat, ut ſemper firmæ Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones permaneant in rebus, quæ ad Orthodoxæ Fidei integritatem conducunt, ad diſſidia omnia, quæ Eccleſiæ, & Fidelium Pacem perturbant, compeſcenda, in primis prædictis Conſtitutionibus Innocentii X., & Alexandri VII. exemplo Prædeceſſorum noſtrorum firmiter inhærentes, eaſque in ſuo robore fuiſſe, & eſſe, declarantes, mandamus &c. ut contra omnes, & quoſcumque cujuslibet Status, gradus, & conditionis exiſtant, qui auſu temerario prædictas Quinque Propoſitiones ſic damnatas in Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. publicè, vel privatim, tam in Scholis, quàm in Concionibus, verbo, vel ſcriptis, defendere præſumpſerint, ſervato tamen Juris ordine, procedatis, eoſque debitis pœnis in eiſdem Conſtitutionibus contentis puniri curetis*. Confirmat igitur Conſtitutiones Prædeceſſorum, atque inter hos illas Alexandri VII. qui definivit Articulum Juris, videlicet quod Propoſitiones ſint hæreticæ in Senſu Ianſenii: jubetque contra negantes veritatem hanc Fide Divina credendam procedi ad pœnas ſtatutas contra Hæreticos, prout decreverat Alexander in ſua Conſtitutione, quam confirmat Innocentius XII.

Et favere ſibi Ianſeniani gloriabantur Innocentium XII., qui omne ipſis effugium voluit intercludere, illoſque obſtringere ad damnandas Propoſitiones in Senſu Proprio, Nativo, & Obvio verborum, quibus formatæ ſunt, omnemque ſynceritatem ſervandam in proferenda Formula ab Alexandro præſcripta, ideoque ſine ulla Reſtrictione mentali oppoſita verbis, quæ ore proferebant, vel etiam diverſa a verbis iiſdem, & abſque ulla Diſtinctione, aut Expoſitione, qua v.g. interpretarentur a ſe damnari Propoſitiones illas in Senſu Calvini, non autem in illo Ianſenii?

Ad trutinam revocanda ſunt verba illa: *Damnando eas Propoſitiones ex Libro Cornelii Janſenii excerptas in Senſu Obvio, quem ipſamet Propoſitionum verba præſeferunt, prout Senſum illum damnarunt Summi Pontifices Prædeceſſores noſtri, damnatumque haberi voluerunt a Chriſtifidelibus*. En igitur explicatur apertiſſimè ab Innocentio, quinam eſſet Senſus Obvius, in quo damnari jubebat Quinque Propoſitiones. Obvius hic Senſus erat ille idem, in quo damnatæ fuerant ab Alexandro VII., qui diſertiſſimè expreſſerat a ſe illas condemnari in Senſu Janſenii, videlicet in illo, qui patebat ex Volumine Janſenii nomen præferente. Et erit, qui ullam ab Innocentio XII. indultam facultatem fuiſſe trahendi Senſum Obvium ad alium a Ianſeniano, audeat in poſterum affirmare?

Suffragari ſibi opinantur Ianſenii Sectatores ea, quæ prope finem Prioris Brevis ſubiicit Innocentius, præcipiens Epiſcopis, *ne ulla ratione quemquam vaga iſta accuſatione, & invidioſo nomine Janſeniſmi traduci, aut nuncupari ſinatis, niſi prius ſuſpectum eſſe conſtiterit aliquam ex his Propoſitionibus docuiſſe, aut tenuiſſe, nec quemquam ſub hoc prætextu repelli ab Officiis, muniis, beneficiis, gradibus, & conditionibus habendis, vel alia quacumque functione Eccleſiaſtica, permittatis, niſi ſervato juris ordine eam pœnam, quæ Viris alioquin Catholicis graviſſima eſt, commeruiſſe probatum fuerit*.

Sed æquiſſimè decreverit Innocentius neminem repellendum eſſe ab Officiis &c. ob vagam Ianſeniſmi accuſationem, perinde ac ad ſimilem repulſam promerendam non ſufficit accuſatio vaga Calviniſmi, aut ipſius quoque Atheiſmi. Conſtare prius legitimè debet, Titium, aut Sempronium, verè *ſuſpectum eſſe, quod docuerit, aut etiam tenuerit* mente, aliquam ex Ianſenianis Propoſitionibus. Satis igitur erat, ut quis ab Officiis &c. repelleretur, legitimè probata Suſpicio de aliqua Ianſenii Propoſitione ipſo etiam animo retenta, quæ Suſpicio, imò etiam Certitudo, manifeſtè probatur de negantibus hæreticum eſſe Senſum Ianſenii.

Alia poſſent plurima circa primum hoc Breve animadverti, ſed ad finem properantes ſolùm indicamus, meritò conqueri Sanctiſſimum Patrem, eſſe, *qui variis Interpretationibus inutiles, & inefficaces quodammodo reddere, non ſine gravi Animarum detrimento, conantur Conſtitutiones Innocentii X., & Alexandri VII., in quibus Quinque Propoſitiones ex Libro Cornelii Janſenii, cui titulus eſt, Auguſtinus, excerptæ, & damnatæ, unà cum Formulario Juramenti in earumdem condemnationem præſtandi, continentur*. Interpretationes autem iſtæ certè afferebantur a clandeſtinis Ianſenianis, neque enim alii, quàm ipſi, conabantur inutiles reddere Pontificias Conſtitutiones.

Vim præpoſterè faciunt Janſenii Diſcipuli in eo, quod non aſſenſerit Innocentius

XII.

XII. petitioni Belgarum Epiſcoporum flagitantium, ut Explicatio aliqua Formulario Alexandrino adderetur. Sed ideo eam reiicit dicens: *Præter Formulam ipſam traditam, verbaque in Conſtitutione Apoſtolica præſcripta, aliquid aliud, vel minimum, Declarationis, Interpretationis, aut Explicationis, verbo, vel ſcripto, non exigatur*: quia clariſſimam, nec Explicationis indigentem, eſſe cenſuit Formulam Alexandrinam. Cæterùm improbans Additiones explicantes Catholicam veritatem, multò magis deteſtatur alias tegentes Hæreſim.

Adiiciens demum: *Cum ad Summum Pontificem dumtaxat pertineat, Senſum, quem in his Propoſitionibus damnaverit, & ut damnatum a Fidelibus credi cenſuerit, declarare*: manifeſtè præſcribit iis, qui hucuſque Ianſenio adhæſerunt, ut, ſi Fideles haberi volunt, ſtent Pontificiæ Declarationi.

§. XXIX.

De Secundo Brevi ejuſdem Innocentii XII. iniquiſſimè pro ſe allegato a Janſenianis.

Quas in hoc Brevi querelas affert Sanctiſſimus Innocentius de Calumniis inflictis prioribus ſuis Literis pariter in forma Brevis datis ad Epiſcopos Belgii, eædem iterari poterant de aliis non minus enormibus contra hoc ſecundum ſuſcitatis. Incredibile dictu eſt fuiſſe, qui dixerint, coarctatum per haſce Literas Ianſeniſmum ad paucos illos, qui ultro fatentur extare Quinque Propoſitiones in Ianſeniano Volumine, ſed Catholicas eſſe in ejuſdem Ianſenii Senſu, ac perperam fuiſſe damnatas ab Apoſtolica Sede, atque a decepta Eccleſia ſuſceptam fuiſſe ipſarum Condemnationem. Cæteros autem omnes, qui negant excerptas illas fuiſſe a Janſenii Libro, & affirmant non ſubeſſe iiſdem hæreticum alium Senſum, quàm Calvinianum, non cenſeri Ianſenianos ab Innocentio, ſed appellari *prætenſos*: nec eumdem velle inſtitui Quæſtionem de iis, qui Formulario Alexandrino ſubſcribunt, quamvis intra animum ſuum ſtatuant diverſiſſimum a Ianſeniano eſſe Obvium Senſum, quem Propoſitionum verba præſeferunt.

Diluitur facillimè Calumnia, quia nuncupat *Prætenſos* Janſeniſtas eos tantummodo, qui nullum exterius dant ſignum Hæreſis in eorum animo deliteſcentis. Quod autem de his dicat Eccleſiam non judicare, quid probat? Fortaſſe, quod iiſdem præbeat facultatem opinandi intra animum ſuum contra id, quod de Propoſitionibus illis, exiſtimandis hæreticis in Senſu Ianſenii, definiverant Prædeceſſores ſui? Num quia Eccleſia non judicat de ipſis internis Atheis, nedum de inteſtinis Lutheri Aſſeclis, aut Calvini, præbet proinde facultatem ſovendi mente alias Hæreſes, ipſumque Atheiſmum? Quid, quod in hoc ipſo ſecundo Brevi confirmat Innocentius Prædeceſſorum Decreta, ideoque declarat Ianſeniſtas eſſe illos, qui negant hæreticum eſſe Senſum Ianſenii, ut declaraverat Alexander VII. *Alteratæ, ſeu reformatæ* Conſtitutionis ejuſdem Alexandri a ſe Calumniam amolitur. Hanc ipſam Conſtitutionem, & Alexandrinam Formulam Fidei iterum confirmat, ac proinde diſertiſſimis verbis explicat, Obvium Senſum, in quo ſunt damnandæ Propoſitiones, eſſe illum Ianſenii, & non earumdem Propoſitionum in abſtracto ſumptarum.

Abunde hæc ſunt, ſed ut uberius veritati, præclarique Pontificis Famæ conſulatur, oſtendamus, quot Claſſes Ianſenii Sectatorum ſuperfuiſſe regnante ſe præſumpſerit, & declaraverit Innocentius XII. Quod cenſuerit inveniri manifeſtos quoſdam Ianſenianos, contemptores videlicet Conſtitutionis Innocentii X., quem erraſſe dicerent in ea condenda, inque illa ſuſcipienda fuiſſe deceptam Eccleſiam, dubitari non poteſt, cum eamdem Bullam ampliſſimè confirmaverit. Neque hoc negarunt, qui de alterata ſolummodo, ſeu reformata Conſtitutione Alexandrina, non autem de Innocentiana, illum inſimularunt.

Quemadmodum autem ultro concedunt Innocentii XII. Calumniatores, quod perſuaſum ipſi fuerit non evanuiſſe penitus ab Orbe terrarum Publicos quoſdam Ianſenii Sectatores, ita non abnuunt, ipſum quoque ſubdubitaſſe, quod ſupereſſet altera Ianſenianorum Claſſis, qui nullum prorſus ederent ſignum mentis ſuæ Janſenio addictæ; perinde ac Hypocritæ alii ſe ita gerunt extrinſecus, ut Catholici habeantur, cum ſint intrinſecus Lutheriani, Hebræi, Mahometani, Ethnici, aut Athei. Et hos quidem meritò nuncupati *Prætenſos*, quia vaga ſolùm accuſatio nullis exterioribus ſignis probata gratuitam de illis excitat Janſeniſmi ſuſpicionem.

Quod autem, præter has duas penitus oppoſitas Claſſes, manifeſtiſſimorum ſcilicet, & nullatenus apparentium Janſenianorum, ſupereſſet Tertia inter utraſque illas media, eorum quippe, qui captioſa quidem Effugia inquirerent, ſed plura nihilominus darent Externa ſigna animi ſui pugnantis per cuniculos contra Definitionem Alexandri

dri VII., non ſolùm præſumpſit, ſed etiam multipliciter declaravit Innocentius XII.

Patet hoc primò ex Proœmio ejus Decreti ſupra expenſi, quod formari dixit *Ad præcavendas omnes Diſſidiorum Cauſas*; Diſſidia enim illa ſuper Interpretatione, ſeu Declaratione Formularii Alexandrini profectò flagrabant accenſa a Janſenianis deliteſcere laborantibus, cum Publici nunquam animum induxiſſent ad Formularium idem ullo pacto ſubſcribendum. Affirmat autem Pontifex agitata tunc fuiſſe illa *Diſſidia Chriſtianam Pacem dilacerantia.* Nullatenus igitur in dubium revocat, quod hi ſuum erga Janſenium amorem diſſimulantes tunc contra Pontificias Declarationes pugnarent.

Secundò. Idem liquet e ſequentibus ejus Decreti Verbis: *Quoſcumque alios Senſus Formularii prædicti præter eum, quem in Senſu Obvio ipſius verba exhibent, afferri, uſurpari, aut de his diſputari interdixit, & prohibuit*. Cùm enim immediatè ante dictum fuiſſet a *Diſſidiis* illis gliſcentibus ſuper Formulario ſciſſam fuiſſe concordiam Eccleſiæ, vetans hìc Innocentius Interpretationem, aut declarationem qualemcumque ab Obvio Senſu diſſentaneam, apertè oſtendit, attributas tunc fuiſſe Interpretationes, & Declarationes hujuſmodi ab illis, qui tunc Janſenium clam ſectabantur.

Tertiò. In priori Brevi confirmans Decreta Innocentii X., & Alexandri VII., ait, quod ea *Inutilia reddere* conabantur peſſimi Interpretes, *non ſine gravi Animarum Detrimento*. Aſſeverat igitur extitiſſe tunc in Orbe terrarum malignos hoſce Interpretes, Clandeſtinos videlicet Janſeniſtas, qui perversè Alexandrinam Conſtitutionem, & Formularium explicabant.

Quartò. Iterum inculcat in eo Brevi, ab iis *Diſſidiis* (quæ non a publicis Janſenianis orta fuiſſe monſtravimus) *Eccleſiæ, ac Fidelium pacem perturbari*; ac proinde tunc a Perturbatoribus his contra Catholicos certamen inſtitui.

Quintò. Declarat, obſtringi ſe ad defendenda ſuorum Prædeceſſorum Decreta, ſpectantia ad Orthodoxæ Fidei *integritatem*; ideoque præſumit hæreticos eſſe illos, qui tunc Eccleſiæ Pacem clam perturbabant.

Sextò. Vetat Diſtinctionem omnem, Reſtrictionem, aut Expoſitionem Alexandrini Formularii, atque jubet, *ſyncerè damnari Propoſitiones excerptas ex Libro Janſenii in Senſu Obvio, quem ipſamet Propoſitionum verba præſeferunt, prout Senſum illum damnarunt Summi Pontifices Prædeceſſores Noſtri, damnataſque haberi voluerunt a Chriſtifidelibus*.

Septimò. In alio Brevi poſt rectiſſimè admonitos Epiſcopos Belgii, ne judicium ferant de rebus penitus occultis, ſtatim ſubdit: *Sin verò iidem prætenſi Janſeniſtæ voce, aut ſcriptis, edant proprios Senſus Apoſtolicarum Conſtitutionum, prædictique Brevis* (videlicet editi prius a ſe) *Senſui diſſentaneos, debent Epiſcopi prout de jure contra eos procedere non tantùm Auctoritate Ordinaria, ſed etiam &c. cum ea omnia facilè probari poſſint, quia agitur de Actibus Externis*. Præſumit igitur apertiſſimè, non ſolùm inveniri potuiſſe Janſenianos Hypocritas, qui caverent ſibi ab ullis exhibendis Exterioribus Indiciis animi ſui; ſed etiam re ipſa ſuperſtites fuiſſe plurimos, qui ſuo ſcribendi, aut loquendi modo ſatis aperirent id, quod animo cælabant inficiati ſe Janſenii Sectatores eſſe. Illos Pontifex appellat *prætenſos* (quales non erant, qui publicè ſe Janſenianos profitebantur) quatenus laborabant pro Janſeniſmo velando, & conſequuti fuerant id, quod optabant, quouſque ex deprehenſis Externis Indiciis ſua ſpe fraudati ſunt.

Octavò. Demum damnat audaciam illorum, qui *alteratam, ſeu reformatam* a ſe fuiſſe dicebant Alexandrinam Conſtitutionem. Ex eo verò, quod ad eos retundendos declaret, a ſe potius confirmata fuiſſe Decreta omnia, & Fidei Formam ab Alexandro præſcriptam, ac velle ſe, ut exactiſſimè obſerventur, conficitur evidenter, perſuaſum illi fuiſſe, quod perneceſſaria eſſent Præcepta hujuſmodi de Formulario Diſtinctione nulla violando, quia compertiſſimum illi erat Diſtinctiones eas a Janſenianis uſurpari.

Conſtat igitur manifeſtiſſimè, præſumptum, & affirmatum ab Innocentio XII. fuiſſe, quod, præter omnino Publicos, & Hypocritas Janſenianos, ab aliis etiam Externa Signa dantibus Errorum ſuorum Eccleſiæ Pax ipſo regnante lacerabatur.

Magnum operæ pretium fuit in aperto ſtatuere, quod omnes Eccleſiæ Magiſtri perſuaſiſſimum habuerint plurimos inveniri, qui Janſenianam Hæreſim diſſimulare conantur: niſi enim hos quoque Eccleſia inſectaretur, peſtem Hæreſis ſuæ clam, ideoque periculoſius, aliis afflare pergerent. Ideo Sanctiſſimus Dominus Noſter CLEMENS XI. in Apoſtolicis Literis ſuis, & recentiſſima, incomparabilique Conſtitutione, totus eſt in eorum Dolis detegendis, quorum *Scripta, & Libellos exquiſita ad fallendum arte compoſitos dicit: fallacis Doctrinæ pallio non deponi Errorem, ſed abſcondi: vulnus tegi, non curari: Eccleſiæ illudi, non pareri: foveri Silentio Hæreſim; Eccleſiam jurejurando decipi,*

pi, ſimulque Apoſtolicæ Sedis Providentiam falli: atque exitialem hunc morbum, qui, ut Cancer, ſerpit, quotidie in deterius vergere, Pacem Eccleſiæ ſubvertere; ac ſimplicium, & puſillorum mentibus imponere.

LIBER SECUNDUS.

De quorumdam Janſenianorum Effugiis apparenter novis quæſitis ad circumventionem Erroris.

NOva dici poſſunt Effugia hæc ſolummodo quia illa tentant arripere Novatores, poſtquam iis alia plurima ſunt intercluſa. Cæterùm *homines Veritati non acquieſcentes, & nunquam Eccleſiæ Contradicendi finem facientes*, ad eadem ſeſe recipiunt, quæ primò invenerant. In eadem igitur tantummodo ſignificatione appellatio *recentis* tribui poteſt Artificio huic nuper excogitato, qua nova nuncupari potuiſſet forma fabuloſi Protei, de quo dixit Vates:

Omnia transformat ſeſe in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem:

ſi poſtquam primò formam Ignis induiſſet, ac deinde multiplicium Ferarum imaginem, & poſtea ſolutus in Aquam elabi curaſſet a vinculis, iterum ſimulaſſet minax Incendium. Demonſtrabimus afferentes verba Pontificiarum Conſtitutionum, & Gallicani Cleri Epiſtolarum, eaſdem, quas nunc uſurpant, *Diſtinctiones, ſeu verius Effugia ad circumventionem Erroris*, ut de iis loquitur ſanctiſſimè imperans Clemens, eadem eſſe Effugia, quæ ſtatim ac proſcriptæ fuerunt ab Innocentio X. f. m. Quinque Propoſitiones, inventa ſunt ab antiquis Janſenianæ Doctrinæ Propugnatoribus, & a Summis damnata Pontificibus, atque a Catholica Eccleſia.

Dicunt igitur ejuſdem Doctrinæ Aſſertores a ſe damnari Quinque Propoſitiones in Obvio, quem præſeferunt, Senſu, ſi eædem in ſe ipſis expendantur, ſumptæ ſeorſum a Contextu Doctrinæ proſtantis in Janſeniano Volumine, ideoque accipiantur quaſi in abſtracto. Si verò ſumantur, ut ita dicam, in concreto, ſcilicet prout explicantur in iiſdem Janſenii Libris, animum inducere ſe non poſſe ad eas cenſendas hæreticas, quia Janſenianæ Doctrinæ Contextus ita illas interpretetur, ut appareat, Senſum veriſſimum, & Catholicum ex Auctoris mente iiſdem ineſſe. Subiiciunt, multas reperiri in ipſis Sanctorum Patrum Operibus Propoſitiones, quæ ſumptæ ſeorſum a Contextu eorum Doctrinæ malè ſonant, & ſpeciem Hæreſis exhibent. Si verò exploretur eorum animus, invicem conferendo ea omnia, quæ pronuntiant, deprehenditur nullum eos in errorem lapſos fuiſſe. Addunt *inquieti homines* novis ſuis in Libellis *exquiſita ad fallendum arte compoſitis* non inficiari ſe, quod ipſius Janſenii Senſus damnatus fuerit ab Alexandro VII., ejuſque Succeſſoribus; ſed hanc Declarationem verſari ajunt circa merum Factum, pro cujus Definitione non adſit promiſſa divinitus Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ Infallibilitas; ad merum enim Factum pertinere affirmant ſedulam explorationem Janſeniani Senſus patentis non ex una tantùm, vel quibuſdam Propoſitionibus, quæ in ejus Operibus inveniantur, vel iiſdem conceptæ verbis, quibus damnatæ ſunt, vel æquipollentibus; ſed ex omnibus ejuſdem Scriptoris Sententiis invicem collatis. Concludunt ſe non poſſe *inobedientiæ filios, & rebelles* exiſtimari, licet corde non aſſentiantur deciſæ huic quò ad Factum Quæſtioni; ad hoc enim præſtandum Catholicos non obſtringi, præſertim ſi ſuum erga D. Petri Cathedram, & Eccleſiam, obſequium iidem præſeferant ſervato religioſiſſimè quò ad hanc Controverſiam Silentio.

Hæc illi nunc inculcant, *ut pacem ſubvertere impunè pergant, & ſimplicium, ac puſillorum mentibus imponere*. Sed primò eos minimè conticeſcere liquet ex iis, quæ Libro Quarto Secundæ Partis exequuti ſumus, & ex novis, quos procuderunt, Libellis, poſtquam publicata Sanctiſſimi D. N. CLEMENTIS XI. Conſtitutio cæleſti planè fulgore tenebras animorum diſſlare debuiſſet. Et quod ipſum, quantumvis exactè cuſtodiretur, Silentium nequaquam ſuffi-

ciat, oſtendimus eodem Libro Quarto. Sed immenſa vis ineſt Apoſtolico Sanctiſſimi Patris Oraculo declaranti, quod *omnes Catholicæ Eccleſiæ Filii Eccleſiam ipſam audire non ore ſolùm (nam & impii in tenebris conticeſcunt) ſed & interius obſequendo, tenentur.*

§. I.

De inani Jactatione Janſenianorum, quod damnent Senſum Obvium Quinque Propoſitionum in abſtracto ſumptarum.

QUod eas in abſtracto ſumptas Quinque Propoſitiones damnent in Obvio earumdem Senſu jactant eodem planè auſu, quo illorum Anteſignani hoc ipſum perpetuò affirmare non erubuerunt. Sed quemnam Obvium eſſe illarum Propoſitionum Senſum opinarentur, apparuit ex tribus famoſis Columnis, quas in primo certamine protulerunt in medium, quarum in una damnatum Senſum affirmarunt eſſe Calvinianum, imò & ipſius Calvini aſſertionibus deteriorem.

At nunc, inquiunt, fatemur, Senſum Obvium proſcriptarum Propoſitionum eſſe illum, qui contradictoriè opponitur veræ Doctrinæ Sapientiſſimorum Patrum Thomiſtarum, quam nos quoque complectimur. Ita ne verò? Si hæc non ore ſolùm, ſed & corde proferrent, reiicerent quoque, ac damnarent Senſum earumdem Propoſitionum etiam in concreto, patentem ſcilicet ex Contextu Libri, qui Janſenio tribuitur, ſicut illas in hoc ipſo Senſu reiiciunt, ac damnant Thomiſtæ omnes. Cum in hoc apertiſſimè celeberrimæ illi Scholæ refragentur, inque tot aliis rebus, quas in Prima Enchiridii Parte tradidimus, totque præterea dubitandi de illorum mente Cauſas ingerat conſuetus eorumdem mos eludendi Pontificias Conſtitutiones, urgendi videntur ad animi ſui latebras reſerandas aperiendo, utrum Obvium Propoſitionum illarum in abſtracto ſumptarum Senſum eſſe cenſeant illum, qui contradictoriè opponitur Doctrinæ Sacroſancti Concilii Tridentini, quam Sapientiſſimi Thomiſtæ recipiunt, & venerantur? v. g.

Utrum Obvium Primæ Propoſitionis Senſum eſſe putent illum, qui luce meridiana clarior eſt, videlicet quod *In Statu Naturæ Lapſæ aliqua Dei Præcepta ipſis quoque Juſtis, utcumque volentibus, & conantibus, ſint impoſſibilia: deſit quoque ipſis Gratia, qua poſſibilia fiant?* Inſtandum autem illis eſt, ut fateantur, utrum contra manifeſtiſſimam hanc Hæreſim ipſi credant, *Nullum eſſe Dei Præceptum, quod juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires ſit impoſſibile: & nunquam deeſſe iiſdem Intrinſecam veram Gratiam neceſſariam, quæ conſtituat Potentiam ad ea ſervanda?*

Utrum contra Secundam affirmantem, quod *in ſtatu Naturæ Lapſæ nunquam reſiſtitur interiori Gratiæ*: dicant ipſi, *Reſiſti in hoc eodem ſtatu Gratiæ Interiori verè ſufficienti, ideſt ejuſmodi, ut, etiam abſque conſortio alterius Gratiæ prævenientis, verè conſtituat Potentiam adæquatam producendi opus ſalutare?*

Utrum contra Tertiam aſſerentem, quod *ad merendum, & demerendum, in ſtatu Naturæ Lapſæ, non requiritur Libertas a Neceſſitate, ſed ſufficit Libertas a Coactione*: affirment ipſi, *Non ſufficere in hoc quoque noſtro ſtatu ſolam a Coactione Libertatem, ſed requiri pariter Libertatem ab omni antecedente Neceſſitate inimpedibili ſimul, & inabiicibili, ac irreſiſtibili?*

Utrum contra Quartam *ſtatuentem unam ex Hæreſibus Semipelagianorum in hoc, quod, licet non abnuerent neceſſariam eſſe Gratiam ad ipſum quoque Initium Fidei, vellent tamen eamdem Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*: contra hanc, inquam, affirment ipſi, *Adeo non eſſe Semipelagianum dicere, quod Gratia Dei præveniens verè ſufficiens, & completiva Potentiæ proximæ ad opus ſalutare, talis ſit, cui poſſit humanum Arbitrium reſiſtere, vel obtemperare, ut potius de Fide ſit, eam eſſe talem, quæ poſſit abiici, eidemque poſſimus diſſentire.*

Utrum demum contra Quintam deteſtabilem Hæreſim exprimentem, *Semipelagianum eſſe, dicere Chriſtum Dominum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, ac Sanguinem fudiſſe*: affirment ipſi, *ita veriſſimè fuiſſe mortuum non pro ſolis Prædeſtinatis, ſed pro omnibus prorſus hominibus, in eo veriſſimo Senſu explicato a Sancta Synodo Tridentina, ut pro omnibus Morte ſua præparaverit re ipſa, & in executione, Auxilia neceſſaria, & verè ſufficientia ad Æternam Salutem conſequendam?*

Si preſſis hiſce Interrogationibus inſtetur illis, qui Obvium Propoſitionum earum in abſtracto ſumptarum Senſum a ſe admitti gloriantur, patebit extorqueri ab iis non poſſe Veritatis Catholicæ Confeſſionem, ſed illos regredi ad Exceptiones, & Reſtrictiones, quibus *ipſam Janſenii Doctrinam, quam ab Apoſtolica Sede damnatam Eccleſia Univer-*

verſalis exhorruit, adhuc interius abjicere, & corde improbare, deteſtant.

Adeo Doctrinam illam non abiiciunt,ut eorum plerique affirmare pergant veriſſimam eſſe Propoſitionem ſequentem, in qua totum Janſenii Syſtema continetur, & ex qua neceſſariò inferuntur Quinque illæ damnatæ, nimirum: *Poſt Peccatum Adami neceſſe eſt, ut Voluntas hominis perpetuò ſequatur Delectationem eam indeliberatam, quæ ſingulis temporis punctis reperitur eſſe in eo validior, quia nimirum ea Delectatio, quæ hoc temporis puncto reperitur validior, ſive ad bonum, ſive ad malum, illum & prævenit indeclinabiliter, & inſuperabiliter determinat ad hunc ipſum actum, ſeu bonum, ſeu malum, ad quem ea Delectatio ſuperior eſt*.

§. I I.

De falſa Præſumptione, quod Damnatio Propoſitionum in concreto, ſcilicet in Senſu Obvio, quem habent in Libro Janſenii, ſpectet ad Quæſtionem Facti, non verò Juris.

Mirari ſatis non poſſum, quod ingenioſi homines, quales ſe eſſe opinantur, & eorum nonnulli mentis acumine præſtare videntur, non animadvertant Quæſtionem Senſus eſſe Quæſtionem Juris, & non Facti. Hanc Veritatem evicimus Libro Tertio Secundæ Partis, & inculcavimus Primo hujus Tertiæ, ideoque aſſumere nunc illam poſſumus abſque nova confirmatione.

Pars autem illa Facti, quæ nectitur huic Veritati Iuris, atque Doctrinæ, ſeu potius ab ipſa Veritate pertinente ad Jus, & Doctrinam ſupponitur, nullatenus obſtat Infallibilitati Declarationis circa idem Jus, atque Doctrinam, quamvis eadem Veritas Facti non declaretur infallibiliter, ſed ſolummodo jubeatur aſſenſus illi præſtandus, undecumque demum oriatur aſſenſus hujuſmodi certitudo. Hæc omnia ſtatuta jam ſunt, ideoque otioſa videri poſſet argumentorum, quibus illa comprobavimus, repetitio.

Adjiciendum ſolummodo eſt, quod nullum prorſus intercedit diſcrimen inter illam Veritatem Facti, de qua hucuſque egimus, videlicet quod Quinque illæ Propoſitiones excerptæ ſint ex Libro, qui tribuitur Janſenio, in quo contineantur vel iiſdem, vel æquivalentibus verbis expreſſæ: & inter alteram Veritatem Facti, de qua nunc diſputamus, ſcilicet, quod Contextus aliarum Janſenii Propoſitionum, totiuſque Doctrinæ ſparſæ per illud Volumen, ejuſmodi ſit, ut confirmare conetur Hæreſim, quam illæ Quinque Propoſitiones exhibent in Obvio Senſu prout excerptæ ex eodem Volumine. Quod Propoſitiones illæ ſint exaratæ per eadem, vel æquipollentia verba in eo Libro, eſt aliquod Factum. Et aliud pariter Factum eſt, quod cæteræ Propoſitiones, & Contextus totius ejuſdem Voluminis, conſpiret in ordine ad confirmandum Senſum Obvium hæreticum Propoſitionum earumdem ex eo Libro excerptarum.

Quàm perperam ergo recurrunt ad dicendum, quod iſta exploratio Contextus ſit merum Factum, poſtquam compulſi ſunt fateri, quod licet Factum pariter ſit extractio Propoſitionum illarum ex eo Libro, nihilominus pertineat ad Jus Declaratio, quod Propoſitiones illæ ſint hæreticæ in Obvio earumdem Senſu? Enimverò, niſi mentis oculos conſultò claudant, adiguntur fateri, quod eodem prorſus modo ſit Definitio Iuris, & Doctrinæ illa, quam Apoſtolica Sedes tulit, & Eccleſia excepit, de Propoſitionibus iiſdem, tanquam hæreticis, non in abſtracto ſolùm, videlicet ut in ſe tantùm conſideratis; ſed etiam in concreto, ſcilicet prout extantibus in eo Volumine, ac declaratis a cæteris, quæ in eodem continentur.

Damus ultro id, quod Ianſeniani dicunt, videlicet reperiri Propoſitiones quaſdam in Libris Patrum, quæ, ſi ſeorſum accipiantur, malè ſonant in abſtracto; patet autem in concreto non eſſe improbum earum Senſum, quia Contextus totius Doctrinæ oſtendit eoſdem Patres catholicè ſenſiſſe. Ideo Propoſitiones illas Apoſtolica Sedes, & Eccleſia, non proſcripſit in concreto, ſcilicet prout in Patrum illorum Operibus explicantur; ſed ſolùm aliquando Cenſuram tulit de Propoſitionibus illis in abſtracto ſumptis, vel etiam in diverſo concreto, ſcilicet prout in Libris Hæreticorum reperiuntur, in Senſu pariter hæretico explicatæ. Perinde autem Cathedra Principis Apoſtolorum, & Eccleſia declaravit, hæreticas eſſe Quinque illas Propoſitiones in Obvio Senſu, quem habent in concreto in Libro, qui Ianſenio tribuitur, præſcindendo tamen ab hoc, quod, ſi exaratus ab illo fuit, contumaci animo Erroribus adhæſerit ejuſdem Scriptor.

Erit fortaſſe, qui cavillari non ceſſans reponat, nullum obſtringi ad aſſentiendum Supernaturali Fide affirmantibus erratum non fuiſſe in explorando, ac deinde ſtatuendo, quod Contextus Ianſenianæ Doctrinæ confirmet Obvium Hæreticum Senſum Quinque illarum Propoſitionum. Sed quis, rogo, te urget ad Supernaturalem Fidem Veritati huic adhibendam? Sicuti non adigeris ad cre-

credendum tanquam divinitus revelatum, quod Propoſitiones illæ ſint excerptæ ex Libro Ianſenii: ita non cogeris in animum admittere, tanquam Divina ſancitam Auctoritate, Veritatem aliam, videlicet quod conſtiterit de Contextu totius Ianſenianæ Doctrinæ Obvium Quinque illarum Propoſitionum Senſum explicante. Abunde eſt id, quod fortaſſe centies inculcavimus, videlicet quod utraque Facti Veritas, (ideſt, & quod Propoſitiones excerptæ ſint ex eo Libro, & quod ab ejuſdem Libri Contextu explicentur in Obvio hæretico Senſu) certiſſimè affirmetur, quamvis non aſſenſu præſtito per actum Fidei Divinæ, undecumque tandem oriatur aſſenſus ejuſdem certitudo.

Niſi certiſſimus ſit aſſenſus ille, inſaniet profectò, qui obtemperans Apoſtolico Patri cum Catholica Eccleſia credat per Fidem Divinam hæreticas eſſe Propoſitiones illas, tanquam excerptas ex eo Libro, & confirmatas ab ejuſdem Contextu, ſi neget in illo reperiri, ejuſque Contextum ejuſmodi eſſe, ut ex illo liqueat de Obvio hæretico Senſu Propoſitionum earumdem. Non ſubterfugio, ut proſim, videri nimius iiſdem in Declarationibus iterandis. Idipſum igitur etiam, quod non ſemel attuli, rurſus repeto, videlicet quod idem, quod Apoſtolica Sedes, & Eccleſia declaravit de Ianſeniano Volumine, frequentiſſimè de aliis decrevit, definiens contineri hæreticas Propoſitiones aliis in Libris ex aperto Senſu totius eorumdem Librorum Doctrinæ.

Sed inquies, nugari pergens, ideo Sententiam hanc de aliis Voluminibus certò ferre potuit Eccleſia, quia illorum Scriptores, atque eorum Aſſeclæ, ſui Senſus Hæreſim in Contradictorio Iudicio protulerant, quod non præſtitit Ianſenius, imò ſui Operis Doctrinam ſubjecit Cenſuræ Apoſtolicæ Sedis, ejuſque Sectatores Catholicum Propoſitionibus illis Senſum attribuunt, ſeque obſequentes Eccleſiæ Filios eſſe gloriantur.

Inſto primùm negando, quod omnes Hæreſum Auctores in contradictorio Iudicio defenderint Errores ſuos. Hoc non præſtitit, ut aliquo exemplo utar, Theodorus Mopſveſtenus. Illius tamen Liber, imò & Scriptoris Nomen, Anathemati ſubjectum eſt in Quinta Synodo Generali, confirmata ab Apoſtolica Sede, quia Libri ejuſdem Doctrina, ſuſcepta deinde, ac uberius explicata a Neſtorio Theodori Auditore, nefariam Hæreſim apertè contineret.

Parco alia plurima recenſere, ac ſecundo loco interrogo, pernegeſne Defenſionem illam, quam in Contradictorio Iudicio initam fuiſſe dicis a Luthero v.g. & Calvino, eſſe aliquod Factum non revelatum, ideoque non credendum Fide Divina? Et rurſum quæro, an ultro concedas, Factum pariter aliquod eſſe, quod Lutheri, & Calvini Diſcipuli fateantur ſe adhibere fidem Magiſtris ſuis eo in Senſu Obvio Propoſitionum, quem hæreticum eſſe Catholica docet Eccleſia? Toto aberrabis cælo, ſi neges Facta quædam hæc eſſe. Iam verò ſubiicio. Si Factis hujuſmodi certiſſimum Aſſenſum, quamvis non Fidei Divinæ, præſtas, & illis præſumptis Divina credis Fide, quod hæretica Doctrina contineatur in Contextu Voluminum Lutheri, & Calvini: ita certiſſimè aſſentiendum eſt aliis veritatibus Facti, videlicet, quod Propoſitiones illæ ſint erutæ ex Libro, qui Ianſenio tribuitur: quodque Obvius illarum Senſus pateat ex Contextu Doctrinæ in eo Volumine explicatæ: atque præſumptis hiſce Veritatibus Facti, admiſſis in animum certitudine diverſa ab illa Supernaturalis Fidei, exercenda deinde hæc eſt credendo hæreticum eſſe Senſum, & Doctrinam Obviam Quinque Propoſitionum a Contextu Voluminis ejuſdem explicatarum.

Sed enim tu Volumen illud explorans in eo non reperis hæreticæ ullius Doctrinæ confirmationem? Siccine? Quot porrò, ut hoc primò innuam, Janſenianorum ſunt, qui ſedulò prægrande Magiſtri ſui Volumen expenderint? Oppidò paucos eſſe omnino reor. Qui autem laborem hunc ſuſceperunt, niſi ex Titulis ipſis Librorum, & Capitum, nedum ex veneno ſparſo per paginas omnes, deprehenderint, arreptum fuiſſe ab Auctore conſilium ſtatuendi, quod in Statu Naturæ Lapſæ Divinorum quorumdam obſervatio Præceptorum ſit ipſis quoque Juſtis aliquando impoſſibilis: quod nulla detur nunc vera Gratia Interior præveniens, præter Efficacem: quod Auxilia neceſſaria ad conſtituendam Potentiam obtinendi Æternam Salutem Chriſtus Dominus Morte ſua non præparaverit pro omnibus, ideoque non ſubiverit eamdem Mortem pro omnibus re ipſa, & in executione: niſi has, inquam, aliaſque duas damnatas Hæreſes compererint perpetuo ſtudio ab Auctore Voluminis inculcatas, enimverò vel corporis oculis perperam legendo, vel animi percipiendo, viduati cenſendi erunt. Peccant apertè contra Divinum Spiritum, ſi compertiſſimam hanc abnuunt veritatem. Non vacat ulterius immorari in afferendis cauſis, propter quas adeo laborant pro vindicanda illius Voluminis fama. Illas in hujus Libri fine ſubiiciemus.

Interim liquet, quod ſi quorumdam ex Hæreſum Propugnatoribus obduratio, ne-

gantium Errores contineri in Contextu Doctrinæ Præceptorum ſuorum, poſſet illos eximere ab onere Doctrinæ illius damnandæ, actum eſſet de Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiæ Auctoritate quò ad Libros omnes continentes Obvium hæreticum Senſum, & Doctrinam, proſcribendos.

§. III.

De damnata ab Innocentio X. Doctrina Janſenii, ideoque confixis infallibiliter illis Propoſitionibus, prout confirmantur a Contextu Janſeniani Voluminis.

QUia non deſunt plurimi affirmantes nihil aliud præſtitum ab Innocentio X. f.m. fuiſſe, quàm quod Propoſitiones illas Quinque ſumptas in abſtracto damnaverit, atque dicentes Condemnationem hanc a ſe ſuſcipi tanquam veram; ab Alexandro autem VII. ejuſque Succeſſoribus, plurima quidem declarata fuiſſe circa eaſdem, ut excerptas a Janſeniano Volumine, & hæreticas in Senſu ejuſdem Voluminis, & Senſu quidem Obvio: quæ ulteriores Declarationes pertineant ad Factum, certamque proinde illis fidem adhibere minimè teneantur: quia hæc, inquam, plurimi blaterant, ad has animorum tenebras diſſipandas, expendere juvat Apoſtolicarum loca plurima Conſtitutionum, & Literarum, & Gallicani Cleri ad Eccleſiæ Magiſtros Epiſtolarum, ex quibus pateat conſultos hos fuiſſe *circa Doctrinam hæreticam, apertiſſimè patentem ex Contextu Libri illius*, & Pontificiam Definitionem latam fuiſſe circa Senſum, & Doctrinam Obviam Propoſitionum earumdem in concreto, ſcilicet *prout eodem in Libro confirmantur*.

Narrant primò Quinque & Octoginta Galliarum Epiſcopi Summo Hierarchæ Innocentio X. ut videre eſt in eorum Epiſtola ſubiicienda in calce Voluminis hujus Lit. A. *vehementiſſimis turbis commoveri Galliam ob Librum poſthumum, & Doctrinam Janſenii, quos motus ſedari oportebat tum Concilii Tridentini Auctoritate, tum Bullæ illius, qua Urbanus VIII. ſel. mem. adverſus Janſenii Dogmata pronuntiavit, & Decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Bajum edita confirmavit.* Conſulunt igitur Eccleſiæ Præceptorem *circa Doctrinam ipſam, explicatam in Libro Janſenii, atque ideo circa Contextum Libri ejuſdem*. Petunt quidem deinde Cenſuram ferendam circa peculiares aliquas Libri ejuſdem Propoſitiones, & ſuggerunt Quinque illas Infallibili poſtea Oraculo condemnatas; ſed judicium de illis afferri flagitant, prout excerptis a Volumine illo, cujus *Doctrina* generatim proſcripta fuerat, atque ſperant optimi Antiſtites acquieturos omnes Pontificiæ Definitioni. *Quia*, inquiunt, *nulli ſigillatim Propoſitioni*, confirmatæ ſcilicet a *Doctrina* Janſenii, de qua paulò ante loquuti fuerant, *certa cenſuræ nota inuſta fuit, locus etiam nunc aliquis quorumdam Cavillis, & Effugio relictus eſt. Intercludendum autem penitus ſperamus, ſi, ut precamur, Sanctitas Tua quid hac in re ſentiendum ſit, clarè, diſtinctèque definiat.*

Innocentius autem primis ipſis Conſtitutionis ſuæ extantis Lit. B. verbis acturum ſe *in concreto de Janſeniani Voluminis Senſu, & Doctrina* profitetur, dicens: *Cum occaſione Impreſſionis Libri, cui titulus Auguſtinus, Cornelii Janſenii Epiſcopi Yprenſis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præſertim in Galliis, Controverſia ſuper Quinque ex illis &c.*

In fine autem ejuſdem Conſtitutionis, poſt damnatas eas Quinque ſibi propoſitas a Galliarum Epiſcopis, prout extractas a Ianſenii Libro, atque in illo explicatas, declarat Summus Pontifex non deeſſe rationem dubitandi, quod aliæ quoque condemnationem promeritæ Propoſitiones erui poſſint *ex Contextu* Ianſenianæ Doctrinæ. *Non intendentes tamen per hanc Declarationem, & Definitionem ſuper prædictis Quinque Propoſitionibus factam approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto Libro Cornelii Janſenii.*

Quod in Concreto, ſcilicet *prout confirmantur a Contextu Janſeniani Libri*, non autem ſolummodo in abſtracto, confixiſſe voluerit illas Propoſitiones, apertiſſimè proteſtatur Innocentius idem, in Brevi dato ad Comitia Cleri Gallicani die 29. Sept. 1654. quod extat in fine Operis Lit. M. per hæc verba: *Ubique ſervari enixè curent Conſtitutionem noſtram, qua die 31. Maij anni 1653. damnavimus in Quinque Propoſitionibus Cornelii Janſenii Doctrinam ejus Libro contentam.* Quid apertius pronuntiari poterat ad dilucidandum, quod Pontificia mens fuerit tribuendi Hæreſis notam Propoſitionibus illis, non avulſis a Ianſeniano Volumine in abſtracto, ſed iiſdem in concreto, prout patens earum Senſus confirmatur *a Doctrina, quæ in Janſenii Libro continetur?*

Cum igitur manifeſtè conſtet, & Ianſeniani nunc plerique fateantur, Conſtitutionem Innocentii X. manaſſe ex Cathedra, & pertinuiſſe ad Ius Fidei, diffiteri nequeunt definitum infallibiliter eſſe, quod hæretica ſit *Doctrina Janſenii confirmans Obvium Senſum Propoſitionum earumdem.*

Qui

Digitized by Google

Qui primi pro Ianſenio contra Sedem Apoſtolicam, & Eccleſiam, in arenam proſiluerunt, auſi ſunt effutire illud ipſum, ad quod nunc Ianſeniani plurimi regrediuntur, videlicet quod damnatæ fuiſſent Propoſitiones illæ in abſtracto, non autem in concreto, prout eo in Libro confirmantur. De hoc conqueruntur Trigintaſex Galliarum cum Cardinali Mazarino Epiſcopi in Epiſtola data ad alios florentiſſimi Regni Præſules, quæ habetur in fine Lit. K. *Mirari ſatis non poſſumus, poſt æquiſſimam, ſanctiſſimamque Conſtitutionem illam, qua Beatiſſimus Pater Innocentius X. prædictas Quinque Propoſitiones damnavit, & iis quidem verbis, quibus nihil dici poteſt expreſſius, nihil clarius; homines illos affirmare, imò & perſuadere aliis velle res duas, vanas omnino & inanes: alteram, Quinque illas Propoſitiones non eſſe Janſenii: alteram, damnatas eſſe in eo Senſu, qui ad Janſenium nihil pertineat.*

Addunt exinde, quod quanquam *ſola per ſe* ad Veritatem dilucidandam *ſufficeret Pontificia Conſtitutio*, electi tamen a Sacris Comitiis fuerant Archiepiſcopi Quatuor, ac totidem Epiſcopi, qui expenderant Ianſenianum Volumen, atque ex illorum atteſtatione univerſo Cœtui *Manifeſtum, & perſpectum fuit, illas Quinque Propoſitiones verè eſſe Janſenii, & damnatas eſſe in vero, ac proprio verborum Senſu, & eo planè, quo a Janſenio traduntur, & explicantur.*

Eadem quoque Gallicani Cleri Comitia in alia Epiſtola ad Sanctiſſimum Pontificem Innocentium X. quæ habetur in fine Lit. L. deferunt ad Cathedram Principis Apoſtolorum, tanquam contumaces, & rebelles, eos, qui reiici a ſe affirmabant Propoſitiones illas in abſtracto, non autem *in concreto, prout explicatas a Contextu Janſenianæ Doctrinæ.* Dicunt inter cætera: *Diſſidiorum Auctor &c. quod palam obtinere non poterat, nempe ut a debita Sedi Apoſtolicæ reverentia per apertum Conſtitutionis editæ contemptum recederetur, callidis molitionibus, ad ſimplicium & incautorum mentes ſubvertendas aggredi tentavit &c. E vetere Fidei depoſito, cujus Cuſtodia Cathedræ Petri a Chriſto concredita eſt, partem adimere tentant Decreti Apoſtolici Majeſtatem ad fictas Controverſias dirimendas turpiter deiiciendo. Quinque etenim Propoſitiones Decreto illo proſcriptas damnare ſe quoque profitentur, ſed alio planè Senſu, quàm qui a Janſenio traditus, & explicatus eſt, ad quem Propoſitiones illas nullatenus pertinere conſtantiſſimè aſſerunt. Hac arte reſtaurandis Diſputationibus iiſdem ſibi locum apertum relinquere parant, & redivivæ litis prolixam materiam.* An non eadem prorſus, quæ nunc repetunt Janſeniani quidam, pronuntiaverant ferè ſtatim poſt editam Innocentii X. Conſtitutionem Clerici illi, quos *numero paucos* fuiſſe dicunt Antiſtites Gallicani? Ipſi verò Galliarum Eccleſiam repræſentantes Epiſcopi affirmant, *damnatas fuiſſe Propoſitiones illas eo planè Senſu, qui a Janſenio traditus, & explicatus eſt*, ideoque in Concreto proſcriptam fuiſſe ipſam Janſenii *Doctrinam*. Hoc autem manifeſtiſſimè includit Definitionem circa Jus Fidei.

Rurſus hoc ipſum inculcant declarantes, *idem eſſe Janſenii Senſum, ac ejus Doctrinam*, ideoque patenter agi de Quæſtione Juris, & Dogmatis. *Quam enim Auctor ille uſurpatione privata novam* Doctrinam *ſub ſpecie veteris inducebat, neceſſum fuit, ut Apoſtolica Sedes judicio lato ex publica, & antiqua Eccleſiæ Traditione repelleret, ne Chriſtianæ Fidei* Doctrina, *pravis ab illo Scriptore ad Teſtimonia Veterum Patrum, quos laudat, adhibitis Interpretationibus obrueretur.* En ut *Contextum ipſum Janſeniani Voluminis* expendunt Epiſcopi Sapientiſſimi, videlicet *Teſtimonia veterum Patrum*, quos Auctor peſſimè interpretatus eſt, eoſdem detorquere ſatagens *ad Confirmationem hæreticæ Doctrinæ* in Quinque illis Propoſitionibus incluſæ.

Plaudunt exinde Innocentio, qui Regulam Fidei circa Gratiam Divinam, & Liberum Hominum Arbitrium ſtatuerat, condemnando in concreto *Doctrinam* Libri illius præpoſteris Patrum Interpretationibus fulcire conantis Hæreſim Quinque Propoſitionum. Et præterea cum addant ſtabilitam a Conciliis fuiſſe Fidem *juxta Capitula a Sede Apoſtolica tranſmiſſa*, profitentur, eamdem Petri Cathedram habitam ab ipſis Conciliis fuiſſe Infallibilem, ac ſibi præſtantem: *Beatitudo Veſtra liquidò explicuit, atque confirmavit Regulam Fidei de Gratia, & Libero Arbitrio, quam ex parte prius aſſertam adverſus Manichæos, quod attinet ad Arbitrii Libertatem, poſtea Deceſſores Veſtri, Innocentius Primus, & Zoſimus, cooperantibus Africanorum Conciliorum Literis, contra Pelagianos plenè conſtabiliverant, quamque deinde Cæleſtinus Primus, ac Concilium Arauſicanum, juxta Capitula a Sede Apoſtolica tranſmiſſa, & ſuperiori Seculo Tridentinum, ſolicitè, atque diligenter enucleatam definierant.*

Atteſtantur poſtea patere ex Innocentiana Conſtitutione, quod in Quinque illis Propoſitionibus damnata fuerit ipſa Janſenii *Doctrina in concreto, ſcilicet, prout Auctor ad eam confirmandam diſtortas attulerat in Contextu Voluminis Interpretationes Patrum:*

Digitized by Google

trum:& Hæreticorum Pœnis meritò puniendos aſſeverant illos, qui negarent, Definitionem Innocentii cadere ſupra Contextum illius Voluminis,ideoque ſupra Jus,& Dogma Fidei. *Quapropter & Conſtitutionem ordine canonico latam, atque genuino in Senſu intellectam, quem Literæ ipſæ patefaciunt, devotiſſimo obſequio nos ſuſcipere teſtamur.* Apertiſſimè igitur *patebat* ex Innocentiana Conſtitutione, quod Quinque Propoſitiones eſſent damnatæ in concreto,ſcilicet prout perperam explicatæ a Libri illius Auctore. *Præterea verò daturos operam profitemur, ne quis curæ noſtræ ſubditus impunè contraria veſtris Definitionibus docere, ſcribere, aut loqui præſumat, pœnis in Hæreticos a Jure decretis alioquin a nobis ſtatim puniendus.* Et ſuperſunt,qui negent agi ſecum poſſe tanquam cum Eccleſiæ perduellibus, quia fateri detrectant Hæreſim ullam in Contextu Janſenianæ Doctrinæ contineri?

Audiant, rogo, quid a ſe præſtitum fuiſſe dicat Innocentius in Brevi dato die 29. Sept. 1654. & allato in fine Lit.M. ad Epiſcopos Galliæ pro Janſeniſmo exterminando. *Omnibus Paſtoralis Officii Adminiſtris injunximus, ut, qua par eſt, obedientia ubique ſervari curent Conſtitutionem Noſtram, qua die 31. Maij anni 1653. damnavimus in Quinque Propoſitionibus Cornelii Janſenii Doctrinam ejus Libro contentam, cui Titulus Auguſtinus.* Damnavit igitur non ſolùm in abſtracto Propoſitiones illas, ſed etiam in concreto, prout ſcilicet *confirmantur a Contextu Janſenianæ Doctrinæ contentæ in ejus Libro*, atque hoc ipſum manifeſtiſſimè pertinuit ad Jus & Dogma Fidei.

§. IV.

De ipſo Contextu Doctrinæ Janſenii confirmantis Hæreſim Quinque Propoſitionum, damnato ex Cathedra ab Alexandro VII.

PUlchrè inquit Gellius inveniri nonnullos, quorum lingua tam prodiga, infræniſque eſt, ut fluat ſemper, & æſtuet colluvione verborum teterrima. Hoc illis aptari poſſe crediderim, qui nihil ab Innocentii X. Succeſſoribus declaratum fuiſſe obganniunt pertinens ad Jus,& Dogma Fidei, quamvis Pontifices Maximi inculcaverint Propoſitiones illas excerptas fuiſſe ex Libro Janſenii, atque in hujus ipſius Auctoris Senſu a ſe illas damnari, & in Senſu quidem Obvio; hæc enim omnia ſpectare dicunt ad ſolam Facti Controverſiam, circa quam ipſi non adigantur adhibere Supernaturalis Fidei aſſenſum Pontificiæ Definitioni.

Repono prius, oſtenſum jam eſſe, quod ab ipſo quoque Innocentio, & non ſolùm ab ejus Succeſſoribus, damnatæ fuerint Propoſitiones illæ in Concreto, ideoque,ſi Definitioni ſaltem Innocentianæ aſſentiri non detrectant, jubentur hæreticam fateri *Doctrinam Voluminis illius confirmantem Propoſitiones eaſdem.*

Subiicio, quod quia ſubdola diſtinctio Facti, & Juris, nunc quoque uſurpata, ſtatim ſuggeſta Janſenianis fuit a Diſſidiorum Auctore, viſum fuit opportunum Gallicanis Antiſtitibus, ut ab Eccleſiæ Magiſtro anathemate percellerentur illi,qui affirmare audebant Propoſitiones fuiſſe confixas tantummodo in abſtracto, non autem in Senſu confirmato ab univerſa Janſenii Doctrina. En ipſorum verba in Epiſtola ad Alexandrum VII. ſcripta ſecunda Septembris 1656., quæ tota habetur in Opuſculi fine Lit.N. Se flagitaſſe commemorant ab Innocentio X., ut *Conſtitutionem ederet, qua motus in Galliis excitati ob Janſenii Yprenſis quondam Epiſcopi Doctrinam certis capitibus comprehenſam compeſcerentur.* Non inſtiterant igitur pro damnandis Propoſitionibus illis tantùm in abſtracto ſumptis, ſed pro configendo Contextu ipſius *Janſenianæ Doctrinæ Quinque illis certis capitibus comprehenſæ.*

Notant exinde ſubtili tectam calliditate machinationem publicæ tranquillitatis perturbatorum, qui, cum infecti jam eſſent veneno Propoſitionum illarum, quas optabant ſe poſſe pro arbitrio interpretari, de illis tantùm in abſtracto ſumptis loquutum fuiſſe Innocentium affirmabant, non verò *de Janſeniana Doctrina Propoſitiones eaſdem in concreto confirmante. Promulgatum a Gallicanis Epiſcopis Decretum* (Innocentii) *ſtudioſè amplexi ſunt fideles Populi, demptis paucis, qui de Janſenii Doctrina nihil conſtitutum fuiſſe palam cum ſimularent, intimis animorum ſenſibus ex illius Damnatione urebantur. Horum Cavillationes ſine mora comprimendas rati &c.* Narrant petitam a ſe ulteriorem Innocentii Declarationem contra Janſenianam Doctrinam, qua impetrata, *ſicuti Religionem ab infeſtis Calvinianæ hæreſeos Sectatorum molitionibus vindicare curaverant, ita priorem curam exceperat alia illi germana ob Erroris ſocietatem de profliganda Janſeniana Doctrina Brevis Apoſtolici Majeſtate.* Ipſe igitur *Contextus Janſenianæ Doctrinæ confirmantis Hæreſim Quinque Propoſitionum* ſatis profligari poterat ab Innocentiana Definitione.

Comparant Janſenianorum fraudes cum illis Pelagianorum, quamvis hi alias vias ini-

iniverint, neque ſperaverint eludi poſſe Pontificias Definitiones per Diſtinctionem Iuris, & Facti, & adeo quidem abſurdè adhibitam a Ianſenianis, ut pertinere dicant ad merum Factum Declarationem circa Doctrinam. *Eadem ſanè mentis alacritate illud* (Innocentii Breve) *ſuſcepimus, qua Concilii Africani Patres ab ipſis expetitam Zoſimi Epiſtolam amplexi ſunt, quæ Pelagii, atque Cæleſtii Errores, quos clanculum propagabant, peremptorio Decreto proſtravit. Iiſdem artibus graſſantur novæ Sectæ Diſcipuli, ac prætera, ut a capitibus ſuis fulminis Apoſtolici amoliantur ictum* (*licet obfirmato animo Quinque Propoſitiones Janſenio iterum abjudicent*) *ad Facti Quæſtionem, in qua Eccleſiam falli poſſe docens, controverſiam deducere nituntur.*

Appellant deinde *ingeniorum verſutias, & Syllabarum tricas*, Quæſtiones Facti, videlicet utrum Ianſenius contumaci animo Hæreſi adhæſerit? Utrum Liber præſerens ejus nomen verè fuerit ab illo ſcriptus? Utrum in eo extent Propoſitiones illæ iiſdem prorſus verbis exaratæ? *Tricas* cenſent Gallicani Antiſtites Diſputationem de Divina, aut Humana Fide neceſſariò adhibenda veritatibus aliis circa Factum, quibus neceſſariò aſſentiendum præſumunt, undecumque demum oriatur aſſenſus certitudo. Reſtrictam fuiſſe dicunt Pontificiam Definitionem ad Quæſtionem Juris, & Dogmatis, & in concreto quidem, ſcilicet *ad Doctrinam* in Volumine illo explicatam. *Quas ingeniorum verſutias vera, prudentique verborum complexione infregit Breve Apoſtolicum, quod tricis illis Syllabarum ad umbratiles Scholarum Diſputationes relegatis, Deciſioniſque Auctoritate ad Juris Quæſtionem reſtricta, Doctrinam Janſenii, quam Opere ſuo illo explicuit, in Propoſitionum confixarum materia Pontificia Conſtitutione damnatam fuiſſe declarat.* Expendant, quæſo, Ianſeniani verba illa: *Doctrinam Janſenii, quam Opere ſuo illo explicuit.* Hanc damnatam fuiſſe ab Innocentio Gallicana declarat Eccleſia. Melius a ſe, quàm ab ampliſſimo illo Cœtu, percipi putant vim Innocentianæ Definitionis?

Cum hæc apertiſſima eſſet, ſupervacanea videri poterat uberior explicatio. Sed quoniam *homines veritati non acquieſcentes* abutebantur Maximi Doctoris D. Auguſtini nomine, Gallicani Antiſtites præſidium petunt ab Alexandro VII., & animadvertunt allatam præpoſterè a Ianſenianis fuiſſe Auguſtini Auctoritatem, & abſurdas explicationes improbatas ab Innocentio, ideoque rurſus notant Innocentianam damnationem Propoſitionum irruiſſe *in Contextum Doctrinæ* Propoſitiones eaſdem explicantis. *At enim, ut ſe damnationi ſubducant, celeberrimum B. Auguſtini Nomen obtendunt, cujus Doctrinæ ſe profitentur eſſe ſectatores, repudiato etiam, ſi res eorum ita ferant, ipſo Janſenio. Hujus tamen pravas & detortas, quas ad Doctoris egregii loco adhibet, interpretationes amplectuntur, ſicque Magiſtrum illum optimum a Cæleſtino laudatum, dum verbis colunt, adultero Senſu violant.*

Certior factus Sapientiſſimus Pontifex Alexander Septimus a Gallicanorum narratione Antiſtitum *calliditatum, quibus incautorum, & ſimplicium animis Janſeniani illudebant, ac ſi Auguſtinum aſſererent ipſi, a cujus tamen Sententia pertinaciter diſcedebant*, decrevit iterum damnare *publicæ tranquillitatis Perturbatores*, atque hoc præſtitit celeberrima illa Conſtitutione, cujus initium eſt: *Ad Sanctam B. Petri Sedem.* Ut in ea primò refelleret Cavillatores Controverſiam revocantes ad Quæſtionem Facti, ſtatim profitetur agendum eſſe de Controverſia Iuris, & Dogmatis Fidei. *Nihil nobis antiquius ex Muneris noſtri debito eſſe duximus, quàm ut Sanctæ Fidei noſtræ, ac Sacrorum Dogmatum integritati, tradita nobis a Deo Poteſtate opportunè conſuleremus.*

Statuit deinde Oraculo ſuo Veritatem illam, quam expendentes Innocentii X. Decreta jam evicimus, videlicet quod ipſe apertè profeſſus fuerit *a ſe damnatam fuiſſe Janſenianam Doctrinam* Quinque illis Propoſitionibus incluſam, ideoque has confixas fuiſſe in concreto, prout *in Contextu* Janſeniani Voluminis explicantur. *Ac licet ea, quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus abunde fuerunt definita, novæ Deciſionis, ſive Declarationis, acceſſione nequaquam indigeant, quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis Perturbatores illa in dubium revocare, vel ſubdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iſte latius divagetur, promptum Apoſtolicæ Auctoritatis remedium cenſuimus non eſſe differendum.*

Poſt inſertam verò Innocentii Conſtitutionem, (quæ tota extat in fine Opuſculi Lit.B. ſicut hæc Alexandrina habetur Lit.O) narrat, *a nonnullis iniquitatis filiis* negari, quod Quinque illæ Propoſitiones reperirentur in Libro Janſenii, vel quod eſſent damnatæ in Senſu ab eodem intento: & atteſtatur *Cauſam hanc diſcuſſam fuiſſe eâ profectò diligentiâ, qua major deſiderari non poſſet; quamcumque autem dubitationem a ſe auferendam, ut omnes Chriſtifideles in ejuſdem Fidei unitate ſeſe contineant*; ideoque a ſe non Facti, ſed Juris, & Dogmatis Quæſtionem ſolvendam *ex debito Paſtoralis Officii.*

Affir-

Digitized by Google

Affirmat poſtea primò id, quod ſpectat ad Factum, cuique certus, ut centies diximus, quamvis non neceſſariò Supernaturalis Fidei, Aſſenſus præſtandus eſt, videlicet quod *Quinque illæ Propoſitiones ex Libro Janſenii fuerint excerptæ*: ac deinde ſubdit illud, quo Jus, & Dogma Fidei continetur, quodque Supernaturali Fide credendum eſt, ſcilicet quod *eædem Propoſitiones in Senſu ab eodem Cornelio Janſenio intento damnatæ fuerint*.

Atque, ut pateat loqui ſe de Senſu, qui patet *in concreto ex Contextu Voluminis Janſeniani*, exprimit, Anathemati ſubiici ejuſdem *Janſenii Doctrinam*, ſub quo Doctrinæ Nomine profectò comprehenditur omne id, quod Auctor Operis affert ad Propoſitiones eaſdem explicandas, & confirmandas. *Librum ſæpedicti Cornelii Janſenii &c. omneſque alios &c. in quibus prædicta ejuſdem Cornelii Janſenii Doctrina, ut ſupra, damnata defenditur, vel aſtruitur, aut defendetur, vel aſtruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Chriſtifidelibus, ne prædictam Doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo, vel ſcripto exponant, vel interpretentur &c. ſub Pœnis, & Cenſuris contra Hæreticos in Jure expreſſis ipſo facto, abſque alia Declaratione, incurrendis.* Qui ergo ita *exponunt, vel interpretantur* Damnationem Quinque Propoſitionum, ut dicant improbari a ſe illarum Propoſitionum Senſum tantummodo in abſtracto, non autem *in concreto* tanquam continentium Janſenianam *Doctrinam declaratam a Contextu Libri Janſenii*, Hæreticorum Pœnis apertiſſimè ab Alexandro VII. ſubjecti ſunt.

Eluſionem nunc iterum tentatam a Janſenianis arripuit olim Magnus Vicarius Pariſienſis, dum procul ageret Cardinalis de Retz Archiepiſcopus, ut commemorat Alexander VII. comminatoriis Literis expeditis 1. Auguſti 1661., quæ habentur in fine Lit. Q. cum Vicarius protuliſſet *non minus temeraria, quàm mendaci narratione, non aliud actum fuiſſe ab Innocentio, quàm inquiſitum, an Propoſitiones illæ Quinque de Gratia veræ, & Catholicæ, an potius falſæ, & hæreticæ, cenſendæ forent.* Illas igitur ſolummodo in abſtracto fuiſſe damnatas Vicarius aſſerebat, quem ideo *malorum zizaniorum in agro Dominico Seminatorem; Eccleſiæ Catholicæ Perturbatorem, &, quod in ipſo erat, Auctorem turpiſſimi Schiſmatis* nuncupat Alexander, & in eo *dignoſcit proterviam Cavillationibus ſubdolis, & circuitibus, obviandi Eccleſiæ Definitionibus*.

Altero Brevi ad Epiſcopos Galliæ dato 29. Iulii 1663. extante in fine Lit. R. rurſus conqueritur de iis, *qui a Veritate auditum avertunt, & variis inanium Interpretationum argumentis decepti Decretis Apoſtolicis refragantur. Non mediocri tamen gaudio perfundi*, ait, *animum ſuum, quòd Literis ex Gallia recens allatis acceperit illorum in dies creſcere numerum, qui recta ſapiunt præfatis Conſtitutionibus ſeſe ultro ſubiicientes.*

Adeo communis fuit cæterorum omnium reſipiſcentia, ut Sacra Galliarum Comitia Literis datis ad Alexandrum 2. Oct. 1663., & relatis in fine Lit. S. monuerint Alexandrum, quatuor tantùm ſupereſſe Antiſtites eadem prorſus Effugia conatos arripere, per quæ nunc elabi plurimi ſatagunt, affirmantes eſſe ſolius Facti Deciſionem illam, quæ pertinet ad Senſum, & Doctrinam Janſenii, circa quam Silentium obſequens Quatuor illi ſpondebant Antiſtites, ut in præſens promittunt eorum Aſſeclæ. *Quod ſpectat* (hæc ſunt quatuor illorum Epiſcoporum verba) *ad Deciſiones Facti, quæ continentur in Conſtitutione Alexandri Septimi, quibus definitum eſt, Quinque Propoſitiones ex Janſenii Libro excerptas eſſe, & in Senſu ab eodem Authore intento damnatas, declaramus nos eas Definitiones omni cultu, obſequio, & obſervantia, quam exigit a Fidelibus Eccleſia in ſimilibus Cauſis, & in ejuſmodi Naturæ rebus, proſequi, & ſemper eſſe proſecuturos, arbitrati ad privatos Theologos nullatenus pertinere in S. Sedis Deciſiones inſurgere, eas oppugnare, vel eis reſiſtere.* Hoc ipſum planè nunc jactant, qui *Catholica in Senſu explicari dicunt Propoſitiones illas a Contextu Janſeniani Voluminis*: quam aſſertionem licet perneget Apoſtolica Sedes, & Eccleſia, opinari tamen ſe poſſe putant hac illam in re, quam Facti ſolius eſſe præſumunt, fuiſſe deceptam.

Verùm de illis eadem affirmari poſſunt, quæ de quatuor iis Epiſcopis cæterorum omnium Comitia pronuntiarunt, *ſubdola* ſcilicet eſſe ipſorum *verba, ſimulatum obſequium, mentem verſipellem: oblationem Silentii non eſſe Catholicam: mutandam ab illis Sententiam, & Doctrinam*: videlicet damnandum eſſe Senſum, & Dogmata Janſenii pertinentia ad Jus Fidei, non ad merum Factum: *non verbis tantùm, ſed & animo reiiciendam, & damnandam ejuſdem Janſenii Doctrinam*, quæ ſcilicet explicat hæreticum Propoſitionum earumdem Senſum. *Mirifica*, inquiunt, *noſtrum omnium, quotquot aderamus, in his verbis reprehendendis extitit conſenſio. Viſa ſunt enim ſubdola, ſimulatum dumtaxat obſequium præſeferentia, mente verſipelli, & callida concinnata &c. Iſtud itaque ſcriptum rejiciendum cenſuimus tanquam*

ſitium , & nullatenus Catholicum , neceſſumque eſſe duximus , ut mentem apertius exponant , exprimantque luculentius implicatas animi cogitationes , cum ex eorum Scriptis, & Sermonibus, liquidò conſtet eos in id juxta incumbere , ut obſequium Silentio duntaxat , non verò mutatâ Sententiâ,& Doctrina ſignificent .

Notant exinde , *in eo totos eſſe Janſeniſtas , ne Quinque Propoſitiones è Cornelii Janſenii Libro excerptas , & in Senſu ab eodem Authore intento damnatas , ſincero animo rejiciant, & damnent, parati aliàs ad omne obſequium erga S. Sedem Apoſtolicam , dummodo illius Authoris Doctrinam , ut Orthodoxam , non anathematizent .* An non illud ipſum prorſus erat votum Veterum ; quod eſt præſentium quorumdam Janſenianorum ? Scilicet ut ipſis liceat ſtatuere apud animum ſuum quod Cathedra S. Petri , & Eccleſia , erraverit definiens hæreticam eſſe *Doctrinam* Janſenii , quæ continetur in obvio Senſu Propoſitionum illarum, ac proinde fuerit decepta in declarando Iure , ac Dogmate Fidei, ad quod manifeſtiſſimè pertinet Definitio circa *Doctrinam ?*

Enimverò circuitus iſti promerentur notam illis inflictam ab Alexandro , qui ſua in Conſtitutione præſcribente Formulam Fidei ab omnibus Eccleſiaſticis ſubſcribendam , data 15. Kal. Martii 2664. , quæ eſt in fine Lit.T. adeo apertè præſumit patere Senſum hæreticum ex Contextu Libri, qui Ianſenio tribuitur , ut appellet propriam *Janſenii Hæreſim* illam, quæ in gyrum circumfertur. *Cornelii* , ait , *Janſenii Hæreſim , in Galliis præſertim ſerpentem , ab Innocentio X. fel. rec. Prædeceſſore noſtro ferè oppreſſam , ad inſtar Colubri tortuoſi , cui caput attritum eſt , in varios gyros , & Cavillationum deflexus eandem &c. extinguere conati fuimus .*

In Formula verò Fidei, quam præſcribit a Chriſtianiſſimo Rege exoratus , tanquam *opportuniſſimum remedium peſtiferæ hujus Contagionis reliquiis extirpandis* , ea inſeruit verba , quibus *Propoſitiones reiici , ac damnari* jubentur *in Senſu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit .* At per Conſtitutiones tum Innocentii , tum ipſius Alexandri , damnata fuit, ut multipliciter demonſtravimus , ipſa Janſenii *Doctrina eo in Volumine contenta ; & confirmans hæreticum Senſum Quinque illarum Propoſitionum.* Ergo Propoſitiones ipſas , non in abſtracto ſolùm, ſed in concreto, prout explicatas a Janſeniano Volumine , damnare jubentur ab Alexandro VII. per ſuam Fidei Formulam quicumque Orthodoxi cenſeri volunt .

§. V.

De confirmatis a Clemente IX. Declarationibus Prædeceſſorum .

ABunde eſſet ad eos refellendos , qui *in erroris ſui patrocinium advocare temerario planè auſu non erubeſcunt Decreta Clementis IX. ſ. m. redarguendis eorum pravis Senſibus condita* , afferre declarationem Sanctiſſimi D.N. Clementis XI. , qui ſua in nuperrima Apoſtolico planè ſpiritu exarata Conſtitutione inquit , eumdem Clementem IX. ſuis in Literis *declaraviſſe , firmiſſimè ſe inhærere Innocentii X. , & Alexandri VII. Conſtitutionibus , ac a quatuor Epiſcopis* (de quibus ſupra loquuti ſumus) *veram, & totalem obedientiam , adeoque Formulæ ab Alexandro editæ, ſyncerè per eos ſubſcribi voluiſſe : ac proinde re ipſa non admiſiſſe aliquam in tam gravi negotio Exceptionem, ſeu Reſtrictionem , quam nullam prorſus ſe unquam admiſſurum proteſtatus fuit .*

Sed curſim horum quatuor , aliorumque ad Clementem IX. Epiſcoporum Literas , ipſiuſque Summi Pontificis Brevia , & Cardinalis Roſpiglioſii Relationem expendentes demonſtremus, ab ipſo quoque Clemente IX. damnatum fuiſſe *Contextum Janſenianæ Doctrinæ* Quinque Propoſitionum hæreticum Senſum explicantis .

Diſertè affirmamus cenſuiſſe Clementem IX. quod quatuor illi Antiſtites reſipuiſſent , & nihil aliud peterent , quàm non obſtringi ſe ad credendum Supernaturali Fide illa , quæ ſpectabant ad merum Factum , ſcilicet quò ad Janſenium ipſum contumacem, necne , in hæretica Doctrina tradenda, ſi Librum illum exaravit : & quò ad hunc ipſum, videlicet quò ad Librum verè ſcriptum a Janſenio , vel ab aliquo alio ejus nomen uſurpante: & quò ad Propoſitiones illas extantes , necne , illo in Volumine iiſdem , vel æquivalentibus, verbis. Cæterùm quod Clemens IX. certiſſimè præſumpſerit ab Epiſcopis illis datum fuiſſe aſſenſum Catholicæ Veritati quò ad Jus , & Dogma, definitæ ab Innocentio, & Alexandro, Deceſſoribus ſuis, videlicet damnatum ab iis fuiſſe Senſum, & *Doctrinam patentem ex Contextu Voluminis Janſenio attributi*, probatur primò, quia cognoverat ex eorumdem quatuor Epiſcoporum Epiſtola extante in fine Lit. V. eos profiteri ſe ſubſcripſiſſe Fidei Formulæ , ſicut hoc præſtiterant cæteri omnes Catholici Antiſtites , qui prius horum quatuor verba dixerant *non eſſe Catholica* : & nihil in Diœceſanâ Synodo declaraſſe repugnans ſynce-

Digitized by Google

ritati Subſcriptionis prius factæ, cujus rei teſtem Deum appellabant, ſubiicientes a ſe cognoſci neceſſitatem adhærendi Doctrinæ Apoſtolicæ Sedis.

Probatur ſecundò, quia Epiſcopus Laudunenſis, unus ex Delegatis ad revocandos illos Quatuor in Veritatis viam, ſuis in Literis ad Summum Pontificem, quæ habentur Lit. X. atteſtatus eſt, novam quatuor Epiſcoporum Subſcriptionem non fuiſſe minus ſynceram, quàm cæterorum omnium Catholicorum Antiſtitum, & ab iiſdem Quatuor Epiſcopis *mulctandos Pœnis Canonicis ab Innocentio X. & Alexandro VII., latis in Hæreticos, eos, qui Senſum, & Doctrinam*, ideſt *Contextum Janſeniani Libri* explicantis Quinque illas Propoſitiones, *vel minimùm ſequerentur*.

Tertiò. Quia Clemens ipſe Nonus in Brevi ad Regem Chriſtianiſſimum, quod traditur Lit. Y., aſſerit fuiſſe *ſimplicem*, *& purum* Subſcriptionem Formularii Alexandrini, qua obedientiam, & obſequium ſuum illi Antiſtites exhibuerunt, ut ſibi ab ipſo Rege nuntiatum erat.

Quartò. Quia in Brevi, quod reponere Clementiſſimus Pater dignatus fuit Quatuor eorum Præſulum Literis, quod extat in fine Lit. Z. commemorat primò, ſcriptum ab illis ad ſe fuiſſe, quod, ſicut ipſi *Formulario Alexandrino ſyncerè ſubſcripſerant*, ita hoc fieri voluerant a ſuis. Proteſtatur exinde *ſe firmiſſimè inhærere Decretis Prædeceſſorum, nec ullam circa illa Exceptionem, aut Reſtrictionem admiſſuram unquam fuiſſe*, quam nullam prorſus ab Epiſcopis ullatam præſumebat; ſed ab iiſdem *damnatas fuiſſe Propoſitiones in omnibus Senſibus, in quibus a Sede Apoſtolica damnatæ fuerunt*; ideoque etiam in concreto, nam ita damnatas illas fuiſſe ab Innocentio, & Alexandro, apertiſſimè demonſtratum eſt.

Quintò. Quia in altero Brevi ad Præſules Mediatores, quod videre eſt Lit. AA. narrat Clemens ab iis admonitum ſe fuiſſe *de perfecta, & integra quatuor Epiſcoporum obedientia, deque plena, & ſyncera executione Conſtitutionum Apoſtolicarum*.

Sextò. Demum quia ex Relatione Jacobi Cardinalis Roſpiglioſii, quæ habetur Lit. BB. liquet de ſerie hujus certaminis: de periculo, ne Hæreſis dilataretur: de Prima quatuor Epiſcoporum Subſcriptione Alexandrini Formularii, deque Secunda authenticè comprobata: de rumore deinde ſparſo, quod ipſum Fidei Jus læſum fuiſſet ab Antiſtitibus illis per verbalia Diœceſanæ Synodi Acta, dicentibus, a Summo Pontifice notam Hæreſis inuri non poſſe Quinque Propoſitionibus in Senſu Ianſenii: quæ declaratio fuiſſet apertè contraria Iuramento ab ipſis præſtito ſubſcribendo Formulæ, ac dando Literas ad Summum Pontificem: de conſtantiſſimo Clementis Decreto diſſimulandi ſolummodo circa Quæſtionem Facti, de qua ſupra loquuti ſumus; ſed nihil *connivere volentis, quinimò ſtatuentis acerrimè obviam irè, ſi aſſeruiſſent Epiſcopi, nolle ſe pro Hæreticis agnoſcere Quinque Propoſitiones in Senſu Janſenii, quemadmodum ab Apoſtolica Sede fuerant damnatæ*. Sed ab Apoſtolica Sede fuerant damnatæ Propoſitiones eædem in concreto juxta Senſum patentem *ex Contextu Doctrinæ* traditæ, & explicatæ in Volumine ſub Ianſenii nomine pervulgato. Igitur ipſe quoque Clemens IX. *ferre nolebat ullatenus*, ut quiſquam abnueret hanc ipſam in concreto Propoſitionum Condemnationem.

Repetit Cardinalis diſſimulatum ſolummodo a Patruo ſuo Pontifice Maximo fuiſſe id, quod ſpectabat ad meram Facti Controverſiam, circa quam Antiſtites illi allegaverant Baronium, Bellarminum, alioſque Scriptores ſapientiſſimos, quorum circa merum Factum opinionem non improbat Clemens. Sed iidem Auctores affirmant Deciſionem *Senſus*, *& Doctrinæ*, ſpectare ad Ius Fidei. Si ergo eorumdem Sententiam illi Antiſtites ſequebantur, damnaverant Propoſitiones in Senſu Janſenii, ſcilicet in eo, qui patebat *ex Contextu Doctrinæ Voluminis Janſenio attributi*, quam hæreticam eſſe cenſebant. Licet autem non recepiſſent pro Fidei Divinæ Articulis Declarationes circa Factum, tamen infamiviſſent negando, quod excerptæ fuiſſent ex Libro Ianſenii, & in eo explicarentur *per Contextum hæretica Doctrinæ* Propoſitiones, quas damnabant ut hæreticas juxta *Senſum*, *& Doctrinam eodem in Libro explicatam*.

Addit demum Cardinalis Roſpiglioſius ampliſſimas a Clemente habitas Atteſtationes de ſyncera Epiſcoporum Fide, ideoque Pontificiam Præſumptionem, quod nullatenus illi recederent ab iis, quæ *quò ad Ius*, *& Doctrinam* fuerant a ſuis Deceſſoribus definita. Si autem contrariæ fuerunt quatuor illorum Præſulum Declarationes, & animum iidem in Hæreſi obſirmarunt, deceptus ab illis fuit Clemens quò ad Factū, ſcilicet quò ad reſipiſcentiam peculiarium Perſonarum, quæ non ſemel Apoſtolicæ Sedi, & Univerſalibus Conciliis Hypocriſi ſua illuſerunt.

§. VI.

§. VI.

De Innocentio XII. loquente defiuitivè de Obvio Senſu, quem Propoſitiones in concreto habent in Opere Janſeniano.

CHriſtianam Pacem dilacerabant Diffidia* excitata a Ianſenianis negantibus damnandas eſſe Propoſitiones in Senſu Ianſenii, pluresque diverſos, imò & repugnantes Senſus excogitantibus, quos in Prima Enchiridii Parte retulimus, & evertimus. Ad hæc Diſſidia compeſcenda Hierarcha Optimus Decretum edidit 28. Iann. 1694. extans in fine Lit. EE., quo declaravit, ita damnandas eſſe Propoſitiones excerptas ex Libro Ianſenii, & in ejus Senſu, in quo damnatæ fuerant ab Alexandro VII., ut Senſus hic intelligatur eſſe *Obvius*, ideſt proprius, & nativus, *quem ipſius*, videlicet Ianſenii, *verba exhibent*. Confirmavit igitur Innocentius XII. Alexandri VII. Formularium, contra quod *diſputari interdixit, & prohibuit, ac ſuper ejuſdem Formularii Interpretatione, ſicut & prædictarum Propoſitionum in alios Senſus, præter eum, quem ipſa verba per ſe exhibent*. Cum ergo Alexandrinum Formularium jubeat damnari *Contextum Janſenianæ Doctrinæ Senſum hæreticum Quinque Propoſitionum explicantis*, prorſus hoc idem decrevit Innocentius XII., ac ſolummodo addidit Declarationem, quod hæreticus Senſus ſit ille *Obvius*, quem Ianſenii verba ejus in Libro ultro exhibent, ac præſeferunt.

Somniant enimverò, qui opinantur ab Innocentio damnatum tantummodo fuiſſe Obvium Senſum Propoſitionum in abſtracto ſumptarum præſcindendo a Libro Ianſenii. Hoc præſtans non confirmaſſet Formularium Alexandri manifeſtiſſimè loquentis *de Senſu, & Doctrina hæretica, quæ patet ex Janſenii Volumine*. Iure ſanctiſſimè imperans Clemens invehitur in abſurdiſſimos hoſce Interpretes, ſuique Deceſſoris Famam præclariſſimè tuetur, *qui dum ſapienter, ac providè, prædictas Quinque Propoſitiones ex memorato Libro Janſenii excerptas in Senſu Obvio, quem ipſamet Propoſitionum verba exhibent, ac præſeferunt, damnatas eſſe pronunciavit*, carpitur ab hominibus *Veritati non acquieſcentibus, & nunquam Eccleſiæ contradicendi finem facientibus*, perinde ac ſi *non de ipſomet Obvio Senſu, quem Janſenii Libri habent, quive ab eodem Janſenio intentus* (ſcilicet ſicut patet *ex Contextu* Doctrinæ illius Libri) *ac a præfatis Innocentio X., & Alexandro VII. Prædeceſſoribus damnatus fuit, ſed de alio quopiam diverſo Senſu cogitaſſet*, (videlicet de illo, quem in abſtracto Propoſitionibus illis tribuere collibitum eſſet Ianſenianis) *dictaſque Innocentii X., & Alexandri VII. Prædeceſſorum Conſtitutiones temperare, reſtringere, aut alio quovis modo immutare voluiſſet iiſdem ipſis Literis, quibus eas in ſuo robore fuiſſe, & eſſe, ſeque illis firmiter inhærere, verbis apertiſſimis aſſerebat*.

Quid huic adiiciam mirificæ Declarationi? Innuo tantùm, quod allegatæ a Sanctiſſimo Succeſſore Literæ Innocentii XII. extant in fine Lit. FF. & GG., in quarum primis affirmat a Ianſenianis tegere optantibus Errores ſuos afferri *Interpretationes varias, quibus inutiles reddere non ſine gravi animarum detrimento conabantur Innocentii X., & Alexandri VII. Conſtitutiones*, atque ipſius *Alexandri Formularium. Se verò pro debito Paſtoralis Regiminis omnino velle, ut ſemper firmæ Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones permaneant in rebus, quæ ad Orthodoxæ Fidei integritatem conducunt; ideoque firmiter iiſdem inhærere, ac declarare, illas in ſuo robore fuiſſe, & eſſe*. Damnans autem illico poſt hanc Declarationem illos, *qui auſi temerario prædictas Quinque Propoſitiones ſic damnatas in Conſtitutionibus Innocentii X., & Alexandri VII. &c. defendere præſumpſerint*, loquitur apertiſſimè de ipſo Senſu, quem Propoſitiones habent *in Contextu Libri Janſenii*, de quo loquuti fuerant Prædeceſſores, & confirmat Pœnas Hæreticorum illis indictas ab Innocentio X., & Alexandro Septimo.

Vetans deinde *omnes Diſtinctiones, Reſtrictiones, aut Expoſitiones*, fieri ſolitas a Janſenianis ad obſcurandum Senſum *Obvium* Propoſitionum earumdem, & inculcans a ſe illas *damnari in Senſu Obvio, quem ipſamet verba præſeferunt, prout Senſum illum damnarunt Summi Pontifices ejus Prædeceſſores, damnatumque haberi voluerunt a Chriſtifidelibus*, patenter loquitur de Senſu Obvio, & Nativo, quem ipſamet Propoſitionum verba præſeferunt in eodem Libro Janſenii.

Cum poſtea improbet Additiones, veras quidem, ſed ſupervacaneas, ſuggeſtas ab Epiſcopis Belgii, multò magis deteſtatur alias tegentes Hæreſim. Reiicit iterum omnes Senſus, præter Obvium, proprium, & nativum, quem verba per ſe exhibent in Libro Janſenii, de quo locutus fuerat Alexander VII., cujus Formularium ipſe confirmat.

Æquiſſimè demum prohibet repelli quempiam ab Officiis &c. ob vagam Janſeniſmi accuſationem; ſed etiam declarat ſufficere, ut

Digitized by Google

ut quis repellatur, *legitimè probatam Suſpicionem de aliqua Janſenii Propoſitione ipſo etiam animo retenta*. Hæc autem *Suſpicio*, imò etiam Certitudo, manifeſtè probatur de illis, qui negant hæreticum eſſe Senſum, quem Propoſitiones habent in Libro, qui Janſenio tribuitur; hi quippe oſtendunt, verum a ſe cenſeri Janſeniani Libri Senſum, ideoque Apoſtolicam Sedem erraſſe putant *in Jure*, ac *Doctrina Fidei definienda*, & Eccleſiam fuiſſe deceptam aſſentiendo Pontificiis Definitionibus.

In altero autem Brevi amolitur a ſe Calumniam *alteratæ, ſeu reformatæ Conſtitutionis Alexandri VII.* atque iterum proteſtatur, *hanc ipſam, & Formularium, ſpecificè confirmatum fuiſſe in priori ſuo Brevi, & omnino ſe intendiſſe, & intendere iiſdem adhærere*; ideoque voluiſſe, & velle cum Alexandro damnare Propoſitiones illas tanquam hæreticas in Obvio Senſu, quem habent in Libro Janſenii, & non ſolùm confixiſſe, atque confingere illas eaſdem Propoſitiones in abſtracto.

§. VII.

De Sanctiſſimo Domino Noſtro CLEMENTE XI. manifeſtiſſimè, ut hæreticum, damnante Senſum Obvium Propoſitionum explicatarum a Contextu Janſenianæ Doctrinæ.

QUod de Sancti Martyris, & Epiſcopi Cypriani Libris dixit Maximus Divinorum Interpres Oraculorum S. Hieronymus, videlicet: *Hujus ingenii ſuperfluum eſt indicem texere, cum Sole clariora ſint ejus Opera*; idipſum de præclariſſimè nunc fulgente in Eccleſiæ Cælo Magiſtro Catholicæ Veritatis affirmari poteſt. Curſim igitur indico fontes, ex quibus haurire ſapientiam omnes queant. Decretum primò editum 12. Februarii 1703., quod extat in fine Liter. HH. damnans famoſum Libellum, in quo ſceleſtiſſimè reſolvitur Conſcientiæ Caſus, aſſeriturque, in crimen non incurri, ſi quis opinetur hæreticas non eſſe Quinque Propoſitiones in Senſu explicato a Libro Janſenii, confirmat Cenſuram in eaſdem latam a Deceſſoribus *in concreto tanquam a Doctrina Janſeniani Voluminis explicatæ*.

Ex Apoſtolicis Literis datis ad Chriſtianiſſimum Regem, ad Cardinalem Archiepiſcopum Pariſienſem, & ad Catholicos Hollandiæ, & conterminarum Provinciarum Populos allatis in fine Lit. II. KK. LL. MM. delibo illas, quibus 10. Aprilis 1703. aperit voluntatem ſuam, ut exarari poſſint Volumina contra nunc inquirentes Effugia hæc, quæ impugnamus, videlicet, quod liceat apud animum ſuum ſtatuere Quinque illas Propoſitiones eſſe hæreticas ſolùm in abſtracto, ut in peſtifero Libello præſumitur. *Ceterùm quod Libellum eumdem Apoſtolicæ damnationis Sententia confixum Edicto quoque Regio proſcripſeris, ſummopere gaudemus. Ne tamen ex quibuſdam ipſius Edicti verbis quiſquam inſerre præſumat, non ſuſtinendæ modò, ſed & pariter impugnandæ Janſenianæ Hæreſeos in poſterum viam præcluſam eſſe: quod quidem ab æquiſſima Majeſtatis Tuæ mente prorſus alienum eſſe nemo eſt, qui neſciat: utque nova omnis ſubdolis ingeniis cavillandi anſa penitus præcidatur, maximè expedire arbitramur, ut Majeſtas Tua ea de re voluntatem ſuam expreſſius declarare non gravetur, quemadmodum idem Nuntius noſter Tibi uberius explicabit: quod ſanè & fovendæ Chriſtianæ Fidei puritati opportunum, & nobis porrò gratiſſimum fuerit. Ita enim publicæ conſulendum tranquillitati eſt, ut Catholicæ Veritati, ſalvis ſemper charitatis, atque modeſtiæ legibus, tuendæ locus non adimatur.*

In aurea verò, & mirabili Conſtitutione non ſolùm confirmat illas Prædeceſſorum, ſed, ut paulò ante agentes de Clemente IX. & Innocentio XII. expendimus, eorum gloriam illuſtrat, & in meridiano ſole ſtatuit cæleſte, quo flagrarunt, ſtudium impugnandi *Perturbatores Eccleſiæ interminatis Quæſtionibus involvere, & implicare conatos* Apoſtolicam Definitionem de Propoſitionibus illis damnatis in Obvio Senſu, quem habent in Libro, & juxta *Doctrinam Janſenii*.

Nihil prodeſſe, imò ſummopere nocere Silentium deſponſum a Janſenianis defixis in inteſtina perſuaſione, quod Propoſitiones illæ ſint hæreticæ ſolùm in abſtracto, divinum ferè in modum declarat, dum *fallacis hujus Doctrinæ Pallio non deponitur Error, ſed abſconditur: vulnus tegitur, non curatur: Eccleſia illuditur, non paretur: & lata demum filiis inobedientiæ via ſternitur ad fovendam Silentio Hæreſim, dum ipſam Janſenii Doctrinam, quam ab Apoſtolica Sede damnatam Eccleſia Univerſalis exhorruit, adhuc interius abiicere, & corde improbare detrectant.*

Erit ne quiſpiam vocare auſus in controverſiam, utrum de Propoſitionibus tantummodo ſumptis in abſtracto loquatur Sanctiſſimus Pater, & non etiam de illis *in concreto acceptis; prout explicantur a Contextu Janſenianæ Doctrinæ*, cum hanc ipſam apertiſſimè dicat eſſe illam, *quam damnavit Apoſtolica Sedes, & Eccleſia Univerſalis exhorruit?*

Va-

Naturalis honeſtatis, *nedum Chriſtianæ ſynceritatis oblitos* affirmat eſſe illos, qui *interius non judicant Janſenii Libro Doctrinam hæreticam contineri.* At non contineretur Libro illo *hæretica Doctrina*, *ſi ex ejus Contextu ita explicarentur Propoſitiones illæ*, *ut Obvius earum Senſus Catholicus videri poſſet*.

Poſtquam deinde ſapientiſſimè definivit, *hæreticum Janſenii Senſum*, *non ore ſolùm*, *ſed & corde damnandum eſſe*: *nec alia mente*, *animo*, *aut credulitate ſubſcribi licitè poſſe Formulæ Alexandrinæ*, hujus tranſgreſſores Decreti ſubiicit Pœnis Hæreticorum juxta id, quod declaraverant Innocentius X. & Alexander VII. quorum Conſtitutiones confirmat Sanctiſſimus Clemens.

§. VIII.

Recentiſſimæ Janſenianorum Cavillationes: *Et primò de Mutatione Status Quæſtionis.*

POſt diſſipatas hallucinationes Adverſariorum animadverſas in eorum Libris, qui meas prius in manus inciderant, ſubiicio quaſdam ex iis nuper inventas in aliis recentiſſimis. Primò deprehendi vafrum artificium laborantium immutare Controverſiæ ſtatum, aut diſſimulare ſaltem, atque obſcurare, ut fucum faciant Lectoribus ſuis, & odium laceſſant contra Catholicæ Cauſæ Defenſores, quaſi arrogent Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ, Poteſtatem condendi novos Fidei Articulos, quotieſcumque declarat Catholicum eſſe, vel Hæreticum Senſum Propoſitionis, aut Voluminis alicujus. Et quaſi præterea jactent attributam Pontifici Maximo, & Eccleſiæ, cognitionem inſpiratam, & infuſam Senſuum omnium, qualis erat illa Canonicorum Scriptorum.

Sed, ut jam attigimus Libro Tertio Partis Secundæ §. 10. minimè vendicamus aſpectabili Eccleſiæ Capiti, ac Magiſtro, ipſiquè Corpori ejuſdem Eccleſiæ, Cognitionem Inſpiratam, atque novo, & inſolito munere Divinitatis infuſam ad certò definiendum, quod hæreticus ſit Senſus Propoſitionum, ac Libri Janſenii, ſimilem illi, qua donati ſunt Prophetæ, Apoſtoli, aliiquè Agiographi, cum Sacros Libros ederent. Sufficit adeſſe Summis Pontificibus, & Eccleſiæ, conſuetum Auxilium Divini Spiritus excludens quodlibet errandi periculum. Auxilium hoc ultro concedendum eſt, ſi fateamur, Eccleſiam, ejuſque Magiſtrum, *omnibus diebus uſque ad conſummationem Seculi* perſeveraturum in cuſtodia *Depoſiti* veræ Fidei, ad quod ſervandum neceſſe eſt, ut ſecernere queat Formam, & Senſum *ſanorum verborum a profanis vocum novitatibus*.

Dum autem declarat Principis Apoſtolorum Cathedra Catholicum eſſe, vel Hæreticum Propoſitionis, aut Voluminis alicujus Senſum, non condit novos Articulos Fidei, ſed ea, quæ credenda etiam prius fuerant ob Auctoritatem Verbi Divini Scripti, vel Traditi, elucidat, & vetat, ne *a profanis vocum novitatibus* Verborum, & Senſuum ſanorum veritas obſcuretur: v. gr. cum definivit hæreticum eſſe Propoſitionum Janſenii, & Janſeniani Libri Senſum, ſtatuit, eumdem contradicere Cæleſti Revelationi olim habitæ de Gratia Divina, & humana Libertate.

§. IX.

De recurſu ad ſolam Prævifionem Divinam de Eccleſia nunquam fallenda in explicando Senſu Propoſitionum, *aut Voluminum*, *excluſa Promiſſione Infallibilitatis*.

CUm urgeri ſe videant Janſenii fautores ab argumentis demonſtrantibus neceſſitatem Infallibilis Magiſterii pro ſtatuendo vero Senſu, qui admittendus in animum, vel falſo, qui reiiciendus omnino ſit; ne alioqui ſimus, ut inquit Apoſtolus ad Epheſ. 4. *tanquam parvuli fluctuantes*, *& circumferamur omni vento Doctrinæ in nequitia hominum*, *in aſtutia*, *ad circumventionem erroris*: atque unicuique permittatur arbitraria Senſus Interpretatio, quam ſibi per veſanam temeritatem vindicant Proteſtantes: nec aliunde fateri velint Janſeniani deſponſam divinitus fuiſſe Reparatoris Noſtri Vicario, & Eccleſiæ, Poteſtatem veri Senſus definiendi; affirmant plurimi ex ipſis, ſatis eſſe, ut prævideri Deus non erraturam Eccleſiam, dum decernit quo in Senſu accipienda ſit Doctrina Propoſitionis, aut Libri alicujus: atque Divino innotuerit Intellectui, hanc Eccleſiæ Immunitatem ab errore fore unam ex rebus, quæ juxta naturalem curſum ſint eventuræ.

Sed in quæ, Deus Immortalis, vepreta ſe abdunt! De Divina Infallibilitatis Promiſſione in explicando vero Senſu credendarum rerum apertiſſimè liquet, & ideo ſolùm prævidit Deus fore, ut nunquam erret Apoſtolica Sedes, & Eccleſia, quia promiſit nunquam exerraturam; alioqui enim nulli fundamento Prævifio eadem inniteretur. Quid clarius Promiſſione illa, qua Chriſtus Dominus fore ſe dixit ſemper *docentem omnibus diebus uſque ad conſummationem Seculi* ea, quæ conſtituunt Fidei Normam, & Morum, per os videlicet ſuas Vices agentis, Eccleſiæque ſuæ? *Docere* autem non eſt pro-

proferre ſolummodo Propoſitiones, quarum Senſus Explicatio uniuſcujuſque arbitrio permittatur; ſed eſt explicare Senſum ipſum, & decernere, utrum in proprio, & literali potius, quàm in improprio, allegorico, aut aliter myſtico accipiendæ ſint.

Demonſtratur etiam promiſſa cælitus Infallibilitas ex eo, quod Spiritus Divinus affirmaverit Eccleſiam eſſe *Columnam, & Firmamentum Veritatis, a qua docendæ ſint omnes Gentes*: ex quo efficitur nunquam eventurum, ut ipſa filios ſuos decipiat falſos illis offerens Senſus pro veris, & venenum pro pharmaco. Suam igitur fidem obſtrinxit Deus nunquam permittendi, ut Fideles miſerum in modum fallantur, dum Chriſti Domini Vicarium, Eccleſiamque, veluti Chriſtum ipſum, audient decernentem, quo in Senſu accipienda ſint Fidei, Morumque Decreta. Hæc ſola Promiſſorum Divinorum fides ſecuros præſtare nos poteſt tanta cæteroqui caligine circumfuſos. Sola hæc *in captivitatem redigere poteſt omnem intellectum in obſequium illius auctoritatis, quæ divinitus indulta eſt*.

Ad Naturalem rerum ordinem, & curſum confugiunt arbitrati futurum, ut juxta illum nulla inconſtantia, varietas nulla, raptura ſit hominum mentes a recta ſemita in obliquos calles abſurdorum Senſuum? Suo igitur integritatem Fidei Sapientia Divina humanæ infirmitati, inſcitiæque permiſit? Profectò ſi hanc unam expendiſſet a ſpecula Æternitatis, in errores innumeros, quos amplexuri eſſent homines, Divina præſagia incidiſſent.

Interrogo eos, qui nihil Divina Infallibilitatis Promiſſione opus eſſe opinantur, an illi nuntium remittant, quia Evidentem putent eſſe Sacrarum Literarum, iiſque repugnantium hæreticarum Propoſitionum, atque Voluminum Senſum? Non deſunt, qui hanc viam arripiunt, eoſque mox aggrediar. Sed nec iidem diffiteri audent, præter pleroſque Senſus, ut ajunt, Evidentes, ſupereſſe alios Obſcuros, & implexos, in quibus explicandis non ſinguli ſolùm Mortales, ſed ipſa quoque, ut ſubiiciunt, Eccleſia ſit obnoxia errori, qui tamen brevi, explorando Traditionem ſit corrigendus. Cum iſtis quoque deinde congrediar, interim ſolummodo innuens, quod, niſi nos fulciret Divina Promiſſio, nullo ratiocinationis nexu inter ſe cohærerent ea, quæ garriunt; nam ſi humana Infirmitas ſecum ferret, ut errare poſſet Eccleſia Senſum Obſcurarum Propoſitionum enucleans, nulla eſſet neceſſitas, ut ſemel prolati errores emendarentur ab hominum Cœtu ſuæ tenuitati juxta naturalem curſum relicto; eadem enim infirmitas, quæ labi poſſet in foveam, in ea quoque poſſet hærere.

Nunquam, inquiunt, contigit, ut vel Eccleſia Evidentem Senſum aptè non explicuerit: vel ſi in Obſcuro ſtatuendo lapſa fuerit aliquando, quamprimùm ſe non exerit? Cohorruiſſent enimvero Sanctiſſimi Veteres Patres ad hæc deliria. Hæretici omnes pernegant erratum nunquam ab Eccleſia fuiſſe in iis quoque Senſibus decernendis, quos Evidentes eſſe Janſeniani aſſeverant. Obſcuros verò, & implexos alios eſſe concedunt, inter quos ipſi Janſenii Aſſeclæ Senſum controverſarum Quinque Propoſitionum enumerant, quem, cum perperam explicatum fuiſſe affirment, non tamen poſt annos ferè Sexaginta correcta vident Decreta, quibus hæreticas eas eſſe in Senſu Janſenii Eccleſia cum ſuo Magiſtro Pontifice Maximo definivit. Non ad eventum igitur ipſum, qui oſtendat erratum nunquam, vel ferè ſtatim correctum errorem fuiſſe, confugiendum eſt; ſed ad Promiſſionem Divinam veræ ſemper Doctrinæ tradendæ ab Apoſtolica Sede, atque ab Eccleſia, in Evidenti, vel Obſcuro Catholicæ, vel Hæreticæ Propoſitionis, aut Libri, Senſu explicando.

§. X.

De Infallibilitate orta ex Notoria Evidentia Senſus excludente, ut quidam affirmant, Neceſſitatem Promiſſionis Divinæ de eadem Infallibilitate.

A Deo quibuſdam cordi eſt negare promiſſam divinitus Cathedræ S. Petri, & Eccleſiæ, Immunitatem ab errandi periculo in decernendo vero Senſu Propoſitionum, atque Voluminum, ut ſatis Veritati proſpectum affirment per hoc, quod plerumque manifeſtiſſima ſit natura Senſus ejuſdem, quæ in omnium illico mentes incurrat, perinde ac notorium omnibus eſt Urbem eſſe Romam, Henricum Magnum in Gallia regnaſſe, Libellum de Imitatione Chriſti non eſſe Mahometis Alcoranum; his enim Exemplis utuntur. Pleroſque Senſus patere omnibus dicunt ob hanc ipſam Evidentiam, neque ulla Eccleſiæ Infallibilitate opus eſſe ad eam ſtatuendam; Quinque autem Propoſitionum Senſum non Evidentem, ſed Obſcuriſſimum eſſe, ideoque, cum per ſe de illo non liqueat, & Eccleſia ſit deceptionis diſcrimini ſubjecta, in hoc ipſum diſcrimen inciderit adorta decernere, quod Hæreſi ſcateant in Senſu Janſenii.

Quàm ſtrenuè nugantur, dum hæc effutiunt!

tiunt! In Evidentia primùm ipſa,non in docentis Auctoritate, fundanda eſt Fides Divina? Imò non ideo hunc, vel illum, Catholici Senſum in animum debent admittere, quia ejus Evidentia ultro ſe prodit,ſed quia credimus Deo per Organum ſuum, aſpectabilem videlicet Fidei Magiſtrum, ſuamque Eccleſiam, nos alloquenti.

Non Obſcurus præterea, ſed Apertiſſimus eſt Obvius, Nativus,& Germanus Janſenii Propoſitionum, eaſque confirmare conati Voluminis, Senſus. Contra verò pleræque Propoſitiones credendæ, vel reiiciendæ, præſumptâ a Janſenianis Evidentiâ deſtituuntur adeo, ut,ſi pro vero earum Senſu decernendo Divinum Magiſterium neceſſarium non eſſet, nihil tutum relinqueretur in Arcanorum Divinorum Fide.

Conſultò voluit Deus plurima Oracula ſua velo quodam occultari,ut daretur locus Diſquiſitioni, acuereturque diligentia. Notant hoc Interpretes, qui de cauſis Obſcuritatis Sacrorum Voluminum adverſus Sectarios diſputant. Ven.Card.Bellarm.lib.3. de Verbo Dei cap. 1. Scrarius, Mendoza, paſſimque alii. Ut illa, quæ Sancta ſunt, magnoque in pretio habentur, ſipariis occultantur,ne a rudi Vulgo profanentur: aut quia, quæ omnibus abſque labore patent, contemnuntur: ita verbls ejuſmodi Secreta multa Divinitatis indicantur,quæ caliginem Lectorum oculis offundunt. *Altiores Senſus deliteſcunt intra firma, & adamantina veſtibula,*inquit Nicephorus Gregoras, *quibus educendis magna contentione, ac diſquiſitione ſit opus*. Plurima in hanc rem præclarè diſſerunt S. Joannes Chryſoſtomus hom. 6. in Ezechielem exponens illud Pſal.48. *Inclinabo in Parabolam aurem meam.* S. Gregorius Magnus in Prol. ad 1. Regum, & ante illos Origenes homil.11. in Ezech.

Sed unicum audire præſtat Sanctum Petrum Chryſologum, qui, *Si dicta*, inquit, *vel facta Chriſti paſſim carnalibus ſenſibus ſubiicerentur, torpeſceret animus meus, vagaret, & dormiret ingenium, cor tabeſceret, extinguèretur quicquid humani vigoris eſt, & caloris. Propoſuit illis Parabolam,quia ſicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro; ipſe tamen ignis ferri, ac lapidis colliſione flammatur: ſic obſcurum verbum verbi, ac Senſus collatione reſplendet. Certè ſi Myſteria non eſſent, inter Infidelem, Fidelemque, inter Impium, atque Pium diſcretio non maneret, & eſſet devotus, ſicut contumax: iners, ſicut qui laborat: pervigil, ut ille,qui dormit.Nunc verò cum petit anima, mens pulſat, quærit ſenſus, ſperat pietas, Fides exigit, meretur intentio, apparet & ſudantis fructus, & pœna deſidis,& Juſtitia Largitoris ſimul: quia plus accepta ſapiunt, quàm poſſeſſa: inventa magis, quàm ſubjecta, delectant. Hinc eſt,quod Doctrinam ſuam Chriſtus Parabolis velat,tegit figuris, Sacramentis operit, reddit obſcuram Myſteriis.*

Hæc Chryſologus, cujus eloquentiſſima Auctoritate, aliiſque mox tangendis argumentis non indigemus pro demonſtranda neceſſitate confugii ad Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiæ Magiſterium quò ad Senſum Janſenii, perinde ac ipſe tenebris involveretur, cum dilucidior nullus excogitari poſſit. Nam ſi Janſenius eſt Evidentiſſimus,& nihilominus illum ſui Aſſertores detorquent ad Senſus abſonos, & abſurdiſſimè interpretantur Propoſitiones illas, de quarum nativa, & obvia ſignificatione quæſtio nulla ſuſcitari a prudentibus poteſt, quantò magis neceſſaria erit promiſſa divinitus Eccleſiæ Magiſtro, ipſique Eccleſiæ, Infallibilitas in explicando Senſu Propoſitionum cæterarum, quæ, cum arduæ, ac frequenter implexæ, obſcuræque ſint,nequeunt certò illarum intelligentiam aſſequi cæteri mortales errandi periculo ſubjecti?

Neceſſitatem Divinæ Promiſſionis, ac ſpecialis auxilii collati Eccleſiæ Capiti oculis ſubjecto, ipſique Corpori, maniſeſtiſſimè oſtendunt errores, in quos proruerunt Concilia, cum Capiti rebellarunt, ideoque Illuſtratione Cæleſti deſtituta fuerunt. Fruſtra plurimi ad Synodos confluxere,ut Epiſcopi Triginta octo ſupra trecentos ad Conſtantinopolitanam regnante Copronimo, quæ tamen impiè ſuſtulit Venerationem eò uſque Sacris Imaginibus religiosè attributam. Qui Evidentia naturali patere dicunt credendi Senſus veritatem, ediſſerant, cur eadem Evidentia ſpectandam ſeſe non dederit Conſeſſibus illis hominum clariſſimorum? Et ſingulis illa, etiam e Plebe, hominibus apparebit? Miſeram Conciliorum ſortem, niſi ſuo Capiti adhæreant, mirificè deſcribunt Sancti Gregorius Theologus,& Hilarius. Si præſumpta ſufficeret naturalis Evidentia Senſus, non deliraſſent Synodi, quas Conſtantius imperator Arianis favens celebrari præcepit. Quid enim illuſtrius,& maniſeſtius Senſu Nicæni Concilii, cujus tamen fidem aliæ Synodi labefactare conatæ ſunt? Quis ignorabat religioſum Latriæ Cultum Filio Dei Humanitatem induto a Fidelibus omnibus ad illa uſque tempora exhibitum? A Nicæno Concilio ſancita Chriſti Divinitas notiſſima omnibus erat. Quicumque præterea rationis compotes perſpicuè intuebantur negari ab altera Synodo non poſſe id, quod circa revelatas Verita-

ritates affirmaverat altera; nulla enim Eccleſiæ deberetur fides, ſi ſecum ipſa pugnaret. Obvius, & apertiſſimus, ut notat S. Auguſtinus contra Maximinum lib. 2. cap. 14. n. 3. erat Senſus verbi *Conſubſtantialis*, quod inſeruerat Symbolo ad Chriſti Divinitatem explicandam Nicæna Synodus: & tamen, ut inquit eximius Doctor: *In Concilio Ariminenſi minus, quàm oportuit, intellectus fuit Senſus hujus verbi, Conſubſtantialis.*

Poſt Sacrorum errata Comitiorum enervia videri poterunt Exempla petita a lapſu celeberrimorum virorum, Origenis, Tertulliani, Theodoreti, aliorumque, in explicando vero Sacrarum Literarum Senſu, etiam quando hic apertiſſimus erat. Sed hæc quoque indicaſſe non piget, ex quibus maniſeſtiſſimè liquet, monſtroſè jactari, quod etiam præciſa Promiſſione Divina de nunquam deſtituendo Capite, & Corpore Eccleſiæ in explicando Fidelibus vero Senſu credendarum rerum, hunc ipſum nobis exhibeat naturalis ejuſdem Senſus Evidentia. Et hæc, quæ latuit ingenioſiſſimos, & doctiſſimos Viros, apparebit plerumque ſtatim cuilibet etiam ex Vulgo hebeti homini adeo patenter, nulla ut de illius veritate ſuſpicio poſſit oriri, perinde ac nemo non inſanus in controverſiam revocare poteſt, an Roma ſit Urbs, an Henricus Magnus in Gallia regnaverit, an aureus de Imitatione Chriſti Libellus differat ab Alcorano Mahometis?

Prætermiſſis aliis innumeris contra præſumptam gratis notoriam, quæ pleriſque Senſibus probandis tanquam Catholicis, vel, tanquam hæreticis, improbandis, inſit Evidentia, ſolùm poſtremò expendo ridendamne dicam, an verius deflendam obdurationem animi eorum Janſenii amatorum, qui conferentes inter ſe Hipponenſem, & Iprenſem Auguſtinum, affirmant, prioris Doctrinam de Gratia Divina eſſe apertiſſimam, poſterioris autem obſcuriſſimam, ut proinde, cum hæc careat Evidentiâ, errare potuerit Apoſtolica Sedes, & Eccleſia, in damnando Janſeniano Senſu tanquam hæretico. Sed qui hoc aſſerunt, enimvero in Sanctiſſimi Auguſtini Operibus peregrinantur; ipſe enim frequenter fatetur arduum fore Lectoribus aſſequi verum Senſum eorum, quæ proferebat cum variis hoſtibus Fidei congreſſus. Quid autem ſenſerit Iprenſis Epiſcopus, maniſeſtiſſimum eſt, cum per annos pluſquam Viginti deſudaverit ad affundendam Claritatem Volumini ſuo, & utinam, ſicut hanc abunde fuit aſſecutus, ita veram S. Auguſtini Doctrinam perſpicuo ſuo, ſed *adultero Senſu* non *violaſſet*, quemadmodum de illo affirmat Gallicanæ Cœtus Eccleſiæ.

§. XI.

De Senſibus Obſcuris, quos perperam definitos emendari dicunt Janſeniani quidam ope Traditionis.

UT detorquere Janſeniani queant Quinque Propoſitiones damnatas ad Senſus alieniſſimos a vero, nativo, & Obvio, aſſeverant Obſcuram eſſe earumdem ſignificationem, ideoque, cum careat Evidentiâ illâ, quæ pleroſque Textus probandos, vel improbandos, illuſtrat, errare potuiſſe in hoc potius, quàm illo Senſu Propoſitionibus illis tribuendo Apoſtolicam Sedem, & Eccleſiam atque in errorem re ipſa incidiſſe: eidemque deceptionis periculo ſubeſſe quò ad alios quoque implexarum, obſcurarumque Propoſitionum Senſus decernendos. Hoc autem ſi contingat, quamprimùm veritati conſultum iri per hoc, quod Eccleſia Traditionem explorans emendatura ſit id, quod prius perperam definiverat.

Sed primò illos interrogo, ex quonam Theologico loco hauſerint opinationem hanc ſuam? E ſacris ne Literis, ex Traditionibus, ex Conciliis, ex Patribus? Ullum ne hinc, vel aliunde, fundamentum eruitur ad ſtatuendum, quod decipi ab Apoſtolorum Principis Cathedra, & ab Eccleſia, Catholici queant, commonefaciendi tamen deinde erroris, in quem Eccleſiæ illos Auctoritas induxiſſet?

Secundò. Cur neceſſe eſſet quamprimùm detegi veritatem, niſi quia Chriſti Domini Vicario, Chriſtique Sponſæ Eccleſiæ promiſſa cælitus eſt Aſſiſtentia Divini Spiritus, ut Populos in vera Fide confirmet? Hæc autem Promiſſio non coarctatur ad tempus illud, quo eximenda ſit Congregatio Credentium ab errore, ſed futurum ſe nobiſcum ſpopondit noſtræ Salutis Aſſertor *omnibus diebus uſque ad conſummationem Sæculi*, ut perpetuò nos doceat Veritatem.

Tertio. Pugnant apertiſſimè ſecum, qui ut Promiſſionem Infallibilitatis eludant, confugiunt ad Evidentiam pro Senſibus Claris tutò definiendis, & Obſcuros non aptè explicari poſſe contendunt. Et interim negatam ab ipſis Promiſſionem Infallibilitatis coguntur admittere, cum fateantur neceſſitatem, ut quamprimùm Veritas declaretur.

Quartò. Si deſtituta identidem Divino præſidio Eccleſia poſſet errare in vero Propoſitionum, aut Voluminum Senſu explicando, & Hæreſes credendas proponere, exiſtimari poſſent vera Eccleſiæ, ac non ſpuria

Concilia, Latrocinale Dioſcori Epheſinum, Conſtantinopolitanum Iconomachorum, & alia plurima, in quibus impia Dogmata ſancita ſunt; neque enim quicquam in iis contigiſſet horribilius eo, quod in vera Eccleſia evenire affirmant oſores hi perpetuæ Infallibilitatis divinitus promiſſæ: neque minus impia illa Dogmata nefariis iis in Congreſſibus aſſerta emendari deinde potuiſſent, quàm corrigi dicant Declarationes perperam ab Eccleſia factas, hæreticum Senſum Propoſitionibus, aut Voluminibus attribuendo.

Quintò. Quod alexipharmacum ſuggerunt ad remedium afferendum veneno falſæ Doctrinæ, quo imbuti ſuiſſent animi ab Eccleſia Senſus hæreticos pro Catholicis propinante? Paſtorum, inquiunt, colloquia, Parochorum documenta, & ſolennes Epiſcoporum in unaquaque Diœceſi Conciones epotum a Plebe virus diluerent. Sed quid hoc abſurdius commento excogitari poteſt? Spectati ſingillatim Parochi, & Præſules tenentur Supremi Paſtoris, ipſiuſque Eccleſiæ verba uſurpare, Senſumque verbis attributum ab eadem Eccleſia, ejuſque Magiſtro Pontifice Maximo, ſuis auditoribus explicare, dum eos Catecheſi erudiunt, & Concionem ad veram Religionem, Morumque Sanctimoniam hortantur. Nefas eſt a ſingulis, vocatis in partem ſolicitudinis ab Eccleſiæ Hierarcha, diverſimode Traditionem exponi, quàm explicata ſuerit ab ipſo Eccleſiæ Cœtu OEcumenicis in Conciliis congregato. Si ergo erratum ab Aſpectabili Capite, ac Eccleſiæ Corpore fuiſſet in Senſibus decernendis, nulla ſupereſſet via ad revocandos deceptos animos in tramitem Veritatis.

Sextò. Demum, cum fateantur Adverſarii neceſſarium omnino eſſe, ut quamprimùm Catholici Senſus Veritas dilucidetur, ne interim Hæreſis, veluti Cancer, ſerpat, veramque Fidem in hominum innumerabilium mentibus corrumpat, quonam pacto contigiſſe potuit, ut per annos ferè Sexaginta poſt damnatam ab Innocentio X. Janſenii *Doctrinam*, & Quinque Propoſitiones excerptas a Volumine Janſenii nomen præſeferente confixas tanquam hæreticas in ejuſdem Voluminis Senſu, quod deinde clarius explicuit Alexander VII., ceterique eorum Succeſſores, & Pontificias Definitiones Catholica obſequentiſſimè amplexa eſt Eccleſia: quonam, inquam, pacto evenire potuit, ut eadem Eccleſia in præſumpto a Janſeniania errore, correcto nunquam, perſeveraverit?

§. XII.

De Aſſenſu ſolùm Moraliter certo, quem ſufficiat præſtare Definitionibus declarantibus eſſe Hæreticum Senſum Janſenii, ut quidam ejus amatores pronuntiant.

CUm declaraverit apertiſſimè in ſua nupera Conſtitutione Sanctiſſimus Clemens *non ore ſolùm, ſed & corde*, rejiciendum eſſe tanquam hæreticum Quinque Propoſitionum Janſenianum Senſum, illum videlicet, quem Obvium exhibent Propoſitiones ipſæ, ac *explicat Volumen Janſenio attributum*, plurimi nunc inficiari non audent aliquem certè interiorem Aſſenſum huic Veritati præſtandum eſſe. Verumtamen addunt ſatis eſſe, ut Aſſenſus hic ſit certus *Moraliter*: quo pacto v. g. certùm eſt, quod hunc potius Patrem, quàm alium, ſortiti fuerimus: & quod conſecrata ſit Hoſtia, quam a populo adorari videmus. Negant igitur neceſſarium eſſe, ut Divina, ideoque *Infallibili*, Fide cenſeatur Hæreticus Janſenianus Senſus. Apoſtolicæ proinde Sedi, & Eccleſiæ adhuc rebellant, hæc enim non qualemcumque falſitatis periculo ſubjectum, ſed omnino certum, & cui error ſubeſſe nullatenus queat, Aſſenſum requirit: ut patet manifeſtè ex ipſa Conſtitutione, quæ tota verſatur circa hoc Controverſiæ caput, atque decernit a Juramento Formulæ induci neceſſitatem credendi Supernaturali Fide, quod hæreticus ſit proprius, genuinus, germanus, & Obvius Senſus Propoſitionum, & Janſeniani Voluminis, a quo Propoſitiones illæ ſunt excerptæ, & in quo illas confirmare Auctor conatur. Damnat Sanctiſſimus Clemens, ut Hæreticos, illos *qui interius non judicant Janſenii Libro Doctrinam hæreticam contineri*. Summus igitur Pontifex exigens Aſſenſum hunc omnino certum, & remotum a quovis errandi periculo, ſibi tribuit, & exercet Auctoritatem hac ſuper re *Infallibilem*.

An illum prætergredi ſuæ limites Poteſtatis effutient? Sed blaſphemarent hoc pronuntiare auſi: neque in ipſum ſolummodo credentium omnium Magiſtrum, ſed in univerſam quoque injurii eſſent Eccleſiam, quæ Pontificiam Declarationem ſummo cum obſequio ſuſcepit. Num ſuos Eccleſia Miniſtros compellit, ut certò ſine certitudine credant: ut temerè jurent in rem incertam? Num exerceri ab illa putant Auctoritatem tyrannicam, & ſupinam ignorantiam, cœcitatem, temeritatemque Sponſæ Divini Filii attribuunt?

Fru-

Fruſtra ſperant hoc integumento *Moralis*, quam jactant a ſe admitti, *Certitudinis* imponi a ſe poſſe Veritatis Propugnatoribus: Latere falſitas poteſt ſub eo, quod *Moraliter* certum apparet. Ideo quamvis Aſſenſum hunc præſtarent, quem eſſe dicunt Moraliter certum, relictam ſibi Libertatem opinarentur dubitandi de illo ipſo, quod jurant, videlicet, quod hæreticum exiſtiment Janſenianum Senſum; cumque ab hac eidem Senſui Hæreſis nota tribuenda ſemper abhorruerint, neque nunc ſeriò eidem illam infligerent, quamvis jactent a ſe cenſeri Moraliter certum, quod hæreticus ſit Senſus, & Doctrina Janſeniani Voluminis. Perinde igitur nunc, ac antea, pejerarent.

Dum aliquem ſemper ambigendi locum ſibi relinqui volunt, extat, & eminet, quod Eccleſiæ, illiuſque Moderatori negant Infallibilem Auctoritatem in declarando Senſu Propoſitionum tum in abſtracto, tum *in concreto, ſcilicet in Contextu Voluminis alicujus* ſumptarum, & pergunt ea, quæ ſemper, effutire, videlicet, quod Quæſtio Senſus pertineat ad merum Factum, pro quo infallibiliter decernendo nulla detur in Eccleſia Poteſtas, ideoque Aſſenſus Veritati quò ad Senſum præſtandus nequeat eſſe omnino Infallibilis, quia elevari non poſſit ſupra Motivum ipſum, quod fallibile putant, ſcilicet Pontificiam, & Eccleſiaſticam Auctoritatem. Nihil igitur lucrantur, qui ſolummodo Moraliter certum Aſſenſum deſpondent, cum pateat nova ſolùm ab illis Effugia quæri, ut Pontificias Declarationes eludendo non recedant a ſuo, quod infœliciſſimè depereunt, ſuperbiſſimę Hæreſis explicatore Volumine.

Conqueſti hucuſque perpetuò ſunt Janſeniani, quod præſcriptus a Summis Pontificibus fuerit Aſſenſus *omnino Certus, & Infallibilis*, quo faterentur Quinque Propoſitiones hæreticas eſſe in Senſu Janſenii, & perpetuò exclamarunt imperari ſibi non poſſe, ut in animum abſque dubitatione admitterent id, quod ad merum, ut ipſi opinabantur, Factum pertineret, & ad quod jubendum credi Supernaturali Fide non ineſſet Auctoritas Apoſtolicæ Sedi. Qua igitur nunc fronte dicunt acquieſcere poſſe Cathedram S. Petri in Aſſenſu, quem præſtent, certo ſolùm Moraliter, cui ſcilicet opinentur non ſolùm poſſe, verùm etiam re ipſa ſubeſſe falſitatem? Manifeſtiſſimum eſt a Sanctiſſimo D. N. explicatam eſſe ſuam, ſuorumque Deceſſorum, mentem maxima, quæ dari queat, perſpicuitate. Si ergo poſt Alexandri VII. Declarationem inceperunt querelæ de requiſita *Infallibilitate* Aſſenſus, portentum eſt, quod ullus nunc ſuperſit, qui ſibi blandiatur, urgendos non eſſe Ianſenii Amatores ad Formulam eo jurejurando firmandam, quod excludat quodlibet dubitationis Effugium.

Quò deduxit homines *nunquam cavillandi finem facientes* pervicax animi obduratio! Vel nullam Chriſti vices Agenti, & Eccleſiæ, Infallibilitatem in Senſibus explicandis promiſſam dicunt: Vel, excluſa Immunitate ab errore, ad præſumptam Evidentiam Senſuum plerumque confugiunt, Fidemque adhibendam putant Evidentiæ ipſi, & non docentis per Organum ſuum Dei Auctoritati: Vel in Obſcuris Senſibus declarandis errare poſſe cum Præceptore ſuo Eccleſiam opinantur, cui malo ſomniatum remedium affingunt: vel ſi ad aliquem Certum Aſſenſum adigendi ſunt, illum exhibent, cui Divina, ideoque vera, Certitudo minimè inſit, & quem re ipſa falſum putant.

§. XIII.

De inani regreſſu Janſenianorum ad primas Labyrinthi ſui vias: deque Cauſis, propter quas plurimi fateri nolunt, quod Quinque Propoſitiones ſint hæreticæ in Senſu Obvio, quem præſeferunt ex Contextu Libri, qui Janſenio tribuitur.

MAnifeſtiſſimum eſt ex iis, quæ in hoc univerſo Libro dilucidavimus, regredi ad primas, & inextricabiles ſemitas infœliciſſimi Labyrinthi ſui eos Janſenii amatores, qui rurſus affirmant, Quinque illas Propoſitiones Hæreſis notâ meritò fuiſſe confixas, ſi tantummodo ſpectentur in ſe ipſis, non autem ſi expendatur *Explicatio, quam illis tribuit Janſenianum Volumen*. Sicut autem interclufus eſt exitus illis, qui primò callem hunc obliquum arripuerunt, ita deſperandum eſt Effugium a redeuntibus ad eumdem. *In circuitu* miſeri *ambulant*, imò *ab impiis* hoc fieri dixit Regius Vates.

Quæ illis Cauſa ſit Obdurationis animi tantæ, facili negotio aſſequi poſſumus. Eas primùm elimino Cauſas, a quibus illos impelli prudens nemo arbitrari queat. Nullus profectò ipſorum, qui Janſenii Volumen expenderit, ullam in eo invenit Explicationem, quæ diverſum ab Obvia, & apertiſſima ſignificatione Senſum Propoſitionibus illis valeat affingere. Imò enimverò in omnium oculos, & mentem incurrit Explicatio, & Confirmatio multiplex nativi, Obvii, & patentis Senſus, quem Propoſitiones eædem exhibent, & ultrò præſeferunt. Ergo nequeunt opinari deceptos fuiſſe Octoginta

illos

illos Quinque Galliarum Epiſcopos, qui primi excerptas a Janſenii Libro Propoſitiones ad Innocentium X. detulerunt, totque alios Theologos Catholicæ Fidei retinentiſſimos, qui per Annos ferè Sexaginta Volumen illud expendentes, & illas in eo Propoſitiones partim iiſdem, partim æquipollentibus verbis exaratas, explicatas, & infauſto,ſed ſolertiſſimo,ſtudio utcumque confirmatas, detruncatis, perque vim peſſimè detortis Allegationibus D.Auguſtini, aliorumque Patrum, invenerunt.

Solicitos ne Famæ Ianſenii ſui adeo crediderim ejus Diſcipulos, ut hæc illos Cauſa urgeat ad recedendum ab Apoſtolicæ Sedis, Eccleſiæque Sententia? Sed nullâ unquam Hæreſis Cenſurâ perſtrictus eſt Cornelius ipſe Ianſenius, quamvis declarata ſit Hæretica ejus *Libri Doctrina*, ac proinde conſultum adeo fuit nomini Ianſeniano, ut imprudentiſſimus futurus ſit quicumque, laborans pro ejus Libri maculis detergendis, præcipitem dare ſe velit in Sempiternum interitum.

Nullus erit profectò Sapiens, qui Cauſam Erroris ſui prætexat modum loquendi adhibitum a Pontificibus Maximis, quaſi aliquis ipſorum *alteraverit, aut reformaverit* aliorum Conſtitutiones, ut proinde ultimis adhærere Declarationibus Ianſeniani poſſint: quandoquidem apertiſſimum eſt,a Succeſſoribus fuiſſe Deceſſorum Decreta omnia ampliſſimè confirmata.

Cauſam ne pervicaciæ tribuemus opinioni, ſeu verius enormi Errori, Ianſenianorum quorumdam in animo verè defixo,quod pertineant ad ſolius Facti Quæſtionem Definitiones omnes cæterorum Pontificum, præter illas Innocentii X., ita ut Errores quò ad Deciſiones Facti cæteris Eccleſiæ Præceptoribus attributi non conſtituant Hæreticos eos, qui S. Petri Cathedræ quò ad has, quas dicunt Facti Controverſias, refragantur? Sed ab Innocentio quoque Decimo declaratum vidimus, quod Hæretica ſit Janſeniani *Libri Doctrina*, ideoque ſit Hæreticus Senſus Propoſitionum illarum *in concreto*. Et præterea nullus, qui literis ullis tinctus utcumque ſit, imò ſaltem compos rationis, quamvis Academiam ne de limine quidem ſalutaverit, ſi eidem proponatur, utrum Quæſtio circa *Doctrinam* aliquam,explorans, an illa Catholica, vel Hæretica,cenſenda ſit,pertineat ad Jus,& Dogma Fidei,ſtatim non affirmabit,omnino pertinere. Cum igitur Quæſtio circa Senſum Janſenii eadem ſit, ac Quæſtio circa *Doctrinam* Libri Janſenio attributi, vident profectò Janſeniani omnes eam revocari non poſſe ad meram ſolius Facti Controverſiam.

Cauſari ne poſſunt Diſcrimen inter Sententiam ab Apoſtolica Sede, ac Eccleſia, latam contra Propoſitiones illas in abſtracto ſumptas, & eaſdem acceptas in concreto, ita ut quò ad primam Definitionem illi concedant Infallibilitatem,non verò quò ad alteram? Sed quis non deſtitutus penitus facultate ratiocinandi non videt, perinde neceſſarium eſſe ad Fidelium Magiſterium, ideoque divinitus conſtitutum, ut æquè Infallibilis ſit Apoſtolorum Principis Cathedra, & Eccleſia, in definiendo, utrum Catholicus,vel Hæreticus ſit *Contextus Doctrinæ in concreto ſparſus per Volumen aliquod*, ac quod Catholica, vel Hæretica ſit Propoſitio quædam in Abſtracto ſeorſum accepta?

Excluſis aliis omnibus Cauſis, verè Janſeniani Erroris Magiſtros obdurat in Hæreſi Pervicacia ipſa in eo propugnando, quod ſemel in animum induxerunt, & pro quo defendendo diu, multumque certarunt.

Illos rapit in præceps Abominatio eorum, qui eos acrius impugnaverunt, quoſque ſibi peculiares hoſtes fingunt, perinde ac ſi pugnam contra Univerſam Eccleſiam non ſuſcepiſſent.

Utinam fortaſſe quorumdam quoque animis non lenocinaretur Ambitio callidi,quod ſibi arrogant, ingenii plurimis in Effugiis inveniendis, ut *Eccleſiæ pergant illudere,non parere*.

Enimverò præcipuam Obſtinationis cauſam plurimi cenſent eſſe deplorandam Superbiam, qua, ne ipſis attribuantur Crimina, in quæ labitur humana Libertas,audent affirmare, Indifferenti nos uſu Arbitrii ad ſalutaria Opera perpetranda ſæpe carere Divinâ Gratiâ ſpoliatos: cumque tantùm ſuperſit Libertas a Coactione, parum culpandos eſſe Mortales, ſi violent frequenter Præcepta divinitus nobis impoſita.

Quod autem ne in abſtracto quidem cenſeant hæreticum Senſum Obvium Propoſitionum illarum, demonſtravimus §. 1. hujus Libri.

Has opinor Janſenii Vexilliferis eſſe Cauſas ab Eccleſia recedendi, cujus gremio ſe contineri fruſtra gloriantur. Cæteros autem Doctrinâ nullâ excultos ab *emendicatis undique captioſis* Magiſtrorum ſuorum *ſubtilitatibus* in errorem induci, ac præterea *ab exactioris Diſciplinæ ſpecie, quam obtendunt* iidem Hæreſis Præceptores, *ac de rigidioris Theologiæ ſibi Fama blandiuntur*. Deceptas has *ab Eccleſiæ, ac Reipublicæ Perturbatoribus* Oves Supremi Paſtoris vocibus,quibus ipſe Hollandos, & conterminos Populos hortatur per Literas extantes Lit.MM.alloquor

quor

Digitized by Google

quor in Operis fine. *Sinite illos, quia cæci ſunt, atque utinam non excæcaverit illos malitia eorum. Oſtendite vos veras Chriſti Oves eſſe, qui Supremi in Terris Paſtoris ab eodem Domino conſtituti monitis obſequuntur, & non audiunt vocem alienorum &c. In accepto a majoribus veſtris Pietatis inſtituto perſeverantes, quem Religione profitemini Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Principatum, promptâ, ut verè Catholicos decet, Obedientiâ comprobate.*

LIBER TERTIUS,

In quo exhibentur, nullo adempto verbo,

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ,

Literæ Pontificum Maximorum, & Cleri Gallicani, aliaque Authentica Acta,

QUIBUS

POLEMICA HISTORIA

JANSENISMI,

AC RELIQUA HUCUSQUE STATUTA

De Quinque Propoſitionibus excerptis ex Libro Janſenii, & damnatis Infallibiliter tanquam Hæreticis in Senſu ejuſdem Voluminis: deque Subdola, & Inani Oblatione Silentii, validiſſimè confirmantur.

EPISTOLA
OCTOGINTA QUINQUE EPISCOPORUM GALLIÆ AD INNOCENTIUM X PONT. MAX.

Petentium ab illo Examen, & Damnationem Quinque Propoſitionum Janſenii. Scripta anno 1651.

MAJORES Cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolennis Eccleſiæ mos eſt, quem *Fides Petri nunquam deficiens* perpetuò retineri pro Jure ſuo poſtulat. Æquiſſimæ huic legi obſequentes de graviſſimo circa Religionem Negotio Sanctitati Tuæ ſcribendum eſſe cenſuimus. Decennium eſt, ex quo vehementiſſimis turbis Gallia magno noſtro mœrore commovetur ob Librum poſthumum, & *Doctrinam* Rever. Cornelii Janſenii Yprenſis Epiſcopi. Tales quidem motus ſedari oportebat tum Concilii Tridentini Auctoritate, tum Bullæ illius, qua Urbanus VIII. fel. mem. adverſus Janſenii Dogmata pronuntiavit, & Decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Bajum edita confirmavit. Atque hujua quidem Bullæ veritatem, ac rubur novo Diplomate vindicaſti, ſed quia nulli ſigillatim Propoſitioni certa Cenſuræ nota inuſta fuit, locus etiam nunc aliquis quorumdam Cavillis, & Effugio relictus eſt. *Intercludendum* autem *penitus ſperamus, ſi*, ut precamur, *Sanctitas Tua, quid hac in re ſentiendum ſit, clarè, diſtinctèque definiat*. Obteſtamur ergo, ut has præſertim Propoſitiones, de quibus diſceptatio periculoſior, ac contentio ardentior eſt, S. T. expendat, & perſpicuam, ac certam, de unaquaque Sententiam ferat.

A Num. 1. Fides Petri nunquam deficiens.

Definitio Pontificia cenſenda Infallibilis.

Prima. Aliqua Dei Præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant.

Secunda. Interiori Gratiæ in Statu Naturæ Lapſæ nunquam reſiſtitur.

Tertia. Ad merendum, & demerendum, in Statu Naturæ Lapſæ non requiritur in homine Libertas a Neceſſitate, ſed ſufficit Libertas a Coactione.

Quarta. Semipelagiani admittebant Prævenientis Gratiæ Interioris Neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana Voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

Quinta. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem ſudiſſe.

Experta eſt nuper Beatitudo Tua quantùm Apoſtolicæ Sedis in Gemini Eccleſiæ Capitis errore profligando valuerit Auctoritas. Continuò ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem, & imperium venti, & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatiſſime Pater, *ut clara, firmaque de Propoſitionum iſtarum Senſu prolata Sententia*, cui Reverend. ipſe Janſenius morti proximus Opus ſuum

Sententia Pontificis Errori nulli ſubjecta.

ſubjecit, *caliginem omnem diſcutias, animos fluctuantes componas, diſſidia prohibeas, Eccleſiæ Tranquillitatem, Splendoremque reſtituas*. Dum hæc ſpes mentibus noſtris affulget, Sanctitati Tuæ multos, & proſperos annos, ſeculoque Beatiſſimam Æternitatem Rex Seculorum immortalis adiiciat, optamus, ac vovemus.

Excerpta ex Libro, qui inſcribitur: Collectio hiſtorica Bullarum, & Conſtitutionum, Brevium, Decretorum, & aliorum Actorum ſpectantium ad Errores hujus ultimi Seculi, tam in materia Fidei, quàm Morum, pag. mihi 69. ex Editione Monteuſi apud Gaſpard. Migeat. 1698.

CONSTITUTIO INNOCENTII X.

Damnantis Quinque Janſenii Propoſitiones data pridie Kal. Junii 1653.

CUm occaſione impreſſionis Libri, cui titulus, Auguſtinus Cornelii Janſenii
B Epiſcopi Yprenſis, inter alias ejus Opiniones orta fuerit, præſertim in
Num. 2. Galliis, controverſia ſuper Quinque ex illis, complures Galliarum Epiſcopi apud Nos inſtiterunt, ut eaſdem Propoſitiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perſpicuam ferremus Sententiam. Tenor verò præfatarum Propoſitionum eſt, prout ſequitur. Prima. *Aliqua Dei Præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant*. Secunda. *Interiori Gratiæ in Statu Naturæ Lapſæ nunquam reſiſtitur*. Tertia. *Ad merendum, & demerendum, in Statu Naturæ Lapſæ non requiritur in homine Libertas a Neceſſitate, ſed ſufficit Libertas a Coactione*. Quarta. *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ Interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana Voluntas reſiſtere, vel obtemperare*. Quinta. *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*. Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum noſtrum aſſiduè pulſant, illa in primis cordi eſt, ut Eccleſia Dei Nobis ex alto commiſſa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam navis in tranquillo mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus, ac procellis, ſecurè navigare, & ad optatum Salutis portum pervenire poſſit; pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus, ad id ſpecialiter ſæpius congregatis, ac pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eaſdem Quinque Propoſitiones, ut ſupra, Nobis oblatas fecimus ſigillatim diligenter examinari, eorumque Suffragia cum voce, tum ſcripto relata, maturè conſideravimus, eoſdemque Magiſtros variis coram Nobis actis Congregationibus, prolixè ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet differentes, audivimus. Cum autem ab initio hujuſcemodi diſcuſſionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Chriſtifidelium preces, tum privatim, tum publicè indixiſſemus; poſtmodum iteratis eiſdem ferventius, ac per Nos ſolicitè implorata Sancti Spiritus Aſſiſtentia, tandem Divino Numine favente ad infraſcriptam devenimus Declarationem, & Definitionem. Primam prædictarum Propoſitionum: Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus; ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant: *Temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*. Secundam: Interiori Gratiæ in Statu Naturæ Lapſæ nunquam reſiſtitur: *Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*. Tertiam: Ad merendum, & demerendum, in Statu Naturæ Lapſæ non requiritur in homine Libertas a Neceſſitate, ſed ſufficit Libertas a Coactione; *Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*. Quartam: Semipelagiani admittebant Prævenientis Gratiæ Interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana Voluntas reſiſtere, vel obtemperare: *Falſam & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*. Quintam: Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe: *Falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo Senſu, ut Chriſtus pro Salute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit: Impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ Pietati derogantem, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*. Mandamus igitur omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, ne

Sentiendum interius,

de

de dictis Propoſitionibus *ſentire*, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra Declaratione, & Definitione continetur, *ſub Cenſuris & Pœnis contra Hæreticos*, & eorum fautores *in jure expreſſis*. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, necnon Hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per Cenſuras, & pœnas prædictas, cæteraque Juris, & Facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii Secularis, omnino coerceant, & compeſcant. *Non intendentes* tamen per hanc Declarationem, & Definitionem ſuper prædictis Quinque Propoſitionibus factam *approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto Libro Cornelii Janſenii*. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, pridie Kal. Junii. Pontificatus Noſtri Anno IX.

quod Quinque Propoſitiones Janſenii ſint Hæreticæ. Hæreticorum Pœnis ſubiiciuntur Janſeniani. Non probantur reliqua contenta in Libro Janſenii.

Breve Innocentii X. ſ. m. ad Regem Chriſtianiſſimum de Condemnatione Propoſitionum Janſenii.

INNOCENTIUS PAPA X.

CHriſtianiſſime in Chriſto Fili noſter, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Conſtitutionem, qua poſt longam accurati examinis indaginem, & Spiritus Sancti lumen publicè, ac privatim ſæpius imploratum, quid ſentiendum ſit de quibuſdam Propoſitionibus declaravimus, & definivimus, Majeſtati Tuæ cum his Literis mittimus. Ex ea *Sententiam Catholicæ Fidei* in gravi hoc negotio a nobis audies; nec dubitamus, quin eadem futura ſit cum populis Chriſtianis ſalutaris, tum ſummopere grata Pietati tuæ; cum præſertim & ipſe per Oratorem tuum pro Sanctæ hujus Sedis ſuper his Deciſione apud nos inſtiteris. Majeſtati tuæ Benedictionem Apoſtolicam amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 31. Maii 1653. Pontificatus Noſtri Anno Nono. C *Num.* 3.

Ex Collectione Bullarum, Brevium. &c. edita Montibus Hannoniæ apud Gaſparem Migeat anno 1698. pag. 82.

Breve Innocentii X. ſ. m. ad Epiſcopos Galliæ de Pontificia Damnatione Propoſitionum Janſenii.

INNOCENTIUS PAPA X.

VEnerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Rectè atque ordine fecit Fraternitatum veſtrarum pietas, quæ cum in Eccleſiis iſtis Propoſitionum, de quibus ad nos ſcripſiſtis, occaſione turbas ingentes excitari cerneret, aſcendit ad locum hunc ſanctum, quem elegit Dominus, ut Catholicam ſuper his Veritatem a nobis quæreret. Nos igitur poſt longam accurati examinis indaginem, & preces Luminum Patri Deo enixè porrectas, quid ſentiendum ſit de Propoſitionibus illis declaravimus, ac definivimus hac Conſtitutione, quam cum his Literis ad vos mittimus. Ex ea *Sententiam Orthodoxæ Fidei* gravi hoc in negotio a nobis audietis, nec dubitamus, quin futura ſit cum populis Chriſtianis ſalutaris, tum ſummopere grata inſigni zelo Fraternitatum Veſtrarum, quibus benedictionem Apoſtolicam peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 31. Maii 1653. Pontificatus Noſtri Anno Nono. D *Num.* 4.

Ex dicta Collectione. pag. 84.

Brevia Innocentii X. ſ. m. de lata a ſe Condemnatione Propoſitionum Janſenii.

Venerabili Fratri Epiſcopo Meldenſi

INNOCENTIUS PAPA X.

E Num. 5. VEnerabilis Frater, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Placuit Domino, cujus fidele teſtimonium ſapientiam præſtat, Apoſtolica Declaratione ſtatui nuper a Nobis, quid ex Eccleſiæ Catholicæ Dogmate ſentiendum ſit de Quinque Propoſitionibus, quæ plurimos hactenus laqueos fidelium animis injecerant; ut in Dei veritate, & judicio repleatur Terra ſcientiâ Omnipotentis,& præcepto Domini lucido oculos illuminante Spiritui oris ejus omnium mentes in auditu auris obediant. Id verò jucundum in primis futurum iis omnibus, quos in Regno iſto Paſtoralis curæ Adminiſtros habemus, fuaſerant jampridem Nobis magis eorumdem ſpectata diu Pietas, ac debita in Sanctam hanc Sedem Obſervantia, quam Literæ, quibus id ipſum illi disertè Nobis teſtati ſunt. Tu verò, cui tunc ab eorum Pariſienſi Conventu abſenti iiſdem literis ſubſcribere non licuit, ſpem, quam de te parem habuimus, ſingularia Epiſtolæ officio implens, optimam in te Voluntatem Noſtram auxiſti, vel ex eo præſertim, quod, quicquid tui muneris ſit pro gregis tibi crediti incolumitate, ſtrenuè te obiturum polliceris. Perge igitur, & quando Altiſſimus dedit Nobis vocem ſuam, ne diminuantur Veritates a filiis hominum, vigili, qua par eſt, ſedulitate, & conſtantia Noſtris conatibus adlabora. Apoſtolicam interim benedictionem tibi peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 13. Septembris 1653. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

E Secretaria Literarum ad Principes Sanctiſſimi D. N.

Venerabili Fratri Epiſcopo Gratianopolitano.

INNOCENTIUS PAPA X.

F Num. 6. VEnerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Non fuit imbecillitatis quidem Noſtræ, ſed Virtutis Domini illuminantis mirabiliter a montibus æternis, ea, quæ de quinque controverſis Propoſitionibus lata eſt nuper a Nobis *Eccleſiæ Catholicæ Sententia*. Qui verò enixis precibus, ac nunquam defeſſura ſolicitudine a Domino petimus, ut cum divitiis gratiæ ſuperabundantis in omni ſapientia notum etiam faciat Sacramentum voluntatis ſuæ, quàm maximè gaudemus Chriſtiani Orbis univerſi, ac iſtius præſertim Regni bono id, quod hactenus Pontificiæ charitatis labore rigatum, cultumque eſt, dante Deo cælitus incrementum optimis ubique fructibus exuberare ad meſſem ejus ſanctam. Tu igitur, qui pietatis, ac zeli tui ſenſibus auxiſti lætitiam noſtram, quæ ad nos ſcripſiſti, lubenti animo, ac ſtrenua conſtantia exequere, ut quod de Gratia a Domino revelante didiciſti, tui ipſius exemplo, atque opere palam doceas. Apoſtolicam interim benedictionem tibi ex animo impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 19. Septembris 1653. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

Ex eadem Secretaria, in qua extant aliæ plurimæ Literæ in forma Brevis de eodem Argumento ad Epiſcopos, Noviodunenſem, Pictavienſem, Sarlatenſem, Tullenſem, & ad Valentinum Randautt Profeſſorem Regium in Academia Duacenſi, & Decanum, & ad Rectorem, Cancellarium, & Decanos Facultatum Univerſitatis Studii Generalis Pictavienſis.

Ven.

Venerabili Fratri Epiſcopo Placentino Majori Inquiſitori Hiſpaniarum.

INNOCENTIUS PAPA X.

G *Num.* 7.

VEnerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Locutus eſt in Sancto ſuo Dominus, cujus Verbum Æternum permanet in Cælo, ut daret Nobis intellectum, quo ſcrutaremur legem ſuam. Eo duce de quinque controverſis Propoſitionibus *Eccleſiæ Catholicæ Dogma* palam fecimus labiis Noſtris pronuntiantes judicia oris Domini, ut Chriſtianus Orbis univerſus viam veritatis eligeret. Id verò præſertim in Regno iſto factum iri ſperavimus a Deo erudiente Principes ejus, ſicut ſemetipſum, atque ideò exiſtimantes illuſtrem Catholici Regis pietatem nihilominus Religionis, & in Sanctam hanc Sedem Obſequii poſterorum exemplo daturam, quam pridem a ſuis ipſa majoribus acceperit. Te interim, qui &, qua par eſt, Veneratione, ac obedientia S. Eccleſiæ Sententiæ, ac Nobis obſequeris, & Pontificiæ voluntatis propenſione remuneramur, eâ abundantiâ benedictionis Chriſti optamus cumulari, ut pergas conata perficere, & voce Domini condenſa revelante tecum iſthic in Templo ejus veram omnes dicant gratiam. Apoſtolicam benedictionem tibi peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 9.Octobr.1653. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

Ex eadem Secretaria Literarum ad Principes.

Dilectis Filiis Decano, & Doctoribus, ac Profeſſoribus Conſilii Academiæ Duacenſis

INNOCENTIUS PAPA X.

H *Num.* 8.

DIlecti Filii, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Miſit cælitus manum ſuam, ac tetigit os noſtrum Dominus, cujus verbo Cæli firmati ſunt, ut de Quinque Propoſitionibus hactenus controverſis panderemus fidelium mentibus *Eccleſiæ Catholicæ Senſum*. Illum verò a Chriſtiano Orbe univerſo pronis animis, ac ſummo venerationis obſequio exceptum iri non dubitavimus; quippe ad vocem Domini concutientis deſertum velut inimici ſyderis afflatu perditis undequaque tribulis, ac ſpinis exurgit ſeges ejus multiplici germine veritatis. Quæ cum antelucano fulgore vobis eluxerit, plurimùm quidem in Academia iſta Pietatis, ac Doctrinæ probavit, quibus eam de re Catholica optimè meritam pari nos etiam Pontificiæ voluntatis propenſione complectimur. Det Deus, ut conſtantiæ, ac ſapientiæ veſtræ firmitati quantus, quantus eſt Civitatis Sanctæ populus uno corde, una mente conſentiat. Vobiſque interim a Deo fauſta omnia precantes, Apoſtolicè benediclmus. Datnm Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 21.Martii 1654. Pont. Noſtri Anno Decimo.

Ex eadem Secretaria Literarum ad Principes.

E P I S T O L A

Signata a Cardinali Mazarino, ac triginta & uno Epiſcopis Galliæ 15. Julii 1653. poſt acceptam Innocentii Definitionem, cui plaudunt tanquam Infallibili.

I *Num.* 9.

OPtata pervenit ad nos tandem Conſtitutio illa, qua Veſtræ Sanctitatis Auctoritate quid ſentiendum ſit de controverſis Quinque Propoſitionibus, quæ ſunt excerptæ e Cornelii Janſenii Yprenſis Epiſcopi Libris, perſpicuè decernitur. Excitatæ in Belgio contentiones flagrabant etiam in Galliis, & latiſſimum incendium per univerſas Eccleſiæ partes minabantur, ni peſti graſ-

Digitized by Google

Sufficit Auctoritas Pontificia ad Hæreſes compeſcendas.

graſſanti, & certiſſimam perniciem allaturæ obſtitiſſet Beatitudinis Veſtræ indefeſſum ſtudium, & *ex alto petita Poteſtas, quæ ſola acerrimam illam animorum colliſionem compeſcere poterat*. Agebatur de re magni momenti, de aditu ſcilicet ad ſalutem per neceſſaria Chriſtianæ Gratiæ Præſidia, & humanæ Voluntatis adjumentis illis excitatæ, ac fotæ, conatus liberos: atque de Divina Chriſti Pietate, ac Beneficentia in Univerſum Genus Humanum. Hujus Doctrinæ lucem recentioris illius Auctoris Diſputationibus obſcuratam priſtino nitori reſtituit *juxta veterem*

Concilia conſtituunt Regulam Fidei Auctoribus Summis Pontificibus, qui proinde ſunt Infallibiles, & præſtant Conciliis.

Eccleſia Catholica Pontificiis Hæreſum Condemnationibus acquieſcit.

Fidei Regulam ex Scripturis, & antiqua Patrum Traditione *in Conciliis olim, & nuper, Auctoribus Summis Pontificibus, conſtitutam*, prolatum a Sanctitate Veſtra, poſtulantibus compluribus Galliarum Epiſcopis, Decretum. Quo in negotio illud obſervatione dignum accidit, ut, quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem Innocentius Primus Pelagianam Hæreſim damnavit olim, ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum conſultationem Hæreſim ex adverſo Pelagianæ oppoſitam Innocentius X. Auctoritate ſua proſcripſerit. Enimvero *Vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica ſola Cathedræ Petri communione, & Auctoritate fulta, quæ in Decretali Epiſtola Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque deinde Zoſimi altera ad univerſos Orbis Epiſcopos Epiſtola ſubſequuta eſt, Pelagianæ Hæreſis damnationi abſque cunctatione ſubſcripſit*: Perſpectum enim habebat non ſolùm ex Chriſti Domini Noſtri pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex Actis Priorum Pontificum, & ex anathematiſmis adverſus Apollinarium, & Macedonium, *nondum ab ulla Synodo OEcumenica damnatos* a Damaſo paulò antea jactis, *Judicia pro ſancienda Regula Fidei a Summis Pontificibus lata* ſuper Epiſcoporum conſultatione (ſive ſuam in Actis relationis Sententiam ponant, ſive omittant, prout illis collibuerit) *Divina æquè, ac ſumma per univerſam Eccleſiam Auctoritate niti: cui Chriſtiani omnes ex officio ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur*. Eâ nos quoque ſententiâ, ac Fide imbuti, Romanæ Eccleſiæ præſentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, Auctoritatem debitâ obſervantiâ colentes Conſtitutionem Divini Numinis inſtinctu a Beatitudine Veſtra conditam, nobiſque traditam ab Illuſtriſſimo Athenarum Epiſcopo Nuntio Apoſtolico, & promulgandam curabimus in Eccleſiis, ac Diœceſibus noſtris, atque illius Executionem apud fideles Populos urgebimus. Neque verò Pœnæ deerunt adverſus temerarios illius violatores,

Quæ ſolæ ſufficiunt ad Hæreſes compeſcendas.

Ipſius quoque mentis obſequium præſtandum eſt Pontificiis Declarationibus.

Janſeniani plectendi ut Hæretici.

quæ a Jure Hæreticis infliguntur, quibus juxta Conſtitutionis tenorem, & Breve Sanctitatis Veſtræ nobis directum, contumaces omnes, nullo conditionum, vel ſtatuum diſcrimine facto, perſtringamus: præſertim cum in Galliis ad Epiſcopos in ſolidum iſthæc cura pertineat, ubi nullos Hæreticæ pravitatis Inquiſitores conſtitui patitur mos antiquus ex jure communi profectus. Sanè ſpondere poſſumus Beatitudini Veſtræ nihil fore, quod Decreto Apoſtolico, noſtræque in exequendo ſolicitudini moram afferre poſſit: præcipuè cum piiſſimus, ac Chriſtianiſſimus Rex noſter, cui Breve Apoſtolicum unà cum Exemplo Conſtitutionis Illuſtriſſimus Nuntius tradidit, interpellato quoque Regiæ Majeſtatis præſidio, nos ad illius Decreti Executionem Edicto ſuo ad nos dato, pro ea, quam debet Eccleſiæ conſtitutis Tuitione, conſtanter hortetur, & Magiſtratibus univerſis, atque cæteris ſibi ſubditis, tum ad vim arcendam, tum ad amputandas, quæ fortè poſſent ab Hæreſeos reis excitari de foro competenti cavillationes, præcipiat, quatenus executionem illam omni ſtudio, & opera juvent, atque tueantur. Quare cum Rex Cæleſtis hac in cauſa fœderatum habeat Regem Terrarum (ſi fas ita loqui cum Sixto III.) Sanctitas Veſtra per Petræ ſoliditatem jam contuſis Veritatis Hoſtium animis ſecuros ab omni perturbatione de nova Hæreſi triumphos aget. Porrò nos Innocentio X. *cujus ore Petrus loquutus eſt*, ut Leoni Primo acclamat Quarta Synodus, hanc Divinam lauream gratulati, ſacros inter Eccleſiæ faſtos, quod olim de Synodis OEcumenicis fieri ſolitum, Conſtitutionem iſtam ab eo editam lubentes ex animo reponemus, cui optatiſſimam in longæva Vita felicitatem adprecantur, qui ſunt cum ea, qua par eſt, veneratione,

S. Petrus loquutus ſuis ore Innocentii X.

Beatiſſime Pater

Sanctitatis Veſtræ

Devotiſſimi, & addictiſſimi Filii Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Galliæ in Pariſienſi Urbe congregati.

Excerpta eſt ex pag. 88. & ſeq. ſupradictæ Collectionis Montenſis.

EPIS-

E P I S T O L A

Triginta ſex Epiſcoporum cum Cardinali Mazarino ad alios Galliarum Epiſcopos contra negantes excerptas fuiſſe Quinque Propoſitiones ex Libro Janſenii, & hæreticas eſſe in ejus Senſu.

Reverendiſſ. ac Religioſiſſ. DD. Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Gallias, Fratribus obſervandiſſimis, Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Pariſiis agentes Salutem in Chriſto, & felicitatem.

QUod B. quondam *Auguſtino*, *& aliis Concilii Carthaginienſis*, *& Milevitani*, *Patribus*, magnis illis Divinæ Gratiæ Defenſoribus, aſſertoribuſque, contigit, idem nunc prorſus eveniſſe nobis videtur. *Sperabant illi*, ſed fruſtra, poſt Librum quemdam, cujus auctor, ſcriptorque fuerat Pelagius, ab Innocentio I. Papa anathematizatum, & damnatum, Pelagianos non auſuros ulterius de Gratia illa perverſa, & perniciosa ſentiendo, loquendoque, pectora fidelia, & ſimpliciter Chriſtiana turbare, ſed *tanti Præſulis Auctoritati ceſſuros*. *Et ſpes quoque nobis erat* homines eos, qui ſe Cornelii Janſenii Epiſcopi Ypreniſis amatores Sectatoreſque profitentur, poſt ejus ab Innocentio X. anathematizatas, & damnatas quinque opiniones, *deſituros tandem ab omni motu*, atque cum ſuo ille Decreto imperaſſet Ventis, futuram in Eccleſia tranquillitatem magnam. Sed contra planè, quàm expectatum a nobis fuerat, accidit; mirarique ſatis non poſſumus poſt æquiſſimam, ſanctiſſimamque Conſtitutionem illam, qua Beatiſſimus Pater Innocentius X. prædictas Quinque Propoſitiones damnavit, & iis quidem verbis, quibus nihil dici poteſt expreſſius, nihil clarius, homines illos affirmare, imò & perſuadere aliis velle *res duas vanas omnino*, *& inanes*, *alteram*, *Quinque illas Propoſitiones non eſſe Janſenii*: *alteram*, *damnatas eſſe eo in Senſu*, *qui ad Janſenium nihil pertineat*. Poteſt enim quicquam eſſe abſurdius, quàm tueri id velle, cui refellendo, revincendoque nihil opus ſit rationibus, nihil diſquiſitione, etiam mediocri, aut levi, ſed ſola Pontificiæ Conſtitutionis, quæ per ſe ipſam rem totam apertè dirimit, lectione? Et quidem cum ejuſmodi ſint duæ res illæ, ut multis videri poſſint ipſæ per ſe, & ſponte ſua ruituræ, atque adeo ſpernendæ prorſus, & negligendæ; nobis tamen, quibus compertum eſt eas ignorantibus, infirmiſque non paucis eſſe offendiculo, quibuſque pro muneris noſtri ratione id præſertim incumbit, ut tollamus omnia ſcandala a Regno Dei, viſum fuit occurrendum eſſe huic malo, comprimendumque maturè hoc virus, quod jam aliquos occupavit. Quod ut fieret accuratius, & pro ea, qua par erat, gravitate, dignitateque, quotquot in hac Urbe Regni primaria negotiorum Eccleſiaſticorum causâ ſumus, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, collecti in unum cenſuimus, hoc quidquid eſt rei committendum eſſe curæ, ac diligentiæ Illuſtriſſimorum Reverendiſſimorum Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, Turonenſis, Ebrodunenſis, Rothomagenſis, Toloſani, & Epiſcoporum Eduenſis, Montalbanenſis, Rhedonenſis, Carnotenſis: ſic tamen, ut quicquid inter ſe ipſi legiſſent, obſervaſſent, ſenſiſſent, referrent ad nos. Iis verò ex ipſa Conſtitutionis lectione, atque inſuper ex Opere Janſeniano, quod etiam, quantum ad quinque illas Propoſitiones attinet, ſtudioſè legerunt, expenderuntque (quanquam ſola per ſe ad id ſufficiat Conſtitutio) *manifeſtum*, *& perſpectum fuit*, *illas quinque Propoſitiones verè eſſe Janſenii*, *& damnatas eſſe in vero ac proprio verborum Senſu*, *& eo planè*, *quo a Janſenio traduntur*, *& explicantur*. Atque cum id ipſi ad nos, ſcilicet in unum rurſus congregatos, retuliſſent, & a nobis quoque idem cognitum, & exploratum fuiſſet, declaravimus, & hoc noſtro Judicio declaramus, rem planè ita ſe habere, & nullum dubitandi eſſe locum. Quare & eos, qui Quinque illas Propoſitiones tuentur, aut probant, verè eſſe ex eorum numero, quos Innocentius X. ſua illa in Conſtitutione vocat *Contradictores*, *& Rebelles*: & quos vult a Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Cenſuras, *& pœnas contra Hæreticos*, & eorum fautores in jure expreſſas, cæteraque juris & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, omnino coerceri, & compeſci. Id verò

nos

K

Num. 10. Pontificiæ ſtatim Auctoritati cedendum putant, cum S. Auguſtino, Concilia.

Idem ſperabat Gallicanæ Cœtus Eccleſiæ.

Vanitas, & inanitas Eluſionum Janſenianarum.

Propoſitiones ſunt Janſenii, & damnatæ in ejus Senſu proprio, & ab eo explicato.

Qui negant Propoſitiones eſſe Janſenii, & damnatas

in ejus Senſu, merentur pœnas Hæreticorum.

nos omnes, quantum in nobis quidem erit, effecturi ſumus: rogamuſque quotquot hinc abſunt, Gallicani Cleri dilectiſſimos Fratres noſtros, ut idem quoque pro virili præſtent: ut ſic idem omnes ſentiamus ſecundùm Jeſum Chriſtum: & unanimes, atque uno ore honorificemus Deum, & Patrem Domini Noſtri Jeſu Chriſti: ædificemus Eccleſiam Dei, atque adeo nos ipſos, & eos, qui nos audiunt, curæque noſtræ ſunt ab ipſo commiſſi, ſalvos faciamus.

Extracta eſt ex dicta Collectione. pag. 111. & ſeq.

E P I S T O L A

Epiſcoporum Galliæ ad Innocentium X. contra negantes fuiſſe excerptas Quinque Propoſitiones ex Libro Janſenii, & eſſe hæreticas in ejuſdem Senſu. Data anno 1654.

BEATISSIME PATER.

L *Num. 11.*

Standum eſt Pontificiæ Conſtitutioni.

Nec ipſi Hæretici audent palam recedere a Sedis Apoſtolicæ reverentia.

Cathedra Petri Cuſtos illibatæ Fidei.

Id ipſum, quod nunc dicunt, dicebant olim Janſeniani.

POſt promulgatam ab univerſis Galliarum Epiſcopis Sanctitatis Veſtræ Conſtitutionem, qua Quinque Propoſitiones e Libris Cornelii Janſenii Yprenſis Epiſcopi excerptæ damnantur, *nihil aliud expectandum videbatur*, præcipuè a Gallis, qui in Sede Apoſtolica colenda ſemper potiores fuerunt, quàm ut purâ, & non fucatâ concordiâ in veræ Fidei Unitate omnium animi conſpirarent. Sed diſſidiorum Auctor tam ſingulare, & piis omnibus ſummopere expetendum, bonum Galliis invidit: *Quodque palam obtinere non poterat, nempe ut a debita Sedi Apoſtolicæ reverentia per apertum Conſtitutionis editæ contemptum recederetur*, callidis molitionibus ad ſimplicium, & incautorum mentes ſubvertendas aggredi tentavit. Quare ad Munus Epiſcopale pertinere putavimus, recens excitatas a Clericis numero paucis contentiones definitione noſtra compeſcere: qua Conſtitutionis Apoſtolicæ integra Executio, quæ nobis commiſſa eſt, adverſus alienas a vero illius Senſu Expoſitiones ſanciatur. *E vetere Fidei depoſito, cujus cuſtodia Cathedræ Petri a Chriſto concredita eſt*, partem adimere tentant, Decreti Apoſtolici majeſtatem ad fictas controverſias dirimendas turpiter deiiciendo, *Quinque etenim Propoſitiones Decreto illo proſcriptas damnare ſe quoque profitentur; ſed alio planè Senſu, quàm qui a Janſenio traditus, & explicatus eſt: ad quem Propoſitiones illas nullatenus pertinere conſtantiſſimè aſſerunt*. Hac arte reſtaurandis Diſputationibus iiſdem ſibi locum apertum relinquere putant, & rediviva litis prolixam materiam. Quare ut his incommodis præverteretur, & Conſtitutioni Auctoritas ſua conſtaret, atque ſincera ejus executio ſequeretur, Nos in hac Urbe Pariſienſi congregati cenſuimus, & per Epiſtolam Encyclicam his Literis adjunctam declaravimus, Propoſitiones illas, & opiniones eſſe Cornelii Janſenii, & in Senſu ejuſdem Janſenii a Sanctitate Veſtra damnatas diſertis, & manifeſtis verbis. *Quam* enim *Auctor ille* uſurpatione privata *novam Doctrinam ſub ſpecie veteris inducebat*, neceſſum fuit, ut Apoſtolica Sedes Judicio lato ex publica, & antiqua Eccleſiæ Traditione refelleret, *ne Chriſtianæ Fidei Doctrina, pravis ab illo Scriptore ad teſtimonia Veterum Patrum, quos laudat, adhibitis interpretationibus obrueretur*. Nihil quippe aliud egit Conſtitutione ſua Innocentius X., quàm ut Auctoritatis ſuæ præſidio antiquam Fidem muniret, *non dicendo nova, ſed dicendo novè*, juxta receptas in Scholis Theologiæ loquutiones, quibus Janſenius quoque utitur. Eo pacto Beatitudo Veſtra liquidò explicuit, atque confirmavit *Regulam Fidei* de Gratia, & Libero Arbitrio, quam ex parte prius aſſertam adverſus Manichæos, quod attinet ad Arbitrii Libertatem, poſtea Deceſſores veſtri Innocentius Primus, & Zozimus, cooperantibus Africanorum Conciliorum Literis, contra Pelagianos plenè conſtabiliverant: quamque deinde Cæleſtinus Primus, *ac Concilium Arauſicanum, juxta Capitula a Sede Apoſtolica tranſmiſſa, & ſuperiori Seculo Tridentinum*, ſolicitè, atque diligenter enucleatam *definierant*. Quapropter & Conſtitutionem ordine canonico latam, atque genuino in Senſu intellectam, quem Literæ iſtæ patefaciunt, devotiſſimo obſequio nos ſuſcipere teſtamur: Præterea verò daturos operam profitemur, ne quis curæ noſtræ ſubditus impunè contraria veſtris Definitionibus docere, ſcribere, aut loqui præſumat, *pœnis in hæreticos a jure decretis alioquin a nobis ſtatim puniendus*. Ex

Senſus Janſenii eſt idem, ac ejus Doctrina, ideoque maniſeſtiſſimè agitur de Quæſtione Juris, & Dogmatis.

Concilia ſtabiliunt Fidem juxta Capitula a Sede Apoſtolica trãſmiſſa, quam proinde cenſent Infallibilem, ac ſibi Præſtantem.

Eluſores Pontificia

qua

qua concordi omnium Sententia, ſubſcriptionibus noſtris firmata, Beatitudo Veſtra facilè intelliget, nulli e Collegio noſtro propoſitum fuiſſe, ut aliquid dignitati Conſtitutionis adverſum proferret, aut ſcriberet: quinimo deſignatum eſſe nobis pleniſſima Veneratione Sacram Beati Petri Sedem, & Sanctitatem Veſtram colere, cui proſperos, & felices annos vovent, qui ſunt cum ea, qua par eſt, obſervantia, *Conſtitutionis ſunt Hæretici.*

Beatiſſime Pater

Sanctitatis Veſtræ

Devotiſſimi, & Addictiſſimi Filii Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Galliæ in Pariſienſi Urbe Congregati.

Ex dicta Collectione a pag. 117. *ad* 122.

Breve Innocentii X. f. m. ad Comitia Cleri Gallicani de condemnata a ſe *Doctrina*; ideoque Senſu Janſenii.

Dilectis Filiis Noſtris, ac Ven. Fratribus Cardinalibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Cleri Gallicani in Comitiis Generalibus congregatis.

INNOCENTIUS PAPA X.

Dilecti Filii Noſtri, ac Ven. Fratres, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex Literis, quas a vobis die 28. Martii proximè elapſi ad nos datas a Ven. Fratre Epiſcopo Ledovenſi accepimus, jucundum ſanè accidit, probari nobis luculentius Veſtræ pietatis zelum iis partibus obeundis, quas nos omnibus Paſtoralis Officii Adminiſtris injunximus, ut, qua par eſt, obedientia ubique ſervari enixè curent Conſtitutionem Noſtram, qua die 31. Maii anni MDCLIII. *Damnavimus in Quinque Propoſitionibus Cornelii Janſenii Doctrinam in ejus Libro contentam*, cui titulus Auguſtinus: Atque ideo placet auctam exinde in vos benevolentiam noſtram hoc itidem locupletiſſimo literarum noſtrarum teſtimonio palam fieri, majoribus etiam in dies argumentis vobis præclarius conſtituram. Ac ſimul vos, Dilecti Filii noſtri, & Ven. Fratres, ac cæteros quoſcumque Regni iſtius Epiſcopos hortamur quàm vehementer in Viſceribus Chriſti Jeſu, ut ſtudio, & conatu prorſus unanimi conſpirantes in Domino in id ſedulò operam detis, quod opportunius, validiuſque contulerit ad exequutionem ſtabiliendam, ac firmandum penitus uſum ejuſdem Noſtræ Conſtitutionis, noſtrique itidem Decreti, quo Sanctionem ipſam neceſſariò conſequente die 23. Aprilis anni MDCLIII. Libri quoque de ea re editi damnantur. Id verò ſi vos unà, & conſtanter exequamini, piæ ſolicitudinis zelum, quo Sanctæ huic Sedi, ac Nobis egregiè obſequuti hactenus eſtis, inſigni profectò meritorum incremento cumulabitis, ac ſponte propenſam in Vos Pontificiam Voluntatem excitabitis majorem in modum ad benevolentiſſimos erga vos ſenſus Apoſtolicæ Charitatis, qua interim vobis ex animo benedicimus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 29. Septembris MDCLIV. Pontificatus Noſtri anno Decimo. *M Num.* 12. *Damnat in concreto Doctrinā Propoſitionum contentam in Libro Janſenii.*

E Secretaria Literarum ad Principes Sanctiſſimi D. N.

E P I S T O L A

Ad Alexandrum VII. Pont. Max. ſubſcripta a Septuaginta partim Epiſcopis, & partim aliis Eccleſiaſticis Galliæ, narrantibus Effugia Janſenianorum recurrentium ad Quæſtiones Facti, & Juris, ſcripta 2. *Septembris* 1656.

SANCTISSIME PATER.

Non obſcura ſunt Divini Numinis conſilia, cur Beatitudinem Veſtram ad Epiſcopatus apicem, ideſt ad Apoſtolicæ Sedis Principatum, ſuffragantibus omnium votis evexerit. Intererat quippe rei Chriſtianæ, ut is Unitatem Eccleſiæ his difficillimis temporibus regeret, qui pietate ſua cæleſte præſidium fidelium gregi promereri poſſet, atque prudentiâ ſuâ æquè, ac conſtantiâ, *N Num.* 13.

fluctus illos ſuperare, quibus Petri Navis, cujus clavo feliciter tenendo admotus eſt, atrocitar concutitur. Nos ſanè, qui a Chriſto Domino in partem ſolicitudinis vocati ſumus, miniſterio noſtro id egimus ſuperioribus annis apud fel. mem.

Quæſtio eſt de Doctrina ipſa, ideoq; de Jure Fidei.

Innocentium X. ut Conſtitutionem ederet, qua motus in Galliis excitati *ob Janſenii* Yprenſis quondam Epiſcopi *Doctrinam* certis capitibns comprehenſam compeſcerentur. Promulgatum a Gallicanis Epiſcopis Decretum ſtudioſè amplexi ſunt Fideles Populi, demptis paucis, qui *de Janſenii Doctrina* nihil conſtitutum fuiſſe palam cum ſimularent, intimis auimorum ſenſibus ex illius Damnatione urebantur. Horum *Cavillationes* ſine mora comprimendas rati, judicio ſuo decreverunt religioſiſſimi Epiſcopi, Quinque Propoſitiones illas ad Janſenium pertinere, ejuſque opiniones fuiſſe proſcriptas: Quam ſuam ſententiam cum retuliſſent ad eumdem Pontificem Maximum, illam humaniſſimis verbis non ſolùm probavit, ſed Auctoritatis Apoſtolicæ pondere de integro confirmavit, Brevi dato ad hunc Cleri Gallicani Cœtum, qui tunc propediem cogendus erat, niſi moræ quædam obſtitiſſent. Porrò, dum Conventum agimus, primum nobis ſtudium fuit tuendæ Religionis, quam ab infeſtis Calvinianæ hæreſeos Sectatorum molitionibus vindicare curavimus impetrato a Clementia Chriſtianiſſimi noſtri Regis Edicto, quo nefarios illorum conatus repreſſum iri nobis meritò pollicemur. Priorem curam excepit alia illi germana ob erroris ſocietatem *de profliganda Janſeniana Doctrina Brevis Apoſtolici majeſtate*, quod frequenti cœtu legi, promulgari, in acta redigi, omniumque ſubſcriptionibus muniri decrevimus.

Clanculum propagare ſuam Hæreſim, ut olim Pelagiani, nunc conantur Janſeniani.

Eadem ſanè mentis alacritate illud ſuſcepimus, qua Concilii Africani Patres ab ipſis expetitam Zozimi Epiſtolam amplexi ſunt, quæ Pelagii atque Cæleſti errores, *quos clanculum propagabant, peremptorio Decreto proſtravit. Iiſdem artibus graſſantur novæ Sectæ Diſcipuli*, ac præterea ut a capitibus ſuis fulminis Apoſtolici amoliantur ictum (licet obarmato animo quinque Propoſitiones Janſenio iterum abjudicent) *ad Facti Quæſtionem,*

Verſutiæ recurrentill ad Controverſiã Facti.

in qua Eccleſiam falli poſſe docent, controverſiam deducere nituntur: Quas ingeniorum verſutias vera prudentique verborum complexione *infregit Breve Apoſtolicum,* quod, tricis illis ſyllabarum ad umbratiles Scholarum diſputationes relegatis, *decidiſionisque auctoritate ad Juris Quæſtionem reſtricta, Doctrinam Janſenii, quam Opere ſuo illo explicuit*, in Propoſitionum confixarum materia Pontificia Conſtitutione *damnatum fuiſſe declarat*.

Soluta eſt quæſtio Juris, & damnatus Senſus, ac Doctrina Janſenii.

At enim ut ſe damnationi ſubducant, celeberrimum B. Auguſtini nomen obtendunt, cujus Doctrinæ ſe profitentur eſſe Sectatores, repudiato etiam, ſi res eorum ita ferant, ipſo Janſenio. Hujus tamen *pravas, & detortas, quas ad Doctoris egregii locos adhibet, Interpretationes*, amplectuntur, ſicque Magiſtrum illum optimum a Cæleſtino laudatum, dum verbis colunt, *adultero Senſu violant*.

Adultero Senſu Janſeniani violant D. Auguſtinum. Conſt. Pont. conſtabilit Fidē, ideoque eſt Infallibilis.

Quod a nobis adnotari oportuit in Actis de Brevis promulgatione confectis, ut eorum *calliditatibus* iretur obviam, quibus incautorum, & ſimplicium animis illudunt; *ac ſi Auguſtinum aſſererent ipſi, a cujus tamen ſententia pertinaciter diſcedunt, quæ per Conſtitutionem de iis, quæ ſunt Regulæ Fidei adverſa latam, conſtabilita eſt*; ſicque in priorem illam fulguriti Janſeniani Erroris damnationem recidunt. Totam videremur debellati hoſtis gloriam in Deceſſorem refudiſſe, niſi conſtaret Orbi Chriſtiano, quis tunc fuiſſet particeps curarum, & præcipuus rerum adminiſter, quem Parens Optimus ad laudis ex hoc egregio facinore partæ communionem adſciviſſet. Decoris iſtius pars maxima pertinet ad Sanctitatem Veſtram, quæ quidem cum ſuis nunc auſpiciis res Eccleſiæ Univerſæ inexhauſta ſolicitudine gerat, illud augere perget meditata, & uberiore, ſi opus ſit, Catholici Dogmatis illuſtratione. Nos ſanè officio noſtro non decrimus, nec reliqui Epiſcopi, quos Encyclicâ Epiſtolâ monuimus de rebus in hoc Conventu actis, deque iis, quæ nobis gerenda videntnr in Provinciis, ut Fideles omnes obſequio,

Eluſores Pontificiar. Conſt. ſunt Hæretici.

& uſu Conſtitutlouem firment, *pœnis* alioquin *a jure decretis adverſus Hæreticos* Epiſcopali judicio coercendi. *Finita eſt Cauſa Reſcriptis Apoſtolicis*; utinam finiatur & error, ſi licet verbis Auguſtini vota noſtra concipere, quorum compotes erimus, ſi Alexandri VII. Pontificis Maximi Sanctitas, juxta veterem Ritum, Divino Numini illa conſecraverit, a quo viciſſim longævitatem Beatitudini Veſtræ ſtudioſiſſimè poſtulant, qui ſunt cum ea, qua par eſt, reverentia & veneratione.

Apoſtolica Reſcripta ſiniunt Controverſias Fidei, ideoq; ſunt Irreformabilia.

Beatiſſime Pater Sanctitatis Veſtræ

Obſequent. & Devot. Filii, Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Eccleſiaſtici Viri in Generalibus Cleri Gallicani Comitiis congregati.

Ex dicta Collectione pag. 113. *& ſeq.*

CON-

Digitized by Google

CONSTITUTIO ALEXANDRI VII.

Declarantis damnandas eſſe Quinque Propoſitiones excerptas ex Libro Janſenii, ut hæreticas in ejuſdem Janſenii Senſu, data 17. Kal. Novembris anno 1656.

AD Sanctam B.Petri Sedem, & Univerſalis Eccleſiæ Regimen, inſcrutabili Divinæ Providentiæ diſpoſitione, nullis noſtris ſuffragantibus meritis evecti, nihil nobis antiquius ex Muneris noſtri debito eſſe duximus, quàm *ut Sanctæ Fidei noſtræ, ac Sacrorum Dogmatum integritati* tradita nobis a Deo poteſtate opportunè *conſuleremus*. Ac licet ea, quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus abunde fuerunt definita, novæ Deciſionis, ſive Declarationis, acceſſione nequaquam indigeant; quia tamen *aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores* illa in dubium revocare, vel *ſubdolis Interpretationibus* labefactare non verentur, ne morbus iſte latius divagetur, promptum Apoſtolicæ Authoritatis remedium cenſuimus non eſſe differendum. Emanavit ſiquidem aliàs a fel.rec.Innocentio Papa X. Prædeceſſore noſtro Conſtitutio, Declaratio, & Definitio, tenoris, qui ſequitur, videlicet. Innocentius &c. *V. ſupra num. 2.*

O

Num. 14.

Intendit Alexander defendere ipſum Jus Fidei, & Dogma.

Cum autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis Filii prædictas quinque Propoſitiones vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii non reperiri, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in Senſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum Chriſtifidelium ſcandalo non reformident: Nos, qui omnia, quæ hac in re geſta ſunt, ſufficienter, & attentè perſpeximus, utpote qui ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris juſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congreſſibus interfuimus, in quibus Apoſtolica Authoritate eadem Cauſa diſcuſſa eſt, *ea profectò diligentia, qua major deſiderari non poſſet*, quamcumque dubitationem ſuper præmiſſis in poſterum auferre volentes, *ut omnes Chriſtifideles in ejuſdem Fidei unitate ſeſe contineant*, ex debito noſtri Paſtoralis Officii, ac matura deliberatione, præinſertam Innocentii Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, Declarationem, & Definitionem, harum ſerie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas Propoſitiones ex Libro præmemorati Cornelii Janſenii Epiſcopi Yprenſis, cui titulus eſt Auguſtinus, excerptas, ac *in Senſu ab eodem Cornelio Janſenio intento damnatas fuiſſe, declaramus, & definimus*, ac uti tales, inuſtâ ſcilicet eâdem ſingulis notâ, quæ in prædicta Declaratione, & Definitione unicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus, ac *eumdem Librum* ſæpedicti Cornelii Janſenii, cui titulus, Auguſtinus, omneſque alios tam manuſcriptos, quàm typis editos, & ſi quos forſan in poſterum edi contigerit, in quibus *prædicta ejuſdem Cornelii Janſenii Doctrina*, ut ſupra, damnata defenditur, vel aſtruitur, aut defendetur, vel aſtruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Chriſtifidelibus, ne *prædictam Doctrinam teneant*, prædicent, doceant, verbo, vel ſcripto, exponant, vel interpretentur, publicè, vel privatim, palam, vel occultè, imprimant, *ſub Pœnis, & Cenſuris contra Hæreticos in jure expreſſis ipſo facto, abſque alia Declaratione, incurrendis*. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ac Judicibus Eccleſiaſticis, ad quos pertinet, ut præinſertam ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutionem, Declarationem, ac Definitionem, juxta præſentem noſtram Determinationem ab omnibus obſervari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliiſque juris, & facti remediis, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachii Secularis auxilio, omnino coerceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1656. 17.kal.Novemb.Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

Unitas Fidei ſpectat ad Jus, & Dogma.

Doctrina ipſa Janſenii damnata eſt, ideoque definitum Jus, & Dogma Fidei.

Qui tenent Doctrinam Janſenii, ipſo facto, & abſque alia declaratione ſubjacent Pœnis Hæreticorum.

Cenſura lata a Tredecim Doctoribus Facultatis Pariſienſis, contra Epiſtolas Provinciales, Notas Wendrokii, & Diſquiſitiones Pauli Irenæi.

P
Num. 35.

NOs infraſcripti Regis Decreto ſelecti ad ferendum judicium de Libro, cui titulus eſt, Ludovici Montaltii Literæ Provinciales &c. præmiſſo ejuſdem Libri diligenti examine, teſtamur, Janſenianas Hæreſes ab Eccleſia damnatas in eo propugnari, atque defendi, tum in dictis Literis Ludovici Montaltii, tum in Notis Willelmi Wendrokii, tum in adjunctis Diſquiſitionibus Pauli Irenæi; atque id eſſe ita manifeſtum, ut, ſi quis neget, neceſſe ſit vel non legiſſe Librum hunc, vel non intellexiſſe, vel certè, quod pejus eſt, non putare id hæreticum eſſe, quod a Summis Pontificibus, & ab Eccleſia Gallicana, & a Sacra Facultate Theologiæ Pariſienſis, damnatur ut hæreticum.

Teſtamur inſuper maledicentiam, & petulantiam tribus illis Authoribus adeo eſſe familiarem, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis Janſeniſtis: non Summo Pontifici, non Epiſcopis, non Regi, non præcipuis Regni Adminiſtris, non Sacræ Facultati Pariſienſi, non Religioſis Familiis: ideoque Librum eſſe dignum pœnâ libellis famoſis, & *hæreticis*, a jure conſtitutâ. Actum Pariſiis die 7. Septembris anno Dom. 1660.

Hic liber cum adictis Notis, & Diſquiſitionibus, dignus Pœnâ hæreticis Libelliseon ſtitutâ.

Henricus de la Mothe Epiſcopus Rhedonenſis. Harduinus Epiſc.Ruthenenſis. Franciſcus Ep.Ambianenſis. Carolus Ep. Sueſſionenſis. Chapelas Cur.S.Jacobi. C.Morel. L.Bail. Fr. Jo:Nicolai Prædicator. M.Grandin. Gauſſoy.F.Matthæus de Gangis Carmelita. Chamillard. G.de l'Eſtocq.

Deſumpta ex fine Hiſtoriæ Gallicè ſcriptæ de Quinque Propoſitionibus Janſenii editæ Leodii apud Danielem Moumal anno 1699.pag. 200.

BREVE ALEXANDRI VII.

Ad Magnum Vicarium Pariſienſem, qui malè interpretatus fuerat Pontificias Conſtitutiones.

Q
Num. 16.

DIlecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Non ſine magna profectò admiratione, & juſto animi dolore, quo paterna viſcera commoventur, publicatum veſtro nomine die 5. Junii anni hujus Edictum perlegimus. In quo ſanè in primis *non minus temeraria, quàm mendaci, narratione* profertur, tempore fel.rec.Innocentii X. non aliud actum fuiſſe, quàm inquiſitum, an Propoſitiones illæ quinque de Gratia veræ, & Catholicæ, an potius falſæ, & hæreticæ, cenſendæ forent. Cum eo planè tempore, nedum de Propoſitionibus ipſis cognitio habita fuerit, verùm quod a Janſenii Libro, Auguſtinus, nuncupato, extractæ eſſent, & ita *in Senſu ab eodem Janſenio intellecto, damnatæ*: ut nos ipſi Conſtitutione noſtra 17. Kal. Nov.1656. luculenter, & expreſsè declaravimus. Quod cum adeo falſum, patenſque mendacium in re tali aſſerere minimè veriti ſitis, utique malorum zizaniorum in agro Dominico Seminatores, Eccleſiæ Catholicæ perturbatores, & , quod in vobis eſt, auctores turpiſſimi Schiſmatis eſſe deprehendimini. Porrò autem, etſi protervia in vobis dignoſcitur, *cavillationibus ſubdolis, & circuitibus obviam eundi Eccleſiæ Definitionibus*, quibus etiam totius Franciæ Epiſcoporum, & Prælatorum obſequium, & Zelus, & Chriſtianiſſimi Regis pietas tam anxiè preſtò eſt; Nos tamen Pontificiæ charitatis manſuetudine, nondum æquâ viâ procedere, ſed paternâ Clementiâ potius uti volumus: ſperantes nimirum fore, ut Univerſalis Paſtoris vocem audituri ſaltem ſitis, & ſuis Literis acceptis Edictum ſtatim abrogaturi, ne S. hujus Sedis indignationem, & auctoritatis vim experiamini, memores verborum Dei: *Omnis, qui ceciderit ſupra illum lapidem, conquaſſabitur: ſupra quem verò ceciderit, comminuet illum.* Cæterùm vobis, ut bene agere velitis, intellectum, & reſipiſcentiæ ſpiritum a Domino precamur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris 1. Aug. 1661. Pont. N. anno 7.

Temerarii, & mendaces, qui negant damnatum fuiſſe ipſum Senſum, & Doctrinam Janſenii.

In fine ejuſdem Hiſtoriæ pag. 221.

BRE-

BREVE ALEXANDRI VII.

Ad Epiſcopos Galliæ contra Janſenianorum Effugia.

ALEXANDER PAPA VII. &c.

R

VEnerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ut nulli veſtrum incompertum eſt, quanta ſolicitudine Innocentius X. ſel. rec. Prædeceſſor Noſter *Janſenianam Hæreſim* radicitus evellere conatus fuerit, & quantâ nos ipſi curâ, & inſtantiâ idem propoſitum indeſinenter proſequi non deſtiterimus: ita nobis probè compertum eſt, atque perſpectum, quàm indefeſſo ſtudio plerique veſtrum Conſtitutiones Apoſtolicas in Janſenii Cauſa editas executioni mandari procuraverint. Illud autem non mediocri gaudio animum noſtrum perſudit, quod Literis ex Gallia recens allatis accepimus illorum in dies creſcere numerum, qui recta ſapiunt, præfatis Conſtitutionibus ſeſe ultro ſubiicientes; illorum verò decreſcere, qui a veritate auditum avertunt, *& variis inanium interpretationum argumentis decepti* Decretis Apoſtolicis refragantur. Is fuit egregius ſanè laborum veſtrorum fructus, majoris ſcilicet, & potioris partis, ut multi, iique cæterorum nomine Primarii exemplo veſtro, conſilio, & opera, ad ſaniorem doctrinam inducti, ea, qua par eſt, ut credimus, animi demiſſione ſeſe paratiſſimos exhibuerint ad illa omnia præſtanda, quæ ipſis a Sede Apoſtolica præſcribentur. Unde jam meritò ſperare poſſumus, juvante Domino, brevi fore, ut feliciter cœptum opus felicius perficiatis: præſertim ſi, ut per dictas Conſtitutiones mandatur, in dictam executionem ſeriò incumbentes, tandem obtineatis, ut omnes eadem fide, & charitate concordes in via Domini ambulent, implorato etiam, ſi opus fuerit, *Regis Chriſtianiſſimi ſubſidio*, cujus in hac præſertim Cauſa *maximus zelus mirum in modum enituit*; Quod re vera, ut ſumma laude dignum reputamus, ità eidem maximæ gloriæ, & ſingulari apud Deum merito verſum iri judicamus. Pergite igitur, Ven. Fratres, operi ultimam alacriter manum admovete, & prócurate impensè, ut omnes præfatis Conſtitutionibus Apoſtolicis ſe, ut par eſt, ſubiiciant, & quinque Propoſitiones ex Janſenii Libro, cui nomen, Auguſtinus, excerptas, & in Senſu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo reiiciant, & damnent. Ad quod illa omnia remedia, quæ vobis pro executione earumdem Conſtitutionum efficaciora, magiſque opportuna videbuntur, adhibere poteritis. Cæterùm eximiam Chariſſimi Filii noſtri Regis Chriſtianiſſimi pietatem a nobis ſæpius probatam, & laudatam, animo recolentes, plurimùm de illa nobis pollicemur, nec dubitamus, potiſſimùm, ubi opus erit, quin is ad frangendam nonnullorum, ſi qui remanſerint, contumaciam, vobis auxiliares manus porrigere, & brachium Regium præſtare dignetur. Illi denique, ac Fraternitatibus veſtris Benedictionem Apoſtolicam Paterno animo impartimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die 29. Julii 1663. Pont. Noſtri Anno nono.

Num. 17.

Inanes ſunt Janſenianorum Interpretationes.

Mirus Regis Chriſtianiſſimi Zelus contra Janſenianos.

Ex dicta Collect. hiſtorica Bullarum &c. pag. 151. & ſeq.

E P I S T O L A

Epiſcoporum Galliæ ad Alexandrum VII. 2. Octobris 1663. de iiſdem ſubdolis Janſenianorum Effugiis.

BEATISSIME PATER.

S

UBi primùm Sanctitatis Veſtræ Breve datum 29. Julii Anno 1663. in Galliam perlatum eſt, de his, quæ in eo continentur, certior factus Rex noſter Chriſtianiſſimus, pro ea, qua eſt, pietate, & in Hæreſim Janſenianam odio, ſtatim moneri voluit illius fautores, ut qui Literis ad Sanctitatem Veſtram eorum nomine miſſis omne obſequium fuerant polliciti, fidem ſincerè tandem liberarent. Hi paucis poſt diebus ſcripto ad Regem Chriſtianiſſimum miſſo declararunt, ſe Conſtitutionibus Apoſtolicis obtemperare ex animo, neque poſſe majoris

Num. 18.

obſer-

obſervantiæ dare argumentum. Subinde Rex Chriſtianiſſimus juſſit convenire Cardinales, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, qui tum aderant in Aula Regia, coram queis Sanctitatis Veſtræ Breve, ac Janſeniſtarum illud ſcriptum legeretur, ut co diligenter perpenſo, & excuſſo, conſtaret, an id probandæ eorum Fidei ſufficeret. Iis itaque 2. hujus menſis die Lutetiæ congregatis primùm Sanctitatis Veſtræ Breve perlectum, ac ſummo honore ſuſceptum eſt; quo quidem nobis innotuit, quanti apud eam ſimus, conſtititque tantum Sanctitati Veſtræ debere nos, quantum perſuadere difficile ſit, tum ob eximiam Sanctitatis Veſtræ de nobis, & noſtra in hac Cauſa agendi ratione exiſtimationem, tum ob paternam erga Eccleſiam Gallicanam charitatem, qua Janſenianam Hæreſim, quæ hìc plurimorum animos veneno ſuo, veluti dira quædam peſtis, afflavit, omnino extinguere molitur. Deinde verò productum eſt Janſeniſtarum illud ſcriptum, in quinque diviſum Articulos, cujus tenorem integrum ad Sanctitatem Veſtram mittimus. Quartum hìc dumtaxat Articulum referimus, utpote quo præcipuam offenſionis Cauſam contineri nos arbitremur: illi cumulatè ſuo tum officio, tum erga Sanctitatem Veſtram obſequio ſe ſatisfacere afferant. An res ita ſe habeat, judicet Sanctitas Veſtra ex his eorum verbis e Gallico idiomate in Latinum Sermonem converſis.

Janſeniani appellant Deciſionem Facti illam de Senſu Janſenii, quæ manifeſtiſſimè eſt Juris, & Dogmatis.

Quod ſpectat *ad deciſiones Facti, quæ continentur in Conſtitutione Alexandri VII.* quibus definitum eſt, quinque Propoſitiones ex Janſenii Libro excerptas eſſe, *& in Senſu ab eodem Authore intento damnatas*, declaramus, nos eas Definitiones omni cultu, obſequio, & obſervantia, quam exigit a fidelibus Eccleſia in ſimilibus Cauſis, & in ejuſmodi naturæ rebus, proſequi, & ſemper eſſe proſecuturos; *arbitrati ad privatos Theologos nullatenus pertinere in S. Sedis Deciſiones inſurgere, eas oppugnare, vel eis reſiſtere.*

Oblatio Silentii.

Subdola Janſenianorum verba, ſimulatum obſequium, ment verſipellis.

Oblatio Silentii non Catholica.

Mutanda Sententia, & Doctrina, ſcilicet damnandus eſt Senſus, & Dogmata Janſenii pertinentia ad Jus Fidei.

Non verbis tantùm, ſed & animo juranda eſt Formula Fidei.

Adhærent Doctrinæ Janſenii, ideoque ipſi Dogmati hæretico.

Mirifica noſtrum omnium, quotquot aderamus, in his verbis reprehendendis extitit conſenſio. Viſa ſunt enim ſu ſola, ſimulatum dumtaxat obſequium præſeferentia, mente verſipelli, & callida concinnata*, eòque periculoſiora, quòd Formulæ, ideo in Conventibus noſtris inſtitutæ, ut V. S. Conſtitutioni debita reverentia magis, ac magis ſanciretur, uniformitatem diſſolvant, & evertant. Iſtud itaque ſcriptum reijciendum cenſuimus, tanquam fictum, *& nullatenus Catholicum*, neceſſumque eſſe duximus, ut mentem apertius exponant, exprimantque luculentius implicatas animi cogitationes, cum ex eorum ſcriptis, & ſermonibus liquidò conſtet, eos in id juxta incumbere, *ut obſequium Silentio dumtaxat, non verò mutata Sententia, & Doctrina ſignificent*. His ita S. V. expoſitis, prout poſtulat noſtra communis erga eam officii ratio, ſupereſt, ut ei confirmemus nihil quidquam in omni vita nobis antiquius, neque tam fixum unquam fore, quàm ut ſedulò curemus, ut Conſtitutiones Apoſtolicas, & Beatitudinis Veſtræ Breve recens ad nos datum omnes ſeriò exequantur: præſertim cum in eo toti ſint Janſeniſtæ, ne quinque Propoſitiones e Cornelii Janſenii Libro excerptas, & *in Senſu ab eodem Authore intento damnatas, ſincero animo reijciant, & damnent*, parati aliàs ad omne obſequium erga S. Sedem Apoſtolicam, *dummodo illius Auctoris Doctrinam, ut Orthodoxam, non anathematizent*. Portò eorum pertinaciam nos facilius fracturos confidimus, quòd & S. V. ſua Auctoritate deliberationis noſtræ, quæ tota quanta eſt in Apoſtolica fundatur Conſtitutione, executioni ſemper præſtò ſit futura, & Regem etiam Chriſtianiſſimum habeamus ejus rei non modò Adjutorem, ſed & Authorem, & acerrimum Defenſorem; cujus ſanè pietas S. V. manifeſta, & in nuperrimo ejus Brevi honorificè teſtata, ea eſt, ut in Religionis, & S. Sedis tuendæ ſtudio nunquam pares illi Principes habitura ſit Eccleſia. Quæ cum ita ſint, Beatiſſime Pater, nihil nobis reliquum eſt, quàm ut Benedictionem Apoſtolicam ſupplices flagitemus, & annos Beatitudini Veſtræ longævos enixè precemur, ut Petri Navis Janſenianæ hæreſeos procellis jactata vehementius in portu tandem ejus ductu feliciter conquieſcat. Ita ex animo vovent,

Beatiſſime Pater

Sanctitatis Veſtræ

Devotiſſimi, & Obſequentiſſimi Filii Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Galliæ Pariſiis congregati.

Cardinalis Antonius Barberinus Præſes.

De mandato Illuſtriſs. & Reverendiſs. prædictorum. *De Taget.*

Pariſiis 2. Octobris 1663.

Ex fine prædictæ Collectionis hiſtoricæ pag. 156. & ſeq.

CON-

CONSTITUTIO ALEXANDRI VII.

Præſcribentis Formulam Fidei ab omnibus Eccleſiaſticis ſubſcribendam; data 15. Kal. Martii 1664.

T
Num. 19.

REgiminis Apoſtolici Divinâ Providentiâ Nobis, quamvis immeritis, commiſſi ratio poſtulat, ut ad ea potiſſimum, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, Animarumque Saluti, & Fidelium tranquillitati conſulere, apta, & idonea eſſe judicantur, animum, & curam omnem quantum licet in Domino, applicemus. Quamobrem Cornelii *Janſenii Hæreſim*, in Galliis præſertim, ſerpentem, ab Innocentio X. fel. rec. Prædeceſſore noſtro ferè oppreſſam *ad inſtar colubri tortuoſi, cui caput attritum eſt, in varios gyros, & cavillationum deflexus euntem* ſingulari Conſtitutione ad hunc finem edita altero aſſumptionis noſtræ anno extinguere conati fuimus. Sed ut multiplices Hoſtis hominum generis artes adhibet, nondum plenè conſequi potuimus, ut omnes errantes in viam ſalutis redirent, qui tamen unicus erat votorum, & curarum noſtrarum ſcopus, quibus operam, & induſtriam ſuam egregio ſanè ſtudio Venerabiles Fratres noſtri Archiepiſcopi, & Epiſcopi Regni Galliæ, earundem Conſtitutionum Apoſtolicarum executioni præcipuè intenti contulerunt, & Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Rex Chriſtianiſſimus ſingulari pietate auxiliarem dexteram ſtrenuo, ac conſtantiſſimo animo porrexit. Cum autem præfatus *Rex Chriſtianiſſimus eodem Religionis zelo ductus per ſuum in Urbe Oratorem* Nobis ſignificari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium peſtiferę hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi poſſe, quàm ſi omnes certam *Formulam* ſubſcriberent noſtra Authoritate firmatam, in qua quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii Libro, cui titulus Auguſtinus, excerptas ſincerè damnarent, ac proinde illam *a nobis quantocyus expediri ad quælibet Effugia præcludenda, omneſque removendos obtentus, flagitaverit*: Nos tam piis dicti Regis Chriſtianiſſimi votis benignè annuendum eſſe ducentes, Formulam infraſcriptam ab omnibus Eccleſiaſticis, etiam Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, necnon aliis quibuſcumque Eccleſiaſtici Ordinis, tam Regularibus, quàm Secularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliiſque Collegiorum Rectoribus, atque Magiſtris, ſubſcribi diſtrictè mandamus: idque intra tres menſes a die publicationis, ſeu notificationis præſentium, aliàs contra eos, qui intra terminum prædictum non paruerint, irremiſſibiliter procedi volumus juxta Canonicas Conſtitutiones, & Conciliorum Decreta. Formula a ſupradictis ſubſcribenda. *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maii 1653. & Conſtitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum, me ſubijcio, & Quinque Propoſitiones ex Cornelii Ianſenii Libro, cui Nomen Auguſtinus, excerptas, & in Senſu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo reijcio, ac damno, & ita juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia*: Decernentes inſuper, præſentes Literas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenos, & integros effectus ſortiri, & obtinere: ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, ubique judicari, & definiri debere, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quocumque quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, committimus, & mandamus, ut ſinguli in ſuis Diœceſibus, ac Locis ſuæ Juriſdictioni ſubjectis præſentes Literas, & in eis contenta quæcumque, exequantur, & exequutioni mandari, ac obſervari ab omnibus curent, & inobedientes quoſcumque per ſententias, cenſuras, & pœnas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii Secularis auxilio, omnino compellant. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, et ſigillo alicujus Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis Originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat

Hæreſis Janſeniana Colubro ſimilis.

Rex Chriſtianiſſimus Formulam Fidei a Summo Pontifice flagitavit

Per Formulam præcluduntur quælibet Effugia, & Obtentus removentur.

Formula Fidei damnans Janſeniſmum.

hanc

Digitized by Google

hanc noſtram Conſtitutionem, & Ordinationem infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1664. 15. Kal. Martii Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

Ex Conſtitutione SS. D. N. Clementis XI. cui hæc inſerta eſt.

E P I S T O L A

Quatuor Epiſcoporum profitentium exactiſſimè ſe obtemperaſſe Pontificiis Decretis, ad Clementem IX.

BEATISSIME PATER.

V

Num. 20.

CUm non minus ad officium Epiſcoporum pertineat Charitatis unitatem ſervare, quàm ipſius Fidei tenere veritatem, id nobis in inſtituenda vita ſequi ſemper propoſitum fuiſſe norunt omnes, quibus interius, familiariuſque noti ſumus. Sed ut illius propoſiti in hoc ſubſcriptionum negotio illuſtre toti Eccleſiæ daremus argumentum, eò præcipuè ſumus adducti, quod conſilium in hoc noſtrum cum Apoſtolicæ Sedis honore, et reverentia conjunctum eſſe putavimus. Nam cum *in exequenda Deceſſoris veſtri de ſubſcribenda Fidei Formula Conſtitutione Gallicani Epiſcopi nobiſcum ſenſibus conjunctiſſimis eam diſciplinæ formam amplexi ſint, quam Sanctitati Veſtræ acceptiorem fuiſſe intelleximus: Nos*, quibus nihil eſt antiquius, quàm paci, et unitati conſulere, et noſtram erga Sedem Apoſtolicam reverentiam teſtificari, *non piguit eorum inſtitutum imitari*. Quamobrem congregata, ſicut illi, Diœceſana Synodo, et imperata nova ſubſcriptione, *nos etiam ſubſcripſimus: quæ ſuis ipſi Clericis tradiderunt, noſtris tradidimus: quod in Apoſtolicas Conſtitutiones obſequium injunxerunt, injunximus; prorſuſque nos ipſis, ut pridem Doctrinâ, ita nunc in hac diſciplinæ forma conjunximus*. Arduum id nobis, ac perdifficile fuiſſe non diffitemur, non ignaris quot malevolorum voculas excire poſſet hæc diſciplinæ mutatio. Sed cum Collegæ quidam noſtri Eccleſiaſticæ concordiæ ſtudioſiſſimi hoc et ad Eccleſiæ pacem opportunum, et in Sanctitatem Veſtram honorificum, atque ipſi gratius fore ſignificaſſent, quid non illi a nobis his rationum momentis impetraſſent, quibus et humana omnia, et ipſam vitam libenter impendere parati ſumus? Enimverò, Beatiſs. Pater, quoſcumque demum de nobis rumores æmuli ſparſerint, *illud tamen conſcientia, ac Deo teſte confirmare poſſumus*, eam nobis ſemper in Romanam Eccleſiam mentem fuiſſe, quam a primis temporibus Galliarum Epiſcopi ſemper profeſſi ſunt, quæque ſemper Apoſtolicæ Sedi acceptiſſima fuit. Novimus enim, ut fluxam ſine Charitate Fidem, ſic vanam eſſe Charitatem, quæ conſtitutos in Eccleſia honorum gradus ſervare renuat: quæ collatum divinitus Beato Petro Eccleſiæ Primatum in ejus Succeſſoribus non agnoſcat, *nec hoc fateatur univerſis per Orbem Eccleſiis neceſſarium, ut cum Romana, tanquam cum Unitatis fonte, indivulſo vinculo cohæreant*. Hanc Fidem, Beatiſſime Pater, ad ipſum Chriſti tribunal perferemus, hanc, dum in vivis agemus, palam ſemper apud homines profitebimur, nec ullis unquam deerimus officiis, quæ a Catholicis Epiſcopis hæc profeſſio poſſit exigere.

Profitentur ſe ſubſcripſiſſe, ſicut omnes Epiſc. qui prius horũ Quatuor verba dixerant, non catholica, *ideoque affirmant ſe ab iis receſſiſſe.*

Niſi ſplendidè hic mentiantur, nihil in Diœceſana Synodo declararunt repugnans ſinceritati ſubſcriptionis prius factæ. Deum teſtẽ vocant

Fatentur neceſſitatem adhærendi Doctrinæ Apoſt. Sedis.

Atque hæc, Beatiſſime Pater, in omnes Apoſtolicæ Sedis Summos Præſules in ipſa Fide fundata Religio noſtris penitus animis impreſſa eſt. Veſtræ autem privatim Sanctitati, quam Temporalis, et Eccleſiaſticæ Pacis ſingulare ſtudium toti Eccleſiæ præcipuè commendat, ſingularem quemdam, ac præcipuum amorem, et obſequium hoc nomine debere nos fatemur, debitumque præſtabimus: ac viciſſim quoque fore ſperamus, ut diſcuſſis ſuſpicionum nebulis Apoſtolica in nos Charitas veſtra nova quadam luce reſplendeat. Ita compoſitis undique cum ſumma ipſius laude diſſenſionum ſeminibus, quæ vel Regnorum, vel Eccleſiæ tranquillitatem ſolicitare poſſint, licebit Sanctitati Veſtræ ad alia commiſſa ſibi totius Eccleſiæ vulnera curas ſuas conferre. Quod ut diutius poſſit, fructuoſiuſque præſtare, longam ipſi Summi Pontificatus uſuram, et divinorum donorum abundantiam precibus, ac Sacrificiis noſtris aſſiduè flagitabimus,

Bea-

Digitized by Google

Beatiſſime Pater

Sanctitatis Veſtræ

Humillimi, & Obſequentiſſimi Filii

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis. Franciſcus Epiſcopus Apamienſis.
Henricus Epiſcopus Andegavenſis. Nicolaus Epiſcopus Bellovacenſis.

In fine dictæ Hiſtoricæ Collectionis pag. 233. *& ſeqq.*

E P I S T O L A

Epiſcopi Laudunenſis ad Clementem IX. de ſincera Subſcriptione præſtita a Quatuor Epiſcopis.

BEATISSIME PATER.

Firmatâ armis, opibuſque Candiâ, pacatâ Europâ, reſtitutis apud Luſitanos Epiſcopis, aut propemodum reſtituendis, nihil uſquam majus adjici poterat, aut ſplendidius, quàm Eccleſiæ Gallicanæ tranquillitas. Hoc ſemper in bonorum omnium votis ſummopere fuit, et pro viribus non expectatum modò, ſed a decem annis tentatum a me non ſemel fuerat, ſed fruſtra, atque immaturè, quod ſolùm imperante Beatitudine Veſtra perficiendum fuit. Abſolvis tandem magnum illud opus, Beatiſſime Pater: *Nova, nec non ſincera, ſubſcriptione aliis Epiſcopis conſentiunt Illuſtriſſimi Alectenſis, Apamienſis, Andegavenſis, & Bellovacenſis, a quibus in ſubſcribenda Fidei formula aliquatenus receſſerant.* Illud in communi non ſolùm ad Beatitudinem Veſtram Epiſtola, ſed in privatis ad Illuſtriſſimum Felicem Epiſcopum Catalaunenſem Literis, diſertis verbis, profeſſi ſunt: adeoque in præſtanda, et exigenda Conſtitutionibus Apoſtolicis debita obſervantia diligentem operam navaturos ſe pollicentur, *ut ſubditos ſibi Clericos omnibus Pœnis Canonicis mulctandos eſſe edixerint, qui quolibet modo, vel obtentu, ſeu Doctrinæ, Librive Janſenii occaſione quavis, vel minimùm, Conſtitutionum auctoritati detraxiſſe videbuntur.* Verùm de eventu tam fauſto, atque felici gratulationem, non tam illorum quatuor Epiſcoporum pietati, atque obſequio, aut laboribus utcumque noſtris, quibus negotium illud adjuvimus, Illuſtriſſimus Epiſcopus Catalaunenſis, & ego, quàm Beatitudinis Veſtræ ſummæ prudentiæ, atque eximiæ benignitati, deberi exiſtimavimus. Sed animos omnium ſpectatiſſimæ, atque ſuaviſſimæ virtutes Tuæ ita devinciunt, ut durum, ac difficile nihil appareat, quod Beatitudini Veſtræ gratum, acceptumque futurum eſt.

X
Num. 11.

Diſertè atteſtatur novam Quatuor Epiſc. ſubſcriptionem non fuiſſe minus ſinceram, quàm cæterorum omnium Catholicorum Antiſtitum.

Et ab iiſdē quat. Epiſc. mulctandos Pœnis Canonicis ab Innocent. X. & Alex. VII latis in Hæreticos eos, qui Doctrinam, ideſt Senſum Janſenii ſpectātem ad Jus Fidei, vel minimùm, ſequerētur.

Laudanda etiam, atque præcipuè æſtimanda Illuſtriſſimi Tui Nuntii gratia, ſagacitas, atque dexteritas, qua in Dominorum amicitiam adeo commodè ſeſe inſinuat, ut, quod auctoritate alii nequeant, ipſe ſingulari humanitate poſſit facili negotio conſequi.

Quod reliquum eſt, Beatiſſime Pater, Univerſalem Eccleſiam tuis auſpiciis, tuis curis, ſub tuo, ut ita dicam, ſplendidiſſimo ſidere clariorem in dies, ornatioremque fore confidimus. Quò magis Parenti optimo, & clementiſſimo, ſalutem optimam, atque diuturnam, ardentiſſimis votis, omnique, quo poſſumus, ſtudio aſſiduè precamur.

Beatitudinis Veſtræ

Obſequentiſſimus, addictiſſimus, & humillimus Servus
Cæſar d'Eſtrees Epiſcopus Dux Laudunenſis
Par Franciæ.

In fine dictæ Hiſtoricæ Collectionis pag. 237. *& ſeqq.*

BREVE CLEMENTIS IX.

Ad Regem Chriſtianiſſimum de eadem Subſcriptione, quam ſinceriſſimam opinabatur.

Cariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Ludovico Regi Chriſtianiſſimo.

Y *Num. 22.*

Simplicem, ac puram fuiſſe ſubſcriptionem affirmat. Eam nuntiaverat Rex ipſe Chriſtianiſſimus Clementi IX.

CAriſſime in Chriſto Fili Noſter, Salutem, et Apoſtolicam benedictionem. Quàm infixa eſt æquè cordi, ac officio, debitoque noſtro, de conſervanda Catholicæ Religionis per Univerſam Eccleſiam Unitate impenſa cura, & ſolicitudo; tanta ſanè cum lætitia *cognovimus in ſimplici ac pura Subſcriptione Formularii quatuor illorum Epiſcoporum obedientiam, & obſequium*: ex quo profectò magis nos juvat ad Clementiam invitari, quàm ad ſeveritatem rigoris à contumacia compelli. Quare *Majeſtatis tuæ in ea re ſtatim nuntianda, & inſigni gratulatione, proſequenda, ſtudium, & amorem* incomparabili cum gaudio, animique grati mutua reſponſione *pervidimus*. Libenter quoque ex ejuſdem Majeſtatis tuæ literis, & expoſitione dilecti Filii Magiſtri de Bourlemont, intelleximus Vener. Fratrem Archiepiſcopum Thebarum Nuntium Apoſtolicum in executionem Mandatorum noſtrorum accerſitum, operam impendiſſe. Sed in primis, & ante omnia, admirabilem zeli tui præſtantiam, & Sanctæ Religionis ardorem in præſenti quoque negotio vel maximè cognovimus, & unicè amplectimur. Tum ab eo, & ſi minimè par eſſe videmus, tamen pro rei gravitate, & muneris noſtri partibus exigentibus, ſummopere petimus, ut auctoritate Regia effici velit, ut rei tantæ, & non minus ad publicas Regni rationes, quàm ad ipſius Religionis incolumitatem attinenti, ſi quid remaneat, ſuprema manus imponatur, & omnibus Sanctæ Fidei rationibus extendendis quoque ac propagandis, pio, ac potenti Majeſtatis tuæ brachio conſulatur: uti plenius idem Nuntius coram edisſeret. Cæterùm conſiliis inclytis, ac religioſis tuis præclaras, & aſſiduas novæ gloriæ acceſſiones, & omnis felicitatis jugia incrementa a Retributore Divino precamur, Apoſtolica benedictione ex omni animo paterno amantiſſimè impertita. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 28. Sept. 1668. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

In fine dictæ Hiſtoricæ Collectionis pag. 239. & ſeq.

BREVE CLEMENTIS IX.

Ad Quatuor Epiſcopos, quos exactè obtemperaſſe præſumebat.

Venerabilibus Fratribus Henric. Arnoldo Andegav. Nicol. Choart Belluacenſi, Franciſco Steph. Apamienſi, & Nicol. Pavillon. Alectén. Epiſcopis.

CLEMENS PAPA IX.

Z *Num. 23.*

Scripſerant Epiſcopi ſe ſincerè ſubſcripſiſſe Formulario. Clemens IX. proteſtatur ſe firmiſſimè inhærere Decretis Prædeceſſorum, nec ullam admiſſurum Exceptionem,

VEnerabiles Fratres, Salutem. Vener. Frater Archiepiſcopus Thebarum Nuntius iſthic noſter miſit ad Nos elapſis diebus *Fraternitatum Veſtrarum Epiſtolam, in qua cum ingenti obſequii nobis, & huic Sanctæ Sedi per vos debiti teſtatione ſignificabatis, vos juxta præſcriptum Literarum Apoſtolicarum a fel. record. Prædeceſſoribus noſtris Innocentio X. & Alexandro VII. emanatarum, ſincerè ſubſcripſiſſe, & ſubſcribi feciſſe Formulario in ejuſdem Alexandri VII. Literis edito.* Etſi autem quædam de hac re ſecus circumlata occaſionem nobis præbuerant in tam gravi negotio ſerius procedendi (*nam dictorum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus firmiſſimè inhærentes nullam circa illud Exceptionem, aut Reſtrictionem admiſſuri unquam fuiſſemus*) In præſens tamen, cum nova, & gravia iſthinc acceperimus documenta *veræ & totalis obedientiæ veſtræ, qua & Formulario ſincerè ſubſcripſiſtis, & damnatis abſque ulla Exceptione, aut Reſtrictione, quinque Propoſitionibus in omnibus Senſibus, in quibus a Sede Apoſtolica damnatæ fuerunt*, alieni prorſus

jus eſtis a renovandis in hac re erroribus illis, qui ab eadem damnati ſunt, tribuere vobis voluimus hoc paternæ benevolentiæ noſtræ argumentum: fidentes planè Divinæ Gratiæ, ac virtuti, & pietati veſtræ, quod omni conatu facturi ſitis in poſterum, ut ſinceræ obedientiæ, ac ſubmiſſionis a vobis in hoc actu nobis præſtitæ plenitudo ſemper magis appareat, Doctrinam, & probitatem veſtram in id potiſſimùm adhibentes, ut unà cum obſequio Nobis, & huic Sanctæ Sedi, per vos debito Catholicam veritatem firmiter tueamini, Zelo, curæque Pontificis ſedulò cooperantes in extirpando ab Eccleſia Dei Novitates omnes, ac perturbationes fidelium animarum. Vobis, Venerabiles Fratres, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 19. Januarii Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

aut Reſtrictionem, & damnatum fuiſſe Senſum, ideſt Dogma Janſenii ſpectās ad jus Fidei.

In fine dictæ Hiſtoricæ Collectionis pag. 241. & ſeq.

BREVE CLEMENTIS IX.

Ad Præſules Mediatores de eadem præſumpta Quatuor Epiſcoporum Obedientia,

Ven. Fratribus Archiepiſcopo Senonenſi, & Epiſcopis Catalaunenſi, & Laudunenſi.

CLEMENS PAPA IX.

Venerabiles Fratres, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

NOn ſine lætitiæ Senſu *pervidimus* etiam *ex literis Fraternitatum Veſtrarum* id, quod a vobis prius amplè ſignificatum, ac deinde iteratis, & gravibus documentis confirmatum fuit *de perfecta, & integra obedientia Nobis, & Apoſtolicæ Sedi præſtita per Epiſcopos Andegavenſem, Bellovacenſem, Apamienſem, & Alectenſem, ſubſcriptione Formularii ſincero animo, & juxta præſcriptum Literarum Apoſtolicarum ab eis facta*. Utque Charitatis Apoſtolicæ fervore ſuccenſi potius erga obedientes clementiâ, quàm juſtitiâ in contumaces, uti gaudemus, voluimus iis paterna benevolentiæ noſtræ argumenta præbere; Quæ profectò ſpeciali mentis affectu cumulata vobis, Venerabiles Fratres, benevolentiſſimè tribuimus: ſperantes utique fore, ut Doctrina, & Probitas veſtra, quæ nunc optimè merita eſt de Univerſa Eccleſia cooperando huic debitæ ſubmiſſioni ab illis Vicario in Terris Jeſu Chriſti, ac ejuſdem Eccleſiæ Viſibili Capiti redditæ, *cum plena, & ſincera executione Conſtitutionum Apoſtolicarum*, etiam in poſterum eumdem prompti ſtudii zelum adhibitura uſque ſit in efficiendo quidquid quavis ratione conferat ad extirpandas ab agro Dominico zizanias omnium novitatem Veritati Catholicæ, & perfectæ Fidelium Unioni contrariarum. Tales animi verè pii, ac religioſi in vobis laudes, & perpetuæ, ac in dies etiam clariores eniteant, ex animo precamur, Fraternitatibus veſtris Apoſtolicam Benedictionem impertientes. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 19. Janua. 1669. Pontificatus Noſtri Anno II.

AA *Num. 24. Hi quoque Præſules teſtati fuerant Summo Pontifici perfectam, & integrā Quatuor Epiſcoporum Obedientiam.*

Et plenam, & ſinceram Exequutionem Conſtitutionum Apoſtolicarum.

In fine dictæ Hiſtoricæ Collectionis pag. 243. & ſeq.

Relatio Cardinalis Roſpiglioſii

De eadem a Clemente IX. præſumpta Quatuor Epiſcoporum Obedientia.

POrrò Chriſtianiſſimus Rex quatuor Epiſcoporum obſtinatione animadverſa ſupplicibus literis a Pontifice petiit, ut eorum contumaciæ cauſam delectis duodecim Galliæ Epiſcopis committeret. In hac petitione nihil non probatum Pontifici, præter duodenarium numerum. Eo nempe decreto videbatur privilegium ſanciri, quod illius Regni Antiſtites vendicabant, ne quiſquam eorum apud minorem Judicum numerum cauſam dicere cogatur. Quod tametſi veterum quorumdam Canonum auctoritate nitatur; ita tamen vim obtinet, ſi Epiſcopus ad Metropolitanum deferatur, non autem ſi apud Pontificem nullis hujuſmodi legibus

BB *Num. 25.*

bus ſubditum accuſetur. Ne tamen nihil Regi videretur concedere, novem Regni Epiſcopis propoſitæ cauſæ cognitionem libenter ſe permiſſurum reſpondit. Sed dum difficultates ratione numeri exortæ expediuntur, dumque Judicum delectus habetur (multi quippe in ſuſpicionem ſive Janſenianorum, ſive Janſenianis faventium vocabantur) has inter dilationes, & moras, quæ perpetuum triennium tenuerunt, nacti ſunt quatuor Epiſcopi commoditatem, & locum, ſuas partes firmandi.

Interim vitâ functo Alexandro VII. Interpellata eſt delegatio, donec ſuffectus in D.Petri Sedem Clemens IX. nomine Cardinalis Roſpiglioſius, eam confirmavit, Nuntiumque deſtinavit in Gallias Illuſtriſſimum D. Bargellinum Thebarum Archiepiſcopum, qui egregiè gnavum, & ſtrenuum in Formulæ ſubſcriptione promovenda ſe præbuit, necnon a Chriſtianiſs. Rege certa quædam impetravit Decreta, quæ ſpeciem quidem præſeferrent irrogatæ Epiſcopis contumacibus pœnæ, re vera tamen eò unicè tenderent, ut ſalubri iidem terrore ad debitam Pontifici obedientiam præſtandam adigerentur.

Ratio autem ſuperſedendi Epiſcoporum damnationi ea erat, ne turbæ inde majores exiſterent. Neque Romæ non cognitum eſt, quot, quàmque perplexæ, & ineluctabiles difficultates ſe opponerent: cum contumacium factio maximis aucta, & ſubnixa viribus eſſet, Regiorum Miniſtrorum favore, & Principum ex Regnatrice Domo fœminarum patrocinio ſibi conciliato; adductiſque in ſuas partes pleriſque Sorbonæ Doctoribus, Regni Curiis, necnon etiam Religioſis hominibus: adeò ut illius ſuaſu, impulſuque undeviginti Epiſcopi tacita cum aliis viginti conſpiratione inita ad Clementem IX. Epiſtolam dederint, quæ incipit: Cum exordio Pontificatus veſtri, quatuor Epiſcoporum Sententiæ ſe adhærere his verbis profeſſi ſunt: *ita ſentire ſi criminoſum exiſtimetur, non hoc proprium ipſorum, ſed omnium noſtrum, imò totius Eccleſiæ crimen fuerit.*

Periculum, ne Hæreſis dilataretur.

Perſpectis hiſce difficultatibus Nuntius, obſervatâque præterea minus prompta Delegatorum voluntate, atque opera, de omnibus Romam ad ſecretioris Conſilii Senatum Literas dedit innuens iiſdem, ſi remiſſa Epiſcopis Mandatorum, quæ olim ediderant, expreſſa Retractatione ad ſubſcribendum ſolummodo Formulæ ab Alexandro VII. propoſitæ adigerentur, a Domino Lyonæo ſpem oſtendi rei e ſententia componendæ. Juſſus propterea, poſthabito Retractationis conſilio, in hanc curam dumtaxat nervos omnes ingenii, induſtriæque contendere, rem, quo decebat, ſtudio, eſt aggreſſus, Laudunenſis Epiſcopi, nunc Cardinalis Eſtræi, operâ adhibitâ; qui, quòd nihil commercii cum contumacibus habuiſſet, Catalaunenſi Epiſcopo ſuas partes commendavit: *Nec diu morati ſunt contumaces manus dare concepto ex Formula Jurejurando, adniſique, ut a Diœceſium ſuarum Eccleſiaſticis conciperetur: cujus ſubmiſſionis ſuæ teſtes ad Pontificem literas dederunt VI. Kal. Octobris 1668.*

Prima quatuor Epiſcoporū ſubſcriptio.

Vix dum hæc a quatuor Epiſcopis ſignificatione exhibita, fuere in Gallia, qui eam non bona fide, ſinceroque animo editam arguerent. Quo rumore permotus Pontifex petiit, *expreſſitque ab iiſdem novam teſtificationem eorum autographo, ſignoque firmatam, & publici præterea Libellionis ſcripto munitam, qua fidem facerent, ſincerè ſe prorſus, & ad Senſum in Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. expreſſum Formulæ ſubſcripſiſſe, utque eidem ſubſcriberetur, curaſſe.*

Secunda authenticè cōprobata.

Sed ab hac etiam nova ſinceri obſequii declaratione rumor ferebat, verbalibus Diœceſanæ Synodi Actis nonnullas ab iiſdem Sententias inſertas fuiſſe cum ſinceritate prædicta prorſus pugnantes, & Conſtitutioni nominatim Alexandri VII. contrarias, cui ipſi nunquam reclamare deſtitiſſent.

Galliam primò, tum Romam quoque pervaſit opinio variis ſcriptis vulgata, *quatuor Epiſcopos in verbalibus Synodi Actis aſſeruiſſe, a Summo Pontifice hæreſis notam inuri non poſſe quinque Propoſitionibus in Senſu Janſenii,*

Declaratio hæc fuiſſet apertè contraria Juramento ab ipſis præſtito ſubſcribendo Formulæ, & dādo Literas ad Summum Pontificem.

Accepto hujuſmodi rumore retardatus eſt Pontifex, ne ſtatim quatuor Epiſcopis reſcriberet, deque eorum ſibi obſequio conſtare confiteretur; Sed Nuntium interim juſſit in rei veritatem non acriter magis, quàm diſſimulanter, inquirere. Occurrebant hinc ſiquidem graviſſima diſcrimina, quæ tum Sedis Apoſtolicæ Auctoritati, tum Eccleſiæ quieti, & Fidei Unitati impenderent, niſi Juramento ab Epiſcopis in Formulæ verba (optima, ut ipſi prædicabant, fide) concepto acquieſcerent; ex alia verò parte, cum jactatam ab eis in hac parte ſinceritatem tam publica, & conſtans fama oppugnaret, exploranda certius veritas videbatur. Quocirca arcani Conſilii ſui literis admoneri Nuntium curavit; ut tanquam aliud agens omni-

omnibus rem veſtigiis indagaret: quæque vera comperiſſet, diſtinctam eorum accuratamque notitiam pari diſſimulatione tranſmitteret.

Curæ erat in Summo Pontifice rite cognoſcere, *quid tandem continerent Declarationes illæ Actis verbalibus additæ. Si enim nihil ibi affirmatum fuiſſet, præterquam poſſe Pontificem falli in Quæſtionibus de Facto, prudenti rem diſſimulatione ſupprimendam exiſtimabat. Sin verò aſſeruiſſent Epiſcopi, nolle ſe pro hæreticis agnoſcere quinque Propoſitiones in Senſu Janſenii, quemadmodum ab Apoſtolica Sede fuerant damnatæ, id ſanè nullatenus ferre, neque in re tanti momenti quidquam connivere, quinimò acerrimè obviam ire ſtatuerat.*

Hæc Mandata Pontificis, pro eo, ac par erat, accuratè, & fideliter exequenda Nuntius ſuſcepit, quidque Actis illis verbalibus contineretur, ex Epiſcopi Catalaunenſis relatu cognovit. Summa porrò teſtificationis illius hæc erat: *Quod ad Pontificiam de Facto Sententiam pertineret, videri eam Epiſcopis cum reverentia excipiendam, ſed intra eos fines, quos in ejuſmodi Cauſis Cardinales Baronius, Bellarminius, Richelius, Pallavicinus, & PP. Sirmundus & Petavius determinant; nimirum ne quid pronuntietur, ſcribatur, doceaturque ipſi contrarium. De Formula verò eoſdem profiteri, ſynceritate, & fide, quæ eſſe maxima poſſet, ei ſe ſubſcripſiſſe; & quinque Propoſitiones tum damnaviſſe, tum damnandas curaſſe ſine ulla Exceptione, aut Limitatione, in quolibet Senſu, in quo ab Eccleſia damnatæ fuiſſent.* His igitur, quæ de Formula, deque Propoſitionibus Epiſcopi teſtabantur, permotus Pontifex aliam ſibi partem diſſimulandam putavit; in qua, *tametſi Pontificias de Facto Sententias pro Fidei Divinæ Articulis recipere abnuerent, obſequium iis tamen, venerationemque deferebant ex forma a ſex ſupranominatis Doctoribus præſcripta, quæ nihil de Apoſtolicæ Sedis auctoritate decerperet.*

Juſſit itaque Sanctiſſimus Pater a Secretioris Conſilii ſui Curia ad Nuntium Literas dari XIII. Kal. Febr. 1669. in hanc Sententiam conceptas: *Videri Pontifici ex Declaratione Epiſcopi Catalaunenſis, dicti etiam Arnaldi nomine adſcripto, necnon Senonenſis Archiepiſcopi Auctoritate firmata: ex legitima fide, quam quatuor Epiſcopi fecerunt Nuntio ſuæ in ſancienda adjectis nominibus Formula ſinceritatis: eque luculentis D. Lionæii Archiepiſcopi Rothomagenſis, aliorumque teſtimoniis*, argumentum conflari longè uſquequaque validius contrario quovis rumore, quem de Actis verbalibus incerti Libelli, & privatæ diſſipaverant Literæ. Quapropter tum *Regiæ vocis pondere* ſubnixum, tum prædictorum Auctorum perquam gravibus, & repetitis teſtificationibus inductum non potuiſſe, jam diutius ambigere *de plena Epiſcoporum Obedientia, & ſincero in admittenda Formula animo*, eoſque ideo in ſuam gratiam reſtituendos duxiſſe, & ſequenti amplectendos diplomate.

In fine ejuſdem Hiſtoriæ pag. 226. & ſeq.

Diploma verò, de quo loquitur Relatio, continetur in Literis datis num. 23.

Clemens IX. diſſimulādū putavit quod ad Quæſtionem de Facto, ſcilicet, quod Propoſitiones excerptæ eſſent ex Libro Janſenii; ſed cenſuit eſſe quæſtionem de Iure illā de Senſu, & Doctrina Ianſenii.

Hi Scriptores affirmāt Deciſionem Senſus, & Doctrinæ ſpectare ad Ius Fidei.

Damnaverant ergo Epiſcopi Propoſitiones in Senſu Janſenii, ideoque ejus Doctrinam tanquam hæreticam.

Licet non recepiſſent pro Fidei Divinæ Articulis Sententias de Facto, tamē inſaniviſſent, negando, quod excerptæ fuiſſent ex Libro Ianſenii Propoſitiones, quas damnabant, ut hæreticas in Senſu ejuſdem Ianſenii.

Atteſtationes de ſincera Epiſcop. Fide.

BREVE CLEMENTIS IX.

Contra Rituale publicatum ab Epiſcopo Alectenſi Gallico idiomate.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Creditæ nobis divinitus omnium Eccleſiarum ſollicitudinis ratio exigit, ut Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, cujus cuſtodes a Domino conſtituti ſumus, ubique conſervandæ jugiter incumbentes, omni cura, atque vigilantia præcavere ſtudeamus, ne quid in eam irrepat, quo quomodolibet turbari, aut a præſcriptis ritibus aberrare, & via erroribus aperiri poſſit. Cum itaque (ſicut nobis innotuit) anno proximè elapſo typis impreſſus, ac in lucem Pariſiis editus fuerit Gallico idiomate Liber, cui titulus eſt; Rituel Romain du Pape Paul V. a l'uſage du Diocèſe d'Aleth, avec les inſtructions, & les rubriques en Francois, in quo non ſolùm continentur nonnulla ab ipſo Rituali Romano juſſu fel. rec. Pauli Papæ V. Prædeceſſoris noſtri edito aliena, *ſed etiam Doctrina quædam, & Propoſitiones* falſæ, ſingulares, in praxi periculoſæ, erroneæ, & Conſuetudini in Eccleſia communiter receptæ, atque Eccleſiaſticis Conſtitutionibus oppoſitæ, & repugnantes,

CC

Num. 26.

Zelus Clementis IX. contra Janſeniſmum, qui ſenſim, & clam animis inſinuabatur. *quarum uſu, & lectione Chriſtifideles in jam damnatos errores ſenſim induci, ac pravis opinionibus inſici poſſent.*

Nos opportunum huic malo remedium adhibere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione, noſtris, Librum, ſub titulo Ritualis Gallico idiomate editum præfatum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium omnino damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro damnato, reprobato, & interdicto haberi volumus, ejuſque impreſſionem, lectionem, retentionem, & uſum univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus, præſertim Civitatis, & Diœceſis Alectenſis, cujuſcumque gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ exiſtant, licet de illis ſpecialis, & individua mentio habenda foret, ſub pœna excommunicationis latæ Sententiæ ipſo facto incurrendæ, perpetuò prohibemus. Mandantes, ut ſtatim quicumque illum habuerint, vel in futurum quandoque habebunt, locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus; qui verò Ven. Fratri Epiſcopo Alectenſi ſubſunt, Metropolitano, aut uni ex vicinioribus Epiſcopis realiter, & cum effectu exhibeant, tradant, & conſignent; qui nulla interpoſitâ morâ exemplaria ſibi tradita, & alia quæcumque habuerint, igne comburant, & comburi faciant; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Ut autem præſentes Literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, Volumus, et auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, et Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, illaſque ſic publicatas omnes, et ſingulos, quos concernunt, perinde afficere, et arctare, ac ſi illorum unicuique perſonaliter notificatæ, et intimatæ fuiſſent. Ipſarum verò præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, et ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eamdem fidem in judicio, et extra illud haberi, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 9. Aprilis 1668. Pont. Noſtri Anno Primo.

I. G. Sluſius.

Anno Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti 1668. &c. ſupradictum Breve affixum &c.

Ex dicta Collect. hiſtorica Bullarum &c. pag. 313. & ſeq.

BREVE CLEMENTIS IX.

Contra Editionem Novi Teſtamenti Gallicâ linguâ Montibus Hannoniæ.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

DD Num. 27. Ebitum Paſtoralis Officii, quo Eccleſiæ Catholicæ per univerſum Orbem diffuſæ regimini, Divina Diſpoſitione, præſidemus, exigit, ut Sacras Scripturas in ea puritate, in qua per tot Sæcula ingenti Divinæ bonitatis beneficio conſervatæ fuerunt, illibatas cuſtodire omni ſtudio, atque vigilantia ſatagamus. Cum itaque, ſicut ad aures noſtras pervenit, Liber quidam verſionis Gallicæ novi Teſtamenti, cui titulus eſt: Le Nouveau Teſtament de N. S. Jeſus Chriſt traduit en François ſelon l'edition Vulgate avec les differences du Grec. Montibus Hannoniæ, & Lugduni (ut inſcribitur) typis impreſſus, ac editus in lucem fuerit: Nos Librum hujuſmodi nonnullis Ven. Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, aliiſque viris pietate, doctrina, atque ſcientia præſtantibus maturè, quantum rei gravitas poſtulat, diſcutiendum, atque examinandum commiſimus, quorum ſententiis auditis, atque conſideratis, eumdem Librum Verſionis Gallicæ Novi Teſtamenti, ut ſupra, & ubicumque impreſſum, ſive impoſterum imprimendum, tanquam temerarium, damnoſum, *a Vulgata Editione prædicta difformem, & offendicula ſimplicium continentem.* Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium damnamus, & prohibemus; itaut nemo deinceps, cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ, illum legere, retinere, vendere, aut impri-

In iis, quæ Janſeniani vitiaverant, ut ſuo veneno ſimplices imbuerent.

imprimere: vel imprimi facere audeat, vel præſumat; ſed ſub eadem pœna quicumque illum habent, locorum Ordinariis, ſeu Inquiſitoribus ſtatim atque præſentis prohibitionis notitiam habuerint, exhibere teneantur &c. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 20. Aprilis 1668. Pont. N. anno 1.

Ex dicta Collectione hiſtorica pag. 318. & ſeq.

D E C R E T U M

S. R. Univerſalis Inquiſitionis contra Janſenianos.

Confirmatum ab Innocentio XII. 28. Januarii 1694.

Feria 5. die 28. Januarii 1694.

SAnctiſſimus D. N. D. Innocentins XII. auditis Votis DD. Cardinalium, *ad præcavendas omnes diſſidiorum cauſas, quæ Chriſtianam pacem dilacerant*, tam verbis, quàm ſcriptis, ſuper interpretatione, ſeu Declaratione Formularii Alexandri VII. *in condemnationem Quinque Propoſitionum ex Libro Cornelii Janſenii, cui titulus eſt Auguſtinus, excerptarum, & damnatarum*, quoſcumque alios Senſus Formularii prædicti *præter eum, quem in Senſu obvio ipſius verba exhibent, afferri, uſurpari, aut de his diſputari interdixit, & prohibuit*, ac ſuper ejuſdem Formularii interpretatione, ſicut & prædictarum Propoſitiorum, in alios Senſus, præter eum, quem ipſa verba per ſe exhibent, omnibus, & ſingulis cujuſvis Religionis, Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ, Regularibus, & aliis quibuſcumque tam Eccleſiaſticis, quàm Secularibus perſonis cujuſcumque ſtatus, conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm Secularis, perpetuum ſilentium impoſuit. Omnes verò libros, tractatus, theſes, compoſitiones, ſcripta ex profeſſo, vel incidenter, ſub quovis prætextu, & occaſione in lucem editos, vel edita ſuper hujuſmodi materia, prohibuit, & pro prohibitis haberi voluit, & mandavit; iiſdemque perſonis ſupra enumeratis diſtrictè injungit, ne in poſterum audeant imprimere, vel imprimi facere, ſeu quoquomodo in lucem edere Libros, tractatus, theſes, compoſitiones, & ſcripta de ſupradicta materia tractantes, ſeu tractantia. Et ut hujuſmodi Decretum inviolabiliter ſuper omnibus in eo contentis obſervetur, præcepit, & declaravit, Contravenientes pœnas privationis Dignitatum, & Officiorum ſuorum, vocis activæ, & paſſivæ, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi, ipſo facto abſque alia declaratione incurrere, & aliis etiam pœnis Sanctitatis Suæ, & Succeſſorum ſuorum Rom. Pontificum arbitrio ſubjacere: Libroſque omnes, Tractatus, Theſes, Compoſitiones, & Scripta, quos, ſeu quæ contra dicti Decreti tenorem edi contigerit, abſque alia declaratione tanquam expreſsè prohibitas, vel prohibita, haberi, & impreſſores, præter amiſſionem Librorum, pecuniariis, aliiſque corporalibus pœnis teneri præcepit, & mandavit.

EE *Num. 28. Diſſidia hæc oriebantur a Janſenianis negantibus damnãdas eſſe Propoſitiones in Senſu Janſenii.*

Exprimit damnandas eſſe Propoſitiones excerptas ex Libro Janſenii, & in ejus Senſu, in quo damnatæ fuerant ab Alexandro VII.

Joſeph Bartholus S. Rom. & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Ex dicta Collectione pag. 257. & ſeq.

BREVE INNOCENTII XII.

Ad Epiſcopos Belgii.

Contra Janſenianorum Effugia, datum die 6. Februarii 1694.

INNOCENTIUS XII.

Venerabiles Fratres.

NUper ex Literis Fraternitatum veſtrarum primùm accepImus orta eſſe inter Theologos Belgii diſſidia, dum alii alios incuſant tanquam novarum opinionum Sectatores, qui cum verbo, tum ſcriptis, Conſtitutiones fel.

FF *Num. 29.*

rec.

rec. Innocentii X. & Alexandri VII. Prædeceſſorum noſtrorum, in quibus Quinque Propoſitiones ex Libro Cornelii Janſenii, cui titulus eſt Auguſtinus, excerptæ, & damnatæ, unà cum Formulario Juramenti in earumdem condemnationem præſtandi continentur, *variis Interpretationibus inutiles, & inefficaces quodammodo reddere, non ſine gravi detrimento conautur*. Cumque maximæ nobis curæ eſſe debeat pro debito paſtoralis regiminis nobis ex alto commiſſi, *ut ſemper firmæ Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones permaneant in rebus, quæ ad Orthodoxæ Fidei integritatem conducunt*: ad diſſicienda omnia, quæ Eccleſiæ, & Fidelium pacem perturbant, compeſcenda, in primis *prædictis Conſtitutionibus Innocentii X., & Alexandri VII. exemplo Prædeceſſorum noſtrorum firmiter inhærentes, eaſque in ſuo robore fuiſſe, & eſſe declarantes*, Fraternitatibus veſtris, de quarum Zelo, & pietate plurimùm in Domino confidimus, mandamus, ut contra omnes, & quoſcumque cujuslibet ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, *qui auſu temerario prædictas Quinque Propoſitiones ſic damnatas in Conſtitutionibus Innocentii X., & Alexandri VII.* publicè, vel privatim, tam in Scholis, quàm in concionibus, verbo, vel ſcriptis, *defendere præſumpſerint* (ſervato tamen juris ordine) *procedatis, eoſque debitis pœnis in eiſdem Conſtitutionibus contentis, puniri curetis*: cum ad comprimendum tam grave malum, quod jamdiu Catholicam Eccleſiam vexat, efficacius remedium adhiberi non poſſe videatur.

Præterea Fraternitatibus veſtris injungendum duximus, prout per præſentes injungimus, ut pro veſtra pietate, & prudentia, facultate iſta, qua per Conſtitutionem Apoſtolicam muniti eſtis, ita Formularii ſubſcriptionem, ſeu juramentum, ad praxim reducatis, ut in exigendo juramento prædicto Zelus, & Charitas veſtra quàm maximè eluceat, ne alicujus fama indebitè lædatur, aut detractionibus, & murmurationibus locus detur. Quare præcipimus, ut quemadmodum ii, *qui ad juramentum adigendi ſunt, illud præſtare debeant ſincerè, abſque ulla Diſtinctione, Reſtrictione, ſeu Expoſitione, damnando eas Propoſitiones ex Libro Janſenii excerptas in Senſu obvio, quem ipſamet Propoſitionum verba præſeferunt, prout Senſum illum damnarunt Summi Pontifices Prædeceſſores noſtri, damnatumque haberi voluerunt a Chriſti Fidelibus*: ita per Fraternitates veſtras, ab eis, qui Formulario prædicto ſubſcribent, ac juramentum præſtabunt, *præter Formulam ipſam traditam, verbaque in Conſtitutione Apoſtolica præſcripta, aliquid aliud, vel minimum, declarationis, interpretationis, aut explicationis*, verbo, vel ſcripto, *non exigatur*, etiam ſub prætextu, quod additiones ad nos tranſmiſſæ comprehendantur, ſeu contineantur in Formulario Alexandri VII.

Cæterùm ad præcavendas omnes diſſidiorum cauſas, quæ Chriſtianam pacem dilacerant, *nos quoſcumque alios Senſus Formularii præter eum, quem ipſius verba exhibent, afferri, vel uſurpari, aut de his diſputari, interdiximus, & prohibuimus, ac ſuper ejuſdem Formularii interpretatione, ſicut & prædictarum Propoſitionum, in alios Senſus, præter eum, quem ipſa verba per ſe exhibent, perpetuum Silentium impoſuimus*, ut ex noſtris Decretis tam ſuper ipſo Silentio, quàm ſuper prohibitione omnium Librorum editorum, & edendorum in hac materia, plenius innoteſcet: *cum ad Summum Pontificem dumtaxat pertineat, Senſum, quem in his Propoſitionibus damnaverit, & ut damnatum a Fidelibus credi cenſuerit, declarare*.

Demum ad extinguenda Theologorum jampridem inter ſe diſſidia, Fraternitatibus veſtris, quantùm in Domino poſſumus, præſentibus noſtris mandatis *injungimus, ne ulla ratione quemquam vaga iſta accuſatione, & invidioſo nomine Janſeniſmi traduci, aut nuncupari ſinatis, niſi prius ſuſpectum eſſe conſtiterit aliquam ex his Propoſitionibus docuiſſe, aut tenuiſſe, nec quemquam ſub hoc prætextu repelli ab Officiis, muniis, beneficiis, gradibus, & concionibus habendis, vel alia quacumque functione Eccleſiaſtica permittatis*, niſi ſervato juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis graviſſima eſt, commeruiſſe probatum fuerit.

Hæc ad Fraternitates veſtras reſcribenda decrevimus, non de veſtra voluntate, & ſtudio erga Eccleſias fidei veſtræ creditas diffidentes, ſed animi noſtri affectum, & omnium Eccleſiarum ſolicitudinem teſtificantes: ut tandem, qui Paſtor Paſtorum eſt, vigilaſſe nos in gregis noſtri cuſtodiam divino ſuo judicio comprobare dignetur. Datum Romæ &c. die 6. Februarii 1694.

Ex Collectione hiſtorica Bullarum &c. pag. 361. & ſeq.

Interpretationes iſtæ afferebantur a Clandeſtinis Janſenianis, qui conabantur inutiles reddere Pontificias Conſtitutiones. Iiſdem Conſtitutionibus firmiſſimè inhæret Innoc. XII. Hoc ipſum confirmat. Loquitur apertiſſimè de ipſo Libro, & Senſu Janſenii, de quo loquuti fuerant Prædeceſſores. Confirmat Pœnas Hæreticorum inflictas Janſenianis ab Innoc. X., & Alex. VII. Vetat omnes Diſtinctiones, Reſtrictiones &c. fieri ſolitas a Janſenianis. Agit manifeſtiſſimè de Libro, & Senſu Janſenii, declarans hunc eſſe Senſum Obvium, proprium, & nativum, quem ipſamet Propoſitionum verba præſeferunt in eodem Libro Janſenii. Improbant additiones explicantes Catholicam Veritatem ſuggeſtas ab Epiſcopis Belgii, multò magis deteſtatur alias tegentes Hæreſim. Reiicit omnes Senſus, præter Obvium, proprium, & nativum, quem verba per ſe exhibent in Libro Janſenii, de quo locutus fuerat Alexander VII. cujus Formularium confirmat Innoc. XII. Si fideles haberi volunt, ſtent Pontif. Declarat. Æquiſſimè prohibet repelli ab Officiis &c. ob vagam Janſeniſmi accuſationem. Sufficit tamen, ut quis repellatur, legitimè probata Suſpicio de aliqua Janſenii Propoſitione ipſo etiam animo retenta, quæ Suſpicio, imò etiam Certitudo, manifeſtè probatur de negantibus hæreticum eſſe Senſum Janſenii.

Aliud

Aliud ejuſdem Innocentii XII. Breve ad eoſdem Epiſcopos Belgii contra Janſenianos, datum 24. Novembris 1696.

INNOCENTIUS XII.

Ven. Fratres. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

GG Num. 30.

LIteras, quas decimanona Julii ad nos dediſtis, libenti animo accepimus; cum in illis veſtras ad hanc S. Sedem preces intellexerimus, quibus noſtrum judicium pro ſana Doctrina veſtris in Diœceſibur regulanda poſtulatis. Ex iiſdem autem Literis apertè deprehendimus mala, quæ quò ad Janſeniſmum exponitis, non procedere ex eo, quod Brevi a nobis 6. Februarii anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi quarti ad vos dato ſatis ipſis non ſit conſultum, ſed potius quia idem Breve executioni fortaſſe, uti par eſſet, non mandetur; cum illud nulla prorſus indigeat explicatione, aptumque ſit, ubi in ipſo præſcripta adimpleantur, efficax, atque opportunum afferre remedium. *Quod ſi prætenſi Janſeniſtæ internè, & abſque eo, quod deveniant ad ullum Actum externum, dum jurant Formularium, non aliter damnent quinque Propoſitiones, quàm in Senſu Obvio, non habito reſpectu obvii Senſus dicti Formularii, ſuoque arbitrio effingant ejuſmodi Senſum obvium, Eccleſia non judicat de occultis, quæ ſoli Deo cordium ſcrutatori innoteſcunt. Sin verò iidem prætenſi Janſeniſtæ voce, aut ſcriptis, edant proprios Senſus Apoſtolicarum Conſtitutionum, prædictique Brevis Senſui diſſentaneos, debent Epiſcopi, prout de jure, contra eos procedere*, non tantùm Authoritate ordinaria, ſed etiam ſpeciali facultate ipſis indulta a Conſtitutionibus Prædeceſſorum noſtrorum fel. rec. Innocentii X. & Alexandri VII, *quas nos quoque confirmavimus*, itaut ſervatis ſervandis congruè puniantur, *cum ea omnia facilè probari poſſint, quia agitur de actibus externis.*

Non ſine admiratione intelleximus nonnullos iſtis in Diœceſibus reperiri, qui verbis, & calamo, auſi fuerint affirmare, ſupradicto noſtro Brevi alteratam, ſeu reformatam eſſe Conſtitutionem Alexandri VII. decima ſexta Octobris anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſexti editam, *necnon Formularium ab ipſomet pronuntiatum, cum dicto Brevi utrumque ſpecificè confirmetur, & omnino intenderimus, & intendamus, iiſdem adhærere*, & nequaquam ſinere, ut aliquid addatur, vel dematur a prædicto Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, ſed quod in omnibus, & ſingulis ejuſdem partibus, uti mandavimus, mandamus etiam adamuſſim obſervari. Quod attinet ad Libros S. Scripturæ idiomate vulgari traductos, & alios prohibitos, patent Conſtitutiones Prædeceſſorum noſtrorum, & potiſſimùm fel. rec. Pii IV. a quibus ſatis ſuperque abuſibus providetur: uti etiam Confugia ad alia Tribunalia a conſimilibus Conſtitutionibus inhibentur, quarum Epiſcopi in Diœceſibus obſervantiſſimi executores eſſe debent.

Quod pertinet ad pendentes controverſias circa Adminiſtrationem Sacramentorum, donec aliquid ſpecialius decernatur, ab iiſdem Epiſcopis advigilandum eſt, ut juxta Sanctiones Canonicas, Statuta Conciliorum, & praxim Eccleſiæ, adminiſtrentur, habita caſuum, atque eorum circumſtantiarum ratione. Etenim in præſens magna ſolicitudine diſcuſſioni Propoſitionum, quæ inter alias abunde delatas ad hoc argumentum ſpectant, adlaboratur a Conſultoribus, & Qualificatoribus Supremæ hujuſce Inquiſitionis, qui omnes ſunt Prælati, ac Doctrina præſtantes. De veſtra autem in hanc Sedem obſervantia adeo præclarè ſentimus, ut planè confidamus non omiſſuros vos ejuſdem mandata debita Charitate, & prudentia exequi, firmam in ſpem venientes retribuendam tandem iſti Provinciæ tranquillitatem, qua ceteræ omnes fruuntur. Fraternitatibus interim veſtris Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 24. Novemb. 1696. Pontificatus Noſtri anno VI.

Subſignatum erat. *Marius Spinula.*

Superſcriptio erat,

Venerabilibus Fratribus Archiepiſc. Mechlinienſi, Epiſcopis Antuerpienſi, Ruremundenſi, Brugenſi, Gandavenſi.

Ex dicta Collectione hiſtorica Bullarum &c. pag. 268., & ſeq.

Appellātur hic prætenſi Janſeniſtæ, qui nullum exterius dāt ſignum Hæreſis in cordi animo latentis.

Neque de ipſis occultis Atheis judicat Eccleſia.

In priori Brevi dixerat ſufficere Externa ſigna probantia Janſeniſmi Suſpicionem.

Confirmavit Prædeceſſorum Decreta, ideoque declaravit Janſeniſtas eos, qui negant hæreticum eſſe Sēſum Janſenii, ut declaraverat Alex. VII. Amolitur a ſe Calumniā alteratæ, ſeu reformatæ Conſtitutionis Alexandri VII.

Hanc, & Formulariū confirmavit, ideoque voluit damnari Propoſitiones tanquam hæreticas in obvio Senſu Janſenii, & nō ſolùm eas Propoſitiones in abſtracto ſumptas.

SS.D.N.CLEMENTIS Divina Providentia Papæ XI.

Damnatio, & Prohibitio quorumdam Foliorum impreſſorum ſub titulo: Lettre de M.*** Chanoine de B.A.Mr.T.D.A.&c. Cas de Conſcience proposè par un Conteſſeur de Province touchant un Eccleſiaſtique, qui eſt ſour ſa conduite &c.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

HH *Num.* 31. CUM nuper in lucem prodierint quædam folia Gallico idiomate edita ſub titulo: *Lettre de M.**** Chanoine de B.A.Mr.T.D.A.&c. Cas de Conſcience proposè par un Confeſſeur de Province touchant un Eccleſiaſtique, qui eſt ſour ſa conduite, & reſolu par pluſieurs Docteurs de la Faculté de Theologie de Paris.* Quamplures autem ex Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E.Cardinalibus, quos ad examen dictorum foliorum ſpecialiter delegimus, audita ac diligenter perpenſa foliorum hujuſmodi Cenſura, quæ coram Nobis relata fuit, folia ipſa damnanda, & prohibenda eſſe cenſuerint: Hinc eſt, quod Nos pro commiſſa Nobis ab æterno Paſtore gregis ſui cura, Dominicæs oves, quantum nobis ex alto conceditur, a noxiis præſervare cupientes, de memoratorum Cardinalium conſilio, folia prædicta Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium damnamus, & reprobamus, ac legi, et retineri prohibemus, illorumque impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, et uſum omnibus, et ſingulis Chriſtifidelibus, etiam ſpecifica, et individua mentione, et expreſſione dignis, ſub pœna Excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia Declaratione Incurrenda omnino interdicimus. Volentes, et Auctoritate præfata mandantes, ut quicumque eadem folia penes ſe habuerint, illa, ſtatim atque præſentes Literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel Hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, tradere, atque conſignare teneantur; In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Ut autem eædem præſentes Literæ ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quiſquam illarum ignorantiam allegare poſſit, volumus, et eadem auctoritate decernimus, ut illæ ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, & ſic publicatæ omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent: Utque ipſarum præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quàm extrà illud, ubique locorum habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 12. Februarii MDCCIII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

F. Oliverius.

BREVIA SS. D. N. CLEMENTIS XI.

Ad Regem Chriſtianiſſimum contra peſtilentem Libellum, in quo aſſerebatur: Ad Obedientiam Sedi Apoſtolicæ debitam non requiri, ut quis Janſeniani Libri Senſum, in Quinque Propoſitionibus damnatum, interius ut hæreticum damnet, ſed ſatis eſſe, ſi ea de re obſequioſum Silentium teneatur: & Formulæ ab Alexandro VII. præſcriptæ ſubſcribi licitè poſſe etiam ab iis, qui interius non judicant Janſenii Libro Doctrinam hæreticam contineri.

Cariſſimo in Chriſto Filio noſtro Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS PAPA IX.

II *Num.* 32. *Quæ ſit indoles Janſenianorum.* CAriſſime in Chriſto Fili noſter, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Audivimus nuper, *audaci ſanè, ac ſubdola nonnullarum hominum opera, qui in id nati eſſe videntur, ut Eccleſiæ, & Republicæ pacem turbare non ceſſent,* Libel-

Libellum quemdam prodiiſſe, cui Titulus: Cas de Coſcience proposè par un Confeſſeur &c. quo ſanè plura pernicioſæ Doctrinæ capita, erroreſque damnati revocantur in lucem, & ipſa etiam hæretica Janſenii Dogmata non obſcurè foventur; dum editæ olim pro iis omnino abolendis Apoſtolicæ Conſtitutiones *captioſis ſubtilitatibus eluduntur*: id porrò in quantum Fidelium Scandalum, atque utriuſque regiminis perturbationem vergat, Majeſtas tua, cujus mentem tantâ in gubernandis populis Sapientiâ illuſtravit Altiſſimus, ex ſe ſatis ipſa deprehendet. Quoniam verò contra iſtiuſmodi homines *continua novitatum prurigine laborantes* non jam amplius legibus, ac ſanctionibus, quæ ſatis multæ hactenus publicatæ fuerunt, ſed gravium potius adhibitione pœnarum agendum videtur, *ne malum toties compreſſum, & quotidie reviviſcens, ulterius ſerpat*, opportunum exiſtimamus, damnato prius hic, juxta Sedis Apoſtolicæ morem, Libello, dilecti Filii noſtri Ludovici Antonii S.R.E. Cardinalis de Noailles Eccleſiæ Pariſienſis Præſulis zelum, ac pietatem per Apoſtolica Scripta excitare, ut in ejuſdem Libelli Auctores, Evulgatoreſque præcipuos, ſummo ſtudio conquiſitos ſeverius animadvertat, Doctoreſque eos paucos, qui Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones, & Regia etiam Majeſtatis Tuæ decreta contemnentes, eidem Libello palam ſubſcribere non ſunt veriti, debitis pœnis afficiat. Ea autem in re, qua non Eccleſiæ ſolùm, quæ Majeſtati tuæ maximè curæ eſt, ſed & ipſius Regni utilitas quæritur, ſummopere decet Regalis brachii tui in præfati Cardinalis auxilium exeri poteſtatem, atque ita paucorum hominum temeritatem compeſci, ut palam fiat omnibus eam hodie inter Sacerdotium, & Imperium miſerante Domino vigere concordiam, ut impunè non liceat *turbulentis ingeniis, & nunquam cavillandi finem facientibus*, Eccleſiaſticas ſimul, ac Regias leges infringere. Novit profectò, Cariſſime Fili noſter, novit, & gratulatur Eccleſia omnis, quanto pietatis ſtudio, quanta Regii nominis laude, eliminandis Catholicæ Fidei, ac diſciplinæ adverſis erroribus, et novitatibus, præcipuè verò radicitus extirpandis Janſenii Dogmatibus, adlaboraveris. Tuæ nunc prudentiæ, tuæ religionis, ac pietatis, eſt cœpto operi ſupremam manum adjicere, traditamque Tibi ab Altiſſimo poteſtatem in illius, et Eccleſiæ ipſius obſequium exercere. Ne patiaris igitur, Cariſſime Fili, ut tot labores, ac ſtudia, quæ exterminandæ ex florentiſſimo Regno tuo peſſimæ Hæreſis contagioni adhibuiſti, paucorum hominum veſaniâ fructu vacuentur, et pereant. Sileant inquieti homines, coerceantur protervi, pareant contumaces, et quos Eccleſiæ manſuetudo non flectit, Poteſtas Regalis compeſcat, ac conterat. Et ita, quam Eccleſiæ Dei dederis, Deus ipſe Regnis tuis donet, & perpetuò ſervet, tranquillitatem. Eam interim Nos Majeſtati tuæ unà cum cæteris bonis omnibus ex animo precantes Apoſtolicam ſimul benedictionem tibi amantiſſimè impertimur. Datum Romæ die 13. Februarii 1703.

Janſeniſmus quotidie reviviſcit.

Semper novæ Janſenianorum Cavillationes.

Cariſſimo in Chriſto Filio noſtro Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS PAPA XI.

KK

Num. 33.

Cariſſime in Chriſto Fili noſter Salutem &c. Ex iis, quæ Venerabilis Frater Philippus Antonius Archiepiſcopus Epiſcopus Imolenſis Nuntius Noſter ad Nos retulit non ſine maximo animi gaudio percepimus Regium Majeſtatis tuæ zelum Noſtris nuper paternis vocibus excitatum cœpiſſe in præcipuos deterrimi Libelli approbatores condignis pœnis animadvertere, Ludovicum du Pin nequioris Doctrinæ hominem, temeratæque pluries Apoſtolicæ Sedis Dignitatis reum, exulare jubendo. Qua de cauſa ſingulare tuum, ac fervens Eccleſiæ favendi ſtudium, religioſamque Pontificiis monitis obſecundandi voluntatem dignis commendare debemus laudibus, Tibique etiam gratias agere, utque cœptum egregiè opus proſequi velis, vehementer adhortari; quandoquidem adverſus homines agitur, qui non niſi pœnarum ſeveritate coerceri valent. Neque verò excuſationem obtendere jure poſſunt, qui tot Eccleſiæ, Regnique legibus, non quidem ignotis, aut ambiguis, ſed palam editis, atque perſpicuis, obviam ire ſunt auſi; neque admiſſi criminis veniam ſola Epiſcopalis judicii agnitione demereri, qui publicè in Eccleſiam, Eccleſiæque Caput Romanum Pontificem non uno nomine deliquere. Nimia videlicet erit impunè peccandi licentia, ſi gravia quævis, & aperta facinora

vel una ſatis deprecatione purgentur. Cæterùm quod Libellum eumdem Apoſtolicæ damnationis ſententiâ confixum Edicto quoque Regio proſcripſeris, ſummopere gaudemus; *ne tamen ex quibuſdam ipſius Edicti verbis quiſquam inferre præſumat, non ſuſtinendæ modò, ſed & pariter impugnandæ Janſenianæ hæreſeos in poſterum viam præcluſam eſſe; quod quidem ab æquiſſima Majeſtatis tuæ mente prorſus alienum eſſe nemo eſt, qui neſciat; utque nova omnis ſubdolis ingeniis cavillandi anſa penitus præcidatur, maximè expedire arbitramur, ut Majeſtas tua ea de re voluntatem ſuam expreſſius declarare non gravetur*: quemadmodum idem Nuntius Noſter tibi uberius explicabit: quod ſanè & fovendæ Chriſtianæ Fidei puritati opportunum, & Nobis porrò gratiſſimum fuerit. *Ita enim publicæ conſulendum tranquillitati eſt, ut Catholicæ veritati, ſalvis ſemper charitatis, atque modeſtiæ legibus, tuendæ locus non adimatur*: ac Majeſtati tuæ Apoſtolicam benedictionem perpetuo cum felicitatis tuæ voto conjunctam amantiſſimè impertimur.

SS. D. N. nõ vult præcludi viam impugnãdæ Janſenianæ Hæreſeos.

Datum Romæ &c. die 10. Aprilis 1703.

Ulyſſes Joſeph Archiepiſcopus Theodoſienſis.

Breve Sanctiſſimi D. N. ad Cardinalem de Noailles Archiepiſcopum Pariſienſem contra Aſſertores earumdem Propoſitionum.

Dilecto Filio Noſtro Titulo S. Mariæ ſupra Minervam S. R. E. Presbytero Card. de Noailles nuncupato.

CLEMENS PAPA XI.

LL
Num. 34.

Dilecte Fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Non ſine magna paterni cordis noſtri amaritudine nuper accepimus editum Pariſiis, ac promulgatum fuiſſe Libellum quemdam, cui Titulus *Cas de Coſcience proposè par un Confeſſeur &c.* mole ſiquidem perexiguum, ſed multiplici noxiæ Doctrinæ veneno abunde refertum, quo ſcilicet *plures damnati errores, pernicioſæque novitates aſtruuntur*, ac ipſæ etiam fel. rec. *Alexandri VII.* Prædeceſſoris noſtri *ad Janſenianam hæreſim non modò damnandam, ſed & præcluſis omnibus callidiorum hominum effugiis, ac tergiverſationibus radicitus evellendam*, tanta maturitate editæ, *Conſtitutiones*, quibus & nos firmiſſimè adhæremus, indirectè ſiquidem, ac *veluti per cuniculos, impetuntur*. Quid enim aliud eſſe dixerimus, Libelli hujuſmodi Authores tam ſplendido verborum apparatu erga Pontificias Conſtitutiones internam ſemper obſervantiam polliceri, quam interim exterius violant, &, *ut ſilentium polliceantur, quotidie Silentium rumpere?* Quid inanibus quæſtionibus, quæ ad nihil proficiunt, præterquam ad ſubverſionem audientium, Eccleſiaſticarum Sanctionum perſpicuitati tenebras velle offundere, niſi *malum, quod corde fovent, per quamdam diſſimulationem aperire?* Ita, ut illud jure uſurpari poſſit: *Sermo eorum, ut cancer, ſerpit*. Et aliud: *Acuerunt linguas ſuas, ſicut ſerpentis, venenum aſpidum ſub labiis eorum*. Ingemuimus planè videntes, homines, *qui ſe Catholicos profitentur*, eò temeritatis, ac pervicaciæ deveniſſe, ut præfatis *Apoſtolicis Conſtitutionibus, cæteriſque hujus Sanctæ Sedis Decretis, adhuc obviam ire, eorumque vim emendicatis undique captioſis ſubtilitatibus eludere ſe poſſe confidant*. Verùm cum tam *ſubdolis* eorum artibus non modò, ut par eſſet, minimè obſiſtere, ſed potius patrocinari, ac veluti manum porrigere compererimus non paucos Pariſienſis Scholæ Doctores, qui Libellum ipſum palam auſi ſunt ſuo calculo comprobare, obſtupuimus planè, & magna ſimul perturbatione pro Domo Dei exarſimus, ſtatimque, ne commiſſo nobis cælitus Muneri deeſſe videremur, de valido adhibendo remedio cogitavimus. Quapropter Libellum ipſum, prævio, ut moris eſt, Theologorum examine, Apoſtolica Auctoritate damnavimus, ac prohibuimus, ne ejus lectione Fidelium mentes inficerentur. At verò, quoniam ut Sanctus Proſper præclarè admonet: hujuſmodi hominum pravitati, non tam diſputationum ſtudio, quàm Auctoritatis privilegio eſt reſiſtendum, Circumſpectionem Tuam ſedulò monemus, ut zelum, quo maximè ferves, pro ſana Doctrina, Eccleſiæque pace tuenda excites, exeras, atque intendas in inveſtigandis omni ſtudio diligentius Libelli hujus Auctoribus, neque enim clam fieri potuit, quod nonniſi a multis valuit pertractari, ac in eos poſtmodum gravibus, ut tantæ debetur audaciæ, pœnis animadvertas.

Damnati errores, pernicioſæque Novitates a Janſenianis aſtruuntur.

Janſeniſtarum effugia. Janſenianorũ cuniculi.

Quomodo Silentium ſervent Janſeniani.

Fruſtra Janſeniani diſſimulant.

Qui ſe Catholicos profitentur, eludere tentant Apoſtolicas Conſtitutiones emendicatis, & ſubdolis Cavillationibus.

tas. Porrò Doctores illos, quos ſanè decebat magis expugnandis *Eccleſiæ deterrimis hoſtibus*, quàm convellendis Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus nomen inſcribere, omnino volumus ſeveram adeo, te puniente, diſtrictionem ſubire, ut cæteri in poſterum a ſimilibus abſterreantur. Cariſſimum inſuper in Chriſto Filium noſtrum Regem Chriſtianiſſimum & datis literis, & per Venerabilem item Philippum Antonium Archiepiſcopum Epiſcopum Imolenſem Nuntium noſtrum, qui plura ſecum etiam hac de re differet, enixè rogamus, ut Circumſpectioni tuæ in exequendis hiſce mandatis noſtris pro impiorum hominum nequitia coercenda Regalis quoque velit auxilium brachii impertiri: quod quidem Majeſtatem ſuam, pro ſummo, quem in compeſcendis hæreſum, ac novitatum ſautoribus hactenus oſtendit, zelo, confidimus præſtituram. Et tibi interim, Dilecte Fili noſter, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ die 13. Februarii 1703. *Ianſeniani ſunt Eccleſiæ deterrimi hoſtes.*

BREVE SS. D. N. CLEMENTIS XI.

Declarans abrogatum fuiſſe munus priori Vicario Apoſtolico Hollandiæ, & detegens Janſenianos ſub ſpecie ſummi Rigoris in Morum Diſciplina Populum decipientes.

Dilectis Filiis univerſis Catholicis in partibus Hollandiæ, & Provinciarum conterminarum conſtitutis.

CLFMENS PAPA XI.

MM

Dilecti Filii, Salutem. Illius vices, licet immeriti, gerentes in terris, qui tranſiturus ex hoc mundo ad Patrem, pacem, quam naſcendo nuntiaverat, Eccleſiæ ſuæ velut teſtamento reliquit, in eam maximè curam incumbimus, ut Catholici omnes, iique præſertim, qui in ſejunctis ab hac Sancta Sede regionibus conſtituti ab omni ſpecie mala cavere diligentius debent, remotis diſſenſionum fomentis, ea, quæ pacis ſunt, ſtudioſè ſectentur, quive in Unitate ejus Fidei conſentiunt, Concordiâ quoque; & Charitatis vinculo conjungantur. Quamobrem turbarum & diſſenſionum mala germina, quæ in Hollandis Miſſionibus jampridem exorta quotidie ſuccreſcere, non ſine gravi paterni noſtri cordis amaritudine, deprehendimus, reſecare, atque etiam favente Domino prorſus eradicare cupientes: Venerabili Franciſco Petro Archiepiſcopo Sebaſteno juſtis, gravibuſque de cauſis, a Vicariatus Apoſtolici Officio, quod obtinebat, ſuſpenſo, Provicarioque interim, donec ab eadem Sede aliter provideretur, in ejus locum ſubrogato, nulli alteri ſub Provicariatus, Archipreſbyteratus, aut aſſertorum Capitulorum, ut vocant, Aſſeſſoratus, ſeu cujuſvis alterius muneris, aut officii obtentu, Patres Miſſionarios, Deſervitores, aut alios quoſcumque ad animarum Curam, Sacramentorumque adminiſtrationem, etiam prætextu neceſſitatis, conſtituendi, ſeu deputandi facultatem ullam competere declaravimus: & nihilominus ad abundatiorem cautelam, & quatenus opus eſſet, omnes, & ſingulas Deputationes ſupradictorum Officiorum, nomine ſorſitan, ut ſupra, factas, cum omnibus inde ſecutis, prorſus irritas, ac nulllus roboris, vel momenti, eſſe decrevimus: Omnibus propterea Clericis Miſſionum præfatarum Apoſtolica Auctoritate, & ſub Excommunicationis ipſo facto, & abſque alia Declaratione, incurrendæ pœna, diſtrictius inhibentes, ne in illarum ſpirituali regimine ſe ingerere quovis pacto auderent, vel præſumerent. Nunc verò ut, quod paucis denuntiatum eſt, omnibus iſtarum regionum Catholicis plenius innoteſcat, nulluſque amplius de Pontificia voluntate noſtra ambigendi ſuperſit locus, ea de re vos omnes, Dilecti Filii, per præſentes literas duximus admonendos, de veſtra quidem eximia pietate, conſtantique erga Apoſtolicam Sedem obedientia, planè confiſi, nullam in poſterum apud vos fidem, aut aditum inventuros paucos illos *Eccleſiæ ſimul, atque Reipublicæ Perturbatores, qui ſub doloſis artibus, falſiſque narrationibus candidos animos veſtros decipere, aut etiam, ſi poſſent, in errorem adducere conati ſunt.* Sinite illos, Dilecti Filii, quia *cæci ſunt*, atque *utinam non excæcaverit illos malitia eorum.* Oſtendite vos veras Chriſti Oves eſſe, qui Supremi in terris Paſtoris ab eodem Domino

Num. 35.

Ianſeniſtæ ſunt Eccleſiæ Perturbatores, & animorum Deceptores.

Cæci ſunt.

con-

Sunt alieni, non veri Paſtores.
Fruſtra obtenduntexactioris, & rigidæ Diſciplinæ ſpeciē.
Quò mente colliment Janſeniani.
Veniunt in Veſtibus Ovium.
Qui nam ſint ab iis editi Libelli.
Quàm longè ſint a Spiritu Dei.
Et a Charitate, aliiſq; Virtutibus.
Quæ in Apoſtolicam Sedem irreverentia Janſeniſtarum.

conſtituti, monitis obſequuntur, & non audiunt vocem alienorum. *Alieni profectò ſunt, qui dum Gregem Dei dividere tentant, mactare potius, ac perdere, quam cuſtodire velle deprehenduntur. Obtendunt illi quidem exactioris Diſciplinæ ſpeciem, ac de rigidioris Theologiæ ſibi ſama blandiuntur*: quales verò animo ſenſus foveant, *quòve mente colliment*, quicumque ſapiens rerum æſtimator facilè judicabit, certiſſimâ illâ (qua nos *ad eos, qui veniunt in veſtimentis ovium, dignoſcendos* Salvator noſter inſtruit) adhibitâ regulâ. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*. Quis enim, ut cœtera taceamus, *tot ab iis hac in Cauſa editos Libellos videat, jurgiis, maledictis, mendaciis, calumniis, apertaque in Apoſtolicam Sedem irreverentia, ac temeritate, undequaque ſcatentes*, quos magno, vel ipſis heterodoxis, Scandalo fuiſſe comperimus, quin ſtatim agnoſcat, *quàm longè illorum Auctores, deſenſoreſque a Spiritu Dei ſunt*, qui non eſt Diſſenſionis Deus, ſed Pacis: *quàm longè a ſincera Chriſti charitate*, quam adeo verbis prædicant, factis deſtruunt: *quàm longè demum a veræ humilitatis, & obedientiæ*, quæ cæterarum virtutum fundamenta ſunt, *tramite, dum adverſus ipſam Beati Petri Sedem, Chriſtianorum omnium Matrem, & Magiſtram, caput attollere, ejuſque mandatis obviam ire, quinimò & Poteſtatem convellere, ac palam impetere, non erubeſcunt*. Vos autem, Dilecti Filii, non ſic; ſed in accepto a majoribus veſtris pietatis inſtituto perſeverantes, quem Religione profitemini Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Principatum, promptâ, ut verè Catholicos decet, obedientiâ comprobate. Neque enim vobis, niſi prò veſtra utilitate, præcipimus, nec temporalia veſtra quærimus, ſed ſpiritualia vobis chariſmata comparamus. Quod verò ad præfatum Archiepiſcopum Sebaſtenum attinet, cum repetitis multorum officiis, atque etiam enixis Dilecti Filii Theodori de Cock, a nobis, ut præfertur, Provicarii conſtituti precibus urgeremur, ut illi in Hollandiam redeundi poteſtas fieret, aſſerentibus cunctis id quoque a Secularibus Magiſtratibus de reſtituendo, ut ajebant, in Patriam proprio Cive ſolicitis, vehementer optari, Apoſtolicâ potius indulgentiâ, quàm diſtrictiori Canonum Cenſura uſi, diſcedendi non modò veniam, ſed & mandatum ante duos ferè menſes ipſi ultro dedimus. Eidem verò, cum ſe pararet itineri, ad nos nuperrimè venienti paternè ſimul ac perſpicuè animi noſtri ſenſus ita explicavimus, ut licet novi iſtarum partium Vicarii Apoſtolici deputationem diutius adhuc nos differre contingeret, ipſe tamen ſpem omnem ejuſmodi munus, quod ei non niſi ad hujus Sanctæ Sedis beneplacitum demandatum fuiſſe reperiebatur, & a quo ſubinde, ſicut præmittitur, ſuſpenſus fuerat, in poſterum exercendi ſibi penitus ſublatam eſſe, non obſcurè intelligeret. Ita ſiquidem re ſatis ſuperque diſcuſſa, auditoque plurium Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſilio, ſpirituali iſtarum Miſſionum bono magis congruere in Domino cenſuimus. Præterea eidem injunximus, ut fautores ſuos ab omni contentione, & æmulatione, ſui potiſſimùm causâ ſuſcitatis curaret avertere, offenſiones omnes, querelas, cæteraſque terrena ſapientium rationes ingenito hominibus proprii commodi ſtudio jugiter ſuggerentes minimè defuturas, uno hoc effato Apoſtoli compeſcendo: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis; ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Hæc omnia, Dilecti Filii, vobis ſimiliter innoteſcere neceſſarium duximus, ut quicumque apud vos Catholico nomine cenſeri volunt, non ſint ſicut parvuli fluctuantes, ſed ſciant, quem Paſtorem in via Domini ſequi, & cujus mandatis parere teneantur. Satagite igitur, ut qui rectè credendi gratiam a Domino conſecuti eſtis, bonorum operum, & præcipuè charitatis, humilitatis, & obedientiæ, fructibus Domino reſpondeatis; fruſtra enim fuerit Catholicè credidiſſe, niſi cæterarum quoque virtutum ſuffragio reportetis finem Fidei veſtræ Salutem animarum. Idque ut facilius aſſequamini, Supremum Miſericordiarum Patrem, pro Muneris noſtri debito, paternoque, quo vos omnes complectimur, amore precari non deſiſtemus, & Apoſtolicam interim benedictionem vobis ex animo impertimur.

Datum Romæ die 7. Aprilis 1703.

CON-

CONSTITUTIO SS. D. N. CLEMENTIS XI.

Confirmantis illas Innocentii X., & Alexandri VII. adverſus Hæreſim Janſenianam, & declarantis nihil unquam Janſenii Sectatoribus indultum fuiſſe a Clemente IX. & Innocentio XII. & præterea, Obedientiæ, quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo Silentio minimè ſatisfieri, ſed damnatum in Quinque Propoſitionibus Janſeniani Libri Senſum, quem illarum verba præſeferunt, ab omnibus Chriſti Fidelibus, ut hæreticum, non ore ſolùm, ſed & corde, rejici, ac damnari debere: nec alia mente, animo, aut credulitate, Formulæ Alex. ſubſcribi licitè poſſe.

NN

Num. 36.

Vineam Domini Sabaoth, quæ eſt Catholica Eccleſia, pro commiſſo Nobis divinitus Apoſtolicæ Servitutis Munere cuſtodire, atque excolere omni ſtudio, atque induſtria jugiter ſatagentes, ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris ad ſuccreſcentes in illa perniciosarum Novitatum vepres radicitus evellendos prudenti, ſalubrique conſilio conſtituta eſſe noſcuntur, ut quibuſcumque Inimici Hominis molitionibus dejectis, firmius ſemper, atque exactius obſerventur, Apoſtolici muniminis noſtri præſidio libenter roboramus, atque alias deſuper ſolicitudinis, & providentiæ noſtræ partes interponimus, ſicut omnibus maturæ conſiderationis trutinâ perpenſis ad fidelem, ac tutam Orthodoxæ veritatis cuſtodiam, necnon Animarum pretioſo Unigeniti Dei Filii Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanguine redemptarum Salutem expedire in Domino arbitramur. Sanè poſtquam fel.rec. Innocentius Papa X. Prædeceſſor noſter per quandam ſuam deſuper editam Conſtitutionem quinque famoſas Propoſitiones ex Libro Cornelii Janſenii Epiſcopi Yprenſis, cui titulus Auguſtinus, excerptas Apoſtolici Cenſurâ judicii rite confixerat, rec.mem. Alexander Papa VII. etiam Prædeceſſor noſter ad ejuſmodi jam damnatos errores e Chriſti fidelium mentibus prorſus abolendos, publicæque tranquillitatis perturbatorum ſubtili tectas calliditate machinationes penitus evertendas, prædictam Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutionem, toto illius inſerto tenore, confirmavit, novarumque Declarationum acceſſione conſtabilivit, ſua in id pariter edita Conſtitutione tenoris, qui ſequitur, videlicet. Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei univerſis Chriſtifidelibus ſalutem,& Apoſtolicam Benedictionem. Ad Sanctam Beati Petri Sedem, & Univerſalis Eccleſiæ regimen &c. *Extat hæc Conſtitutio ſupra num.*14.*pag.*363.*Lit.O.Et Conſtitutio Innocentii X. quam ſuæ Alexander inſeruit, extat ſupra num.* 2. *Lit. B.*

Subinde verò quò omnis Apoſtolicarum Definitionum eludendarum aditus intercluderetur, memoratus Alexander Prædeceſſor, priſcum Eccleſiæ morem ſequutus certam edidit Formulam ab omnibus Eccleſiaſtici Ordinis, tam Secularibus, quàm Regularibus perſonis ſubſcribendam per aliam ſuam hac in re promulgatam Conſtitutionem tenoris ſequentis, videlicet: Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Regiminis Apoſtolici divinâ providentiâ Nobis, quamvis immeritis, commiſſi ratio poſtulat &c. *Extat hæc Alexandri Conſtitutio ſupra num.* 19. *Lit. T.*

Sic equidem Cauſa finita eſt; non tamen ſic, ut par erat, finitus eſt error Apoſtolico toties mucrone percuſſus: *Neque enim deſuere, nec adhuc deſunt, homines veritati non acquieſcentes, & nunquam Eccleſiæ contradicendi finem facientes, qui variis diſtinctionibus, ſeu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis*, Eccleſiam ipſam turbare, eamque interminatis quæſtionibus, quantum in ipſis eſt, involvere, & implicare conantur; *quodque deterius eſt, ipſamet Apoſtolicæ Sedis Decreta redarguendis eorum pravis ſenſibus condita*,ac præſertim quaſdam piæ mem. Clementis Papæ IX. die 19. Januarii 1669. ad quatuor Galliæ Epiſcopos, necnon binas ſimilis mem. Innocentii Papæ XII. etiam Prædeceſſorum noſtrorum die 6.Februarii 1694. & die 24. Novembris 1696. ad Epiſcopos Belgii in forma Brevis reſpectivè datas literas *in erroris ſui patrocinium advocare, temerario planè auſu non erubeſcunt: perinde ac ſi* memoratus *Clemens* Prædeceſſor, *qui eiſdem ſuis literis ſe Innocentii X., & Alexandri VII. Prædeceſſorum Conſtitutionibus* ſupradictis *firmiſſimè inhærere, ac a dictis Quatuor Epiſcopis veram, & totalem obedientiam, adeoque*

Poſt Apoſtolicam Definitionem Cauſa finita eſt.

Janſenianorum Effugia ad circumventionem Erroris.

Eluſiones Pontificiorum Decretorum.

Demonſtratio Calumniæ irroga-

Google

tæ Clem. IX. a Janſenianis.

que Formulæ a præſato Alexandro Prædeceſſore, ſicut præmittitur, *editæ ſincerè per eos ſubſcribi voluiſſe declaravit, aliquam in tam gravi negotio Exceptionem, ſeu Re-*

Evidenter oſtenditur altera calumnia inficta Innocent. XII.

ſtrictionem, quam nullam prorſus ſe unquam admiſſurum fuiſſe proteſtatus fuit, re ipſa admiſiſſet; dictus verò *Innocentius XII.* Prædeceſſor, *dum ſapienter, ac providè prædictas quinque Propoſitiones ex memorato Libro Janſenii excerptas in Senſu Obvio, quem ipſamet Propoſitionum verba exhibent, ac præſeferunt, damnatas eſſe pronunciavit, non de ipſomet obvio Senſu, quem in Janſenii Libro habent, quive ab eodem Janſenio intentus, ac a præfatis Innocentio X. & Alexandro VII. Prædeceſſoribus damnatus fuit, ſed de alio quopiam diverſo Senſu cogitaſſet, dictaſque Innocentii X. & Alexandri VII. Prædeceſſorum Conſtitutiones temperare, reſtringere, aut alio qua-*

Janſeniani Deceptores.

vis modo immutare voluiſſet iiſdem ipſis literis, quibus eas in ſuo robore fuiſſe, & eſſe, ſeque illis firmiter inhærere, verbis apertiſſimis aſſerebat. Præterea iidem inquieti homines ſparſis undequaque *ſcriptionibus, ac libellis exquiſita ad fallendum arte compoſitis*, non ſine gravi Apoſtolicæ Sedis injuria, maximoque totius Eccleſiæ ſcandalo docere non ſunt veriti: Ad obedientiam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janſeniani Libri Senſum in antedictis quinque Propoſitionibus, ſicut præmittitur, damnatum, interius ut hæreticum damnet; ſed ſatis eſſe ſi ea de re obſequioſum (ut ipſi vocant) Silentium teneatur. Quæ quidem aſſertio quàm abſurda ſit, & animabus Fidelium pernicioſa

Nihil prodeſt deſponſum a Janſenianis Silentium. Imò ſummopere nocet.

ſatis apparet, dum *fallacis hujus Doctrinæ pallio non deponitur error, ſed abſconditur: vulnus tegitur, non curatur: Eccleſia illuditur, non paretur: & lata demum filiis inobedientiæ via ſternitur ad fovendam Silentio hæreſim, dum ipſam Janſenii Doctrinam, quam ab Apoſtolica Sede damnatam Eccleſia Univerſalis exhorruit, adhuc interius abiicere, & corde improbare detrectant.* Quin etiam eò impudentiæ nonnul-

Abiicienda eſt Doctrina Libri Janſenii, quæ damnata eſt ab Apoſtolica Sede.

los deveniſſe compertum eſt, ut veluti *naturalis honeſtatis, nedum Chriſtianæ ſinceritatis obliti*, aſſerere non dubitaverint, præfatæ Formulæ a memorato Alexandro Prædeceſſore præſcriptæ ſubſcribi licitè poſſe etiam ab iis, qui *interius non judicant prædicto Janſenii Libro doctrinam hæreticam contineri.* Quaſi verò, contra quàm ſcriptum eſt: Qui loquitur veritatem in corde ſuo: Et: Qui jurat proximo ſuo, & non decipit; hujuſmodi erroris Sectatoribus liceat *Eccleſiam ipſam jurejurando de-*

Ipſius naturalis honeſtatis obliti Janſeniani.

cipere, ſimulque Apoſtolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejuſdem Formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Eccleſia loquitur; quod tamen ſentit ipſa, non ſentiunt; ſeque parere Conſtitutionibus Apoſtolicis profitentur, quibus animo contradicunt. Hinc

Qui negant Janſenii Libro Doctrinam hæreticam contineri, manifeſtè agunt de Jure, ac Dogmate Fidei, non de mero Facto.

eſt, quod Nos ad opportunum, & efficax tam exitiali morbo, qui *ut cancer ſerpit, & quotidie in deterius vergit*, remedium adhibendum, non minus *demandatæ Nobis omnium Eccleſiarum ſolicitudinis debito*, quàm plurimorum Ven. Fratrum noſtrorum diverſarum partium, ac præſertim Regni Galliarum, Epiſcoporum zelo, ac precibus excitati; *ne hujuſmodi pravi homines Catholicæ Eccleſiæ pacem ſubvertere impunè pergant, & ſimplicium, ac puſillorum mentibus imponere*, docentes, quæ non oportet; neve ullus, apud eos quoque, qui bona, ut ajunt, fide, ac falſis rumoribus *decipi ſe* fortaſſe *patiuntur*, de mente, ac ſententia Apoſtolicæ Sedis amplius ambigendi ſuperſit locus, Divino prius, tam privatis noſtris, quàm publicè indictis

Quodnam ſit juſjurandum Janſenianorum.

precibus, implorato præſidio, ac re maturè diſcuſſa, de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſilio, auditiſque complurium in Sacra Theologia Magiſtrorum ſuffragiis: Primò quidem præinſertas Innocentii X.,

Quotidie in deterius vergit Janſeniſmus.

& Alexandri VII. *Prædeceſſorum Conſtitutiones, omniaque, & ſingula in eis contenta Authoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, approbamus, & innovamus.* Ac inſuper, ut quævis in poſterum erroris occaſio penitus præcidatur, atque

Sanctiſſimus Pontifex docet tanquam Eccleſiæ Magiſter.

omnes Catholicæ Eccleſiæ filii Eccleſiam ipſam audire, non tacendo ſolùm, (nam & impii in tenebris conticeſcunt) ſed & interius obſequendo, quæ vera eſt Orthodoxi hominis obedientia, condiſcant; hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, *Obedientiæ, quæ præinſertis Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minimè*

Janſeniani Eccleſiæ Perturbatores, & Impoſtores.

ſatisfieri; ſed damnatum in quinque præfatis Propoſitionibus Janſeniani Libri Senſum, quem illarum verba præſeferunt, ut præfertur, ab omnibus Chriſtifidelibus ut hæreticum, non ore ſolùm, ſed & corde, rejici, ac damnari debere: nec alia mente, animo, aut credulitate ſupradictæ Formulæ ſubſcribi licitè poſſe; ita ut qui ſecus, aut

Confirmat, & innovat Prædeceſſorum Conſti-

contra, quò ad hæc omnia, & ſingula, ſenſerint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel ſcripto docuerint, aut aſſeruerint, *tanquam præfatarum Apoſtolicarum Conſtitutionum tranſgreſſores, omnibus, & ſingulis illarum cenſuris, & pœnis omnino ſubjaceant,*

Digitized by Google

ceant, eadem Authoritate Apoſtolica decernimus, declaramus, ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes pariter eaſdem præſentes, & præinſertas literas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere: ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari, & definiri debere, *ſublata eis*, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate; *ac irritum, & inane*, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca V. Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & Judicibus Eccleſiaſticis, ad quos pertinet, committimus, & mandamus, ut ſinguli in ſuis reſpectivè Diœceſibus, ac locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis, ipſas præſentes literas, & in eis contenta quæcumque exequantur, & exequutioni mandari, & obſervari ab omnibus curent, & inobedientes, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas præfatas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio, omnino coerceant, & compellant. Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis Originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Decreti, Declarationis, Statuti, & Ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quinto, decimoſeptimo Kal. Auguſti, Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

tutiones. Non ſufficit ſilentium. Declaratio, quod hæreticus Janſenii Senſus, non ore ſolùm, ſed & corde damnandus ſit: nec alia mente, animo, aut credulitate ſubſcribi licitè poſſit Formulæ Alexandrinæ. Tranſgreſſores ſubiiciuntur pœnis Hæreticorum juxta Decreta Innocentii X., & Alexand. VII. quæ confirmantur.

F I N I S.

INDEX RERUM.

A

Acta omnia Authentica ad Janſeniſmum ſpectantia a pag. 351. uſque ad finem.

Alexander VII declarat Quinque Propoſitiones excerptas fuiſſe ex Libro Janſenii, atque damnatas in ejuſdem Janſenii Senſu. 237. Quam novam Janſenianorum Claſſem, præter proſcriptam ab Innocentio X., anathemate perculerit Alexander. 237. Janſeniſtarum Libros omnes, & eorum eluſiones multipliciter refellit. 239. Præſcribit Formam profitendi Fidem. 241. Damnavit Contextum Doctrinæ Janſenii confirmantis Hæreſim Quinque Propoſitionum. 337

Alexander VIII. damnat plurimas Janſeniſtarum Opiniones. 243

Anacephaleoſis, qua oſtenditur, ex Chalcedonenſi Concilio patere omnia illa, quæ de Pontifice Maximo prægorioſiſſima a Romanis dicuntur, ac præcipuè, quod ſit Succeſſor Petri, Chriſtianorum omnium Pater, Rector, Paſtor, Magiſter, ac Supremus a quovis alio ad ſe appellantium Judex, Epiſcopus Eccleſiæ Univerſalis, & infallibilis in declaranda Fide: nulliſque ab Epheſina Synodo vinculis irretitus, ne nova ſymbolo verba inſeri jubeat. 123

Anatolius Conſtantinopolitanus probatur Catholicus Epiſcopus, quia ſequitur Fidem S. Leonis, qui cognoſcitur Veritatis Magiſter, & Regula Conciliorum. 25. Anatolii Decreta diffinguntur a Concilio Chalcedonenſi adhærente Sententiæ Legatorum S. Leonis. 68. Ejus ambitus vaniſſimus. pag. 90. Illius aſtus detegitur. 94. & 98. Eidem Leges præſcribuntur a S. Leone Magno. 112

Appellatio a Synodis etiam Generalibus ad Pontificem Maximum cognoſcitur congruentiſſima a Concilio Chalcedonenſi. 38

Arnaldus fatetur Primam Propoſitionem Romæ proſcriptam in Janſenii Operibus reperiri, & ab ea cæteras inferri. 254

B

Balſamonis vafritia in contexendo Canone de prætenſo Primatu Sedis Conſtantinopolitanæ. 90

Baronius Cæſar Cardinalis per ſummam calumniam a Janſenianis allegatus tanquam negans Infallibilitatem Eccleſiæ in decidendis quæſtionibus Juris, & Senſus. 299

Baji Sectatores non ſunt uſi ſubterfugio diſtinctionis inter Jus & Factum. 261. Bajus V. Michael Bajus.

Bellarminus Ven. Cardinalis Inſano auſu allegatus a Janſenianis tanquam negans Infallibilitatem Eccleſiæ Magiſtri, & ipſius Eccleſiæ in decidendis quæſtionibus Juris & Senſus. 299

Blaſphemiæ Janſeniſtarum in Deiparam, Divinumque ejus Filium. 287

C

S. Cæleſtinus Primus in Epheſino Concilio patet Fidei Magiſter. 1

Canonizationem ad Sanctorum ſpectantia Facta fruſtra Janſeniani differre dicunt a Condemnatione Propoſitionum excerptarum ex Libro Janſenii in ejuſdem Janſenii Senſu. 319

Canus Melchior validiſſimè confirmat, quod tribuendus ſit Infallibilis Aſſenſus Fidei Divinæ Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ declaranti Verum Senſum Propoſitionum. 270

Capitulorum trium cauſa perperam allegata a Janſenianis. 311

Cauſæ, propter quas plurimi fateri nolunt, quod Quinque Propoſitiones ſint hæreticæ in Senſu Obvio, quem præſeferunt ex Contextu Libri, qui Janſenio tribuitur. 349

Chalcedonenſis Concilii Synopſis hiſtorica. 2. & ſeq. Idem indicitur a S. Leone, quem Superiorem & Infallibilem præſupponit, cum contra ejus Juſſiones de ſua Definitione Fidei ſuſcipienda, aliiſque rebus, nullus in Synodo reclamaverit. 26. Ejuſdem Concilii Primæ Sedes tribuuntur Legatis Romani Pontificis: iidem jubent e ſubſelliis diſcedere Dioſcorum Alexandrinum Patriarcham, cui exprobratur, quod Synodum celebraſſet ſine S. Leonis Auctoritate. 28. Chalcedonenſe Concilium obtemperat Legatis Pontificiis negans Dioſcoro Sedem inter Epiſcopos, eamque tribuens Theodoreto, licet damnato a Generali Concilio, quia reſtituto in priſtinum honoris gradum a Leone, qui Conciliis anterior erat. 29. Deteſtatur Dioſcorum, qui ſpreverat Appellationem ad Pontificem Maximum Synodo præcellentem, cujus Epiſtola proponitur, ut certa Fidei Regula. 35. Chalcedonenſis Concilii Epiſcopi omnes, non exceptis quibuſdam adhuc hæreſi addictis, Leonis Epiſtolæ iterum plaudunt, & ab alio inſtrui recuſant. 44. Chalcedonenſe Concilium exorans Legatos ad ferendam ſententiam Pontificio Nomine contra Dioſcorum agnoſcit ſe ſubjectum S. Leoni. 53. In controverſia de Photio Epiſcopo Tyri & Euſtathio Berythi diffugit Anatolii Decreta, & adhæret Sententiæ Legatorum prohibentium Sacerdotio perfungi eos, qui ab Epiſcopatu meritò dejiciuntur. 68. Chalcedonenſis Concilii allocutio ad Marcianum Imperatorem declarat licere Fidei Expoſitionem, & novorum Symbolo Inſertionem verborum, ac Romano Pontifici, ut Infallibili Veritatis Magiſtro ampliſſimè plaudit, nihilque aliud a Synodo factum affirmat in explicanda Fide, quàm ut ſe Leonis Magiſterio conformaret. 105. Ejus ad S. Leonem Magnum Literæ ipſum appellant Synodi Ducem, Magiſtrum, Caput, Patrem, ideoque Synodo ipſa Majorem, Infallibilem in Fide declaranda, & Epiſcopum Univerſalis Eccleſiæ. Petunt Confirmationem geſtorum omnium, & etiam Canonis Conſtantinopolitano Archiepiſcopo faventis. 108. Chalcedonenſe Concilium confirmatur a Sancto Leone Magno, quò ad Fidem tamen ſolummodo, non quò ad Canonem de prærogativa Conſtantinopolitanæ Cathedræ, multiplici iterum ratione ſubverſum a Pontifice Maximo, Conciliis omnibus præcellente, ac Epiſcopo Univerſalis Eccleſiæ. 116

Clemens IX. jubet ſervari ſuorum Prædeceſſorum Decreta contra Janſenianos. 241. Illum per ſummam calumniam Janſeniani allegant quaſi

quaſi Exceptiones, & Reſtrictiones aliquas ipſis indulſiſſet. 324. Ejuſdem Clementis IX. Zelus contra Janſenianos fulgens in aliis ejuſdem Brevibus. 326. Clemens IX. confirmat Declarationes omnes ſuorum Prædeceſſorum, idcoque Contextum Janſenianæ Doctrinæ. 340. Quomodo deceptus fuerit a Quatuor Epiſcopis, quos penitus reſipuiſſe meritò præſumpſit. Ibid.
CLEMENS XI. SS. D. N. Apoſtolicas Literas dat ad Regem Chriſtianiſſimum, & ad Card. Archiepiſcopum Pariſienſem contra Eluſores Pontificiarum Conſtitutionum, & univerſos Catholicos in partibus Hollandiæ, & Provinciarum conterminarum conſtitutos delegens Perduelles ſub ſpecie ſummi Rigoris in Morum Diſciplina Populum decipientes. 246. Idem SS. D. N. confirmat, & innovat Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. editas adverſus Jenſenianam Hæreſim, & novas adiicit Declarationes pro debita illarum obſervantia. 247. Uberrima explicatio ejuſdem admirabilis Conſtitutionis SS. D. N. 247. uſque ad 251.
CLEMENS XI. SS. D. N. manifeſtiſſimè damnat ut hæreticum Senſum Obvium Propoſitionum explicatarum a Contextu Janſenianæ Doctrinæ. 343
Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ curam gerit S. Leo Magnus pag. 18. Conſtantinopolitanæ Sedis Primatus in Oriente fruſtra nititur prætenſo Canone Concilii Chalcedonenſis. 89. uſque ad pag. 105. Idem iterum evertitur in Pontificiis ad Marcianum, & Pulcheriam Literis, in quarum primę Inſcriptione ſe Leo dicit Epiſcopum Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ. 114
Conſtitutiones Apoſtolicæ, Literæ Pontificum Maximorum, & Cleri Gallicani, aliaque Authentica Acta, quibus Polemica Hiſtoria Janſeniſmi, ac reliqua in hoc Volumine ſtatuta de Quinque Propoſitionibus excerptis ex Libro Janſenii, & damnatis infallibiliter tanquam Hæreticis in Senſu ejuſdem Libri: deque Subdola, & Inani Oblatione Silentii, validiſſimè confirmantur a pag. 351. uſque ad finem.

D

Dioſcori furor inſanus in Epheſino Conciliabulo. 15. Dioſcorus Alexandrinus Patriarcha jubetur a Pontificiis Legatis in Concilio Chalcedonenſi diſcedere a ſubſelliis, quia Synodum aliam celebraſſet ſine S. Leonis Auctoritate. 28. Idem, & Eutyches reiicientes omnem explicationem Fidei, & confugientes tantùm ad Sacras Literas oſtendunt Hæreticorum morem, ac neceſſitatem Pontificiæ Infallibilitatis. 32. Dioſcorum amantes deprehenduntur Epiſcopi, qui de Veritate Epiſtolæ S. Leonis dubitare potuerunt. 45. Eidem exprobrata crimina oſtendunt quàm projectè ſceleſti ſint illi, qui rebellare audent Apoſtolicæ Sedi. 50. Dioſcorus contemptor Pontificis Maximi contra ipſum quoque Cæſarem inſurgit. Pœna ſuperbiſsimo capiti inflicta. 52. In illum tertiò fruſtra vocatum ſententiam ferunt Leonis nomine Pontificii Nuntii exorati a Synodo, quæ ſe Leone minorem agnoſcit. 53.
Diſciplinæ exactioris obtentus fruſtra a Janſenianis adhibitus. 285
Doſithei nuper Patriarchæ Hieroſolymitani Canones Conſtantinopolitanum, & Chalcedonenſem contra Sedem Apoſtolicam allegantis veſania. 104

E

Eccleſiæ vetuſtiſſima Conſuetudo eſt damnandi Senſum Hæreticorum, dum definiuntur Dogmata ipſa ſpectantia ad Jus Fidei. 268. Eccleſia nullatenus acquieſcere poteſt ſilentio a Janſenianis oblato, ſed ab illis, præ cæteris Hæreticis, extorquenda eſt apertiſſima Veræ Fidei Confeſſio. 293
Epheſini Conciliabuli Synopſis hiſtorica. 2. & ſeq. Epheſina Synodus Secunda evaſit Latrocinalis & Satanica, quia non admiſit Pontificium Regimen, & Infallibilitatem. 11. Epheſina Synodus Secunda confirmat Hæreſim Eutychetis, quia in ea lectæ non ſunt Literæ Pontificiæ. 12
Epheſinum Concilium Primum non aliter excipitur a Chalcedonenſi, quàm juxta Interpretationem S. Leonis, qui proinde agnoſcitur major Synodis, & Infallibilis. 37
Epiſtolæ S. Leonis examen inſtitutum fuiſſe a Concilio Chalcedonenſi affirmare Suavis nequivit abſque inſania 57. Idem Examen initum non fuiſſe in Concilio Chalcedonenſi oſtenditur. 62. & ſeq.
Eutychetis Hæreſis qualis fuerit. 1. Eutyches Hæreſiarcha appellat ad S Leonem Magnum. 5
Eutychiani patent nonnulli, qui dubitare potuerunt de quibuſdam Sententiis Epiſtolæ S. Leonis. Cur eadem dubia ſoluta non ſint confugiendo ad Pontificiam Infallibilitatem. 41. Eutychiani Monachi manifeſtæ Hæreſis à Concilio coarguuntur, eò quòd Leonis Epiſtolam veluti certam Fidei regulam venerari detrectant: iidem majori veſania in Synodum Chalcedonenſem, quàm in Romanum Pontificem invehuntur. 67

F

Facta quædam affirmant probabiliter aliqui declarari infallibiliter ab Apoſtolica Sede. 259. Et cum ſpectant ad omnes Fideles, & proponuntur Univerſæ Eccleſiæ ab ejus Magiſtro, dici poſſe implicitè revelata 260. Eccleſia in ſuo Capite, vel in Conciliis, conſuevit obſtringere Fideles ad admittenda ut vera quædam Facta ſive Divina, ſive alia certitudine. 270. Janſeniani ipſi agnoviſſe videntur in Pontifice Maximo Poteſtatem definiendi Facta 261. Facta etiam recentia ſolent ab Eccleſiæ Magiſtro proponi tanquam certò affirmanda. 262. Videtur quibuſdam apparere ex Divinis Oraculis, & Eccleſiæ, imò & Janſenii, Confeſſione, reſolvi poſſe Quæſtiones Facti. 262. Damnatio Propoſitionum in Senſu Janſenii cadit ſupra Senſum Libri Janſenio attributi, non autem ſupra Senſum, quem idem in Mente habuerit. 262. Quod hæreticus ſit Senſus Janſenii eſt quæſtio potius Juris, quàm Facti. 264. Non ſolùm plurimæ, ſed omnes prorſus Propoſitiones de Jure Fidei includunt aliquod Factum non revelatum. 266. Cardinalis de Lauræa extendit Infallibilitatem Divinam etiam ad Pontificias, & Conciliares Definitiones pertinentes ad Facta Dogmatica. 272. Dum Eccleſia, vel Pontifex proponit Fidelibus Damnationem alicujus Hæretici, vel Facti Hæreticalis, Damnatio illa eſt Fidei Objectum e Sententia Cardinalis de Lauræa. 273. Exempla plurima oſtendentia diſcrimen inter Veritates per-

pertinentes ad Jus Fidei, quibus neceſſe ſit præbere Infallibilem Aſſenſum Supernaturalem, & alias Veritates ſpectantes ad Factum Dogmaticum, quibus ſufficiat dare alium diverſum, ſed certum, Aſſenſum. 276. Facti ad Quæſtionem omnia vocabant Janſeniani ſubdolo & inani artificio. 296. Præſumebant Fallibilitatem Eccleſiæ in omnibus Quæſtionibus Facti. 296. Nullum admittebant diſcrimen inter Facta doctrinalia, & cætera non ejuſmodi. 297. Prætenſa ab ipſis inſufficientia Fidei Humanæ, Scholaſticæ, ac Theologicæ præſtitæ Factis Doctrinalibus. 297. Aſſerta ab ipſis repugnantia, quod Factum ullum dici queat implicitè revelatum præter illud, quod ſpectat ad Traditionem declaratam per Conſenſum Patrum. 298

Fidei Formula, cui ſubſcripturi eſſent Ægyptii, aliique ad Catholicam Eccleſiam accedentes ſcripta a Patribus, & propoſita Concilio reiicitur a Legatis jubentibus omnes conſentire Leonis Epiſtolæ. 71

Fidei Definitio ſubſcribitur a Synodo Chalcedonenſi jurante in verba S. Leonis. 80

S. Flavianus Archiepiſcopus Conſtantinopolis S. Leonem agnoſcit Judicem Fidei & ſupervacaneum putat Concilium, ſi Hæreſis Eutychetis ab illo damnetur. 6. Idem impiè damnatus a Conciliabulo Epheſino appellat ad S. Leonem Magnum, ut Synodo præcellentem. 15. S. Flaviano damnato a Secunda Synodo Epheſina habiti honores oſtendunt cognitam fuiſſe Præſtantiam S. Leonis, a quo declarata fuerat innocentia ejuſdem Flaviani. 25

Formula Fidei V. Fidei Formula.

Francofordienſis Concilii aſſertus a Janſenianis Error incaſſum allegatur. 313

G

Gallicanæ Eccleſiæ conventus præclarè loquitur de Pontificia Infallibilitate in declaranda Fide. 231. & 234. & 235. & 236. & 239. & 240. Galli Antiſtites præclarè animadvertunt quod, negata Infallibilitate Pontificia circa Senſum Janſenii, periret vis cujuslibet Definitionis circa Fidei Articulos. 269

Grammaticam Infallibilitatem per Inconditum Scomma Janſeniani nonnulli dicunt attribui Eccleſiæ ab ejus Propugnatoribus. 315

H

HÆreſes omnes evertuntur ſtatuta Pontificia Infallibilitate in declaranda Fide. 2

Hæretici veteres non conſueverunt reclamare contra Poteſtatem damnandi Senſum: neque confugerunt ad Diſtinctionem Juris, & Facti. 268.

Hiſtoriam Janſeniſmi cur contexere aggrediamur. 223

Honorii Primi Summi Pontificis Cauſam ſtolido conſilio Janſeniani pro ſe in medium adducunt a pag. 299. ad 311. De præſumpto Errore Sextæ Synodi Generalis in damnando Honorio, contra quam aſſertionem primò ſtatuitur Honorium non potuiſſe jure damnari. 299. De eodem Honorio, quem probatur non fuiſſe damnatum a Sexto Concilio, ſed hujus acta fuiſſe corrupta. 301. De ipſomet Honorio, cujus Literarum nullum Examen Doctrinale fuiſſe inſtitutum in ordine ad damnandum, necne, Monothelismum, demonſtratur, ſed ad ſummum fuiſſe habitum Examen Chriminale circa ipſius Perſonam, ideoque Synodum deceptam fuiſſe circa ſolum Factum. 304. Totius ejuſdem Sextæ Synodi expenſio. 304. Multiplex diſcrimen inter Cauſas Honorii, atque Janſenii. 308

I

JAnſenii prævia Damnatio in Michaele Bajo. 229. Janſenii Librum condemnat Urbanus Octavus. 230. Innocentius X. promovet Damnationem Janſeniani Libri, & Catechiſmi de Gratia, aliorumque editorum a Janſenii aſſeclis. 230. Gallicani Epiſcopi flagitant ab Innocentio X. Examen, & Damnationem Quinque Janſenii Propoſitionum, quam futuram aſſerunt Infallibilem. 231. Janſeniani confugiunt ad Apoſtolicam Sedem, quam certam Veritatis Magiſtram agnoſcunt: fatentur extare Quinque Propoſitiones in Libro Janſenii, & in obvio ejuſdem Senſu Catholicas illas eſſe aſſeverant. 232. Quinque Janſenii Propoſitiones damnantur ab Innocentio X. 232. Catholici omnes, ac præcipuè Galliarum Epiſcopi excipiunt obſequentiſſimè Pontificiam Fidei Definitionem tanquam Infallibilem. 232. Janſenianorum libros omnes Innocentius damnat. 234. Comitia Cleri Gallicani admonent omnes Regni Epiſcopos de technis Janſeniſtarum negantium excerptas fuiſſe ex Libro Janſenii Quinque Propoſitiones, atque damnatas infallibiliter in ejuſdem Janſenii Senſu. 234. Iterum confugiunt Gallicani Epiſcopi contra Janſenianos ad Innocentium, deque falli neſcio Apoſtolicæ Sedis Judicio præclarè loquuntur. 235. Iidem Epiſcopi Galliæ quærunt præſidium ab Alexandro VII. contra negantes infallibilem eſſe Definitionem Apoſtolicæ Sedis in damandis Propoſitionibus a Janſenii Libro excerptis in Senſu Janſenii. 236. Alexander VII. declarat Quinque Propoſitiones excerptas fuiſſe ex Libro Janſenii, atque damnatas in ejuſdem Janſenii Senſu. Quam novam Janſenianorum Claſſem, præter proſcriptam ab Innocentio X., anathemate perculerit Alexander. 237 Summo cum plauſu ſuſcipitur a Catholicis Pontificia Conſtitutio tanquam Infallibilis, non ſine fremitu Hæreticorum. 239. Janſeniſtarum Libros damnat, & eorum Eluſiones multipliciter refellit Alexander VII. 239. Studia Regis & plurimorum Antiſtitum Galliæ pro extinguendo Janſeniſmo infallibiliter damnato a Cathedra S. Petri, & contra ſubdolam oblationem ſilentii. 240. Præſcribit Alexander Formam declarandæ Fidei. Clemens IX. jubet ſervari ſuorum Prædeceſſorum Decreta. 241. Janſenii ex Libro excerptas eſſe Quinque damnatas Propoſitiones demonſtratur a pag. 252. ad 257. Et primò ex atteſtatione Octoginta quinque Gallicanorum Epiſcoporum. 252. Ex Confeſſione Janſenianorum ante Propoſitionum damnationem. 252. E ſententia Theologorum, quos Innocentius Decimus conſuluit. 253. Ex Definitione Innocentii, aliorumque Summorum Pontificum confirmatione. 253. Ex Univerſæ Catholicæ Eccleſiæ Pontificiam Declarationem obſequentiſſimè ſuſcipientis Approbatione. 253. Poſt ipſam quoque Condemnationem Janſeniani fatentur Propoſitiones illas eſſe Janſenii. 254. Teſtes oculi omnium, quibus permiſſa eſt Le-

ctio Janſeniani Voluminis quò ad ſingulas Quinque Propoſitiones. 254. & ſeq. Ianſenii ex Libro excerptas eſſe Quinque Propoſitiones qui negant qua cenſura afficiendi ſint. 257. Ianſenius ipſe, ac Ianſeniani præſumpſerunt in Pontifice Maximo Facultatem definiendi Infallibilitate Divina Veritatem Senſus. 270 Ianſenii inter Librum & illos patentium Hæreticorum diſcrimen fruſtra Ianſeniani obganniunt. 317. Ianſenianam Hæreſim fuiſſe in anteceſſum condemnatam a Concilio Tridentino incipit demonſtrari a pag. 169. uſq. ad pag. 218 Prima Ianſeniana Propoſitio damnata a Concilio Tridentino. 163. Antiqua Ianſenianorum effugia everſa. Ibid. Secunda Propoſitio, & ſubterſugia inania. 177. Impugnatio Tertiæ Propoſitionis, & oſtenſio, quod tegi nequeat ejus venenum. 194. Quarta Propoſitio cum Hæreticorum ſubterſugiis labefactata. 200 Quintæ Propoſitionis, & eam velare laborantium ſubterſugiorum detecta Hæreſis. 203. Ianſeniani confugiunt ad Apoſtolicam Sedem, quam certam Veritatis Magiſtram agnoſcunt, & fatentur extare Quinque Propoſitiones in Libro Ianſenii. 232. Alexander VIII. damnat plurimas Ianſeniſtarum opiniones. 243. Innocentius XII. Literis datis ad Epiſcopos Belgii confirmat ſuorum Deceſſorum Decreta, jubetque Alexandrinam Fidei Formam in Obvio, Proprio, & Nativo Senſu præſtari. 244. SS. D. N. CLEMENS XI. Apoſtolicas Literas dat ad Regem Chriſtianiſſimum, & ad Cardinalem Archiepiſcopum Pariſienſem, contra Eluſores Pontificiarum Conſtitutionum, & ad univerſos Catbolicos in partibus Hollandiæ, & Provinciarum conterminarum conſtitutos detegens Perduelles ſub ſpecie Summi Rigoris in Morum diſciplina Populum decipientes. 246. Idem SS. D. N. confirmat, & innovat Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. editas adverſus Ianſenianam Hæreſim, & novas adiicit Declarationes pro debita illarum obſervantia. 247. Ianſeniani fruſtra promittunt ſilentium, quod neque ſervant, nec idoneum eſt ad Hæreſim extinguendam. V. Silentium obſequens fruſtra promiſſum &c. Qua temeritate invecti ſint Ianſeniani in Apoſtolicam Sedem. 283. B. Petri Sedem pugnaſſe dicunt per annos Sexaginta contra umbratilem Hæreſim, ac proinde omnes Univerſalium Conciliorum, Maximorumque Pontificum *Definitiones* in contemptum adducunt. 284. Per manifeſtam Hæreſim pronuntiant Ianſeniani immeritò vexari ab Eccleſia Sanctos Sacerdotes, pioſque Veritatis Defenſores. 284. Quàm fruſtra obtendant exactioris diſciplinæ ſpeciem, & de rigidioris Theologiæ fama ſibi Ianſeniani blandiantur. 285. Quid indicent tot Ianſeniſtarum Libelli ſcatentes jurgiis, maledictis, mendaciis, & calumniis. 286. Blaſphemiæ Ianſeniſtarum in Deiparam, Divinumque ejus Filium. 287. Quàm longè a Spiritu Dei ſint Ianſeniani ſilentium ſpondentes. 288. Secta nulla fuit, quæ obdurationem animi tantam conjunxerit tantæ fraudi, & ſimulata conſtantia in Catholica Fide petiverit Libertatem opinandi promittendo Taciturnitatem. 289. Quàm magna ſit copia Ianſenianorum, qui Silentium ſpondent, ſed oſtendunt externa Hæreſis Indicia, & nihilominus Subdoli potius, quàm hoſtilem animum profeſſi dicendi ſunt ex Regula Sanctorum Patrum. 290. Nullatenus acquieſcere poteſt Eccleſia ſilentio a Ianſenianis oblato, ſed ab illis, præ cæteris Hæreticis, extorquenda eſt apertiſſima Veræ Fidei Confeſſio. 293. Ianſenianorum antiquæ cavillationes ſolvuntur a pag. 296. ad 331. Ianſeniani neceſſariò confugiunt ad Interiorem inſtinctum Lutheranorum, & Calviniſtarum. 324. Calumniantur Clementem IX., a quo Exceptiones & Reſtrictiones aliquas indultas ſibi fuiſſe affirmant. 324. Et Relationem Cardinalis Roſpiglioſii perperam pro ſe allegant. 325. Et primum Breve Innocentii XII. ad Epiſcopos Belgii præpoſterè pro ſe afferunt. 327. Et Secundum ejuſdem Breve iniquiſſimè pro ſe allegant. 329. Ianſenianorum quorumdam Effugia apparenter nova quæſita ad circumventionem Erroris. a pag. 331. ad 351. Inanis jactatio Ianſenianorum, quod damnent Senſum Obvium Quinque Propoſitionum in abſtracto ſumptarum. 332. De falſa præſumptione, quod Damnatio Propoſitionum in concreto, ſcilicet in Senſu Obvio, quem habent in Libro Ianſenii, ſpectet ad Quæſtionem Facti, non verò Iuris. 333. Ianſenianorum recentiſſimæ Cavillationes: & primò de Mutatione ſtatus Quæſtionis. 344. De Recurſu ad ſolam Providentiam Divinam de Eccleſia nunquam fallenda in explicando Senſu Propoſitionum, aut Voluminum, excluſa Promiſſione Infallibilitatis. 344 De Infallibilitate orta ex notoria evidentia Senſus excludente, ut quidam affirmant, neceſſitatem Promiſſionis Divinæ de eadem Infallibilitate. 345. De Senſibus Obſcuris, quos perperam definitos emendari dicunt Ianſeniani quidam ope Traditionis. 347. De Aſſenſu ſolùm Moraliter certo, quem ſufficiat præſtare Definitionibus declarantibus eſſe hæreticum Senſum Ianſenii, ut quidam ejus amatores pronuntiant. 348. De inani regreſſu Ianſenianorum ad primas Labyrinthi ſui vias: deque Cauſis, propter quas plurimi fateri nolunt, quod Quinque Propoſitiones ſint hæreticæ in Senſu Obvio, quem præſeferunt ex Contextu Libri, qui Ianſenio tribuitur. 349

Ianſeniſmi Hiſtoriam cur contexere aggrediamur. 223. Præcipuæ Concluſiones, quæ ſtatuuntur in Secunda Parte contra Ianſenianos. 225. Manifeſtum Diſcrimen inter quæſtiones Iuris, & Facti ſtatuendum Libro Tertio: 227

Ibæ Edeſſeni Controverſiæ finis impoſitus in Chalcedonenſi Concilio. 84. & 86

Illyriciani, & Palæſtini Epiſcopi ſua dubia circa Leonis Epiſtolam refundunt in ignoratam a ſe latinam linguam, ſed re ipſa reſiliunt ab Hæreſi, ſeque Pontifici Maximo veræ Fidei Magiſtro ſubiiciunt. 62

Infallibilitas Pontificia, & Præſtantia ſupra Concilia cognoſcitur a pleriſque Præſulibus, qui Epheſi damnaverant S. Flavianum. 31. a S. Petro Chryſologo aſſerta. 11. Infallibilitas Pontificia, quia non admiſſa, a Synodo Secunda Epheſina, ideo hæc evaſit Latrocinalis. 11. Eadem cognita a Valentiniano Imperatore, & a Galla Placidia. 19. & a Marciano Auguſto. 24. Cognita a Concilio Chalcedonenſi. 26. Infallibilitas Pontificia & Præſtantia ſupra Concilia iterum confirmatur. 57. Declarata a Synodo Chalcedonenſi. 108. Infallibilitatis Pontificiæ Notorietas in Antiqua Eccleſia cur probanda per Tractatus erutos ab Hiſtoria Polemica Concilii Chalcedonenſis. 129. Ejuſdem in declaranda Fide Notorietas in Antiqua Eccleſia tanquam ortæ ex Inſtitutione Divina. 146. Patens a Titulis S. Leoni tributis. 148. Multiplex Factum Concilii Chalcedonenſis obten-

perantis S. Leoni jubenti Condemnationem Hæreſum oſtendit notoriè præſumptum fuiſſe, quod idem Leo errare non poſſet in Fide explicanda. 149 Alia Pronunciata, vel Facta Concilii obedientis Leoni tanquam certo Veritatis Doctori demonſtrant præſuppoſitam fuiſſe veluti notoriam Pontificiam Infallibilitatem. 152. Eadem Infallibilitas patet ex Confirmatione, aut Improbatione Synodorum, etiam Generalium prodeunte ab Apoſtolica Sede. 153. Multiplex Atteſtatio s. Leonis ſcribentis ad Synodus, ad Imperatores, & alios evincit Notorietatem tunc ab omnibus habitam Pontificiæ Infallibilitatis. 156. De eadem Atteſtatio Sanctorum Virorum, Imperatorum, Judicum Secularium, aliarumque, præter Chalcedonenſem, Synodorum. 158. Atteſtatio ipſorum Æmulorum Romanæ Cathedræ, nimirum Anatolii Conſtantinopolitani, & Hoſtium quoque, ſcilicet Hæreticorum, & Hæreſiarchæ Eutychetis, ejuſque ſigniferi Dioſcori. 161. Infallibilitas Pontificia aſſerta a Gallicanæ Eccleſiæ Cœtu. 231. 234. & 235. & 236. 239. & 240. & cognita a Catholicis omnibus. 232. & 239. Infallibilitas Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiæ in damnando Senſu Janſenii, ideſt in ſolvendis Quæſtionibus Doctrinæ ac Juris demonſtratur a pag. 259. ad 280. Quod hæreticus ſit Senſus Janſenii, eſt quæſtio potius Juris, quàm Facti. 264 Janſenius ipſe, ac Janſeniani præſumpſerunt in Pontifice Maximo Facultatem definiendi Infallibilitate Divina Veritatem Senſus. 270. Validiſſimè confirmatur ex Doctrina Melchioris Cani, quod tribuendus ſit Infallibilis Aſſenſus Fidei Divinæ Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ declaranti Verum Senſum Sacrarum Literarum, & falſum Hæreticorum eas perperam explicantium. 270. Cardinalis de Lauræa extendit Infallibilitatem Divinam etiã ad Pontificias & Conciliares Definitiones pertinentes ad Facta Dogmatica. 272

Innocentius X. promovet Damnationem Janſeniani Libri & Cathechiſmi de Gratia, aliorumque editorum a Janſenii Aſſeclis. 230. Quinque Janſenii Propoſitiones damnantur ab Innocentio X. 232. Innocentii X. Definitionem Galliarum Epiſcopi excipiunt tanquam Infallibilem. 232. Janſenianorum Libros omnes Innocentius damnat. 234. Ejus Infallibilitas iterum aſſerta a Galliarum Epiſcopis. 235. Innocentius X. damnavit Doctrinam Janſenii, adeoque confixit Propoſitiones Quinque, prout confirmantur a Contextu Janſeniani Voluminis. 335

Innocentius XII. Literis datis ad Epiſcopos Belgii confirmat ſuorum Deceſſorum Decreta, jubetque Alexandrinam Fidei Formam in Obvio, Proprio, & Nativo Senſu præſtari. 244. Innocentii XII Brevia ad Epiſcopos Belgii per ſummam calumniam pro ſe Janſeniani allegant. 327. & 329. Innocentius XII. loquitur definitivè de Obvio Senſu, quem Propoſitiones in concreto habent in Opere Janſeniano. 342

Inſtinctus interior Lutheranorum, & Calviniſtarum, ad quem etiam Janſeniani neceſſariò confugiunt. 324

Joachimi Abbatis errores perperam Janſeniani allegant. 314

Judices ſeculares ſententiam non ferunt in Fidei Controverſiis. 32. Iidem doceri petunt ab Epiſcopis; hi verò, ceteroqui omnem novam Fidei Definitionem exoſi, velut ineluctabilem tamen admittunt illam, quam ſcripſerat Leo Conciliis præſtans, & non ſubjectus Erroris periculo. 36. Judices, ac Senatus ad compeſcendam Hæreticorum quorumdam calumniam de Vetuſta Fide innovata a Leonis Epiſtola interrogant Patres de conformitate Nicæni, & Conſtantinopolitani Concilij cum ejuſdem Epiſtolæ Doctrina. Hujus examen inſtitutum fuiſſe a Concilio Chalcedonenſi affirmare Suavis abſque inſania nequivit. 57

Juramentum requirens certitudinem ſtolidè pro ſe Janſeniani allegant. 322

Juris & Facti inter quæſtiones diſcrimen. 227

Juvenalis, Thalaſſius, aliique tres Antiſtites Epheſinæ cum Dioſcoro conſpirationis frequenter accuſati, ac tunc excluſi a Synodo Chalcedonenſi, ad eamdem revocantur, & Catholici cenſentur eò quòd S. Leonis, certiſſimi Veræ Fidei Magiſtri, Epiſtolæ ſubſcripſerint. 62

L

Lauræa Laurentius Brancatus Cardinalis extendit Infallibilitatem Divinam etiam ad Pontificias, & Conciliares Definitiones pertinentes ad Facta Dogmatica 272. Quando damnatur, ut hæretica Doctrina in Senſu alicujus Auctoris, cenſet Cardinalis de Lauræa non ſolùm eſſe Objectum Fidei, quod hæreticus ſit Senſus Doctrinæ illius, ſed etiam, quod hæreticus ſit ejus Auctor. 272 & ſeq.

Legatis Pontificiis Primæ tribuuntur Sedes in Chalcedonenſi Concilio: iidem jubent e ſubſelliis diſcedere Dioſcurum Alexandrinum Patriarcham. 28. Legati Apoſtolici præcipiunt Synodo diſcuſſionem ſupplicum Libellorum contra Dioſcorum, & jubent eumdem ad Sententiam in illum ferendam accerſiri. 46. Legati Apoſtolici ſua uſi Auctoritate jubent Concilio, quo major paret Romanus Pontifex. 49. Legati minantur aliam in Occidente, contra Chalcedonenſem, Synodum celebrandam. 74. Legatorum juſſio prævalet, & ad Regulam Epiſtolæ S. Leonis, qui ſuperior Synodis, & Infallibilis præſumitur, reformatur Definitio Fidei a Concilio Chalcedonenſi, quod manifeſtè declarat fieri poſſe novam Explicationem Catholicæ Veritatis contra id, quod Schiſmatici aſſirmant falsò obtendentes Epheſinam prohibitionem. 76

S. Leo Magnus in Chalcedonenſi Concilio patet Fidei Magiſter. 1. Idem exercet poteſtatem in Eccleſiam Orientalem & Jus declarandæ Fidei. 4. S. Leonem appellat Eutyches Hæreſiarcha 5 Illum S. Flavianus agnoſcit Judicem Fidei. 6. S. Leo ut infallibilis Univerſalis Eccleſiæ Magiſter Fidem declarat, & jubet Hæreſim condemnari. 7. Cauſæ, ob quas indulget celebrari Synodum Epheſinam Secundam, in qua ſolùm Pontificia Definitio publicanda erat. 8. S. Leo ut infallibilis & antegreſſus Auctoritate Generalia Concilia Leges præſcribit Epheſino Secundo de condemnanda Eutychetis Hæreſi. 9. S. Leo appellatus a S. Flaviano cur alleget Canones Nicænus. 15 Reiicit Epheſinam Synodum Secundam, & pro ſtabilienda Catholica Veritate aliam celebrari contendit. 17. Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ curam gerit: Decreta condit de illius Urbis Præſule, ac exoratus a Bizantinis Fidem declarat. 18. Præcipit ad ſe ut Infallibilem Judicem mitti de more Profeſſionem Fidei ab Anatolio Archiepiſcopo Conſtantinopolis, electo ab Epheſino Concilio, quo proinde major iterum Leo a Cæſare agnoſcitur. 23. Judicit Concilium primò Nicææ, deinde

Digitized by Google

inde Chalcedone, & ut Superior & Infallibilis plurima eidem Synodo præcipit, jubetque ſuſcipi ſuam Fidei Definitionem, contra quas juſſiones nullus in Synodo reclamavit veluti præpoſtere factas. 26. S Leonis Epiſtola proponitur a Concilio Chalcedonenſi tanquam certa Fidei Regula. 35. & 37. & ſeq. Eadem magiſterium exercens, ac Synodo Leges præſcribens, legitur in Chalcedonenſi. 39. Eadem velut e Cælo ſcripta,& Infallibilis miris a Concilio laudibus in Cælum fertur. 40. S.Leo appellatur Univerſalis Epiſcopus in Concilio Chalcedonenſi. 46. s.Leonis Sententiam confirmat Synodus, ac Dioſcoro vertens crimini temerarium auſum in Apoſtolicam Sedem, hujus præſtantiam ſupra omnes Præſules,etiam conciliariter congregatos, multipliciter atteſtatur. Rurſus Univerſalis Eccleſiæ Papa dicitur Leo. 56. s. Leonis Auctoritas in Univerſam Eccleſiam præclarè fulget in plurium controverſiis Epiſcoporum propoſitis Chalcedonenſi Concilio. 82. Ejus Epiſtola celebrata a Concilio Chalcedonenſi 107. s.Leonis ad Anatolium Epiſtola Leges præſcribit Cæſareæ Urbis Antiſtiti, & reiicit Canonem de ipſius Primatu,licet ſancitus a Concilio cui Leo antecellebat, perhibeatur. 112. s.Leo Magnus Epiſcopum ſe dicit Univerſalis Eccleſiæ. 114. Confirmat Chalcedonenſe Concilium in iis, quæ ad Fidem ſpectant. 116. Curam gerit Orientalis Eccleſiæ exagitatæ a Timotheo Alexandrino oſore Chalcedonenſis Concilii, & in Literis ad Leonem Auguſtum, qui ad ipſum, ut communem Chriſtianorum omnium Paſtorem, certumque Veritatis Magiſtrum confugerat, eamdem ſibi ineſſe profitetur, quam Chriſtus Dominus Petro tradidit,Auctoritatem ſupra Univerſam Eccleſiam. 119. s. Leonis Epiſtola ad s Flavianum utrum collocata fuerit ſupra Sepulchrum Apoſtolorum. 123. s Leo Magnus juſſit damnari Senſus hæreticos Eutycheris. 268

Leo Imperator confugit ad s.Leonem, ut communem Chriſtianorum omnium Paſtorem,certumque Veritatis Magiſtrum. 120

Libelli Ianſeniſtarum ſcatentes jurgiis, maledictis, mendaciis, & calumniis. 286

Ludovici XIV Regis Chriſtianiſſimi zelus contra Ianſenianos. 240

Lutherani Mythiſtorici inſania. 2

M

MArcelli Ancyrani Cauſam abſurdè citant Ianſeniani. 313

Marcianus Imperator Valentiniani Collega veneratur s.Leonem, ut Eccleſiæ Univerſæ Principem, Auctorem, ac Ducem Conciliorum, illis præſtantiorem, & Infallibilem, cujus de Fide Definitiones debeant neceſſariò a Synodo publicari. 24. Marcianus Imperator Latinè primùm in honorem Leonis,& ejus Legatorum, ac deinde Græcè Synodum alloquitur, & Religionis Magiſtrum, ac Synodis præcellentem veneratur Romanum Pontificem, ſummis in cælum plauſibus a Concilio elatus. 80. Idem affirmat conſtitutam a s.Leone fuiſſe Fidem in Concilio Chalcedonenſi. 116

Maximi Patriarchæ Antiocheni, & aliorum Præſulum cauſæ oſtendunt Pontificium Ius ſupra Generalia Concilia,Romanæ Cathedræ Infallibilitatem, & nullam facultatem Conſtantinopolitani Antiſtitis ad excipiendas appellationes Orientalium non pertinentium ad ejus Provinciam. 85

Melchior Canus. V. Canus Melchior.

Michael Bajus retractat Errores, ac Hæreſes ſuas. 229

Moralis Diſciplinæ Rigor a Ianſenianis jactatus ad Populum decipiendum detectus ab Alexandro VIII. 242 & a Sanctiſs. D N. 246

Moraliter ſolummodo certum Aſſenſum non ſufficit præſtare Definitionibos declarantibus eſſe Hæreticum Senſum Ianſenii,ſed neceſſe eſt hoc ipſum credere Aſſenſu certiſſimo Fidei Divinæ. 348

N

NEſtorii Hæreſis qualis fuerit. 1

Nicænum Concilium non aliter excipitur a Chalcedonenſi,quàm juxta Interpretationem s. Leonis, qui proinde agnoſcitur major Synodis & Infallibilis. 37

Notorietas in Antiqua Eccleſia Pontificiæ Præſtantiæ & Infallibilitatis. V. Pontificiæ Præſtantiæ Notorietas, & Infallibilitatis Pontificiæ Notorietas.

O

OBedientiæ aſſertam obligationem latius patentem, quàm pateat obligatio Fidei, perperam Ianſeniani prætexunt. 321

P

PAllavicinum Sfortiam Cardinalem Iniquè calumniantur Ianſeniani. 299

Patriarchæ Orientales multi Auctores, aut Sectatores Hæreſum. 2

Perronium Cardinalem ſtolidè Ianſeniani allegant. 299

Petavium abſurdiſſimè Ianſeniani allegant. 299

s.Petrus Chryſologus Archiepiſcopus Ravennas ab Eutychete conſultus de s.Leonis Infallibilitate Sententiam fert. 18

Philippus Quartus Catholicus Rex jubet ſervari Bullam Urbani VIII. contra Librum Ianſenii. 231

Pontificia Præſtantia ſupra Concilia cognita a Concilio Chalcedonenſi. 36. Pontificia Auctoritas in ipſo æſtu certaminis multipliciter triumphat, & major oſtenditur Synodis & Errori exempta. 74. Pontificia Infallibilitas, & Præſtantia ſupra Concilia demonſtratur. 77. Eadem aſſerta a Concilio Chalcedonenſi. 105. Declarata a Concilio Chalcedonenſi. 108. Pontifici Maximo attributæ dotes a Concilio Chalcedonenſi. 108. Pontificiæ Præſtantiæ ſupra Concilia Notorietas in Antiqua Eccleſia cur probanda per Tractatus erutos a Concilio Chalcedonenſi. 129. Omnibus nota erat tanquam orta ex Inſtitutione Divina in s.Petro. 135. Patuit ex Titulis s.Leoni tributis a Concilio. 136. Multiplex Factum Concilii obtemperantis s Leoni oſtendit notoriè præſumptum fuiſſe, quod idem Synodo Superior eſſet. 138. Ius Pontificium transferendi,abrumpendi, comprobandi, vel reprobandi Concilia, demonſtrat compertam fuiſſe omnibus Pontificiam Præcellentiam. 140. Incommoda Eccleſiæ, quæ ſequerentur, niſi Pontifex Maximus Conciliis anteſtaret,arguunt,a nullo tunc

in

in dubium revocatam fuiſſe Pontificiam ſupra Synodos Eminentiam. 140. Multiplex atteſtatio s. Leonis ſeribentis ad Synodum Secundam Epheſinam, & ad Chalcedonenſem, atque ab hac obſequentiſſimè culta pateſacit admiſſam tunc ab omnibus fuiſſe Pontificiam Præſtantiam ſupra Concilia. 141. Literæ ejuſdem s. Leonis ad Imperatores, & alios evincunt Notorietatem tunc ab omnibus habitam Pontificiæ ſupra Synodos Generales Poteſtatis. 142. Atteſtatio Sanctorum, & Doctorum tunc viventium, Imperatorum, Judicum Secularium Concilii, & Conſtantinopolitanorum Civium de eadem, tunc apud omnes pervulgata, Præſtantia Pontificis Maximi ſupra Concilia. 143. De eadem Pontificia Superioritate Conciliis alia multiplex atteſtatio plurium Epiſcoporum Concilii Chalcedonenſis, & Univerſæ Synodi præter allatas, dum expendebantur Rationes intrinſecæ, & Atteſtatio aliorum Sacrorum Conciliorum. 144. De Præſtantia Pontificis Maximi ſupra Generalia Concilia penitus Nuntoria in Antiqua Eccleſia Atteſtatio ipſorum Æmulorum, & Hoſtium Romanæ Cathedræ, videlicet Anatolii Præſulis Conſtantinopolitani, Iuvenalis Hieroſolymitani, Illyricorum Epiſcoporum Hæreticorum. Eutychetis Hæreſiarchæ, Dioſcori Eutychete ferè nequioris, ac Prædatoriæ Synodi Epheſinæ. 145

Pragmaticæ, ideſt Leges præſcribi conſuetæ Conſtantinopoli de rebus Eccleſiaſticis, abolentur in Concilio Chalcedonenſi. 63

Propoſitiones Quinque damnatas excerptas eſſe ex Libro Ianſenii demonſtratur a pag. 252. ad 257

R

RE ſtrictiones mentales a ſe non fieri mendaciſſimè Ianſeniani affirmant. 323

Rituale publicatum ab Epiſcopo Alectenſi damnat Clemens IX. 326

Romanæ Cathedræ Privilegia non fluxerunt ab amplitudine Urbis imperatoris, ſed a Chriſti Domini Inſtitutione. 91. V. Pontificia Præſtantia. Infallibilitas.

Roſpiglioſii Cardinalis Relatio perperam pro ſe a Ianſenianis allegata. 325

S

SEcta nulla fuit, quæ obdurationem animi tantam conjunxerit tantæ fraudi, & ſimulatâ conſtantiâ in Catholica Fide, petiverit libertatem opinandi, promittendo taciturnitatem, ut præſtiterunt Ianſeniani. 289

Senſum Ianſenii damnans Apoſtolica Sedes agit de Senſu Libri Ianſenio attributi, non autem de Senſu, quem idem in Mente habuerit 262. Quod Hæreticus ſit Senſus Ianſenii eſt quæſtio potius Iuris, quàm Facti. 264. Neceſſariò concedenda eſt Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ Poteſtas definiendi Infallibilitate Divina Senſum Catholicum, aut Hæreticum Propoſitionum, alioqui enim nihil certum eſſet in Fide. 266. Credendum eſt Senſum damnatum in Propoſitionibus Ianſenii eſſe Senſum Obvium, Proprium, Nativum, quem Verba ipſa exhibent. 267. Vetuſtiſſima eſt Eccleſiæ conſuetudo damnandi Senſum Hæreticorum, dum definiuntur Dogmata ipſa ſpectantia ad Ius Fidei. 268. Contra Poteſtatem damnandi Senſum veteres Hæretici reclamare non conſueverunt, neque confugerunt ad Diſtinctionem Iuris, & Facti. 268. Sectatores Baii non ſunt uſi ſubterfugio diſtinctionis inter Ius & Factum. Abſurda maxima, quæ ex illa ſequerentur, niſi Infallibilis eſſet Pontificia quoad Senſum proprium, & obvium Definitio. 269. Præclarè animadvertunt Galli Antiſtites, quod negata Infallibilitate Pontificia circa Senſum Ianſenii periret vis cujuslibet Definitionis circa Fidei Articulos. 269. Ianſenius ipſe, ac Ianſeniani præſumpſerunt in Pontifice Maximo Facultatem definiendi Infallibilitate Divina Veritatem Senſus. 270. Validiſſimè confirmatur ex Doctrina Melchioris Cani, quod tribuendus ſit Infallibilis Aſſenſus Fidei Divinæ Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiæ declaranti Verum Senſum Sacrarum Literarum, & falſum Hæreticorum eas perperam explicantium. 270. Quando damnatur, ut Hæretica, Doctrina in Senſu alicujus Auctoris cenſet Cardinalis de Lauræa non ſolùm eſſe objectum Fidei, quod Hæreticus ſit Senſus Doctrinæ illius, ſed etiam, quod Hæreticus ſit ejus Auctor. 272. Qui negant damnatas Infallibilitate Divina fuiſſe Propoſitiones in Senſu Ianſenii, & renuunt eas in eodem deteſtari, cenſendi ſunt Schiſmatici. 278. & Hæretici. ibid.

Schiſmaticorum recentium negantium potuiſſe inſeri Particulam *Filioque*, inſania refellitur Auctoritate Concilii Chalcedonenſis. 74. & 76

Silentium obſequens fruſtra promiſſum a Cavillatoribus Ianſenianis, nec ullatenus ſervatum, nec idoneum ad Hæreſim extinguendam a pag. 280 ad 295. Quo ſub Obtentu ſilentii deliteſcat. 280. Quò collineent in poſterum Ianſeniani, & quo ſtudio latibula ſemper quæſiverint. 281. Quomodo ſilentium Ianſeniſtarum dici nequeat obſequens, quantoque iidem impetu invecti ſint in Apoſtolicam Sedem. 283. Quàm longè a Spiritu Dei ſint Ianſeniani Silentium ſpondentes. 288. Secta nulla fuit, quæ obdurationem animi tantam conjunxerit tantæ fraudi, & ſimulatâ conſtantiâ in Catholica Fide petiverit libertatem opinandi promittendo taciturnitatem. 289. Quàm magna ſit copia Ianſenianorum, qui Silentium ſpondent, ſed oſtendunt externa Hæreſis Indicia, & nihilominus ſubdoli potius, quàm hoſtilem animum profeſſi, dicendi ſunt ex Regula Sanctorum Patrum. 290. Plurimæ non agnoſci ſatagentium Ianſenianorum Propoſitiones, & Explicationes ab illis tributæ Propoſitionibus ipſius Ianſenii multipliciter damnatæ ſunt ab Apoſtolica Sede. 292. Nullatenus acquieſcere poteſt Eccleſia Silentio a Ianſenianis oblato, ſed ab illis, præ cæteris Hæreticis, extorquenda eſt apertiſſima Veræ Fidei confeſſio. 293

Sirmundum Ianſeniani calumniantur. 299.

Suavius Franciſcus ſtatuit Senſum damnatum in Baio neceſſariò cenſendum eſſe illum, qui proprius, & obvius ſit, quemque verba ipſa exhibent juxta propriam illis attributam communiter Interpretationem. 269

Suavis Petri impoſturæ convincuntur num. 1.2.3. 5. pag. 4
Et num 7. & 8. pag. 5.
Et num 9 & 11. & 12. & 14. pag. 6.
Et num. 16. & 17. pag. 7.
Et num. 18. & 20. pag. 8.
Et num. 23. & 25. & 26. pag. 9.
Et num. 31. pag. 10.

Et num.32.& 34. pag. 11.
Et num.36.& 38. pag.12.
Et num.40. pag.13.
Et num.43. pag.14.
Et num.45.& 48.& 49. pag.16.
Et num.53. pag.17.
Et num.60. pag. 19.
Et num.62. pag. 20.
Et num.64. pag.20.
Et num.67. pag.21.
Et num.70. pag.22.
Et num.73. pag. 23.
Et num.79. pag.24.
Et num.80. pag. 25.
Et num.82. pag.25.
Et num.85. 86. 87. pag 26.
Et num.90. pag. 27.
Et num.96. & 97. pag. 29.
Et num.98. pag. 30.
Et num.100.& 101. pag.31.
Et num.105. pag. 32.
Et num.108. pag.33.
Et num.109. pag.34.
Et num.111. pag.35.
Et num.114. pag.36.
Et num.118. pag.37.
Et num.121. pag.38.
Et num.129. pag.40.
Et num.132. pag.41.
Et num.136. pag. 43.
Et num.141. pag 45.
Et num.144. pag.46.
Et num.145. pag.47.
Et num.156. pag.51.
Et num.158. pag. 53.
Et num.160. & 161. pag.54.
Et num.165. pag.55.
Et num.173. & 174.pag.57.
Et num.180. pag.59.
Et num.186. pag.63.
Et num. 189. pag.65.
Et num.194. pag.67.
Et num.195. pag.68.
Et num.198. pag.70.
Et num.202. pag 71.
Et num.203. pag.72.
Et num.213. pag.76.
Et num.217. pag.77.
Et num.220. pag.78.
Et num.228. pag.80.
Et num.231. pag.81.
Et num.235. pag.82.
Et num.238. pag.83.
Et num.242. & 243.pag.85.
Et num.252 pag.89.
Et num.254. pag.90.
Et num.266. pag.93.
Et num.285. pag.98.
Et num.299. pag.105.
& num.301. pag.106.
& num.309. pag.108.
& num.316. pag.109.
& num.322. pag.111.
& num.330. pag.113.
& num.337. pag.114.
& num.346.& 347. pag. 116.
& num.364. pag.120.
& num.370. pag. 122.
& num.371. pag. 123.
Symbolo licere inſeri nova verba declaratur a Concilio Chalcedonenſi . 74.& 105.& 125.
Synodus Sexta utrum damnaverit Honorium Primum . V. Honorius Primus .

T

THeodoretus, licet damnatus a Generali Concilio, ſedet inter Epiſcopos in Chalcedonenſi, quia reſtitutus fuerat in priſtinum honoris gradum a Leone , qui Concilijs antarior erat . 29.
Theodoſius Iunior Imperator fatetur Pontificiam eminentiam ſupra Concilia etiam dum Leoni obſecundare abnuebat . Pœna ob hanc repugnantiam eidem inflicta . 21
Thomiſtarum præciariſſima Schola toto cælo diſtat a Ianſenianorum erroribus . 171. , & ſeq.& paſſim uſque ad 218.
Translatio Novi Teſtamenti in Gallicam Linguam edita Montibus Hannoniæ , ac Lugduni damnata a Clemente IX. 326
Tridentinum Concilium in anteceſſum condemnat Hæreſim Janſenianam . V. Ianſenianam Hæreſim condemnat Synodus Tridentina .

V


VAlentinianus Imperator, & Galla Placidia Auguſta ex notiſſimo Eccleſiæ Senſu affirmant ſpectare ad Romanum Pontificem , qui falli nequit , Declarationem Fidei , & ad eumdem , ut Synodis præſtantem , pertinere Conciliorum Regimen , &, ſi erraverint, Condemnationem . 19
Veritates inter ſpectantes ad Ius Fidei , & ad Facta Dogmatica, diſcrimen explicatum exempiis plurimis . 276
Umbratilem appellant Hæreſim ſuam nequiſſimi Ianſeniani . 284
Univerſalis Epiſcopus appellatur S. Leo in Concilio Chalcedonenſi . 46. & 49
Univerſalis Eccleſiæ Papa dicitur Leo In Chalcedonenſi Concilio . 56. & 80
Univerſalis Eccleſiæ Epiſcopum ſe dicit S. Leo . 114.
Univerſalitatem ſtolidè prætenſam fuiſſe a Præſule Conſtantinopolitano demonſtratur. 100
Urbanus Octavus Ianſenii Librum condemnat . 230.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google